ΘΕΑΝΘΡΩΠΙΚΟΥ
SEU
DE VITA JESU CHRISTI
DOMINI NOSTRI

ORIGINUM
ECCLESIASTICARUM
PARS POSTERIOR.

Accedit Græcorum verſio, & Index
utriuſque partis.

COLLECTORE
RICHARDO MOUNTACUTIO,
NORWIC. EPISCOPO.



LONDINI,
Typis R. OLTON & ELIZ. PURSLOW, & proſtant
venales apud *Joſ. Kirton* & *Tho. Warren* ſub ſigno
Equi albi, in Cœmeterio Paulino.
M. D C. XL.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIGINUM ECCLESIASTICARUM,

TOMI PRIORIS, PARS POSTERIOR.

De Vita & Actis JESU CHRISTI, ΘΕΑΝΘΡΩ'ΠΟΥ.

ANNO Triceſimo vitæ Servatoris, ſecundum initam à nobis rationem, ad finem vergente, cum Johannes Zachariæ filius, Baptiſta, maximo concurſu multitudinis, & cum nominis ſui claritudine, annum jam integrum baptizandi ſuo munere fungeretur, & Pœnitentiam, tàm vitâ quàm voce, prædicaſſet: diſcipulos non paucos, tanquam *magiſter in Iſraël* collegiſſet, factum eſt ut ad eum, Hieroſolymis Legationem deſtinarent Judæi, dicentes, *Tu quis es?* Erant autem Legati, Sectâ Phariſæi, ait Evangeliſta: hoc eſt, de doctiſſimis & rigidiſſimis Judæorum *magiſtris:* conditione vitæ, & ortu generis Levitæ, & Sacerdotes, Divinis rebus aſſueti: qui illum, de Doctrinâ, & Miniſterio exercito convenirent: & de poteſtate, aſſumptâ vel arrogatâ, ſcholam apud populum aperiendi Iſti autem Principes & Sacerdotes, qui vocantur, non erant alii, vel aliundè, quàm de communi concilio Synedrii miſſi, & non privatâ alicujus, Caïphæ putâ, Annæ vel cujuſcunque alterius τῶν ἐν τέλει authoritate. Ad Concilium *Legatio Judæorum ad Baptiſtam.*

B enim

enim illud ſpectabat, de Lege reſpondere: de Doctrinâ cognoſcere: de Prophetâ ſtatuere: in eum finem, Ne, in cultum patrium, & religionis avitæ ſtatum, ſubintroduceretur Novitas, aut Alte-
Ejus cauſſa. ratio: Et hanc ego cauſſam Legationis Decretæ atque expeditæ, potius arbitror fuiſſe, quàm illud, quod opinabatur Chryſoſtomus, nempè ut baptiſtam inducerent, ad ſe gerendum pro Meſſiâ, tantâ nominis & famæ celebritate cognitum & illuſtrem per Judæam.

2 Nam quid ſi interrogaverint, an Meſſias eſſet? Videtur enim
Quæſtio prima propoſita. illa imprimis Quæſtio propoſita per Phariſæos, è Reſponſo, quod primo loco adhibuit Baptiſta: *Confeſſus eſt enim, & non negavit, & dixit, Non ſum ego Chriſtus:* Invaluerat enim opinio, per illa tempora paſſim apud Judæos, appropinquare *Plenitudinem*
De Meſſia. illam quam vocabant, *Temporis*, in quo, ſecundum Promiſſiones Patribus factas, Deus, *Redimendo viſitaret* populum ſuum: atque ideò expreſſè, aliquandò, de quibuſdam legitur, in Evangeliis relatum, *Expectaſſe*, illos, *Redemptionem Iſraëlis.* Ab hac profecti, quod videtur, perſuaſione, ſciſcitantur, Nunquid Meſſiam ſe profiteretur. Illo inficiante, nec admittente titulum, pergunt porrò, & de Meſſiæ prædicto anteambulone Eliâ interrogant, *Quid ergo: an Elias es Tu?* Nam venturum illum πρόδρομον Meſſiæ, expectabant, Math. enim 17. legitur, *Quomodo dicunt Scribæ, quod*
2ª de Elia. *Eliam oportet primò venire?* Et hoc quidem rectè, & ſecundum veritatem opinabantur, vel Chriſto Domino ſuffragatore. Et prædixerat ſic venturum Eliam Propheta. Nam Malach. 4. legebatur, *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini.* Illud verò videtur in eadem interrogatione abſurdum, quod ſciſcitantur, de Eliâ Prophetâ Thesbitâ, cum probè ſcirent natum Baptiſtam de Zachariâ, Sacerdote, de vice Abiah, in montanis Judæ. Cui dubio, rectè ſatisfactum, meo animo, quicquid aliqui obſtrepant, per Janſenium: Loquutos, nempè, è *propriis*, Phariſæos? Quippe qui credebant impiè, μετεμψύχωσιν, ſive Tranſanimationem, quod nos in Apparatu declaravimus: atque ita, putaviſſe Eliæ animam transfuſam in Baptiſtam. Atque ex hac ipſâ diſciplinâ dicebat Herodes Tetrarcha: *Hic eſt Iohannes, quem ego decollavi.* Et ad hanc impiam illorum opinionem reſpiciens Baptiſta, ait, *Se non eſſe Eliam:* qui tamen Elias erat: & ſe Eliam eſſe, agnoſcebat: hoc eſt *ſpiritu* Eliam & *Miniſterio*, non autem *Re* vel *Transfuſione.*

3 Depulſi ab opinione, de Meſſiâ & Eliâ, ad aliam confugiunt
3ª de Propheta. interrogationem, de Prophetâ, & quærunt, *Num Propheta es Tu?* Negat autem Baptiſta, reſpondendo, *Non.* quod mirum eſt: cum de nuper nato vaticinetur pater Zacharias, *Et Tu puer, Propheta Altiſſimi vocaberis.* Cum de illo, fungente miniſterio ſuo pronunciet Veritas, Prophetam fuiſſe, & *plus quam* Prophetam. An Johannes negaverit, quod affirmat Chriſtus? Abſit. Non ita colliduntur inter ſe, θεόπνευστοι, & θεοφορούμενοι. Sed error eſt Interpretis Latini,

Latini, qui in transferendo, perperam omiſit Articulum illum δεικτικὸν, ὁ, quem in Græco adhibebat Evangeliſta. ὁ προφήτης εἶ σύ; *Num Tu es, ille Propheta?* Signanter, & κατ' ἐξοχὴν, *Ille*. Sed legit interpres & vertit; Προφήτης εἶ σύ; Num Propheta es Tu? Quem lapſum & errorem in ſuo interprete manifeſtum, ut tueatur, quid non comminiſcitur, ſurſum vertit ſe, & deorſum καὶ ἄνω, καὶ κάτω στρέφει, Barradius? Antiqui patres, & interpretes, rectè ſentiebant, Quæſtionem hic propoſitam per Legatos, de illo & non quocunque, Prophetâ ἀπολελυμένως, indefinitè, quem venturum aliquando Moyſes prædicebat, Deuter. 18. *Prophetam ſuſcitabit vobis Deus, de medio fratrum veſtrorum: illum audietis.* Οὗτος δὲ ἦν ὁ Χριστός. διά τοι τοῦτο, οὐ λέγουσι, Προφήτης εἶ σύ; ἤτοι, τῶν πολλῶν ἕνα αἰνιττόμενοι. ἀλλὰ, μετὰ τοῦ ἄρθρου, ὁ Προφήτης εἶ σύ; Ἐκεῖνος, φησὶν, ὁ παρὰ Μωϋσέως προανακηρυχθείς. διὰ δὲ τοῦτο, καὶ οὗτος ἠρνήσατο. οὐ, τὸ Προφήτης εἶναι, ἀλλὰ τὸ, Ἐκεῖνος ὁ Προφήτης. *Illo, non quocunque.*
Erat iſte Chriſtus. Quocirca non aiunt, Es Tu Propheta? ſed cum articulo, ille Propheta, qui per Moſen prædicebatur. Ideo ille negavit: non negans ſe Prophetam, ſed illum Prophetam. Quemadmodum diſſerit Chryſoſtomus, quem ſequuntur Cyrillus, Theophylactus, alii, quem præceſſerunt paria docentes, Origines, Euſebius, alii. Nec ſatisfacit argutia Auguſtini, Qui, propterea quod Johannes erat plus quàm Propheta, ideò non fuiſſe Prophetam, commentatur. *Argutia Auguſtini rejicitur.* Quaſi Dominus Chriſtus, qui plus quàm Prophetam pronunciabat, non diſertè prius affirmarit, fuiſſe Prophetam. Quaſi fieri poſſet, ut is qui eſt plus quàm Propheta, non item eſſet & Propheta. Omne enim *majus*, includit *minus*. Quocirca, rectè verterunt noſtri interpretes, *Art thou that Prophet?* contra ſententiam Auguſtini, Chemnitii, & Pontificiorum.

Inſtant Legati, *Quis ergo es?* Enarra nobis, Quis, Qualis, unde ſis: ut reſponſum demus iis, qui miſerunt Nos. Satis humaniter: 4 *4ª Quæſtio.* ac etiam pro *officio*. Quocircà reſpondet ſtatim, & Quæſtioni ſatisfacit: nec in eos, iterum, tanquam in *Viperarum generationem*, acerbiùs invehitur: ne tùm, cum objicerent, *Cur igitur baptizas?* Si non ſis Meſſias, Elias, Propheta Ille. Reſpondet porro, duo. *Reſponſio Baptiſtæ.* Primum, appoſitè πρὸς τὸ ζήτημα. *Ego, vox clamantis, in deſerto:* Quod confirmat à Prophetico vaticinio: Ita enim prædictum ſcribebatur, Eſaiæ 40. Secundum ejus Reſponſum, Officium ſuum reſpicit: quod fuit nimirum, Meſſiæ adventum prædicare: &, jam adveniſſe, quaſi *digito* demonſtrare. Ita enim deſignat penè δακτυλόδεικτον, *In medio veſtrûm ſtat.* Ubi malè iterum vertunt, *Vetus interpres notatur.* quaſi tum in procinctu Chriſtus ſtaret, turbis permiſtus: Quod non eſt ita. Nam non niſi, *poſtero die vidit Iohannes Ieſum ad ſe venientem.* Sed Græcè legebatur, ἕστηκεν: id eſt, *ſtetit*, in medio veſtrûm. Nimirum, tum cum baptizaretur. Cum de Chriſto uſurparet illud Elogium. *Fortior me eſt. Prior me fuit. Ipſe vos baptizabit Spiritu Sancto.* Quo reſponſo accepto, reverſi ſunt Legati, & Concilio renunciaverunt, quæcunque dixerat Baptiſta.

Digitized by Google

Quam narrationem, hoc Epiphonemate concludit Evangeliſta, *Hæc in Bethabara facta ſunt trans Iordanem, ubi Iohannes baptizabat.* Antiquiſſimus librariorum lapſus in quibuſdam codicibus, pro, *in Bethabarâ*, ſubinduxit, *in Bethaniâ.* Et eſt ille error valdè antiquus. Nam & Syrus interpres ita legit,& vetus Latina tranſlatio. Et apparet fuiſſe hoc erratum Epiphanio Cyprio antiquius. Scribit enim ille, in hæreſi Alogorum, quædam exemplaria, *Bethaniam*, & non *Bethabaran*, repræſentare; vitioſiſſimè. Nam, Bethania ſita fuit in montibus Judæ, non longè à Jeruſalem. Bethabara, fuit ad Jordanem, ubi tranſierant olim, diviſo flumine, Iſraëlitæ. Atque inde nomen inditum, quod eſt, *Domus tranſitus.*

Error in contextu.

5 Poſtquam receſſerant Legati Judæorum, τῇ ἐπαύριον, ſequenti die vidit Johannes Jeſum ad ſe venientem. Non ex Eremo venientem, à certamine illo, *cum*, & victoriâ glorioſâ, *de* Diabolo, quod opinantur multi: ſed *venientem ad ſe*, poſt annum decurſum, de Galilæa materna domo: apud quam, illum primum annum, poſt Baptiſma & Tentationem, tranſegerat, rem procurando familiarem, & privatim docendo, prout ſe tulerat occaſio. Nondum enim in carcerem conjectus fuit Johannes: Hinc autem, non aliunde venit ad Johannem, ad captandas majorum rerum foris,occaſiones: & ut apud populum inciperet, nominari quod,quomodo fiebat,inſinuat Evangeliſta. Illo enim viſo, dum ad ſe accederet, proclamat Johannes, Ille *vox clamantis*, qui dicebatur, *Ecce Agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.* Aut ut Græcè elegantius habetur & efficacius, ἴδε. hoc eſt, *ecce*; *veni*, & *vide*, *Agnum Dei; qui tollit peccatum mundi. Tollit* autem; vel *ſuper ſe*, imponens: Nam *infirmitates noſtras ipſe portavit*; vel, Tollit *à nobis*,ita ut à peccato liberemur,dum nec *imputatur* in *interitum*; nec *dominetur*, in *ſubjectionem* ut aliquando. Peccatum verò ait,& non Peccata, ἐμφατικώτερον. hoc eſt, quicquid eſt ἁμάρτημα, παρανόμημα, per quod Mundus conſtituitur in *maligno.* Totam Peccati colluviem & propaginem: tam Originale Peccatum, quam Actualia. Non hujus aut illius electi ſpecialiter, & immutabiliter ad vitam deſtinati, quod ſomniant hodie multi: ſed, *Quà terra patet*; &, *quà fera regnat Erynnis:* quicunque in Adamo prævaricati fuerant, eorum omnium, omnia peccata, tanquam *onera*, in ſe ſuſtulit Chriſtus, omnium hominum Salvator, factus, licet maximè electorum, quorum peccata tollit, hoc eſt, non tantum *in ſe*, ſed & *à ſe*; abjicit, abolet, ut ne ſint facit. atque illud quidem Actu,ut loquuntur,continuato. ita enim inſinuat Johannes, inquiens ὁ αἴρων, hoc eſt, *qui eſt tollens:* id ſemper agens: ut de Jeruſalem *vaticidâ* alibi dicitur, ἡ ἀποκτείνουσα, quæ & olim occidiſti,& nunc occidis,Prophetas. Appellat autem Jeſum, *Agnum*, vel quia ſic de eo vaticinatur Eſaias: *ductus eſt*, inquiens, *ut agnus.* vel quia manſuetus: ut ibi notat Propheta: vel quod innocens & immaculatus: aut quod juge ſacrificium erat Agnus: vel quod

Unde, quando, Ieſus venit ad Baptiſtam.

Tollere peccatum mundi.

Digitized by Google

quod Phaſca immolandum, averruncandæ peſti, erat Agnus. vel propter iſta omnia. Certè enim hæc omnia, in illo concurrentia conſpirabant. ita ferè Chryſoſtomus commentatur. Ἀμνὸν αὐτὸν καλεῖ, τῆς Προφητείας ἀναμιμνήσκων Ἰουδαίους, τῆς Ἠσαΐου· καὶ τῆς σκιᾶς, τῆς κατὰ τὸν Μωϋσέα· ἵν' ἀπὸ τοῦ τύπου, μᾶλλον αὐτοὺς προσαγάγῃ πρὸς τὴν ἀλήθειαν. Atque hactenus ea proſequutus eſt Evangeliſta quæ circa finem Decembris contigerunt, anno 30 vitæ Servatoris, ad finem deducto & periodum.

Poſtridiè autem: nimirum poſt effatum illud de Agno tollente Peccatum Mundi, *ſtabat Iohannes:* inter turbas ſcilicet convenarum, & reſpiciens Jeſum ambulantem, ſecundâ jam vice, coram diſcipulis ſuis pronunciat, *Eccè, Agnus Dei.* Quo audito, de numero diſcipulorum ejus *duo*, ſine mora, & dilatione ſemet Jeſu conjunxerunt, eique addicti, ſequebantur eum. *Neſcit* enim *tarda molimina Spiritus ſancti gratia.* Jeſus, hoc animadvertens, ad illos converſus, ait, *Quid quæritis.* Dicebant, autem illi, *Rabbi: ubi habitas?* Magiſtrum agnoſcunt: & quidem ſuum. ipſo enim nomine profitentur, velle ſemetipſos ei in diſciplinam tradere. Quocirca adjiciunt illud, *ubi habitas?* ut quoties liberet, vel vacaret, illius ſcholam & auditorium frequentare poſſent. Nam nec Johannem videntur prorſus deſerturi. & certum eſt, è duobus alterum, Andream ſcilicet; nondum Chriſto in totum ſe addixiſſe. *Non ſic illum ſequebantur*, ait Auguſtinus, *quaſi jam ut inhærerent illi: Nam manifeſtum eſt quando illi inhæſerunt, quia de navi eos vocavit. in his enim duobus erat Andreas, ſicut modò audiviſtis. Andreas autem Petri frater erat. Et novimus in Evangelio, quod Petrum & Andream Dominus de navi vocavit, dicens, Venite poſt me, & faciam vos Piſcatores hominum: & ex illo ſic adhæſerunt illi, ut non recederent. Modò ergo quod illum ſequuntur iſti duo, non, quaſi non receſſuri ſequuntur, ſed videre voluerunt, ubi habitabat, & facere quod ſcriptum eſt, Eccleſiaſt. 6. 36. Limen oſtiorum ejus exterat pes tuus. Surgè, ad illum venire aſſiduè, & erudire præceptis ejus.* Hæc Auguſtinus. Venerunt autem, & viderunt ubi habitabat, & apud illum manſerunt eo die. Hora autem erat, quaſi decima: nempe ſole jam deciduo, vergente in occaſum, cum duo illi è Johannis ſectatoribus, ad Chriſtum tranſmiſſi eum ſequebantur, & eodem, cum illo hoſpitio, per illam noctem, utebantur: neque enim, quod ſomniat Barradas, reverſi ſunt ad Johannem ante noctem: nec illud Auguſtino in mentem venit, cujus hæc ſequuntur loco ſuperius commemorato, *Quàm beatum duxere diem? quàm beatam noctem? Quis eſt autem qui nobis dicat, quæ à Domino audierant?*

6 *Diſcipuli Iohannis duo, ſequuntur Chriſtum.*

Tractat. 8. in Ioh.

Erant porro diſcipuli iſti, auditores, & contubernales, duo. Nomen unius, tacuit Evangeliſta. neque libet, aut licet, quis ille fuerat, divinare. fueritne Johannes ipſe, qui hiſtoriam ſcripſit: an ejuſdem frater Jacobus. Certe, gemini hi Germani, filij Jonæ, & Zebedei, erant inter ſe conjuncti familiaritate. Et ſollenne

7 *An alter fuerat Iohannes.*

eſt

eſt in aliis θεοπνεύστῳ huic Hiſtorico, nomen ſuum tacere, cum de ſe ipſo loquatur. ſed hæc in medio relinquenda potius. Andream, alterum, de nomine notat. ſed & ipſum etiam, διὰ τὸ ἑπόμενον. Quippe invenit Andreas (quærendo ſcilicet, non enim, fortuito reperiebatur) fratrem ſuum germanum Simonem, eumque certiorem redditum, de invento ipſis Meſſia, duxit ad Jeſum. Optimo conſilio, cum ad pietatem erga Deum, atque fratrem. Noluit enim invento theſauro, ſolus frui, ſed, ut fratrem decuit, volebat illum fratri ſuo communicare. Hoc ut poſteritati κατόρθωμα commendaret, Andream de nomine compellatum reponit, alterius, quicunque demum fuerat, nomine prætermiſſo. Intuitus autem Dominus Jeſus, Simonem ad ſe adductum ab Andreâ, ait illi, *Tu es Simon, filius Iohannæ: Tu vocaberis Cephas*; quod interpretatur, Petrus, quo de nomine magnalia nobis multa, & tantum non τὸ τῆς ἀνθρώπου ὑπερακοντίζοντα, narrant Interpretes & Annaliſtæ: de Petro nimirum, *Petra, lapide* angulari & fundamentali Domus & Eccleſiæ viventis Dei, loco & vice Jeſu Chriſti diſpoſito. *Hoc ipſo initio*, Baronius ait, *Eccleſiæ erigendæ, quæ ædificatio Dei eſt, Chriſtus Dominus, tantæ molis erigendæ ſapientiſſimus architectus, de primario lapide in fundamento locando ſtatim cogitans, Simoni dixit, Tu vocaberis Cephas*. Rectè autem ait *Vocaberis*: Non enim in præſenti Nomen illud impoſuit, ſed deinceps, poſt vocationem & Apoſtolatum, per occaſionem Confeſſionis Simonianæ de Jeſu Chriſto, Filio Dei. Et certè ſpectat ad illum locum διάληψις, de hac voce, Titulo, & Elogio. Quia tamen doctiſſimus Baronius, hic, idem argumentum neque leviter perſtringit, cum illo nos pauliſper exerceamus.

Quæ ſtatum excedunt humanum.

8 *Vox Syriaca, Latinè interpretata, idem quod Petra ſignificat:* Cephas nimirum: *ex Græcâ autem linguâ dicitur Petrus. Nam apud illos,* ὁ Πέτρος, *idem eſt quod* ἡ Πέτρα. Atque ad hunc modum cum Baronio, λεπτολογοῦσι non pauci, qui Πέτρον volunt, & Πέτραν, indiſtinctè, & ὁμωνύμως uſurpari. à quibus merito diſſentit Bulengerus: nec admittere vult, Cepham Syriacam vocem reddendam eſſe apud Græcos, Πέτρον; Latinè *rupem*, ſive *cautem*: ſed, cum eſſet in re Grammaticâ & Philologicâ verſatus cum paucis, Πέτρον, Latinè Lapidem vel Saxum vertendum docet. Et ſic Heſychius, Grammaticorum *alpha* Πέτρον nobis λίθον interpretatur: cum tamen apud illum Πέτραι, ſint ἠλίβατοι, ὑψηλοὶ, κρημνοὶ, & ἀκρωρεῖαι. multum autem intereſt inter iſta. *Saxum* loco movetur, rotatur, circumvolvitur: fluctibus impulſum, in arenas ejicitur: reciprocante æſtu in altum devolvitur: ſtat interim immota, *Marpeſſia cautes*. Quocirca, ſi, quod mihi quidem videtur; διὰ τὸ ἄκλινες καὶ ἀπερίτρεπτον τῆς πίστεως nomen invenit: Quod nec *ipſius fides*, nec *ſucceſſorum*: hoc eſt, Catholicæ Eccleſiæ, ſuccuti, ſubrui, aut inclinari poſſet. atque ideo dicendum potius fuerat, *Tu vocaberis*, Petra, quàm, *Tu vocaberis Petrus*. Negat hoc Cardinalis: Nam tantundem promittitur, in, *Tu vocaberis*

Petrus, Cephas, Petra.

Petrus:

Digitized by Google

Petrus: ac, ni *Tu vocaberis Petra.* Fortaſſe quidem illud. ſed non de vi rationis adjunctæ. *Idem apud nos Petrus & Petra.* Nos autem, quos intelligit? Presbyteros Congregationis Oratorii? An Curiæ Romanæ adminiſtros? Nam certè apud Nos, hoc eſt Latinè loquentes: aut Latinam Eccleſiam illuſtrantes Patres, Petrus & Petra, non ſunt idem. Imperitè pronunciatum Cardinali. & reclamant, Syriacè, Græcè, Latinè eruditi. Non minus ridiculè, quàm ut Cephas, Syriacum, à Græcâ voce κεφαλῆ deducatur, ſcilicet, quod *caput*, multum conducat ad principatum: ideò, non à Petra, Petrus: hoc eſt, Simon à Chriſto, ſed *Petrus* à ſe, *Petra*, denominabitur. Atque ita, duæ æquales erunt *Petræ*, ἀῤῥαγεῖς, ἄσειστοι, inexpugnabiles, ἀσάλευτοι, Chriſtus Dei, & Simon Johannæ: quod abhorret pietas cogitare. Ita duo primaria erunt & ἰσόῤῥοπα Eccleſiæ Fundamenta: & tandem fortaſſis, quod minus cautè dicebat Leo, *in unitatem individuæ Trinitatis*, Simon ille aſſumetur: & pari paſſu ambulavit cum Jeſu Chriſto. *Non frangendæ, non movendæ. Epiſtola 87.*

9 Non eſt autem hoc de Fide, quod ſtatuit Cardinalis. opinio tantum eſt: nec illa communis. nec plurimorum: nec ſine aliorum diſſentione & cenſurâ. Id enim inſinuat Cardinalis ipſe, qui quaſi contradicentes refellens, ait, *Ex his quidem ſolidâ firmaque veritate conſtantibus redarguuntur, qui minus cautè, ſciteque dixerunt, non dictum eſſe Petro, Tu es Petra, ſed, Tu es Petrus: quod ſcilicet Petra eſſet Chriſtus quem confeſſus Simon, dictus eſt Petrus.* Sed imprimis, longiſſimè recedunt à veritate: & ſunt falſiſſima, atque frigidiuſcula, quæ de nominibus φλυαρεῖ. Illi porrò, *minus cautè loquentes*, non erant niſi vetuſtiores Theologi, ante iſtos Novitios è Scholâ Nerianâ, & Loiolitanâ. Auguſtinus neutram rejicit vel condemnat opinionem, cum ſe fateatur, utroque modo interpretatum, ſcilicet, ut verbis Baronii utar, Syriacam vocem Cephas, ipſe Africanus non aſſequeretur, non magis quàm Soranus ortu, in Italia: nec, quod videtur, Syriacè intelligens, Cardinalis. quam Syriacè docti & callentes, non *Petram*, hoc eſt, *rupem*, vel *cautem*; ſed *Petrum*, hoc eſt, *lapidem*, vel *Saxum* notat. Auguſtini autem iſta ſunt: *Librum etiam contra Epiſtolam Donati, qui partis Donati, ſecundus poſt Majorinum, Epiſcopus apud Carthaginem fuit, eodem Presbyterii mei tempore ſcripſi: in qua Epiſtolâ, id ille agit, ut non niſi in ejus Communione, baptiſma Chriſti eſſe credat. cui nos contradicimus; in eo libro in quodam loco, de Apoſtolo Petro, quod in illo, tanquam in Petrâ fundata ſit Eccleſia: qui ſenſus, etiam cantatur ore multorum, in verſibus Ambroſii beatiſſimi, ubi de gallo gallinaceo ait,* Hoc ipſa Petrâ, Petrâ Eccleſia canente, culpam diluit. *ſed ſcio me poſteà ſæpiſſimè expoſuiſſe, ſic, quod à Domino dictum eſt,* Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, *ut, Super hunc intelligatur, quem confeſſus eſt Petrus, dicens, Tu eſt Chriſtus Filius Dei vivi: acſi Petrus ab hac Petrâ appellatus, perſonam Eccleſiæ figuraret* *quæ*

Variè de ea re ſentiunt alii.

Lib. 1. Retract. 21.

Auguſt. de Petrâ.

quæ ſuper hanc Petram ædificatur, & accepit claves regni cœlorum. Non enim dictum eſt illi, Tu es Petra, *ſed*, Tu es Petrus. hæc fuſiùs, doctiſſimus ille pater. Quocirca, certiſſimum eſt, de ſententiâ Auguſtini, quod *Petrus*, & *Petra*, apud Latinæ linguæ authores, ἀντιστρεφόντως non dicantur. atque ideo *Simon*, qui *Petrus* dicebatur, ad *Petram*, quod ſomniat Cardinalis; non poterat, aut debebat aſpirare. Sequitur enim, Petra *erat Chriſtus, quem confeſſus Simon, ſicut cum totâ Eccleſiâ confitetur, dictus eſt Petrus:* tanquam Petræ ſimilis: aut ut Hebræi loquebantur, *Petræ filius:* ejuſdem cum Petra conditionis, particeps ejuſdem naturæ. Lapis enim vel Saxum inhærens rupi, ἀσάλευτον & ἄσειστον, in rupe, & cum rupe perſeverat. Atque ita fruſtra mihi videtur de nomine litigandum, ſitne Petra, vel Petrus, uſurpandum nomen, dummodo ponatur in confeſſo, propriè vel primario, Simonem non Petram, ſed Petrum nominandum, cum ſolus Chriſtus, *Petra*, non Simon Barjona, verè fuerit.

10 Hoc ita poſito, doctiſſimus Baronius, rectè cum Auguſtino ſenſerit, *Eligat Lector, harum duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior.* Nam quod addit de Auguſtino Africano Syriacam vocem malè intelligente, ἴωλον eſt & futile: melius intelligebat quam Baronius. Atque ita quoque rectè ſentiebat author Sermonis, *de Petri Cathedrâ*, ſive Auguſtinus ille, ſive Ambroſius, aut quis alius fuerat, Simonem, etiam *Petram* appellatum, cum Chriſto: Rectè enim ut ipſe ſe explicat, *Conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur & operis.* Nomina enim σημαντικὰ ſunt τῶν πραγμάτων. atque ideò Deus hominibus ſuos impertit titulos, atque humanas ſibi aſſumit appellationes, quæ ſaltem non notant imperfectionem: nam illa prorſus à Deo removenda ſunt. *Pro ſoliditate Devotionis Eccleſiarum, Petra dicitur:* ait idem author: *Qui Simonem Eccleſiam univerſalem repræſentaſſe rebatur: ſicut ait Dominus, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Petra autem dicitur, eo quod, primus in nationibus Fidei fundamenta poſuerit, & tanquam Saxum immobile, totius operis Chriſtiani compagem molemque contineat.* Itaque cum Petrus plantaret, & Fidei poneret fundamentum, Dominus daret incrementum, *Petra pro devotione Petrus dicitur: & Petra pro virtute Dominus nuncupatur.* Quæ inſinuant neceſſariò, non eſſe ὁμωνύμως, propriè & primario, *Petram* & *Petrum*, quod deceptus arbitratur Cardinalis accipienda. Eſto igitur modificato ſenſu, Petrus *Petra:* licet πέτρος & πέτρα non ſint idem ſignificatione primâ, nec reſpondeant ex æquo τῷ Κηφᾶ. Atque ita de verbis non litigamus.

11 Sed cur Dominus potius eum appellet *Petram*, quàm aliam quampiam materiam ſolidam; *æs, ferrum, ſaxum*, ſimile: id rectè factum arbitrantur, propterea quod ipſe Chriſtus *Petra* dicendus erat. ita enim Paulus, 1 Corinth. 10.4. *Petra autem erat Chriſtus:* Illam ſcilicet intelligebat τυπικὴν, unde aquam emanantem, in deſerto

Cur potius Petra, quàm æs, ferrum, &c.

ſerto bibebant Judæi. ſed Chriſtus πολυώνυμος apud veteres erat. habes nominũ Catalogum apud Cyrillum Catechiſten, Cat. 10. ubi πρὸς ὄντα notant, ὁδός, θύρα, λέων, λίθος. Et *lapidem de monte exciſum:* hoc eſt πέτραν, κατὰ τῆς πέτρας, ſecundum humanam generationem, cum Daniele vocat. Inter omnes titulos qui Chriſtum Eccleſiam ædificantem referebant, non erat aptior quàm Lapis: *angularis* ſcilicet *pretioſus*; ille, *poſitus in Sione.* Quocirca cum Petrum ad Apoſtolatum, ædificandæ Eccleſiæ deſtinatum vocaret, Lapidem, Saxum, rupem, cautem accommodatiſſimè nominavit: non æs, ferrum, lignum, &c. licet ſubſtantiæ etiam ſolidioris: Cum non in fundamentis locandis, ſed ſuperſtructuris adhibeantur illa. Ad hunc ſenſum interpretor Tertullianum, contra Marcion. Lib. 4. 13. *Cur de Simone Petrum? Si ob vigorem fidei, multæ materiæ ſolidæ nomen de ſuo accommodarent. verum illas materias minimè de Chriſto uſurpatas intimare voluit: ait enim, An quia & Petra, & Lapis Chriſtus? Siquidem & legimus eum poſitum in Lapidem offendiculi: & Petram ſcandali. Itaque affectavit chariſſimo diſcipulorum de figuris ſuis peculiaribus nomen communicare, puto propius, quam de non ſuis. Cum igitur eſſet Chriſtus inviolabilis Petra,* inquit ſanctus Leo, Serm. 3. in Anniverſar. aſſumpt. *Lapis angularis, qui facit utraque unum: fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen Petrus quoque Petra eſt, quia Chriſti virtute ſolidatur: ut quæ Illi, poteſtate ſunt propria; Petri ſint cum illo participatione communia*; ſuper Petrum igitur, nec inficiamur, hoc eſt, perſonam Petri, Eccleſiam ſuam Chriſtus ædificaturus erat: *quod ipſum, ut fidelius atteſtaretur, Petrum de Petra compellavit.*

Tertull.

Leo.

Nomina igitur cum ſint εἰς δήλωσιν & διάγνωσιν, earum rerum notæ quibus imponuntur, Omnis omnino ὀνοματοθεσία Inſigne quoddam eſt Dominii & Superioritatis. quæ & ipſa, præcipua quædam portio fuit Divinæ Imaginis, in ſtatu primævæ integritatis. Et eſt etiamnum, à reatu Adami τῆς ἀρχῆς alicujus & excellentioris prærogativæ indicium, quemadmodum olim quoque fuit apud Iſraëlitas, ubi parentes, αὐθεντικῶς ſuis liberis nomina imponebant: quòd verè contra Maldonatum & Ariam Montanum, Pineda tuebatur. Huc reſpexit Juſtinus Martyr, qui Domini factum, mutantis nomen Simonis, ait fuiſſe μηνυτικόν, τοῦ αὐτὸν ἐκεῖνον εἶναι δι' οὗ, καὶ τῷ ἐπωνύμῳ Ἰακὼβ, τῷ Ἰσραὴλ ἐπικληθέντι ἐπεκλήθη. id indicare, eum nimirum ad ipſum ſpectare. Quocirca, & is qui valdè propriè dicebatur Jacob, nomen Iſraëlis ſibi impoſitum accepit. Certè nomen Simonis in Petri nomen mutatum, ſemper creditum fuit in Eccleſia, habere aliquid *interioris myſterii*, incluſum. Et profectò habuit, quod fatetur & docet doctiſſimus Exercitator: contra quem ſatis inſulſè, ut ſolet, de *oculo cæcutiente:* &, *manu errabundâ & palpante*, garritat Bulengerus; eò quod fateatur ingenuè, *Curam quandam præcipuam, ædificandæ Domus Dei, in Petri humeros*

12 *Nominis impoſitio ſuperioritatem notat.*

meros incubuiſſe. Quod non illibenter hoc agnoſcat & profiteatur Eccleſia Anglicana. ſed Præcipuum illud, quibuſdam, ἰδεῖν καὶ ἐπιδεῖν, & eſt, & videtur eſſe: *Totum* oportet reſcribatur: ut præter Simonem, Apoſtolorum chorus, εἴτ' ἐν λόγῳ, εἴτ' ἐν ἀειδῷ censeatur. Importuni majeſtatis exactores, non contenti ſunt, ut Petrus ſit, τὶς μέγας, Primus, Princeps, Coryphæus Apoſtolorum: Id aſſignant, id ſolum vindicant, ut ſit ὁ μέγας, Dominus, Imperator, & Monarcha Eccleſiæ ad nutum ipſi famulantis. Eſto per nos Primus; utique, in Onere, & Honore. eſto Petrus Petra, omni modo ἀσάλευτος, ἄσειστος, ἀῤῥαγὴς, ἀδιάσειστος, inhærendo ſcilicet τῇ ὄντως Πέτρᾳ. At ille mortalium imperioſiſſimus, ut Juſtini Martyris ad Zenam verbis utar, καθάπερ ὁ λίαν μεγαλοφώνως Ὀρέστην ὑποκρινόμενος, φοβερὸς εἶναι καὶ μέγας παρὰ τοῖς ἀνοήτοις, διὰ τῶν ξυλίνων ποδῶν, καὶ κοιλίας ἐπιπλάστου, καὶ στολῆς ἀλλοκότου, καὶ προσώπου τερατώδους ὑπείληπται. Quemadmodum is qui voce magna Oreſtem in ſcenâ repræſentat, terribilis quidam & magnus quis, ſed fatuus videtur propter ligneos indutos calceos: ventrem aſcititium turgentem, veſtitum inuſitatum, perſonam prodigioſam. Ita quoque, ſi noverimus hoſce homines benè, & locum quem tuentur & arrogant in Eccleſia, non acquieſcent ſucceſſores Petri utſint, niſi & ex aſſe, ſi placet Ambitioni hæredes, ſoli admittantur, & reputentur, ii, *Quos ni, domus inclinata reponat*. ſed profectò, οὐδ' Ἀσκληπιάδης τοῦτο γ' ἔδωκε θεός.

13 Quicquid autem ſit, quod hic non ſollicitamus, de ſucceſſione, & hæreditate Petri, illum, Simonem Barjonæ, μετονομασθέντα Petrum, libenter agnoſcimus Fidei ἑδραίωμα, τὸ τῆς Ἐκκλησίας ἑδραίωμα καὶ ἔρεισμα; ita olim ab Eccleſia merito uſurpatum. Sed talem & tantum profitemur ut Apoſtolum, non ut Epiſcopum: ut totius orbis, unà cum undecim aliis, quanquam primo loco, concreditum τὴν ἐπιστασίαν. Non enim Petrum *ſolum* & *ſolitarium*, illiſce titulis & elogiis lemniſcatum legimus, ſed à Petro & alios, & fortaſſis, excellentioribus. Johannem imprimis atque Paulum: qui & Nominis mutatione honorati. Quod maximè Chryſoſtomus, in hoc caſu, urget. Statuebat autem ille, Apoſtolos illos, quibus indidit Dominus appellationes novas, habuiſſe ſuper cæteros, ſaltem ultra alios, ἐξαίρετόν τι; Jacobum, Johannem, Petrum, Paulum. Illud autem τὸ ἐξαίρετον, interpretatur ipſe, πλείονα οἰκείωσιν: id eſt, familiaritatem & conjunctionem propiorem. Habuit ergo Petrus, de ſententiâ Chryſoſtomi, *prærogativam*, ſed cum quibuſdam aliis communem illam habuit, non ſolus, ſibi peculiarem. vocat illum Chryſoſtomus, τῶν ἀποστόλων κορυφαῖον. &, τὴν κρηπῖδα τῆς Ἐκκλησίας. Ita tamen appellat Paulum, & Johannem. Sed nunquid vocavit Petrum ille, τὸν στύλον, τῶν κατ' οἰκουμένην Ἐκκλησιῶν, Cum tamen in eo ſint omnia? Certè nunquam. Qui tamen eo titulo Johannem inſignivit. ſed ulterius, illud Petri τὸ αὐτοτιμημα & ἐξαίρετον, *Habere claves regni cœlorum*, Paulo donat. Vide Homil. 1. in Gen. pag. 21. ſed & Hiero-

Alii Apoſtoli etiam titulorum præeminentia honorati.

Hieronymus Romanæ Eccleſiæ, quod gloriatur ipſe, *Presbyter*, Lib. 1. contra Jovinianum, Johannem multiplici ratione Petro prætulit, etiam tum, cum ſuper eum diceretur *Eccleſia fundata*.

Ita ſine ullà contumeliâ, ſine ullo diſpendio honoris Petri, vel exiſtimationis, illa eximia, quæ ipſimet interdum tribuuntur elogia, & aliis ab illo adſcribi ſolent. Concludamus igitur, de ſententià vetuſtiorum, Chriſtus ſolus eſt *Lapis* ille pretioſus, ἀκρογωνιαῖος, in fundamento poſitus. illa *Petra* προσκόμματος, ad quam increduli alliſi diffringuntur: verum Salutis *Saxum* & ſecuritatis credenti cuicunque. Petrus, *Petra* fuit, & dici poteſt. non tamen eo modo quo Chriſtus ἡ Πέτρα: ſed *Lapis*, in ædificio ἀχειροποιήτῳ, fundamentalis, quales erant, ſuo ordine, loco, gradu, Apoſtolorum chorus. Fatetur mirum, Exercitator, Petrum, ex rei veritate Petram eſſe: & Fundamentum vocari potuiſſe: Paulum in hoc ſecutus, τὸν θεμελιοῦντα τῆς Ἐκκλησίας, ut de illo loquitur Nazianzenus; qui Apoſtolos, ex æquo omnes, in Eccleſiæ ædificio illo ſpirituali, vocare ſolet Fundamenta, ubi tamen Chriſtus ſolus eſt angularis. Petræ poſſunt eſſe plures, iiſdem fluctibus objectæ, & impulſæ. poſſunt eſſe Lapides diverſæ magnitudinis & ſoliditatis, in uno eodemque ædificio plures: ſed unus tamen & unicus eſt primarius & angularis. *Vnitas* autem omnis, in quantum *Vnitas*, indiviſa ſubſiſtit, & indivulſa. Non ergo ſequitur, erat Petrus Petra. ergo ſolus fundamentum, vel Lapis angularis. Nec multum refert quibus nominibus Petrum exornat, *nobiliſſimus Hippolytus Martyr*, Portuenſis Epiſcopus: non tantum quod ſubleſtæ ſit & dubiæ fidei teſtis, ſed quod οὐδὲν πρὸς ἔπος, illius ῥῆσις. Sed de Petri prærogativis & ὑπεροχαῖς recurret occaſio ulterius diſquirendi, cum, poſt Confeſſionem, id quod hic *promittitur*, vel *prædicitur*, actu completo conſummatur, & nomen prædefinitum, Petri, imponitur. cujus Confeſſionis merito, prælatum Germano Andreæ illum retur Cardinalis, qui tamen princeps illum ad Jeſum adduxit, & fuit ætate, atque ita honore, potior ut opinantur, nam 14

De ætate Andreæ ac Petri fratrum, haud liquet, quis è duobus major natu fuerat. Epiphanius de hac quæſtione ſentiebat, Hæreſi 51. quæ eſt Alogorum. Poſt baptiſmum, ſtatim Nazaretham, uti dixi proficiſcitur; ibique ſine ullis adhuc Diſcipulis manſit. Hinc ad Johannem contendit, quo tempore, Petrus per Andreæ operam vocabatur. tum Philippus: & per Philippum Nathaneel. Nec eſt, quod iſta quis ſcrupuloſius exquirens dubitet, quod Andream primo occurriſſe Jeſu videat, deinde Petrum: qui per illum ſit vocatus: ob eamque cauſſam ſuccenſeat, vel turbetur potius. Etenim Andreas prior in Dominum incidit, μικροτέρου ὄντος τοῦ Πέτρου τῷ χρόνῳ τῆς ἡλικίας, cum Petrus, ætate minor eſſet. Poſtea verò, ὅτε ἡ τελεία αὐτοῖς ἀπόταξις γεγένηται, ἀπὸ τοῦ Πέτρου γίνεται. Nempe enumeratio. Sed confuſa ſunt hæc, & incerta, ut 15 *Petrus, Andreas: quis natu major.*

pleraque apud illum patrem, cui parum lucis & auxilii attulere nuperi editores. ſed & illa quæ ſequuntur, hiantia ſunt. Ἐπειδὴ

Epiphanius confuſus. γὰρ καὶ αὐτὸς ἀφηγεῖτο τοῦ ἰδίου ἀδελφοῦ, καὶ ἔτι δὲ κατὰ τοῦτο, ὅτι Θεὸς ἐστὶν εἰδὼς τὰς κλήσεις τῶν καρδιῶν, καὶ γινώσκων τίς ἐν πρώτοις ἄξιος τάττεσθαι, καὶ ἐξελέξατο τὸν Πέτρον ἀρχηγὸν εἶναι τῶν αὐτοῦ μαθητῶν. Quicquid alioqui volebat dicere, Petrum, ætate minorem quam Andream ſtatuit. de Traditione proculdubio, & rumore vulgi, quæ μεγάλην ῥοπὴν habent apud Epiphanium. ſed contraria videtur, apud Occidentales Traditio obtinuiſſe. Nam Beda, qui πολὺς ἐν ταῖς παραδόσεσι, minorem An-

Beda notatur. dream ſtatuebat, Quod nimirum non Petrus illius, ſed ille Petri dicatur frater. Levicula omnino fantaſia: Nam hoc argumento ſtatuetur, Moyſes quam Aron ætâte prior. & Simaa frater minor Davidis, qui frater Davidis eſſe dicitur. Ita ludunt interdum eruditi viri.

16 Neque ludunt tantum, ſed interdum fœdiſſimè hallucinantur, ex ignorantiâ, προπετείᾳ, αὐθαδείᾳ, & contentione. Sunt ex noſtris ſcriptoribus complures, inquit Cardinalis, & primus omnium

Cephas, à Κεφαλὴ. Optatus Milevitanus, qui nomen Cephas, non à linguâ Syrâ, ſed à Græcâ, ἀπὸ τῆς Κεφαλῆς, interpretantur, Caput. ſi primus

Optati error. hoc Optatus, certè ſolus ex antiquis ita deliravit. eſt enim plane delirium, fontem à rivulis deducere velle, cum fontes emittant ex ſe fluvios. Metropolis quodammodo Græciæ Syria fuit: & Græci deducti inde Coloni, linguam Syriacam, in illa confuſione, ſubintroductam, aut leviter inverſam de Hebræo, una ſecum aliorſum detulere. Nam à Syris, hoc eſt, Chaldæis, Phœnicibus, Hebræis, ſua omnia Græci transferebant. Quocirca, ſi alludere placeret cuiquam in nominibus Cephas, & Κεφαλῆ, non Cephas à Κεφαλῆ formanda vox fuerat, ſed Κεφαλὴ potius, à Cephas. Laudat Optatum Cardinalis: reprehendit eundem Exercitator. vellem, aut non omnino, vel leviori brachio. neque enim *pueriliter erràſſe* dici velim *patres*, tàm *antiquos*, tam benè de Eccleſia, & re Chriſtianâ meritos, quam Optatus. Cur non deſcendit apertè, & pedibus, in ſententiam Franciſci Balwini, Juriſconſulti eruditiſſimi, cui plurimum debet Milevitanus, qui Hæc verba, *Vndè & Cephas appellatus eſt*, eſſe ineptæ alicujus Gloſſæ, ad marginem, temere, ab imperito quodam & ſciolo Lectore adſcriptæ, & deindè, ab Librariis, imperitis hominibus, fungis plerumque, fatuis, contextui inſertæ cenſuit. Certè poſſunt huic tolli, & deleri, ſine ullo omnino ſenſus, aut ſententiæ diſpendio. Locus Optati, è Libro 2. ita habet. *Igitur negare non potes ſcire Te, in urbe Româ, Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus: unde & Cephas appellatus eſt: in quo, una Cathedra, unitas ab omnibus ſervaretur, ne cæteri Apoſtoli, ſingulas ſibi quiſque defenderet.* Hæc Optatus, è quibus aſcriptis, apparet, illa importune huic ſententiæ fuiſſe inculcata, *unde & Cephas appellatus eſt:* cujuſmodi ineptiſſimis annotatiunculis, non rarò patrum ſcripta, quod

quod & alibi docuimus, commaculantur. Baronius fortè Balwinum non vidit. Non Critico tumeſcebat ſupercilio. Erat in principatum Petri affectione ſummâ: quocirca non invitus arripuit Gloſſatoris ineptias. at viri doctiſſimi, quibus nihil horum competebat, in rem tam manifeſtam, potius quam in Optatum pueriliter ineptientem deferrentur, & Balwini conjecturam amplecti debebant: utcunque ille, vir valdè eruditus, capitali odio diſſidebat, à Calvino & Genevenſibus, inſignitis injuriis provocatus ab iiſdem.

Nec tamen Bulengeri ineptiis favemus: *Indignaris*, inquit ille, *Optatum, Anacletum, Vigilium, Innocentium vocem Cephas, à Græcâ voce* κεφαλὴ, *derivaſſe*. Certè, & meritò. Eſt enim perridicula derivatio, neque cadit in Optati eruditionem. Cæteri enim, ἔτι τρίτοι, ἔτι τέταρτοι, ubi Patres vetuſtiores advocantur. Cur autem non indignetur, Caſaubonus? quia inquit rapſodus, *Tua illa indignatio Chriſtum Dominum petit*. Mi homo: εὐφήμως. Num & Chriſtus, illud Cephas à κεφαλῆ deduxiſſe fingitur, ab iſto ardelione? Quid enim aliud indè extundas? *Tua illa indignatio Chriſtum Dominum petit, cujus ſapientia, Simoni nomen Cephæ dedit, quod Petram apud Hebræos ſignificaret; & à Græcà voce ductum* κεφαλὴ, *Caput notaret*. Os impudens, qui Chriſto τὸ ἀλλόκοτον tam audacter aſcribit: quod nec dixit: nec cogitavit: nec dicere debuit, Veritas cum eſſet, αὐτοαλήθεια: qui Spiritui ſancto per Johannem, amanuenſem loquuto, vel imperitiam imponit, vel mendacium. Nam Johannis Evangeliſtæ verba ſunt expreſſa. ὃ ἑρμηνεύεται Πέτρος. Non autem Πέτρα, quod eſt aliud hominis garriturientis neſcio quid, ἀπόπτυμα. Non enim Cephas *Petram*, ſed *Petrum* ſignificat. Quod & ipſum, non ita pridem fatebatur: verum δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι. Vox Πέτρος, inquit, *propriè apud Græcos, ſignificat Petram*. mentiris Græcos. cedo mihi authorem, hujus affirmationis literator. Audacter, imperitè, ſtultiſſimè, quod ſoles, ais, *Ante Iohannis ætatem, haud unquam aliter vox illa accepta eſt*. Aliter igitur poſt Johannis ætatem: aliter per ipſius Johannis ætatem: aliter per eundem Johannem. Πέτρος olim erat *Petra*. poſt Johannis ætatem, non erat Petra, ſed Lapis, Saxum. ſed nec Johannis ipſius ætate. ergo apud Johannem, quicquid de veteri Græciâ fiet, Πέτρος nequaquam *Petram* notat. Stupenda deliramenta, hominis ubique παραφρονοῦλος; & bonas horas malè collocantis: quo nemo unquam credo, ineptior ad ſcribendum acceſſit. 17

Bulingeri ἀβελτηρία.

Sed Optatum rectè locutum vult Cardinalis, eo quod, *Ejuſmodi interpretandi rationem, ab aliis nonnullis, quorum eſt in Eccleſia Dei memoria celebris, uſurpatam ſcimus*; ita ille loquitur, *Dum Hebraïcam vocem, in Græcam ſignificationem tranſire faciunt*. Imo verò, πολλοῦ καὶ δεῖ. neque enim idem eſt, Hebræam vocem in Græciam transferre: aut vice verſa, vocem de Græciâ in Palæſtinam μετοικίζειν, atque eſt, Hebræam vocem, per alluſionem, ad 18

Græcam,

Græcam, non diſſimilem, componere: quod facit Nazienzenus. Non enim ille vocem Phaſe, deducit à πάσχειν Græcorum: ut à Κεφαλῆ Cepham deductam imaginantur: ſed vocem peregrinam, per mutationem aliquot literarum, in vocem Græcam tranſire poſſe docet. hoc eſt, alludit in vocę Phaſe, quæ Tranſitionem ſignificat. Gregorii locus ex Orat. 42. iſte habetur. Οὐ χεῖρον δὲ ἴσως τοῖς φιλομαθέσι καὶ φιλοκάλοις περὶ τῆς προσηγορίας αὐτῆς τοῦ ΠΑΣΧΑ βραχέα διαλαβεῖν. Hæc præfatus rem ipſam aggreditur. τὸ ΠΑΣΧΑ τοῦτο, τὸ μέγα τε, καὶ σεβάσμιον, ΦΑΣΚΑ τοῖς Ἑβραίοις προσαγορεύεται. δηλοῖ δὲ ἡ φωνὴ, τὴν διάβασιν. ἱστορικῶς μὲν, διὰ τὴν ἐξ Αἰγύπτου πρὸς Χαναναίαν φυγὴν καὶ μετανάστασιν. πνευματικῶς δὲ, διὰ τὴν ἐκ τῶν κάτω, πρὸς τὰ ἄνω, καὶ τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας πρόοδον καὶ ἀνάβασιν. Itaque vocem Nazianzenus Hebræam agnoſcit Paſcha. vocis duplicem ſignificationem, *naturalem*, & *metaphoricam:* de patiendo, ἐν τῷ πάσχειν, οὐδὲ μῦ. Tum adjungit, quæ perperam Baronius interpretatur, *Quod verò, in permultis Scripturæ locis, accidiſſe comperimus, ut vocabula quædam, ab obſcuriori ſenſu ad apertiorem: à duriori ſono, ad elegantiorem commodioremque immutata ſint, idem hic quoque contigiſſe animadvertimus.* τοῦ γὰρ σωτηρίου πάθους ὄνομα τοῦτο εἶναι νομίζοντες, εἶτα ἐξελληνίζοντες τὴν φωνὴν, κατὰ τὴν τοῦ Φι πρὸς τὸ Πι, καὶ τοῦ Κ πρὸς τὸ Χ μεταποίησιν, Πάσχα τὴν ἡμέραν προσαγορεύουσι. Vult ergo, vocem Hebraïcam Phaſe, in linguam Græcam μεταποιηθεῖσαν, Paſcha nominari. quod verum eſt: ita enim illi pronunciabant. ſecundo non hoc, quicquid erat opinionis, ipſi adſcribendum fuit: ait enim, τινὰς, ita opinatos: ut fefellerit nos doctiſſimus Cardinalis, qui Nazianzeni ipſius ψῆφον, quod falſum eſt, nobis obtrudit, cum ſit aliorum, διαψήφισμα, de nominibus, quos non compellat. Sed nec illos pronunciat tam abſurdè ridiculos, ut vocem Hebræam deducerent ab origine Græca, (quod in cauſſâ eſt, τὸ ζητούμενον) ſed ut vocem Hebræam, per literarum metaplaſmum, & adjectionem, in Græcam transformarent: quod feciſſe Optatum imaginatur Cardinalis. Concludit igitur, parum in rem aut propoſitum Cardinalis. *Atque hæc vox poſteà conſuetudine ac uſu confirmata eſt: multitudine videlicet hoc verbum, ut magis pium, calculo ſuo comprobante.* Non ergo in animum Nazianzeno venerat, ut Phaſe Hebræum, à Paſcha Græcorum tanquam ἀπὸ τοῦ πάσχειν diceretur, deduceret: ſed Phaſe in Paſcha, emollitum: alluſione potius quàm Etymologiâ: quemadmodum ſi Jeſum ἰατῆρα, quod veriſſimum eſt, compellem, acſi πρὸς τὸ ἰᾶσθαι reſpicerem, cum tamen certo certius conſtet, Jeſu nomen, non Græcum ſed Hebræum ſonare. Ut Petrus igitur ſit caput, non abnuerim. ut Κεφαλὴ dicatur, qui dicebatur *Cephas*, tolerandum. ut vicinæ ſint inter ſe voces illæ, negandum non eſt: ſed ut τὸ Cephas Syriacum, à Κεφαλῆ deducatur Græco, ridiculum eſt; nec veniebat in mentem, reor, Optato.

Nazianzeni locus de Paſcha.

19 Die quarto poſtquam verſatus apud Johannem Baptiſtam fuerat, habebat in animo Jeſus, domum reverti in Galilæam. Quod

Digitized by Google

Chriſti actorum Ephemeris.

Quod tempus ἀφορίζει Evangeliſta, per, *In craſtinum*. Nam altera die poſt receſſum Legatorum, vidit Johannes Jeſum *ad ſe venientem*, ver. 29. & demum, alterâ die vidit *ambulantem*, & dixit, audientibus diſcipulis, *Ecce Agnus Dei*. Alterâ die inventum Simonem Andreas ad Jeſum adduxit: nam poſt nocturnam apud illum ἀναστροφὴν, id fiebat. Et tum demum alterâ die, ab illâ cum Simone ſermocinatione, volebat redire in Galilæam. Ita quandam Ephemeridem Actorum Chriſti, diſpoſuit nobis Evangeliſta, ὁδῷ βαδίζων, in Hiſtoriâ. Prius verò, quam revertebatur domum: fortaſſis in itinere: aut, quod mihi potius videtur, jam reverſus, etſi non domum, in Galilæam tamen, invenit Philippum. ubi invenit: quando: quomodo, caſu ne invenerit, an quæſitum, non liquet. Inveniſſe conſtat. & apud Latinos, *Invenire* ſignificat, quæſitum invenire: ut in illo, *Mihi non inventa, reperta eſt*. ſed εὑρίσκειν vel εὑρεῖν apud Græcos latius patet, & utramque complectitur ſignificationem. ut in eo verſu,

Philippi interventio.

> Χρυσὸν ἀνὴρ εὑρὼν ἔλιπεν βρόχον, αὐτὰρ ὁ χρυσὸν
> Ὃν λίπεν, οὐχ εὗρων, ἧψεν ὃν εὗρε βρόχον.

Invento Philippo, ait Chriſtus, *Sequere me*. aliuſmodi formula quam quâ prius erga Andream & ſocium ejus, utebatur. Princeps ergo, & omnium primus Philippus, per ſolennem illam formulam, *Sequere me*, Chriſto & Eccleſiæ adſcribebatur. Neque enim Andreas vocabatur: potius accedens ſponte rejectus fuit. Audito enim, *Ecce Agnus Dei*, ſequebatur Jeſum: & audiit, *Quid quæritis?* at de Philippo ait, *Sequere me*. Eſt ergo hoc Philippi, ut προτέρημα, ita ingens Prærogativa. ut fruſtra ſint, qui de *vocatione. appellatione* indita. *Nomine* mutato. *Ordine* obſervato, &c. neſcio quæ *magnalia*, potius Mapalia mera, comminiſcuntur. Myſteria forſan inerant: Nam nihil Deo φαῦλον aut ἐλάσσον procurari poteſt. ſed illa Myſteria, quot, & quænam erant; illi ſoli relinquamus, qui ſua ſibi ſecreta reſervavit.

Vocatio prima.

Vocationem vero quod attinet, certum eſt, non jam Petrum vocatum, ad *Diſcipulatum*, nedum ad *Apoſtolatum*. Nam non niſi ἐμμέσως vocabatur. per Andream verò hic, deductus erat ad Jeſum. Innotuerant uterque, fortaſſis etiam Jacobus & Johannes Zebedæi, *ſervatori*: non ad conſortium vocabantur. Noti autem facti, vocantem denuo, ad mare Tiberiadis ſtatim, ſine morâ ſequebantur, ἀπαλλαξάμενοι, relictis omnibus, etiam parente Zebedæo. Hic nequaquam vocabantur, eò quod, publicè Miniſterium non auſpicabatur Chriſtus, Johanne nondum in vincula conjecto. Oportebat autem illum, conſummatum ſeponi, ut major eo, dein illum ſequeretur. Atque ita Philippus, hoc privilegio gaudebat, quod princeps, & primus omnium, Chriſtum voce vocantem ἀμέσως, ſequebatur. falſum eſt ergo, 20

Vocatio Philippi, aliorum.

quod

quod Baronius opinatur, de principali vocatione Petri, nec probanda ſententia Chryſoſtomi, Philippum, vel à Petro, vel Johanne edoctum (& cur non quæſo Te, ab Andreâ) de Jeſu, Meſſiâ invento, ſtatim ſequutum fuiſſe vocantem. Multò minus probatur, quod ab eodem dicitur, illum Chriſto fuiſſe γνώριμον: Erat autem, hæc *Potentia dextræ excelſi*, efficaciter, ſed ſuaviter, cum Philippo, non omnipotenter in Illum, operantis. Quod eo magis, inquit idem rectè, θαυμαστὸν eſt, quod ante ullum miraculum viſum, aut cognitum contingebat; ſecundò, quod erant ortu è patriâ Galilæâ. atque iccirco ἀγροικότερον πῶς καὶ παχύτερον διακείμενοι. præcipuè autem, cum, quod objecit Nathanëel, Meſſias de Galilæâ oriundus; unde Jeſum ſciebant ortum generis derivaſſe, non expectabatur. Sed voluit hic Chriſtus, αὐτὸ τοῦτο ἰσχὺν ἀναφαίνεσθαι.

Notatur Clemens Alex. Stro. 3. pag. 187. Neſcio autem è quo Cabalâ, vel qua Traditione Clemens Alexandrinus, illum, ad quem Chriſtus, Matth. 8. 19. & Luc. 9. 61. dicebat, *ſinite mortuos ſepelire mortuos ſuos*, fuiſſe Philippum nobis prodidit. Certè in illa opinione fuit: ait enim, κἂν συγχωρήσαντα τῇ τοῦ Κυρίου φωνῇ λέγοντος Φιλίππῳ, ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς. *mortuos ſinito ſepelire mortuos ſuos, tu autem me ſequere.* at prius, ab ipſo initio vocaverat Philippum: qui & illum μηδὲν ἀναβαλλόμενος, ſequebatur. & ante hoc tempus de quo Lucas, fortaſſis è diſcipulis ſelegerat, Apoſtolatu honorandos. Alium igitur à Philippo opinamur extitiſſe.

21 *De Nathanäele.* De Nathaneele ſequitur narratio. Philippus, conſortem ut videtur, inventum, perindè atque Petrum Andreas, ducit, ad Jeſum. Dixerat autem ei prius, invento *Quem ſcripſit Moyſes in Lege, & Prophetæ: invenimus* (Meſſiam) *Ieſum filium Ioſeph, à Nazaret.* Caſu nequaquam, ſed inquiſitum invenit. invento, non nudas imaginationes, ſed Scripturæ proponit Teſtimonium. Advocat ad partes Moyſen & Prophetas. Nam de Divinis, è Divinis diſquirendum, non ab humanis conjecturis. Videtur autem uterque Scripturarum peritus, cùm Nathaneel, tùm Philippus. Neque enim homo rudis & ἀναλφάβητος, ad Moyſen & Prophetas provocaſſet. Et certè proſtabant vulgo tum Scripturæ, nec legendis indiſtinctim cudebantur prohibitiones. Nathaneel, audito, de Meſſiâ & Prophetis ac Moyſe acquieſcit. Sed de *perſonâ*, fatetur non ſatisfactum, hoc eſt Jeſu ben Joſeph, è Nazaretha: homine, ut videtur, utrique noto. Nec ſatisfactum, quia non prædictum. ait enim, *à Nazaret poteſtne aliquid boni eſſe?* Non admittimus ſententiam Auguſtini: qui

Diſſenſus ab Auguſtino. Tract. in Johan. 17. quaſi Affirmanter intelligenda Legit, & exponit, *Ab Nazareth patriam eſſe Meſſiæ. Rectè quidem. Nam de Nazaret, fieri poteſt, ut Bonum* (τὸ καλὸν, hoc eminenter Bonum) *prodeat?* abſonè. contrarium planè vult Nathaneel. Fieri non poſſe, ut verum eſſet, quod narrabat Philippus: cum ex illo oppido, τὸ καλὸν illud, prodire non debeat. Negationi enim æquipollet Interrogatio. Et eſt hæc omnium, credo cùm

receſſeris

Digitized by Google

receſſeris abs Auguſtino, veriſſima interpretatio. Nam & alii eodem argumento contra Dominum utebantur, Johan. 7. Quidam dicebant, *Nunquid è Galilæâ venit Chriſtus?* Quocirca Philippo opus erat dicere, *veni*, & *vide*; num veritati conſentiant verba mea. Sibi fidem haberi non vult, niſi ipſemet αὐτόπτης profiteatur verum. In rem præſentem ſe continuò Nathaneel dat: & ad Jeſum inſtituit profectionem, ut videret. Nam vidit Jeſus Nathaneel venientem ad ſe, & de eo dicit, *Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt.*

Statuit ergo imprimis Scriptura ſacra, quod ad Nathaneelem attinet, Genere fuiſſe eum Iſraëlitam: de femore Jacob Patriarchæ Judæorum & προπάτορος deſcendentem, non Georam, Gentilem, Proſelytum, Samaritanum. Nam & illi terram Canaan incolebant. Ecce autem Iſraëlitam. Secundò ſtatuit, quod cum duplex eſſet Iſraëlita, *verè* talis, & *apparenter*. Multa enim videntur, quæ non ſunt. Nam generali quâdam acceptione, quos modo dicebam, illi pro Iſraëlitis habebantur. vel, ut Paulus loquitur, Iſraëlita ſecundum *carnem*, & ſecundum *Spiritum*: cum fuiſſe utroque modo talem, *verè*, & *apparenter*, Iſraëlitam docet: ſecundum *carnem*, & ſecundum *Spiritum*. Hoc eſt enim quod ait, ἀληθῶς. ut eſſet ἀψευδὴς, ἀφελὴς, μονοειδὴς, non quod eſſet ἀναμάρτητος, ſine peccato: ſed quod ſine dolo, fallaciis μαγγανεύμασι, οἷα τὰ ἐξ ἀπάτης χειροήθεος ἀνδρὸς ἐπιτηδεύειν: qualis fuiſſe prædicatur Patriarcha Jacob, cui Iſrael cognomen, ſimplex & minime verſipellis. Et quidem fuiſſe illum Iſraëlitam intelligebant omnes: *verè* autem Iſraëlitam extitiſſe, ille ſolus novit ὁ καρδιογνώστης, qui ſecreta rimatur tenebrarum. Et profectò, hæc in illo fuiſſe veritate apparet, ſine dolo, ſubterfugio, aut officiis, quod cum Philippus illi narraret de invento Meſſiâ, quem Moyſes prædixerat & Prophetæ, ſtatim ita objecit, fieri non potuiſſe, ut Jeſus Nazarenus Joſephi fabri filius, Philippo, & ipſi Nathaneeli, de nomine, & quod videtur, de facie notus, eſſet Meſſias: non propter humilitatem generis [ἀδοξότητα profeſſionis: tenues fortunas: nullas opes: quo forſan reſpiceret qui mundana saperet: ſed Scripturale allegat impedimentum, quod eſſet domo Nazaretanus, cum certò conſtaret è Prophetâ, Meſſiam in Bethlem naſci oportere, de domo, familia, urbe David. Erat igitur tertio, ex iis Iſraëlitis Iſraëlita Nathaneel, qui Redemptionem Iſraëlis expectabant: & tempus jam inſtaret eum revelandi, quod homo in Lege peritus & Prophetis, nam eo provocat, intelligebat. 22

Atque ita ſtatutum eſt in generali, de ſtatu Nathaneelis & conditione: in particulari quis fuerat adhuc ſcrupuloſius inquiritur. Et imprimis Johan. 20. dicitur fuiſſe, *de Canâ Galilææ.* 23 *Nathaneel quis fuit.*
Hæc erat igitur ipſius patria. Secundò, hinc nonnulli arbitrantur eundem & fuiſſe Nathaneelem cum eo, qui inter Apoſtolos recenſitus, Simon alio nomine dicitur Cananæus. Et certè

frequenti in uſu apud Judæos poſitum erat, ut binomines eſſent plerique homines. accedit quod, à loco nativitatis aut educationis dicebantur ſæpius: ut Judas, Iſcarioth, hoc eſt, vir de Carioth: & ipſe Dominus, *Ieſus Nazarenus*. Alii Nathaneelem eundem faciunt, binominem, cum Sancto Stephano Archidiacono, & Protomartyre, quem certum eſt ex Hiſtoriâ Apoſtolorum, cap. 6. verſatum fuiſſe cum Domino Jeſu ab initio Miniſterii: fuiſſe quoque Iſraëlitam certum eſt: & ἀληθῶς etiam Iſraëlitam: fuiſſe doctum & verſatiſſimum in Lege & Prophetis, uti erat quoque Nathanael. Atque hoc confirmari videtur, è dicto illo Domini ſervatoris, ad Philippum & Nathanaelem, *Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei, Aſcendentes & Deſcendentes ſuper Filium hominis*: Quod πλήρωμα videtur in B. Stephano adimpletum: ait enim morituriens, ſe videre cœlum apertum, & Filium hominis, ſtantem à Dextris Dei. Alii arbitrantur Doctorem fuiſſe & Magiſtrum in Iſraël, qualis erat Nicodemus, ὁ νυκτίπολος: atque ideò minimè allectum inter Apoſtolos, quod Rabbi fuerat, cum ad illud tam eximium Miniſterium, non doctos Judæorum & eruditos, ſed rudes, imperitos, ἀγραμμάτοι nominaret Chriſtus. Communiſſima ſententia illa eſt, quam tuentur Rupertus & Janſenius, eundem ipſum fuiſſe Nathanaëlem, qui dictus etiam Bartholomæus, inter Apoſtolos allectus recenſebatur. Et profectò, quotieſcunque de nominibus citantur Apoſtoli, Philippus & Bartholomæus, ſimul recitantur, ut Petrus ac Andreas: Jacobus & Johannes Zebedæi, nec eſt ulla, quod meminerim variatio, quæ tamen, apud illos reperitur. Non eſt ergo alienum à veritate, Philippum & Nathaneelem, conjunctim vocatos, conjunctim quoque relatos in Apoſtolorum album; atque in illo albo conjunctim recitari. Quod ut non affirmem, ita fateor me, libenter, merito, in illam ſententiam propendere.

24 Hactenus autem de quinque Diſcipulorum Chriſti, non tam *vocatione*, quam *notitiâ*, Johannes egit. Solus enim Philippus directè vocabatur per illud, *Sequere me*. reliquis haud dicitur, *Sequimini me*. è quinque ſoli quatuor Andreas, Petrus, Philippus, Nathaneel, nominatim compellantur, quintus ἀνώνυμος, & incognitus deliteſcit ἐν σκοτίῳ. Non ſine ratione, nec myſteriis: quæ cum non diſcooperiantur, κρύπτεται. Cætera de Nathaneele, ſunt apud ſanctum Hiſtoricum, bene nota. ſed de Confeſſione, *Tu es Filius Dei, Tu Rex Iſraël*, dicendum deinceps in Confeſſione Petri, quem principem contendunt, illud μεγαλεῖον agnoviſſe, & propalaſſe. ſequitur jam, ex ordine ut qui per collectionem, ſaltem ἐπισύναξιν, Diſcipulorum, Magiſtri titulum & nomen eſſet aſſumpturus, aliquo modo, apud illos, ad firmandam fidem, & apud alios ad innoteſcendum, lumine aliquo revelato inclareſceret, hoc eſt edito miraculo, de more cum Judæis uſurpato, agnoſceretur. Quo

Digitized by Google

nos deducit. deinceps Euangeliſta, & rem geſtam ſeriatim proſequitur.

Et die tertia, nuptiæ factæ ſunt in Canâ Galilææ. & erat Mater 25
Ieſu ibi. vocatus eſt autem & Ieſus & Diſcipuli ejus, ad nuptias. &, deficiente Vino, dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Ieſus, Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea. Dicit Mater ejus Miniſtris, Quodcunque dixerit vobis facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundum Purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas. Dicit iis Ieſus, implete hydrias aqua. Et impleverunt eas, uſque ad ſummum. & dicit iis Ieſus, haurite nunc, & ferte, Architriclino. Et tulerunt. Vt autem guſtavit Architriclinus aquam, Vinum factum, & non ſciebat unde eſſent, miniſtri autem ſciebant qui hauſerant aquam, vocat ſponſum Architriclinus, & dicit ei, Omnis homo primum bonum Vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu autem ſervaſti bonum Vinum uſque adhuc.

Ordinem imprimis deſignat Hiſtoricus, per, *die tertio nuptiæ* 26
factæ ſunt: quem multi confundunt ſine cauſſâ. Faber Stapulenſis, tertiam diem deſignari putat, à Sabbato. hoc eſt, feriam tertiam hebdomadæ indicari. Ac primum, nuptias in *Sabbato* nequaquam celebratas apud Judæos ſtatuit: quia nullo omnino opere Sabbatum ſuſtinebant profanari. Nec *feria ſecundâ:* proptereà quod ad nuptias neceſſaria, quæ erant multa & multiplicia, non debebant *Sabbato* præparari. Itaque ante *feriam tertiam*, non nubebant. Hoc, ut verum eſſe poterat, apud poſteriores Judæos, & ſuperſtitioſiores, non videtur apud veteres uſurpatum. Nam Judic. 14. ver. 17. Nuptiale Samſonis convivium, per ſeptimum continuos dies dicitur celebratum. More vetuſtiore, etiam apud alias nationes Orientales. Nam quod Laban dicebat Jacobo, cum ſuppoſuiſſet illi Leam pro Rachele, *Conſumma ſeptimanam ipſius, & dabo tibi:* Auguſt. Quæſt. 89. in Geneſin ſic exponit. *Quod itaque ait, conſumma ſeptimanam ipſius, ad Nuptiarum celebrationem pertinet, quæ ſeptem diebus celebrari ſolebant. Hoc itaque ait, Imple dies Nuptiarum ſeptem, pertinentes ad iſtam quam duxiſti, & dabo tibi aliam,* &c. Videtur igitur hallucinatus hic Stapulenſis: nam ſaltem, *prima Sabbati*, numerum illum Septenarium ingredietur. ſed ut verum eſſet quod ab illo aſſeritur, eſt tamen hoc loco importunum ſatis ſuperque. Certum eſt enim, ſcriptorem ſacrum, quemadmodum fecit in præcedentibus, ita quoque in hac Nuptiali Hiſtoriâ enarrandâ, ſeriem rerum geſtarum obſervaſſe. Quum ſeriem, ſunt qui derivant à colloquio cum Petro; ut ſit: Tertio die poſtquam ab illo receſſerat. Alii deducunt inferius, à diſceſſu nimirum (relicto Johanne & Jordane) in Galilæam. ſed utraque ſententia, magis autem prior, improbabilis eſt. Neque enim Tertio die, relicto Jordane, nedum dimiſſo Petro, quod poſtridie fiebat, redire potuit Jeſus domum in Galilæam, niſi ciſiis adveheretur, vel per

A quo cardine, Tertia dies.

De Nuptiis Iudæorum.

Samariam, vel per Petræam. nec ſtatim, quaſi ab ingreſſu ædium, acceſſiſſe vocatum ad Nuptias, probabile eſt. ſed qui, à profectione & reditu in Galilæam, multa nobis interponunt, apud cæteros Euangeliſtas commemorata, atque ita demum ad Nuptias Canan, & ad miraculum edendum ducunt, longius recedunt à veritate: Cum diſertim dicatur, hoc *Principium* fuiſſe *miraculorum ejus*: illa autem, per Galilæam patrata, & cæteris Euangeliſtis commemorata, poſteriora & ſuccedanea. Quocirca commentis hiſce, & hujuſcemodi valere juſſis, *Tertiam diem* figimus, poſtquam de Jordane, Johanne, cum quinque Diſcipulis, aut eorum aliquibus veniſſet in Galilæam.

27 Ab hoc itaque reditu, tertia die, Nuptiæ fiebant Canæ, in Galilæa. De quibus aliqua, quæ ad Hiſtoriæ veritatem & propoſitum pertinent, elucidanda proponimus cum Baronio. Imprimis autem quæſitum eſt, περὶ τῶν συνελθόντων, quorum erant iſtæ Nuptiæ Galalitides: Qui Sponſus, & Sponſa in convenientibus. Statuitur autem, ante alia, non improbabiliter, in genere, fuiſſe hunc vel illam, Sponſam & Sponſum, ſi non utrumque, de Mariæ, aut Joſephi notis, ac agnatis, eoſque Dominum affinitate πρὸς μητρὸς, attigiſſe. In particulari volunt aliqui, quod Johannes, qui certe Domino juxta carnem affinis erat, Sponſus fuerat, ille inquam inter Apoſtolos διαβόητος, quod non ſolum videtur mihi ἀβασανίστως dictum, & inconſideratè, ſed falsò, & impiè ſtatutum à quibuſdam. Erat tamen communior hæc opinio, per ætatem Lyrani ac Ruperti: *Dicitur communiter*, ait Lyra, *quod iſtæ nuptiæ fuerant Iohannis Euangeliſtæ, à quibus eum Chriſtus avocarit, ante conſummationem Matrimonii.* Quaſi Dominus Chriſtus, cum Nuptiis noluerat commaculari, qui conſtituit ab initio συνδυασμὸν, ut eſſent *duo, in carne, unum.* Qui non ſolum Nupturientem, ſed Nuptiarum vinculis innodatum, & ſaltem filiolæ, Parentem, Diſcipulum, Apoſtolum, Apoſtolorum Principem & Coryphæum, allegarat. Et tamen ita ſolent, viri pii interdum & eruditi deſipere, quaſi deſertores pacti, & Matrimonii ſtipulati, ad pactum infringendum, Divini ſpiritus motu excitarentur. Sanctus Ephraim, in Abramii vita, *Celebratis dies ſeptem Nuptiis, ipſoque jam in thalamo cum Sponſâ ſedente, ſubitò, tanquam lux quædam in corde ipſius Divina gratia refulſit: quam veluti ducem aliquem, ſui voti ac deſiderii nactus atque ſecutus, illico domo exiliens è civitate egreſſus eſt.* Periculoſè, nequid gravius dicam: & tamen Sancto Paulo erga Teclam: & aliis, Deo dilectis, hoc adſcribunt, παρεγχείρημα. Rupertus ad finem, Lib. 2. Comment. in Johannem ait, *Iohannem Euangeliſtam, relictis Nuptiis Dominum ſequutum, arbitramur.* Loquitur igitur ille, ex animi ſui ſententiâ: & deinceps opinionem adjungit popularem. *Iſtius enim, iſtas fuiſſe Nuptias, opinio fere omnium,* inquit, *eſt. Tradunt enim Hiſtoriæ, quod eum de Nuptiis volentem uxorem ducere, vocaverit Chriſtus: & propterea quod à carnali voluptate*

Sponſus, & Sponſa, qui, & quæ.

Ephraimi ſententia.

Ruperti, Bedæ.

voluptate retraxerat, potiori ſui amoris dulcedine donavit. Ergo ille opinabatur, Johannem vulgo dici, *Diſcipulum quem Ieſus diligebat*, eò quod abduxerat illum à copulâ conjugali. Huic conſentit, & author vitæ Jeſu, qui videntur Bedam in hoc ſecuti. Ille enim Princeps, ex iiſdem Apocryphis ſcriptoribus, idem docuerat, quem exſcripſit, in ſuis Commentariis Rupertus Tuitienſis. Apocrypha autem illa, fundos iſtius opinionis, arbitror fuiſſe Prologos illos commentitios, & malè conſutos, ſub nominibus Auguſtini, ac Hieronymi: cum tamen hæc tam ridicula ac impia ſententia Hieronymo fuerit incognita. Quocirca, rectè hanc ſtultiſſimam impoſturam, hæreticorum, quam homines ἀσύνετοι & ἀμαθεῖς fovere, refellit Baronius, nihil veritus incurſare, licet Sanctos, Aquinatem, Bonaventuram, Antoninum. rejicere autem, Caïetanum, Majorem, Carthuſianum, Sotum, alios, qui inventis frugibus volunt βαλανηφαγεῖν.

Illuſtriſſimi Baronii argumenta contra hanc, ut appellat, com- 28
mentitiam, & nuper natam ſententiam, frivola non ſunt aut *Baronius rectè*
futilia. Imprimis, rectè docet, nullam hujus rei famam, apud *refellit.*
ſcriptores vetuſtæ Eccleſiæ obtinuiſſe. quod verſantibus illorum ſcriptum veriſſimum comprobabitur. Secundò, probat antiquis patribus non innotuiſse, quia Hieronymus, omnium Traditionum curioſiſſimus explorator, ſi hoc factum Johannes reſciverat, de Joviniano triumphum egiſset, qui Johannem Apoſtolum negabat extitiſse Virginem, quod vulgò in Eccleſia credebatur. Tertiò pronunciat, & verè, Manichæos minimè hanc narrationem omiſſuros fuiſse, qui quæcunque Apocrypha vel congerebant, vel confingebant, in contumeliam Nuptiarum, ipſi ſpurciſſimi, venerii furciferi. Quartò, quod Ignatius, vir temporis Apoſtolici, & ipſius B. Johannis Diſcipulus, in illâ quam ſcripſit ad Philadelphenſes Epiſtolâ, Johannem recenſeat cum Eliâ, & quibuſdam aliis, inter planè cœlibes. apud quem in nuperâ editione Allobrogicâ, cujus author non minùs vanè, quam falſò ampullatur, de tantâ & tam exactâ diligentiâ; in- *Ignatii nuperus*
terpretatio iſtorum verborum, ὡς τῶ ἠγαπημένω, *tanquam dilecti*, *editor notatur.*
omiſſa eſt. Sed quod doctiſſimus Cardinalis ſcribat, Manichæos & Paulum in exemplum adduxiſse, qui Teclam à Nuptiis, & Thamynde Sponſo abducebat, vereor ut crediderit hanc impoſturam Eccleſiæ obtruſam per Manichæos, cum, quod conſtat, è Tertulliano, Presbyter quidam Aſiaticus, Johanne Apoſtolo adhuc vivo, & Cenſore in hac cauſsâ, ex affectu in Paulum id ſcriptum confinxerit, ante natum, nedum hæreſiarcham Manetem. Quod ſi inventâ impoſturâ in re ſuâ uſi fuerint Manichæi, meminiſse oportet, etiam Orthodoxos eidem adhibuiſse fidem: nam Baſilio Seleucienſi, in B. Teclæ vita, impoſuit falſarius.

Poſtremò, hæc abſurda, atque impia ſententia, de Johanne 29
Sponſo, in Nuptiis Cananaicis, ita exploditur à Cardinali, ut potius

potius (nam non ſimpliciter hoc facit, & ἀπολύτως) deſcenderit in ſententiam Nicephori Calliſti, qui Sponſum in his Nuptiis Simonem ſuggerit Cananæum. *Potius* inquam: itaque non ſimpliciter. Nam non vel illum de Nuptiis abduxerit, è Baronii vel Nicephori ſententia, Servator: quod in hac impiâ fabellâ & ridiculâ, eſt τὸ κυριώτατον: ſed quod è duobus, Johannis Nuptiæ qui Cananæus non erat, minus ſint probabiles, quam Simonis: quem conſtat domo Cananæum. Quocircà nimis σεμνῶς, & Cardinalis, & Nicephorus relator, ab erudito Animadverſore inſimulantur: qui non ex animi ſui ſententiâ, de mente autem aliorum loquuntur: & Cardinalis quidèm, *comparativè:* Nicephorus, nec ipſe *aſſertivè:* obiter tantum commemorat hanc apud quoſdam verſatam opinionem, Lib.8.c.30. ubi de Helenæ Matris illius Conſtantini ædificiis agit, & peregrinatione per Palæſtinam. Potius excuſari debuit, ſi non laudari, judicium Nicephori, qui ridiculam illam fabulam de Johanne, non attingit. Fortaſſis ut incognitam & inauditam. Videtur enim illa tantum apud Occidentales pervagata, ad Orientales non acceſſiſſe. Nam præter Simonem è Nicephoro, Anacletum, neſcio quem, comminiſcuntur *Sponſum: Sponſam* verò Mariam Magdalenam. Quæ ſi relicta per maritum & repudiata, ſcortum induerit, *& publicarum libidinum victima*, quomodo loquebatur Tertullianus, fiebat, hoc nimirum Jeſu Chriſti conſilio adſcribendum. Tam honorificè ſcilicet impuriſſima honeſtatis mendicabula, perditiſſimi nebulones, de Jeſu Chriſti πολίτευμα ſentiebant, ideo ut, Nuptias, quas ipſi abominabantur, tanquam μιασμὸν devitarent. Ita enim ſtatuunt, Johannem pollutum Matrimonii fæcibus non potuiſſe Servatori, *Dilectum* exiſtere Diſcipulum. Pertinet ergo hæc ſtolidiſſima fabula otioſorum inventum & malè feriatorum poſtillatorum, *ad Doctrinas Dæmonum*, quas recenſet Paulus, 1 Tim.4.1.

Nicephori ſententia de Simone, è Canâ.

Aliorum.

30 Ad has, cujuſcunque tandem *Nuptias*, invitati veniunt, Maria, Mater Jeſu: Jeſus ipſe: & Diſcipuli, qui tum pauci illi adhærebant. Matrimonium, viri & mulieris συνδυασμὸν quem inſtitutione ſuâ & ordinatione ab initio honoraverat Dei Filius, Verbum, Creator rerum omnium, jam *factus homo*, præſentiâ ſuâ cohoneſtat perſonali: vocatus ad Nuptias, venit non invitus, cum Diſcipulis ſuis. atque ideò, *Quod Dominus invitatus venit ad Nuptias, confirmare voluit, quod ipſe fecit Nuptias*, ait Auguſtin. Tract. 9. in Johan. & venit cum Diſcipulis, non ſolus, ſed comitatus, eo quod, erat *gloriam manifeſtaturus*, in illum finem, ut crederent in eum.

31 Cum verò, quod rectè dicebat Ariſtænetus, Nuptiarum, σιγῶσι fit & προπομπεία, & τὸ γῆμα, Epula & Convivia Nuptialia, hoc eſt, κῶμοι, & hilariores illæ, ut molliſſimè, dicam, invitationes, videntur parum cum rei gravitate convenire. Et tamen, quod affirmat Plutarchus, Cum nemo ignoret convivium agitari, vere-

Convivium Nuptiale.

Sympoſ.4.qu.4.

Digitized by Google

verecundiâ ducti, omnes neceſſarios, familiares, & quocunque tandem pacto ſibi conjunctos, invitant. ſed duplicem ille reddit rationem. Hujuſmodi convivia, non amicorum tantum eſſe, ſed & ad cognatos pertinere, affinitate alterius familiæ, in gentem adſcitâ. Ac, quod plus habet momenti, duabus in unam coeuntibus familiam, cum accipiens dantis familiares & amicos: & dans accipientis exiſtimans ſibi comiter demerendos, duplicem convivarum faciunt numerum. quod melius Græcè dicitur, οἰκείοις δεῖν φιλοφρονεῖσθαι διπλασιάζειν τὴν ὑποδοχήν. Secundò, boni ominis cauſſa genio indulgebant, & hilarius ſe invitabant, quaſi qui ſtatum hominis Matrimonialem, intellegerint, ad mutuum auxilium, & oblectationem inſtitutum. Et tamen, ut inter pocula fieri ſolebat, jurgia interdum & rixas exoriri; ut fuerit non tam γλυκὺς quam γλυκύπικρος. Quocirca, in Bœotiâ, Plutarchus ait, τὴν νύμφην κατακαλύψαντες, ἀσφαραγωνιᾷ στεφανοῦσιν, ἐκείνη γὰρ ἥδιστον, ἐκ τραχυτάτης ἀκάνθης, καρπὸν ἀναδίδωσι.

32 Erat hæc vetuſtiſſima, & communiſſima conſuetudo. ὅτι, νενόμισται, inquit Athenæus, Lib. 4. ἄγειν συμπόσια περὶ τοὺς γάμους quod Homeri probat Teſtimonio. ſed ante natum Homeri tritavum in ſponſalibus Rebeccæ apud Bethuelem, Inito convivio, veſcentes pariter & bibentes manſerunt ibi. Quod ad decem dies de more gentis, volebat Bethuel continuatum. Id enim ſibi volunt illa, Ver. 55. *Maneat puella ſaltem decem dies apud nos, & tum proficiſcetur*. Deprecatur autem moram Eleaſar Abrahami Oeconomus: quocirca dimittuntur craſtino die. Et Gen. 29. 22. Laban vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit Nuptias, inter Iſraëlitas videtur tempus hujus convivii abbreviatum. Nam Judic. 14. 12. ſeptem dies connubii commemorantur: apud Tobiam dies quatuordecim Nuptiarum habentur. itaque συμφωνοῦσι de re ipſa: in numero dierum variatum. Atque ita ab antiquiſſimâ origine deductum, in Nuptiis Canæ convivium celebrabatur: quod præſentiâ ſuâ honorare, non dedignabatur Dominus Jeſus Chriſtus.

33 Proximam Baronius quæſtionem proponit, hanc Hiſtoriam, ut loquitur, illuſtraturus, cur, cum pauperis alicujus Nuptiæ fuerint, tantus tamen, & tam multiplex deſcribitur apparatus, ac ſi viri alicujus prædivitis, aut primariæ dignitatis fuiſſent. Nam & multæ ibi hydriæ, purgationis cauſſa: & miniſtrorum copia: & Architriclinus Ἑστιάτωρ convivii, commemorantur. Sed probandum Baronio erat, (nam è textu non id conſtat) pauperis alicujus Nuptias celebratas. probare autem illud contendit vir illuſtris, Quia *deficiebat Vinum*. ſed profectò, futiliſſimum eſt hoc argumentum: & multis modis inefficax. Primum, non dicitur *defeciſſe Vinum*, hoc eſt, penitus exhauſtum ut nihil eſſet in lagenis, ſed ὑστερήσαντος, cum Vinum ea modica menſura ſupereſſet, ut non ſuppeteret convivantibus, ad finem, ſed ut ante finitum convivium deficeret. Secundò, ut verum fuiſſet penitus exhauſtum

An pauperis Nuptiæ.

exhauſtum Vinum, tamen hinc non efficitur, pauperis fuiſſe apparatum: nam, vel in lautiſſimis conviviis ditiſſimorum ἑστιατόρων, defectus ejuſmodi, poſſunt contingere multis modis: vel propter ſervorum negligentiam ſtrenuam, & immoderatam convivarum compotationem: turbam, ultra invitatos, inexpectatam. atque ideò frigida fuerit probatio oportet, Pauperem fuiſſe Sponſum propter defectum Vini.

34 **Nec plus firmamenti reſtat in ſuper allegatis, de hydriis: Miniſtris: Architriclino, quæ non magis probant locupletem fuiſſe Sponſum, quam Vini defectus, pauperiorem. Hydriæ enim lapideæ erant, de materia parabili: non ferreæ, aheneæ, Cypriæ, argenteæ. tales autem per ſingulas Judæorum ædes diſponebantur, cum paſſim omnes, lavacris frequentibus, è diſciplinâ Phariſæorum, uterentur. Miniſtri quot fuerint, non expeditur: plures fuiſſe certè non dicitur. & qui aderant, in diem poterant eſſe, & rem præſentem conductitii: quod & apud nos etiamnum in more ponitur, per ejuſmodi extraordinarias, etiam non ditiſſimorum, ſollennitates. Huic etiam negotio Architriclinus, veluti & Coci,** μέγα μὲν ἐν τοῖς γάμοις δυναστεύοντες, **conducebantur. Erant enim quibus** ἔργον fuit, profeſſis illam artem & miniſterium, ordinare, curare, diſponere, cùm convivas; tùm fercula per ejuſmodi ſollennitates. Citant viri docti ex Athenæo, καὶ οἰνοπτῶν. qui aliquò modo reſpondere videntur, noſtratibus, in *viſu franci plegii*, ut vocant, *Ale-conners.* Ἀρχὴ ἐστιν, οἱ οἰνόπται παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις. Οἱ δὲ οἰνόπται ἦσαν, ἐφορῶσι τὰ ἐν τοῖς δείπνοις εἰ κατ' ἴσον πίνουσιν οἱ συνόντες. ut fortaſſis horum Princeps fuerit Architriclinus. ſed Heſychius refert paulo aliter. Οἰνόπται, ἀρχὴ Ἀττικὴ, καθ' ἣν τρεῖς ἦσαν καὶ λυχναῖα, καὶ τὰ θρυαλλίδια δεῖ τὸν αἱρεθέντα ἄρχοντα παρέχειν. in quibus, nihil addit de Cura conviviorum. alioquin & Athenæus ἀρχὰς fatetur fuiſſe εὐτελεῖς. In conviviis autem, præſertim nuptialibus, curam ſummam habebant veteres, de ordine, ſobrietate, & honeſtate obſervanda: atque in hunc finem, ſibi Architriclinum, vel ὀφθαλμὸν τῆς συνδείπνου conſtituebant. à qua conſuetudine Judæi non abhorrebant. Imo eo magis honeſtati conſulebant, de numero Sacerdotum, quod τὸν ὀφθαλμὸν vel inſpectorem, conſtituebant. Sic enim Gaudentius Brixianus Ambroſii coætaneus, Tract. 9. *Nuptiæ apud Iudæos cum fierent, unus, quantum Traditione comperimus, dabatur de Sacerdotali ordine, qui morem diſciplinæ legitimæ gubernaret, pudoriſque curam gereret conjugalis. Simul etiam conviviorum apparatui Miniſtros, atque ordinem diſpenſaret, & pro hoc officio, Architriclinus, hoc eſt, Triclinii præpoſitus dicebatur.*

35 *De Architriclino Gaudentii ſententia.*

Ait vir doctiſſimus, ſe non meminiſſe legere alicubi hunc morem apud Judæos obtinuiſſe. Forſitan. Multa enim apud bonos authores, μονοειδῆ, μονήρη, & μονοπρόσωπα leguntur, quæ fruſtra apud alios alibi inquiſiveris. Multa apud ſacros Scriptores, quale illud eſt apud Apoſtolum, *Quid facient pro mortuis*

baptizati?

Digitized by Google

baptizati? &, *Mortui in Chriſto, reſurgent primi.* Secundò, multa olim nobis lecta, evanuêre, fragili memoria & fallaci ſcilicet. Omnia geſta, memoriæ non mandantur. mandata omnia nemo legit: nemo vel pauci, fando accepere multa, etiam olim, in communi uſu poſita. Ante annos penè mille & trecentos elapſos, multa ſciviſſe, vidiſſe, legiſſe potuit Gaudentius Brixianus, quæ poſteritatem, nos autem magis, latuêre. Certè magna Sacerdotum apud Judæos, dignitas, & reverentia; nec ſine illorum curâ vel inſpectione quicquam illi ſerii negotii tractabant. Quod ipſum Divina Conſtitutione nitebatur, quam in Joſuano Pontifice Eleaſaro, edebat: ut Princeps ſcilicet, populus, Synagoga, ad vocem ejus ingrederetur & egrederetur. Atque hinc edocti vetuſtiſſimi Chriſtianæ pietatis proceres, de Sacerdotali & Epiſcopali ordine, omnia magnificè, & humanos apices ὑπερακοντίζοντα loquuntur. βαθμὸν, βῆμα, ἀρχὴν, &c. frequenter loquuntur. Ignatii ſæculo in præceptis dabatur, Μηδὲν φαινέσθω ὑμῖν εὔλογον παρὰ τὴν τοῦ Ἐπισκόπου γνώμην. & iterum apud eundem, Ἀναγκαῖόν ἐστιν ὥσπερ ἂν ποιεῖτε, ἄνευ τοῦ Ἐπισκόπου μηδὲν πράττειν ὑμᾶς. propter *Sacerdotum dignitas.* hæc, & his ferè ſimilia, quæ in ſingulis Epiſtolis habentur, νοθεύουσιν illas viri docti, ſed Novatores; & qui Sacerdotium, non aliter niſi ἀφορμὴν βίου, ut cum Nazianzeno loquar, ambire ſolent. Cum paſſim veteres ampliſſimis præconiis hanc Provinciam, hujus miniſtros, deprædicare ſoleant: ut nec mirum, nec novum videri debeat, ſi Nuptiarum ſollennibus, rei adeo ſacræ, & πρὸς Θεὸν ἀνηκούσῃ, præfuerint Sacerdotes.

Omnino autem vera ſunt, & digna quæ tranſcribantur in 36
Annales, quæ Commentatur ad hunc locum Maldonatus. *Architriclinus* *De Architriclino.* (apud Judæos; *erat*) *uti ait Severus Antiochenus, Orat.* 119. *quemadmodum citatur in Græcorum Catenâ: & Chryſoſtomus, ac Theophylactus in Commentariis, qui convivio præerat: non quidem tanquam Dominus, ſed tanquam Oeconomus, ordinans & diſponens omnia, quæ ad Convivium pertinebant: animadvertens, ne quid cuiquam deeſſet. Præcipuam autem curam habebat Vini, proportionem ſuam cuique diſtribuens, & prout volebat temperans. Is menſæ non accumbebat, ſed ſtabat, & convivium obibat, imperans miniſtris, quæ factu opus erat. Is Vina, antequam convivis præberentur deguſtabat, ut videret, quid cuique dari oportebat: & ſi quid eſſet indignum ſplendore convivii, rejiceret: Quod eo melius judicare poterat, quia ſobrius erat, & à cibis incorruptum habebat guſtum.* Hactenus eruditè Maldonatus: ſed cum ille hoc ipſum munus indicari affirmet apud Syracidem, cap. 31. ver. 1, 2. longè fallitur. Non enim de Architriclino, ſed quocunque Magiſtratu agit ibi ſapiens, ſuo officio, cum curâ, & debitâ ſedulitate fungente. Atque ita, è ſocietate eâdem, duo eruditi viri, Mariana & Sa, in notis ad illum locum explicuere. Quocirca, nec immerito Maldonati ſententiam illam perſtringebat Exercitator: quem dum *maledicum* proſcribit & virulentum, ad illius Commentarios

mentarios in Euangeliſtas intendebat: ubi profectò modum omnem & menſuram modeſtiæ tranſgreditur. Si tamen ab ipſomet Maldonato, profecta ſunt convitia, quibus ille paſſim χαλεπαίνει diſſentientes. Certè, vir judicii exaſciati; & veritatis Hiſtoricæ *Hyperaſpiſtes*, ſi quis alius, Jacobus Thuanus, alium nobis vitâ & moribus Maldonatum depingit, quum ſe nobis ille exhibuit in Commentariis. Fertur etiam vir longè doctiſſimus, æternum Galliæ lumen Jacobus Cujacius amaſſe plurimum Johannem Maldonatum, quod in vitâ ejus ſcribit Papyrius Maſſonus: quod utique non feciſſet, præſertim à Proteſtantium partibus non alienus, ſi tam maledicus fuiſſet Maldonatus. Meo itaque animo viſum eſt, nec ſine probabilitate, quod, cum ipſius in Euangeliſtas, Commentarii, fœtus poſthumi, prodierint in lucem, convitiorum illæ *hamaxæ*, non ab ipſo Maldonato, utpote cum doctiſſimo, tum modeſtiſſimo, ſed à Patribus illatæ fuerint Muſſipontinis, qui de natu, & mandato, Generalis Aquavivæ, ſcriptis ipſius, non tantum *edendis*, ſed & *limandis*, quod affirmant ipſi, præfuere. Sed qualis ille demum cunque fuerat, moribus & ἀναστροφῇ, de Architriclino apud Siracidem hallucinatur. Nec diffiteri illud, aut voluit, aut potuit Bulengerus: atque ideo rem ipſam atque accuſationem declinans, περὶ ταξιάρχων, δειπνοκλητόρων, τραπεζοποιῶν, ἀρχιμαγείρων, μισσόνων, ἐδεάτρων, λεπτολογῶν. Et illa varia vult eſſe nomina ejuſdem officii, de particularibus muneribus tranſlata. ſed non erant illi Architriclini.

Maldonati κακοηθίς.

37 In iſtis porrò Nuptiis, Sponſi & Sponſæ cujuſcunque, deficere jam Vino incipiente, ὑστερήσαντος τοῦ οἴνου, *Dicit Mater Ieſu ad Eum, Vinum non habent:* hoc eſt, quod ſufficiat; *& dicit ei Ieſus,* Τί ἐμοὶ καὶ σοὶ, γύναι; *Nondum venit hora mea.* Duo nobis indicat Euangeliſta, Matris ἀνάῤῥησιν, Chriſti ἀπόκρισιν. Illa, Vini defectionem docet: reſponſum videtur acerbius inculcatum. Defectus ille Vini, unde unde contingebat, ſive quod majoribus & frequentioribus poculis ſe Convivæ invitabant: ſive quod convenerant plures quam expectabantur: ſive, quod vulgus Interpretum affectat, cum eſſent indigentiores, majoribus impenſis ſufficere non poterant: beata Maria quam primum reſciſcebat, ex affectu erga, fortaſſis, affines, certè familiares & contribules, confugit ad Filium, ſecreto hoc inſinuans, *Vinum non habent*, & quaſi in aurem, ubi diſcumbebat, ne ſi fortè Convivæ id reſciſcerent, Sponſo cederet in pudorem aut opprobrium. At quid hoc ad illum? Unde ipſa defectum agnovit? Num Sponſo indicente? Non crediderim: ſed ipſa in rem præſentem adducta: eo quod πολὺ ἠγάπησεν, Charitate qua abundabat, mota, ſuccurrere volebat indigentibus: & ex eâdem illâ Charitate, quaſi in rem ſuam intenta, alienam curabat. Utrumque eo magis & lubentius præſtabat, ſi conſanguinitate, quod reor, illos attingebat. Eſt enim Charitas ordinata, & exorditur ἀφ' ἑστίας. Quocircà cum

Chriſti & Mariæ in Nuptiis colloquium.

Bona-

Bonaventurâ exiſtimaverim, illam menſæ non accubuiſſe cum cæteris convivis, & filio, ſed tanquam è miniſtris, ſedulam affinibus operam impendiſſe. Certè ut Matronam frugi, prudentem, ſedulam amicam, obiiſſe curam & ſollicitudinem, κατὰ μέρος, negotiorum. eoque modo cum facilius & expeditius, tum ſecretius, τῷ υἱέι filio Jeſu ſubindecaſſe Vini.

Chryſoſtomus hoc in loco, ſui diſſimilis, amorem agnoſcit in hac cauſſa προηγούμενον, ſed ἄτοπον comminiſcitur & extravagantem veluti. nimirum profectum ἐκ τῆς φιλοδοξίας, ut ex edito miraculo, & Filius & Ipſa inclareſcerent. hoc eſt, ut ipſis acclamaretur, quod deinceps alicubi factum legitur, *Beatus uterus qui Te portavit: fœlicia quæ ſuxiſti ubera.* Quum non oportuit virum eruditiſſimum & ſanctiſſimum, hæc tam ἀβασανίστως protuliſſe. Certè, dupliciter erga ſanctos modum excedunt interdum & menſuram pii viri. Nam vel perfectiones ultra hominem iis adſcribunt, quaſi Deo, cum cæteris, nihil deberent; non indigerent Chriſto: vel ex adverſo, contumeliis afficiunt, illorum παραπτώματα, ac ὑστερήματα, aut aggravando, ſi quæ ſint, aut affingendo, ſi non invenerint. De humilitate & ταπεινοφροσύνῃ commendabatur imprimis beata virgo: cum illâ autem, hæc affectio, quam affingit ei & affigit Chryſoſtomus, ſtare non poteſt. Secundo, abhorret à vitâ & actibus ordinariis illa. Nam illa quæ Angeli ἐπιφωνήσεις & δοξοφωνήσεις, quæ Magorum & Paſtorum Euphemiſmos, experta fuerat. Quæ Dei magnalia, non prædicabat vulgo loquuteleia, vel σεμνολογοῦσα, ſed recondebat omnia apud animum ſuum, nequaquam videtur captatura hanc præpoſteram & incertam in vulgus emanandi rationem. Et undè poterat ſpe vel cogitatione eo deferri, cum, quod alias obſervabat ipſemet Chryſoſtomus, nullum domi apud illum miraculum ediderat, ut ſtatuere poſſet vel opinari, Illum per omnipotentem aliquam operationem defectum ſupplere velle, aut potuiſſe. Eximiam proculdubio & ſingularem illa, de filio ſuo Jeſu fovebat opinionem & Meſſiam in Lege & Prophetis promiſſum, extitiſse habebat perſuaſiſſimum. Inſuper, non tantum ἐκ συμπαθείας, erga affines, ſed ex Fide in illum, ad illum confugiſse crediderim, licet de miraculo edendo, præcipuè ut inde inclareſceret, non cogitabat: ſed modum ipſius voluntati, ſubveniendi indigentibus, quod dicebat, relinqueret. Quocirca, licet, ut videtur, repulſam apud Filium paſsa, Miniſtris ait, *Quicquid juſſerit, Facite.* Ita Fides hic conſpirat cum Charitate, σύν τε δύ' ἐρχομένω, ut vetus habet verbum, licèt interdum cum difficultate aliqua, πάντα faciunt eſse ἀμείνω. Id quod è ſequentibus patet apud Euangeliſtam, è reſponſo, & operatione Servatoris.

Reſponſum, videtur ἄγροικον, atque ideo λυπηρὸν, & duriuſculè prolatum, *Quid mihi tecum eſt mulier? Nondum venit hora mea.* Lingua Græca videtur huic acori ſuavitatem affundere. *Quid*

38 *Chryſoſtomi incogitantia.*

39

hoc ad Me; vel ad Te pertinet. Quam mollitiem, fidus interpres ſequitur, verbum de verbo reddens, non dictionis uſum exprimens, *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Sed hoc minus probavero, eo quod in Chryſoſtomianam reprehenſionem incurrere videatur: quaſi ipſius πολυπραγμοσύνην taxaret, & curioſam in alienâ Provinciâ ſatagentiam. Sed κατὰ γλῶσσαν, è proprietate illius Linguæ, hoc eſt Helleniſmi, aliud indicat, Nempe, Quid mihi tecum eſt, *What have I to doe with thee?* Ita Arrhianus utitur in Epicteto ſuo, Lib. 1. cap. 1. Τίς ἄνεμος πνεῖ; Βορέας ἢ Νότος; Τί ἐμοὶ, καὶ αὐτῷ. *Quis ventus ſpirat? Boreas ne, an Notus? Quid mihi cum illo negotii eſt?* Sic 2 Sam. 16. Τί ἐμοὶ, καὶ ὑμῖν, υἱοὶ Σαρουΐας. *Quid mihi vobiſcum eſt, Filii Serviæ?* Quoniam importunius illi Abiſhai inſinuabat, occidendum eſſe Shimei convitiatorem. Et 4 Reg. 9. ait Jehu, nec ſemel, Τί σοὶ καὶ εἰρήνῃ. *Quid Tibi cum pace?* Math. 8. 19. aiunt Dæmones, Τί ἡμῖν καί σοι, Ἰησοῦ. & Math. 27. 19. Pilati uxor ad maritum ſuum mittit nuntiatum, Μηδὲν σοὶ, καὶ τῷ δικαίῳ τούτῳ. Quocirca pluſquam probabile eſt, contra latratus noſtrorum Rhemenſium, in hoc reſponſo, haberi tacitam quandam reprehenſionem, ſaltem ἀναβολήν. Non autem quod intercedendo peccabat Maria. Abſit. Non quod aliquod illicitum petierat. μὴ γένοιτο. Sed potius, quod hanc illi Provinciam, ſubito & ex affectu, tanquam de maternâ authoritate imponeret: & Res Dei, humano modulo metiretur: quaſi Divina in arduis rebus condeſcendentia, ad noſtras voluntates & δεήσεις eſſet alliganda. Quod è ſecundâ parte reſponſionis, magis adhuc liquet, *Nondum venit hora mea.* Quæ non tam indicat, cur non potuit, cur non voluit petitioni annuere, quam, cur reprehendebat. Cujus loci, & reſponſi ſententiam tripliciter ſolent interpretari. Nam ad tria capita reducitur expoſitio, ut ſit impia, aliena, veritati proxima & conſentanea.

40 Impiam illi affingunt, qui de Genethliacâ ματαιοφλυαρίᾳ, *Horam meam*, cœli poſitionem, ſtellarum conſtellationem, & fatalem ex aſtris neceſſitatem intelligunt: ſecundum illud Tragici, τῇ δ' ἀνάγκῃ οὐ Θεὸς μάχεται. unde apud Poëtam κλαυθμυρίζει Deorum Princeps, quod fatalem neceſſitatem, *horam* ſcilicet, tollere vel mutare nequiret; ſed,

Variæ illius expoſitiones.

Σαρπηδόνα φίλτατον υἱὸν

Μοῖρ' ὑπὸ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο δαμῆναι.

Verùm apud Chriſtianos, qui Deum agnoſcunt & fatentur Omnipotentem, nulli ſubjectum neceſſitati, non tantum impia ſed abſurda inſuper & ridicula eſt hæc interpretatio. Alii volunt ſignificari, *Horam mortis*, vel *paſſionis*: piè quidem, ſed à propoſito alienè. Et tamen, tempus illud, *Horam ſuam* appellat Dominus, & *Horam tenebrarum*: & in Oratione fuſâ ad

Deum Patrem, Johan. 17. *Pater, venit hora: glorifica Filium.* Gaudentius ergo Brixianus, ad Mortem & Reſurrectionem retulit, quando Chriſtus ſuppeditabat abundantiſſimè, *Vinum lætificans cor hominis.* hoc eſt, effuſionem & plenitudinem Spiritus Sancti. Quaſi diceret ergo, Tu mihi narras de defectu Vini temporalis in convivio, & Nuptiis terrenis, at Ego, Vinum ſpirituale in Nuptiis æternitatis & convivio aſſidentibus in regno mei Patris, affatim effundam & ὑπερεκχύσω: ſed, ἡ ὥρα χρόνος: Nondum venit illa Hora, & tempus deſtinatum diſpenſationi huic.

Auguſtinus, Tractatu 8. in Johannem, ita cepit, acſi fuiſſet anterioris partis reſponſi & durioris mitigatio. Quia enim non *Matrem* eam, ſed *Mulierem* appellat, quaſi Parens ſuboffenſa neglectam ſe quereretur, Chriſtus denuò erectam conſolatur. Noli Tu Triſtari, quod te Matrem non dixerim. Nondum enim venit hora mea. Tempus adhuc non eſt, ut Te eam cognoſcam, veniet luſtris labentibus ætas, imo Brevi admodum adveniet Tempus, cum in horâ mortis, te pro Matre agnitam Diſcipulo dilecto ſim commendaturus. Subtiliter fortaſſis, certè piè meditatur: ſed alienè. Nam ut verum ſit, Horam eo ſenſu interdum uſurpatam inveniri, vix tamen illud propriè. Nec dicitur, *Hora mea*, ſed ſimpliciter *Hora.* aut Hora hoſtium, hoc eſt Mortis, & Principis tenebrarum. Secundò, quid ad Maternam præſentem ſuggeſtionem ſpectabat illa hora, Paſſionis? Non enim tunc ullum edebat, aut editurus erat, Miraculum. Tertio, nec in illa *horâ* Paſſionis, Matrem ſuam appellat, ſed potius Johannis *Matrem*; cujus illam Fidei & Tutelæ, animam acturus, commendabat. 41

Sed *Hora mea*, in præſenti reſponſo Servatoris, Tempus commodum, aptum, opportunum notat, Vino ſupplendo, Convivis & Sponſis inſerviendo, miraculo edendo. ita enim Græci τὴν ὥραν uſurpant, ut non tam ſit χρόνος quam καιρὸς, rei peragendæ opportunitas. Rom. 13. 11. *Hora ſurgendi*: Apocal. 14. 5. *Hora metendi.* Mea autem Hora, eſt quaſi diceret, mea mihi ſtatuta & deſtinata occaſio. Qui igitur profitetur, nondum veniſſe horam ſuam: id eſt, Non eſſe tempus adhuc opportunum & accommodum miraculi alicujus edendi, & gloriam ac potentiam manifeſtandi, videri poterat tacitè inſinuare, ſibi propoſitum eſſe & deſtinatum, alium locum, aliud tempus, aliam occaſionem diſpenſationi Miniſteriali ſuo, & per miraculum aliquod edendum, ſe manifeſtandi ſelegiſſe, ſi materna interim interceſſio & preces non interveniſſent. Ita Ambroſ. in Pſal. 118. Octon. 16. *Qui horam ſuam veniſſe negabat, fecit quod ante differebat.* Et Cyrillus adhuc clarius: *Statim ad actum propter Matrem accedit, quem quantum in eo erat, pauliſper diſtuliſſet.* Poſtremò, illud, *Nondum venit hora mea*; ita accipiunt ac interpretantur alii, acſi diceret: Utcunque ſtatuerim hic miraculum

42 (margin: *Vera ſententia.*)

culum primum operari, tamen, οὐκ ἔτι χρόνος, quoniam nondum defecit Vinum: neque enim indigentiam ſuam, & auxilium præſens Divinum agnoſcere ſolent & amplecti homines, niſi ἐπὶ ξύρης ἀκμῆ, conſtituti. Erat ergo *illa Hora hominis:* ὑστήριμος τοῦ ὄντι: ſed non Dei, cujus auxilium non ſemper in procinctu ſtat, ſed urgente advocatur neceſſitate. ut Potentiam inde exerat in excelſo brachio, & liberati homines efficacius excitentur ad gratitudinem: nec continuò deſpondeant animum, ſi Deus ad voluntatem, vel non omnino, vel aliquanto etiam durius reſponderit. Ita enim exemplo ſuo præivit beata Virgo, quæ non obſtante, quam putare poterat, repulſâ, ait tamen, confidentiâ plena ad Miniſtros, *Facite, quicquid juſſerit.*

43 *Erant autem ibi*, in Triclinio, *Lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundum Purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas aut ternas. Et dixit iis Ieſus, Implete hydrias aquâ. & impleverunt eas uſque ad ſummum. Et dixit iis, haurite nunc & ferte Architriclino. Poſtquam guſtaſſet Architriclinus, aquam in Vinum verſam, neque ſciret unde eſſet, ſed miniſtri ſciebant, qui hauſerant aquam, vocat Sponſum, & dicit ei, Omnis homo, primo loco bonum Vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tum id quod deterius eſt. Tu autem ſervaſti bonum Vinum uſque nunc.* Hæc propius jam miraculum, & quidem κατὰ πλάτος, cum ſuis circumſtantiis, Hiſtoria enarrat: quarum Princeps illa eſt de ſex hydriis. quam vocem ab ὕδωρ deductam volunt, eo quod continendo aquam in uſus neceſſarios & lavationes, illa vaſa deſtinabantur. Et hæc de voce, *hydriis*, circumſtantia, miraculum confirmat & illuſtrat. contradiſtinguit enim *hydrias*, aquis hauriendis vel continendis deſtinatas, à doliis, cadis, vaſis omnibus Vinariis, ut tollatur omnis *ſuſpi*cio fraudis & impoſturæ. Si enim vaſa ad miraculum adhibuiſſet Vinaria, dicerent Adverſarii, Vini fæces in fundo reſidentes, aquæ tincturam, ſaporem, colorem induiſſe: atque ita de veritate miraculi, aut illius magnitudine detraheretur. Secunda circumſtantia eſt, *hydrias* non fuiſſe coriaceas aut fictiles, ſed *lapideas*, quales erant alias hydriæ, plerunque fictiles, atque ideo fragiles. Judic. 7. 20. Eccleſiaſt. 12. 6. Tertio, addit fuiſſe ſtationarias, poſitas in Conclavi, non geſtatiles, aut de loco in locum transferendas. ut Gen. 24. 15. Jud. 7. 20. Johan. 4. 28. quæ capacitate ſua & magnitudine nequaquam ad lapideas iſtas accedebant: capiebant enim iſtæ ſingulæ, *metretas binas ternaſve:* hoc eſt, aliquæ binas: ternas aliæ. neque enim erant

Metretæ. omnes ejuſdem menſuræ. Erat autem Metreta, ut viri docti obſervarunt, eadem menſura cum cado: continebat autem decem Congios. Congius ſex Sextariis conſtabat. Sextarius duabus Heminis. Hemina pendebat Vini libram, hoc eſt, ſex Cyathos. Cyathus capiebat duas Uncias. itaque ſex illæ Hydriæ, continebant, Sextarios Nongentos. Galliones, ut nos vocamus, 450. Quæ circumſtantia, ampliſſimum fuiſſe Chriſti munus

Digitized by Google

munus docet, non ſolum τὸ ἱκανὸν, ſed τὸ πάνυ πλέον, ***Tonnarum*** ſcilicet aliquot, abundantiam, ut ſi pauperiores fuerant, finito convivio, divendi poſſet, & ſportula inde corrogari, ad rem familiarem procurandam. Multus eſt enim, & magnificus in ſuis donis Deus. ideo & Eliſæus, non unum aut alterum, ſed omnia vaſa viduæ adimplebat *oleo* : εὐπόρως, non διακόνως dona Domini ſuppeditando. Idque eo magis, ut ad alios quoque fama iſtius facti emanaret. Nam in fine ferè convivii patrabatur miraculum, inebriatis, hoc eſt, liberalius exaturatis convivis : quorum, fortaſſis, non magnus erat numerus : certè, non tantus, ut tantæ Vini copiæ exhauriendæ ſufficerent. Quocirca aliis uſibus ſuppetebat, cum & optimum, & ſuaviſſimum agnoſceretur : & divinitus tranſfuſum immediatè. *Miraculi copia.*

Hoc edidit initium ſignorum Ieſus, in Cana Galileæ, & manifeſtavit gloriam ſuam : & crediderunt in eum diſcipuli ejus. Totius hiſtoriæ enarratæ, ἀνακεφαλαίωσις. In quâ, Tria ſunt omnia. Miraculi πρόσθημα. Loci conſignatio. Finis editi, duplex. Primum fuit omnium miraculorum Chriſti. idque ſimpliciter, & abſolutè primum. Initium ſignorum *quæ fecit Ieſus*. non tantum, ſignorum, quæ *fecit Cana* : ut viſum cuidam Zachariæ ; cui conſentit Hugo Cardinalis in Gloſſa, *Non dicit ſimpliciter primum, ſed in Canâ Galileæ, primum*. Ineptè. quaſi plura deinceps ibidem miracula ediderat : quod ποῦ κεῖται, nos doceat Hugo. Probabilius eſt, nullum aliud eo loco, exiguo oppidulo, edidiſſe miraculum, cum dicat alibi Johannes, *Venit iterum in Canam Galileæ, ubi aquam in Vinum converterat*. quaſi nullo alio ſigno, oppidulum illud honoraſſet. Deinde, falſum eſt quod dicit Hugo, *Non dicit ſimpliciter primum*. Dicit enim : non totidem fateor, verbis : ſed æquipollenter, dicit. *Hoc initium ſignorum fecit*. Non autem vox ἀρχὴ, Principium, ad τὰ Κάνα, ſed ad τὰ σημεῖα referri debet, hoc eſt, Fecit initium omnium miraculorum ſuorum, à Nuptiis Canæ in Galilæâ. 44

Primum miraculum.

Appellant qui contra ſentiunt, Librum inſcriptum, *Infantia Servatoris*, ubi plurima miracula, ante annum triceſimum, ab illo, in ætate puerili, dicuntur edita. Sed eſt ille Liber Apocryphus, accuratâ Cenſurâ Gelaſii Pontificis olim Romani, notatus & rejectus : utpote impuriſſimorum Hæreticorum, hoc eſt, Gnoſticorum, fœtus ſubventaneus. Certè ſi per luſus & jocos, ſi tamen aliquos exercuit, pueriles, feciſſet miracula, abuſus eſſet, Perſonâ, Officio, Potentiâ ſuâ. Atque ita Dei nomen in vanum accepiſſet : quod blaſphemum eſt dicere : & horrendum cogitare. Secundò, ludibrio expoſuiſſet & lubentiæ, opera Divina, & excelſum brachium. Tertiò, præſtigiatorem clamaſſent & Circulatorem, cum deinceps, ingreſſus Miniſterium, miraculis plerunque uteretur. Quartò, ſic populo innotuiſſet etiam puer, nec opus fuiſſet Eliâ, Johanne ſcilicet, Anteambulone, vel Proclamitatore. Non ut vox de cœlo Johanni illum commendatum, 45

Apocrypha, de infantia Servatoris.

quis

quis erat, declararet: qui tamen diſertim profitetur, *Et ego illum, non cognovi*. Quintò, ille ordo & diſpenſatio planiſſimè abhorrebat, à Divina, in ſimilibus οἰκονομίᾳ. Neque enim miracula præcedere ſolebant, ſed ſequi Divinam vocationem. ſic poſt inaugurationem, poſt Ordines, ut ita dicam ſuſceptos, non ante χειροθεσίαν, in ſtatu Laïcali Moyſes, Elias, Eliſæus, Apoſtoli, alii, miracula ſolebant perpetrare. Quicquid ergo ἐυθέως, & ἀβασανίστως pronunciavit Hugo, etiam de ſententia diſſidentium Catholicarum partium, erat hoc ſimpliciter, non Reſpectivè, initium ſcilicet, *primum miraculorum Chriſti*.

46 Secundò, Loci nomen adjicitur, Canæ, ad majorem veritatis manifeſtationem, & ſtabilimentum: ut ſi qui minus crederent, dubitantes inquirerent, & perſuaderentur. Erant autem in Palæſtinâ, duæ urbeculæ cognomines, ab antiquiſſimis temporibus dictæ Cana. Prior, Joſu. 16. 10. in Tribu Ephraim. altera, Joſu. 19. 28. in Tribu Aſer: non procul à Sidone. inde mulier illa proficiſcebatur, quæ Cananæa dicitur, Mar. 7. 10. quæ eam ob cauſſam, Elogio Syrophœniſſæ, commemoratur. ſed præter iſtas duas, neceſſe eſt ut fuerit tertia. Nam Joh. 4. 46. Cana dicitur fuiſſe juxta Capernaum. Ideò, neque in Samariâ fuit, quemadmodum illa erat, in Tribu Benjamin: neque juxta Sidonem, ut illa in Tribu Aſer: hanc ergo, diſtinctionis cauſſa, vocat Canam Galileæ. cujus ἐρείπια, vel locum potius ubi ſita fuit, oſtendunt hodie peregrinis, quarto milliari à Ptolemaïde, in Tribu Zabulon. cujus meminit Joſephus, in περὶ βίου. & περὶ ἁλωσ. 1. 13.

Cana.

47 Poſtremò adjecit finem & ſcopum miraculi patrati: qui duplex habetur. primò, ut, *Oſtenderet gloriam ſuam:* ſecundò, ut, *Diſcipuli in eum crederent*. Certè, Dei gloria, ut rerum omnium Finis, ita paſſim relucet in operibus Dei. τὸ γνωστὸν Θεοῦ, quod ait Paulus, Rom. 1. 19. manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis, ſe, & per illa manifeſtavit. & etiam *inviſibilia ipſius, à Creaturâ Mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. ſed magis tamen eluceſcit in magnalibus: hoc eſt, operibus inuſitatis: quæ interdum, Præter, Supra, Contra Naturam, & rerum ordinem naturalium, fiunt. hoc eſt enim quod *miraculum* dicimus. & cum *miraculum* operatur, tot modis operatur Deus. Præter Naturam, cum totius Naturæ ordo immutatur: ut reſpiciat formam modumque operandi. ejuſmodi fuit Solis ſtatio, in diebus Joſuæ. Cœlorum retractio, in diebus Heſechiæ. Supra Naturam operatur, cum producit immediatè Effectum, quem Natura non poteſt educere. ut aperiantur oculi, nato cæco. Contra Naturam, ut cum tres pueros in fornace Babylonico, illæſos præſtitit, manente in illo igne, naturali urendi diſpoſitione. Fiunt autem vel per Deum immediatè, vel per interventionem Creaturarum. ſemper autem, in virtute Dei, & per Divinam potentiam. Nam opera Dei ad extra, ſunt πολυσχιδῆ, καὶ πολυτρόπα. unde

De Miraculis.

&

& Deus, qui nobis ab operibus innoteſcit, eſt πολυώνυμος. Multa autem ſunt & multiplicia, propter infinitatem operantis. Nam ut aliquid eſt, ita & operatur. Differunt autem opera Divina, *loco, tempore, ſubjectis, modo operandi.* ſed omnia ubique fiunt, ut optimo ordine & ſuavi: ita δυνάμεις quoque, Fortiter, hoc eſt, Potentia in ſe, Irreſiſtibili. Pertingit enim, à Fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.

Itaque duo imprimis concurrunt ad miraculum patrandum: 48
primò, Quoad cauſſam efficientem primariam, ut a ſolo Deo proficiſcatur. ſecundò, Quoad modum operandi, ut ſit inſolitus ille, nec è communi Naturà, vires & potentiam cujuſcunque creaturæ, in ſe, excedens. Sunt enim quædam mira, quia inſolita: non tamen miracula. cujuſmodi videre, ἢ πετόμενον ἄνθρωπον, ἢ κιδούμενον, apud Lucianum. Ejuſmodi erant, quæ miracula olim prædicabant Donatiſtæ, & preces exauditas, ad memorias Martyrum ſuorum, plerunque Circumcellionum, quæ, cenſente Auguſtino, aut *Figmenta erant mendacium hominum, vel portenta fallacium ſpirituum:* De Unit. Eccleſiæ, cap. 19. Ejuſmodi etiam hodie videntur, quæ paſſim prædicantur miracula, vel Dæmonum præſtigiæ, & illuſiones: vel Agyrtarum offuciæ & impoſturæ: magorum τερατώδη μαγγανεύματα: cujuſmodi erant ἐπαοιδαῖς Jannæ atque Jambræ, contra Moyſen. Apollonii Tyanæi & aliorum σοφίσματα. Ac veluti ſunt res miræ, quæ non ſunt miracula: ſic res obviæ, viles, in communi uſu poſitæ, non tantum mira ſunt, ſed miracula. Triſmegiſtus hoc ſenſu, Hominem, ***magnum mundi miraculum*** nominavit. Certè enim & τὸ σύνολον, & ſingulæ Totius partes, Artem arguunt conditoris, & hoc ipſum confirmat ille pſaltes Iſraël, qui ſtupendum & miraculoſum in modum ſe creatum ait. *Omni miraculo quod fit per hominem, majus miraculum eſt ipſe homo.* Secundò, modus ille, quo, optimus Mundum temperat Rector, miraculoſus eſt, authore Auguſtino; eximius miraculum, quàm quo, quinquies mille homines, quinque panibus ſaturavit. Quod è minimis fuiſſe, Chryſoſtomus non unâ vice, pronunciavit. Ὅτι δὲ τοὺς ἄρτους πηγάζειν παρεσκεύασε, ὃ πολὺ τούτων ἁπάντων ἔλαττον ἦν, &c. Homil. in Math. 49. Vult dicere, Eum nequaquam, veluti de Cœlo, per preces, auxilium advocaſſe. Homil. in eundem ib. pag. 106. Τὰ γὰρ μείζονα ἐξουσιαστικῶς ποιῶν, ἐν τοῖς ἐλάττοσιν εἰς οὐρανὸν ἀναβλέπει. ἁμαρτήματα γὰρ λύων: ita enim inſtat de majoribus: καὶ τὰ ἀπόῤῥητα ἀποκαλύπτων, καὶ παράδεισον ἀνοιγνὺς, καὶ δαίμονας ἀπελαύνων, καὶ λέπρους καθαίρων, &c. ἐξ ἐπιτάγματος πάντα ἐποίει. ἡνίκα δὲ, ὃ πολλῷ τούτων ἔλαττον ἦν, ἄρτους ἐξ ὀλίγων πολλοὺς παρεσκεύαζε πηγάζειν, τότε εἰς οὐρανὸν ἀναβλέπει. Qui Homil. 75. Converſionem Mundi, inter maxima miracula recenſebat. In quo videtur Originem imitatus, cujus hæc ſunt, contra Celſum, Libro 1. ubi de miraculis agit. *Irrideat licet Celſus, aut introductus ab eo Iudæus, quod dicetur, dicetur tamen; multos, penè invitos, attractos fuiſſe, ad Chriſtianam Religionem, ſpiritu quodam repente immutante*

intellectum eorum, ut pro verbo, ad id temporis exoſo, non cunctarentur mortem oppetere.

49 Creatio rerum magnum miraculum. Nam è Nihilo, ordinariè, nihil fit. Quocirca prorſus erat incommunicabilis. ἐμμέσως, namque Deus nequaquam hunc mundum, ſed ἀμέσως, hoc eſt, ſe ſolo, non per Angelos, producebat. Huic proximum, conditarum rerum adminiſtratio. Et tamen hæc Dei tanta & tam eximia miracula, *aſſiduitate*, ait Auguſtinus, *viluere.* Sed omnia miracula ſuperabat Mundi reparatio, & hominis εἰς ἀλογίαν lapſi, per verbum τὸν λόγον, reſtitutio. Unde & opus *Brachii*, etiam *extenti*, nominatur, cum Creatio ſit tantum *opus Digitorum. Quia non oportebat ut novum faceret Mundum, nova fecit in Mundo. Homo de Virgine procreatus, & à mortuis in æternam vitam reſuſcitatus, & ſupra cœlos exaltatus, potentius opus eſt quam Mundus.* Auguſt. epiſt. 3. Et profectò, in Creatione, *Dixit verbum, & facta ſunt: juſſit & Creata ſunt.* Sed pluris conſtitit, ait David, ut redimerentur ipſorum animæ. *Vt dum omnia mirabiliter facit, emineret quod miſericorditer facit.*

50 *Miracula Fidem operantur.* Certè finis miraculorum, ut & rerum omnium, eſt manifeſtatio Gloriæ Dei, id autem imprimis procuratur, cum per miracula increduli, ad Deum convertuntur. Ideo, quod obſervat Origenes, Lib. 8. contra Celſum, *Mirabiliter Chriſtiani, religionis initio, non minus miraculis, quam doctrina ſunt adducti, ad relinquenda inſtituta Patria, & ad aliena traducti.* Nam quantum ratione colligi poteſt, non eſt probabile, vel Jeſu Apoſtolos, homines illiteratos & plebeios auſos aggredi prædicationem doctrinæ Chriſtianæ, aliâ re fretos, quàm datâ ſibi virtute: vel auditores mutaſſe diuturnas multarum ætatum conſuetudines, niſi motos, admirandâ illorum in patrandis prodigiis potentiâ, addixiſſe ſe, tam diverſis à ſuo ritu opinionibus. Περιλαμβάνει γὰρ τὰ θαύματα, inquit Baſilius Seleucienſis, δυσωποῦντα τὴν θέαν, καὶ τὴν ἀπιστίαν ἐλαύνοντα καὶ τὸν ἀπειθέστατον λογισμὸν ἐπικάμπτοντα. ἵν᾽ οὓς οὐκ ἔπεισεν κηρύττουσα γλῶσσα, τούτους ὀφθαλμοὶ μαρτυροῦντες ἐλέγξωσι. Quæ transcripſit ille, è Clementis Diat. 8. 1. διατάξεσι Conſtitutionibus, Ubi ait Miracula non eſſe εἰς τὴν τῶν ἐνεργούντων ὠφέλειαν, ἀλλ᾽ εἰς τὴν τῶν ἀπιστούντων συγκατάθεσιν. ἵνα, οὓς οὐκ ἔπεισεν ὁ λόγος, τούτους ἡ τῶν σημείων δυσωπήσῃ δύναμις. Nec abludit Græcorum illud proverbium, ſi rectè adhibeatur, θαύματα μωροῖς, apud Athenæum. *Erant enim neceſſaria miracula, antequam crederet Mundus, in hoc, ut Mundus crederet.* Unde Auguſt. de peccat. mor. & remiſſ. 2. 31. *Multa Dominus viſibilia miracula fecit, unde ipſa Fides, velut quibuſdam primordiis lacteſcentibus germinaret, & in ſuum robur, ex illâ teneritudine coaleſceret.* Quocirca tenet quod ſuperioribus adjunxit Clemens, Εἰ δοθῇ, μηκέτι ΐ) ἀπιστεῖν, ἢ ἄπιστον, περιττὴ λοιπὸν πᾶσα σημείων ἐνέργεια.

51 *De ceſſatione Miraculorum.* Agitari iccirco hoc in loco poterit illa quæſtio, an Miracula nunc ceſſaverint in Eccleſia, cum à multis retro ſæculis Chriſtianiſmus per orbem fuerit propagatus. Imprimis illud Chry-

Chryſoſtomianum effatum verum eſt, Homil. 57. in Matth:
ubi, quærit, an Apoſtoli ſemoverint montes, reſpondet, *fortaſſis
non.* qui tamen πολλῷ μείζονα ἐποίησαν. & rationem reddit, Quod
non habebant opus ſemovere. Δῆλον δὲ ὡς καὶ ὄρη μετέθεσαν ἄν, καλούσης
χρείας. εἰ δὲ τότε οὐκ ἐγένετο χρεία, μὴ ἐγκάλει. Hoc ergo imprimis ſtatu-
endum, miracula nec expectanda, nec advocanda, niſi opus fu-
erit, γένοιτο χρεία. non εἰκῆ, vel ὡς ἔτυχε. Secundò, per ætatem Chry-
ſoſtomi, non erat adhuc in Eccleſia, miraculorum donum,
Lib. 4. περὶ ἱερωσύνης ait, Τῆς μὲν δυνάμεως ἐκείνης, οὐδὲ ἴχνος ἀπολέλειπται.
& Serm. 1. εἰς ἁγίαν Πεντηκοστ. Objectum vulgo ait, nec diffitetur,
Ποῦ ἐστὶ πνεῦμα τὸ ἅγιον νῦν; Τότε μὲν καλῶς λέγεις, ὅτε σημεῖα ἐγίνετο, καὶ νεκροὶ
ἠγείροντο, καὶ λεπροὶ πάντες ἐκαθαίροντο. Reſpondet, etiam tum dari Spi-
ritum Sanctum: ſed in Remiſſionem peccatorum, non in
μερισμὸν linguarum. & pag. 606. Τίνος ἕνεκεν ἕνεκα σημεῖα οὐ γίνεται νῦν;
παρὰ πολλῶν γὰρ ἀκούω ταῦτα καὶ συνεχῶς ζητούμενον. διὰ τί τότε γλώσσαις ἐλάλουν
πάντες οἱ βαπτιζόμενοι, νῦν δὲ οὐκ ἔτι; Quod iterum fatetur, in ά περὶ ἀκα-
ταλήπτου, ubi docet, nequaquam illud cedere in damnum Eccleſiæ.
Εἰ καιρὸν τὰ χαρίσματα ταῦτα τὴν ἑαυτῶν χρείαν παρέχοντα ἡμῖν, καὶ παυσάμενα,
παραβλάψαι τὸν λόγον οὐδὲν δυνήσεται. Ἰδοὺ γοῦν νῦν προφητεία οὐκ ἔστιν· οὐδὲ γλωσσῶν
χάρισμα. καὶ ὁ τῆς εὐσεβείας οὐδὲν ἐνεποδίσθη λόγος.

Sed Chryſoſtomus intelligendus eſt, de uſu communiori, & 52
quaſi ordinario. Extabant enim, licet rarius, nec ubique dona
illa & χαρίσματα in Eccleſia: aut fucum nobis faciunt, Auguſti-
nus, & cæteri ſancti Patres: quod piaculum opinor dicere. ſi
Hiſtoriis credimus, & cur non credamus, etiam tum fiebant.
ſentio tamen cum Acoſtâ, hæc rarius donata, non autem paſ-
ſim, & quibuſcunque. Etiam hodiè penitus ablatum illud do-
num ab Eccleſia, non dixerim. At cum ſint qui Miracula à
diſſentientibus in quibuſdam Fidei & Religionis capitibus fla-
gitant: improbè facere eos & iniquè dixerim. Sic ἀπὸ τῶν ση-
μείων, οὕτως, ὡς ἀπὸ τῶν γραφῶν πιστεύεσθαι δεῖ, quod Chryſoſtomo videtur,
Homil. 50. in Johan. à quo non diſſentit Innocentius 3.
Extrav. de Hæred. *Non ſufficit cuiquam nudè tantum aſſerere,
quod ipſe ſit Miſſus à Deo, cum hoc quilibet hæreticus aſſerere
poſſit, ſed oportet quod aſſerat illam inviſibilem Miſſionem, vel
per operationem Miraculi: vel per Scripturæ teſtimonium Spiri-
tuale.*

Sed omnino ſuſpectas habere ſoleo, Divas Lauretanas, Si- 53
chemenſes, alias paſſim per Europam famigeratas, θαυματουργοὺς
& θαυματοποιοὺς, tanquam nugivendulas, ſi non impoſtrices. Im-
primis enim, quod de Diis Gentium dicebat Chryſoſtomus,
Orat. 1. in Judaïſantes, meritò hic uſurpaverim, Καὶ γὰρ ἐκεῖνοι,
πολλὰ πολλάκις διὰ τῆς αὐτῶν τέχνης νοσήματα ἀπήλασαν, καὶ πρὸς ὑγίειαν τοὺς
κάμνοντας ἐπανήγαγον. εἰ οὖν κοινωνῆσαι δεῖ τῆς ἀσεβείας, διὰ τοῦτο; μὴ γένοιτο. Se-
cundò, Miracula ſua illæ Divæ nunquam perpetrare ſolent,
coram Proteſtantibus, quos Hæreticos vocant: & quos ſi er-
rones, in viam deducere debebant, ſed ſemper *apud, coram, ſuper*

 Romano-

Digitized by Google

Romano-Catholicos; homines credulos εὐήθεις, φιλελκομένους, benè jam de negotio perſuaſos. cum tamen Chriſtus ſua miracula, non ſuper converſos Apoſtolos: nec ſua Apoſtoli, ſuper credentes, exercuerint: quocirca Paulus Timotheum κακοστόμαχον, non per miraculum ſanat, ſed remittit ad οἴνου χρῆσιν: ſed ſemper ad convertendos incredulos adhibuerint. Sed iſta ſunt περπερεύματα, χαιρέτω igitur: & de miraculis in præſenti, ἅλις.

54 Vinum ex aquâ quotidie fit. Nam in vite, vertitur aqua in Vinum. ſecundum qualitatem, & conditionem vitis. Sed hoc, quia obvium eſt, & oculis quotidie obverſatur, non eſt mirum. Illud magis mirum, Eſaiam διαῤῥήδην hoc ipſum prædixiſſe, ſed ſecundum 70 Interpretes. *Hoc primum bibe. velociter fac, regio Zabulon & terra Nepthali, &c.* magnam habere ῥοπὴν debet Interpretatio 70. & in iis quæ ad Chriſti condeſcenſionem ſpectant, majorem apud me habebit, quam Hebraïca, quam tantopere quidam ampullantur, veritas, ut appellant. erat autem (& falluntur contra ſentientes, viri eruditi) *Cana* in Tribu Zabulon ſita, cujus in hoc vaticinio meminit Eſaias.

55 *Dies verſæ aquæ in Vinum.* De Tempore converſæ in Vinum aquæ, Epiphanius Hæreſ. Lib. id factum ſcribit 11 menſis Tybi: quæ eſt apud nos, ſexta dies Januarii. Nimirum, qua Jeſus ante annum elapſum baptizabatur per Johannem; & ante 31 annos adorabatur à Magis. Hæc enim tria huic hujus Feſti ſollennitati, cum veteribus Eccleſiæ proceribus addicit Eccleſia Anglicana. Epiphanii locus ita ſe habet. *Sub idem ferè poſtea tempus, trigeſimo anno vertente, primum in Canâ Galileæ miraculum edidit, tum cum ex aquâ Vinum factum eſt. In cujus rei fidem, hodieque pluribus in locis, idem quod olim factum fuit, prodigium inſtauratur. Idque ipſum, fontes fluviique teſtantur, in Vinum converſi. Cujuſmodi ad Cyburam Cariæ oppidum, fons eſt: qui eadem illa hora, quâ Miniſtri aquam hauſerunt, ac Salvator dixit, Deferte Architriclino, in Vinum vertebatur. Idem & in Geraſeno Arabiæ fonte contigit. Nos, ex Cubyræ illo fonte bibimus: fratres noſtri ex Geraſeno, qui in Martyrio eſt. Plerique verò idem & de Nilo Ægypti fluvio teſtantur. Quæ cauſa eſt, cur Tybi* 11 (hoc eſt, *6* Januarii) *omnem in Ægypto aquam hauriant, ac reſervent, idque multis aliis in locis fieri ſolet.* De hoc Epiphanii teſtimonio, in Exercitationibus Caſaubonus ait. *Obſervatio Epiphanii, ſuper Vinoſis fontibus eſt prorſus admirabilis. Non enim dubitamus, ſanctiſſimum virum ea in literas retuliſſe, quæ ſibi certâ fide erant comperta.* & certè illa fide comperta erant. affirmat enim ſeipſum deguſtaſſe. Nec eſt cur in iſtis ſugillet Talio, Exercitationes. Modeſtiſſimè, ut oportuit, de Cyprio illo Patre loquebatur: *Viri Sanctiſſimi*, elogio eum honeſtavit. Et licet rem miraculoſam referret, & ſtupendam planè, conjunctiſſimè cum veritate retuliſſe putat. Cum tamen ſi rejeciſſet narrationem, vel Cardinalis ſe exemplo tueri poſſet: qui multoties Epiphanium, deſerit, refellit, relinquit.

Et

Et tamen non eſt undiquaque ita amuſſitata Baronii narratio, 56
ut planè *recta* dici mereatur. Saltem, Cardinalem illam incurvare certum eſt. Nam cum 11 diem menſis Tybi, juxta rationes computi Ægyptiaci affirmet eſſe 5 diem Januarii, juxta morem & rationes Romanorum, quo die credebant Ægyptiacæ Eccleſiæ Chriſtum fuiſſe natum, & poſt annos 30 ætatis completos, aquam in Vinum commutaſſe, diem unum anticipando: cum Eccleſia Catholica, non 5, ſed 6 diem illi rei aſſignaverit. Verba Epiphanii ſunt, γεννηθεὶς γὰρ αὐτὸς περὶ τὸν ἑνδέκατον μῆνα ... ἕκτῳ εἰδῶν Ἰανουαρίων, ἤτι κατὰ Ῥωμαίους πέμπτῃ Ἰανουαρίου μηνὸς, κατ' Αἰγυπτίους Τύβι ἑνδεκάτῃ. Hic erat opus ſcutica Taliatoris, præcipuè quod commemoret ipſe in ſequentibus, è Plinio, Fontem Vinoſum in Andro Inſula, ad Nonas Januarias ſcaturire, quod eſt, Die *quinto*, & non *ſexto*. Quo quinto die, neque Chriſtus in Jordane *baptizabatur*: neque *Nuptiæ* celebratæ apud Canam. Rectius hic operam luſiſſet Taliator, quam ut per paginas plures fortè octodecim nugis quibuſdam Grammaticalibus, & titivillitiis incubuiſſet. Sed erat in propoſito, quicquid alicubi legerat apud ullum authorem de Vinoſis Fontibus, id 8
de Commentariis nobis communicare; & allinere ad Exercitationes.

Orditur autem, *Nam alium in finem Eudoxus & Theopompus apud* 57
Plinium Fontium meminerunt, quàm, quod Vini modo inebriarent, ubi cum iiſdem verbis, quibus ipſe, Caſaubonus utatur, tamen neſcio cur carpitur in Talione. Sed illud melius habet, utrum Eudoxus & Theopompus capiendi ſint, de illiſce Fontibus, qui apud Plinium, Lib. 31. cap. 2. commemorantur. *In Cea Inſulâ, Fontem eſſe aiunt*, inquit Plinius, *quo hebetes fiunt. Zamæ in Africâ, quo canoræ voces. Vinum tædio venire his, qui de Clitorio de Lacu biberint. At Eudoxus, & Theopompus, inebriari Fontibus iis, quos diximus*. Ubi autem? Quando dixiſti, Caie Plini? Alio ſub Cœlo poſitos Fontes, à nobis requirendos ait Talio. Sed quo ſub Cœlo, in quo Solo, Fontes ſubſilientes illos? In agro Caleno, ſcilicet, ſub axe Thracico, Solo Paphlagonico. *De Vinoſis Fontibus diſſertatio.*
Verum iſtarum ſcaturiginum ubi ſic meminit Plinius? Nimirum Lib. 2. cap. 103. cujus ibidem hæc ſunt, *Lynceſtis aquâ quæ vocatur Acidula, Vini modo, facit temulentos. Item in Paphlagoniâ in agro Caleno:* Verùm tacet ibi prorſus de Eudoxo & Theopompo. Verum, altero Plinii loco commemorantur. Ita uno in loco Authores, altero autem Fontes. Eſt certè prodigioſum hoc hyperbaton, per multos non linearum ductus, ſed immenſa terrarum ſpatia, circumductum, & Lib. 29. vix tandem expeditum. Exemplum apud Criticos deſideramus, ut cum ſcriptum ſit à Plinio, cap. 1. Lib. 31. *Eudoxus & Theopompus inebriari dicunt fontibus iis quos diximus*, illud dictum referatur, ad cap. 103. Lib. 2. cum interea de multis Fontibus & aquarum ſcaturiginibus injeciſſet mentionem. At ecce exemplum, Lib. 31.

cap.

cap.30. ait Plinius, *In Arcadiâ ad Phaneum, aqua profluit è Saxis, Styx appellata; quæ illico necat, ut diximus.* Diximus,autem,ubi? Nimirum cap.103. Lib.2. quo in loco leguntur, *Iuxta Nonacrin Styx, nec odore differens, nec colore, necat illico epota.* Ita videtur Talioni res confecta. At enimvero, non ita eſt. Nam de Styge, nominatim dixerat utrobique. non ita de *Vinoſis Fontibus*, Non de authoribus, utrobique. Alios effectus, Fontibus illis adſcripſerat prius, quos ſcribebant Eudoxus & Theopompus inebriare. Ideò antitheticè ait, *at Eudoxus ſcribit, cum Theopompo.* Quærendi ſunt ergo Fontes alii, & ſolo quærendi viciniore; licet cœlo forſitan, craſſiore. Nimirum, in Bœotiâ, ad Trophonium; de quibus, non ante complures libros, ſed paucas lineas, dicebat Plinius; *In Bœotia*, inquiens, *ad Trophonium Deum, juxta flumen Orchomenon, duo ſunt Fontes, quorum alter Memoriam, alter fert Oblivionem.* Aſt Eudoxus & Theopompus inebriari iis Fontibus quos diximus. nec hæc recedunt multum à commemoratis effectibus, nam Vinum memoriam acuit atque etiam obruit. atque ita nullus error eſt, Exercitatoris.

58 Alium volunt errare errorem, è pravo Baronii ſenſu & perverſo ſumptum. Nam cum Baronius ſpeciatim de dictis Fontibus pronunciarat, ſe nullius authoris meminiſſe potuiſſe, qui ante Jeſum Chriſtum Incarnatum eorum Fontium fecerat aliquam mentionem, Caſaubonus accepit ἀπολύτως dictum, quaſi de nullis omnino legerat Vinoſis Fontibus. Quod ſi eo ſenſu loqueretur, parum candidè egiſſet cum Annalibus. Nam meminerat Cardinalis Cteſiæ Cnidii, qui in rebus, quas ſcripſit, Indicis Fontium ejuſmodi mentionem fecerat. Nec refert, quod de fabuloſis narrationibus malè audiat Cteſias. Et tamen in hac ipſa re præeuntem ſequutus eſt Cardinalem Caſaubonus. Nam vir Illuſtris, poſtquam ad Sect.32, anni Servatoris 31, Fontes illos recitaverat ex Epiphanio. & Sect.33, addiderat illum apud Andrios, è Plinio: alium è Cteſiâ apud Naxum: tertium in Lymeſte apud Tertullianum; ſubjungit, *Cæterum de dictis Fontibus, diverſis locis poſitis, Vinum ſcaturientibus, nullum antiquiorum qui ante Chriſtum vixerant auctorum mentionem feciſſe memini me legiſſe.* An Cteſiam, quem citat Cardinalis, putabat poſt Chriſtum vixiſſe, qui temporibus Alexandri & Macedonicis antiquior erat. Et tamen non aliter habetur, apud Caſaubonum.

59 Pergit Cardinalis. Enimvero & Plinius, ſimilis rei, alibi quoque fieri ſolitæ egregius videtur aſſertor, licet unius tantum diei ſpatio diſcrepet, dum ſic ait, *In Inſula Andro, Templo Liberi Patris, Fontem Nonis Ianuarii, Vini ſapore fluere; Mutianus, ter Conſul, tradit. Diotecnoſia vocatur.* De quo Fonte, dubitat Caſaubonus, an confirmet Baronii opinionem, eo quod, & per alios quoque dies, dicatur, non tantum Nonis Januarii, fluere. Imo ſtatis ſeptem diebus, referente eodem Plinio, ad cap.2.

Lib.

Lib. 31. Nec illud, poſt Chriſti συγκαλέσειν, ut in memoriam miraculi Cananaïci, ſed ab antiquo tempore, cum in honorem Liberi Patris ſollennitas ibi eſſet inſtituta, quæ Diotecnoſia dicebatur. Cui Libero Patri, multas per Græciam civitates, pluſculos dies ſacros agitaſſe dicunt, per illum, quem vocabant, Lenæum, menſem. Sed profectò, in Fonte illo Andrio, videre mihi videor, ut rem narrat Plinius, Diaboli præſtigias potius, & deprehendere, credulis hominibus, & miſeris Idololatris illudentis, potius quam Divinæ virtutis Teſtimonium. Liberi Patris orgiorum, Sacrilegiis refertorum, non Chriſti Θεανθρώπε, miraculis coruſcantis repetitam memoriam. ſed, ut præſtigias Apollonii Tyanei invexit ὁ κακοδαίμων, ut Chriſti miraculis fucum faceret, ita & Vinoſum Andri Fontem infeciſſe putandus eſt, ut miraculi aquæ in Vinum converſæ, dignitatem imminueret. Nam ſi transferebatur illa aqua Vinoſa, de Fonte ſuo hauſta, è conſpectu templi, ſapor ille Vinoſus, in aqueum denuo transmutabatur. Secundò, videtur res minimè antiqua, atque ideò præſtigioſa: Cum non laudet antiquiorem authorem, ille πολυπραγμονέστατος admirabilis Plinius, quam Marianum, Veſpaſiano coætaneum. Tertiò, incipiebat fluere ipſis Nonis, hoc eſt pridiè miraculi Cananaïci, quod poſtridiè Nonarum, ſexto nimirum Januarii, edebatur. Et non illo tantum die, ſed ſtatis diebus ſeptem fluebat, cum apud Epiphanium commemorati Fontes & flumina, nec diem anteverterent, nec excederent illum. ſed illo ſolo, *Vinum*: pridiè ejus & poſtridiè, *aquam* redderent. Quocirca, de Niloticis aquis dixit Epiphanius, ἐν τῇ ἑνδεκάτῃ Τυβὶ κατ' Αἰγυπτίους, πάντες ὑδρεύονται ὕδωρ, καὶ ἀποτιθέασιν.

Concludo rem non magni momenti, de Fonte Andrio. Non ſolus illius meminit C. Plinius, ſed & Pauſanias, illo poſterior, in Eliacis poſterioribus ad finem. λέγουσι καὶ Ἄνδριοι παρ' ἔτος σφίσιν, εἰς τῆ Διονυσίε τὴν ἑορτὴν ῥεῖν οἶνον αὐτόματον ἐκ τῆ ἱερῦ. Erat ergo in Templo ille Fons. Per Bacchi Feſtum fluebat. Feſtum illum Dios tecnoſia vocabant: qua de voce garriunt πολλοὶ Critici: nos pauliſper cum iis inſaniemus. ſpretis ergo cæteris emendationibus, per luſum aut ſeriò, parum refert allatis, ita ſentio legendum Σὶν τεκνώσια. Dei nimirum genitura. Σιὸς, Θεὸς eſt Æolica Dialecto, qua utebantur Andrii. vox generalis, pro quovis Numine. Specialius, pro Libero, aut Dionyſo uſurpata. Ita Deus, per quandam appropriationem Sol vocabatur: unde apud Cenſorinum, *Annus Dei*, hoc eſt, Solaris. rectè. nam cum Θεὸς à videndo dici dicatur: & Sol Deus ſit πανδερκέστατος, quomodo λαμπρὸν ἐν μύθοισι, vocabat Callimachus: æquum eſt, ut Sol ſit Deus. Sed quid hoc ad Bacchum? ediſſero. Τῶν μὲν Ἑλλήνων παλαιῶν μυθολόγων τινὲς τὸν Ὄσιριν Διόνυσον ἐπονομάζουσι. Diodorus in α. Oſiris autem, in antiqua Theologia Paganorum Sol eſt, uti Iſis, ſoror & uxor, illa Endymionis amaſia, Luna. Ita quo devenimus liquet; ad Phœbum & Bacchum: idem Numen. ut Sol & Liber Pater, ſint Dios tecnoſia.

ſint ἀντιτίφονλες. unde ſcriptum memoratur ab Eumolpo in Bacchicis olim carminibus,

Ἀστροφαῆ Διόνυσον ἐν ἀχλινέοσι πύρωτον,

Et ab Orpheo,

Τέκνά νιν καλέουσι φάνητά τε καὶ Διόνυσον.

61 Narratio ſequens apud Euangeliſtam, ordinis diſpoſiti, exactiſſimum repræſentat charactera. Pronuntiat enim diſertis verbis Apoſtolus ita ut de eâ re nulla queat eſſe dubitatio. Μετὰ ταῦτα: poſt patratum hoc miraculum, ſtatim, Jeſum abiiſſe indicat, cum Matre, Fratribus, & Diſcipulis ſuis, Capernaum: ubi fortaſſis domicilium fixerat Joſephus, μετοικισθεὶς, è Galilææ Nazaretha. Fuit autem Capernaum, oppidum Maritimum, ad Mare Tiberiadis ſitum: celeberrimum Paleſtinæ, per illa tempora, emporium, & totius Galileæ Metropolis: quo in oppido frequenter prædicabat, & multa miracula edebat, ſine magno aliquo, ut videtur, fructu. unde illa, in hanc urbem terribilis denunciatio; *Et tu, Capernaum, deprimèris ad infernum.* Deſcendit autem eò, quia ἐν ὁμαλῷ ſita fuit, ad Mare Tiberiadis, de ſuperiore Galilææ & Montana Regione: qualis erat illa circa Canam & Nazaretham. Et ideò deſcendit, ut Matrem relinqueret, apud affines & familiares: nec enim par aut πρέπον erat, ut illam ſecum circumduceret Jeſus per Galilæam, Samariam, Judæam, qui habebat in animo, aſcendere Hieroſolymam ad Feſtum Paſcha proximum, ut illo loco, Gentis Metropoli, initia Miniſterii ſui impertiret, quod, poſt captivitatem Johannis Baptiſtæ mox ſubſecuturam, erat exorſurus, cui viam, innoteſcendo paullatim, per miraculum Canæ, vocationem Diſcipulorum, prædicationem publicam, & authenticam Templi purgationem volebat convenienter præſtruere. Capernaumi autem non manſit pluſculos dies. Propè enim erat Paſcha Judæorum. quò, cum vellet aſcendere & ſe notum facere, æquum erat, ut tanquam Doctor, Diſcipulis ſtipatus veniret. Iccirco vocandi prius erant, ut eum ſequerentur. Et eſt illorum, Matthæo imprimis, narrata vocatio, proxima in Hiſtoriâ Euangelicâ. falſum eſt enim, quod comminiſcitur Chemnitius εἱρμὸν ἀκολουθίας in Euangelio, illum eſſe, inter Hiſtorias à Beato Johanne commemoratas, nihil prorſus aliunde ex reliquis Euangeliſtis, poſſe interſeri, vel debere.

Capernaum abiit Ieſus.

62 Egreſſus ergo Capernaum, deſcendit ad Mare, *& ambulans juxta Mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in Mare (erant enim Piſcatores) & ait illis, Venite poſt me, & faciam vos fieri Piſcatores hominum. Ac illi continuò relictis retibus, ſecuti ſunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres: Iacobum Zebedæi, & Iohannem fratrem ejus, in navi, cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua, &*

Vocatio Diſcipulorum.

Digitized by Google

& vocavit illos. Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt illum. Quod idem, iiſdem penè verbis, Mar. 1. relatum legitur. Nam de Lucæ narratione, Luc. 5. quam παράλληλον ſtatuunt, mihi videtur ampliandum eſſe: ac ad aliud tempus, occaſionem aliam, ſpectare illam: quod & ipſe Barradius, de animi ſui ſententiâ, rectè contra Janſenium tuetur, & Binſonium. Certè, quod eruditè ut omnia, obſervat Thomas, Triplex erat, Diſcipulorum vocatio. *Triplex.* *Prima*, ad agnitionem, & familiaritatem, Joh. 1. *Secunda*, ad Diſcipulatum, Luc. 5. *Tertia*, ad adhæſionem, Math. 4. & Mar. 1. Itaque ex illius ſententia, prior eſt illa Hiſtoria, Luc. 5. commemorata, quam quæ habetur, Mar. 1. Math. 4. Et certè diverſas eſſe Hiſtorias, atque ideò diſcrepantes narrationes, rectè deducit Auguſtinus, de conſenſu Evangeliſt. Lib. 2. 17. Nam apud Lucam dicitur, deſcendiſſe de navicula Piſcatores, & retibus intentos abluendis, apud Mar. & Math. in navicula erant, retia in Mare dimittentes: apud Lucam, in navem Petri conſcendit Chriſtus, quo commodiùs multitudinem confluentem, & quietius in litore doceret. & finitâ concione, ait Petro, Duc in altum, & laxate rete veſtrum in capturam. hoc facto, de mandato Chriſti, tam immenſa Piſcium multitudo includebatur, ut retia ſcinderentur. quod eos; ideò magis obſtupefaciebat, quia, quod aiunt, totâ nocte laborantes, opportuniſſimo tempore, nihil ceperant. Petrus igitur, viſo attonitus, ad Jeſum ait, *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Et ſubductis ad terram naviculis, ἀκόλουθοι, illum ſequebantur. Laborioſè hoc in loco argutatur Auguſtinus: nec eſt opus. Licet enim, vocantem ſequebantur prius Chriſtum, tamen ſubinde, ut deinceps etiam facere ſolebant, ad retia & mare, pro alendis familiis revertebantur. Diverſas igitur ſtatuo Narrationes, Hiſtorias, Vocationes. utramque ante aſcenſionem Hieroſolymitanam, quò Paſchate appropinquante, iter inſtituebat.

Prope erat Paſcha Judæorum, Joh. 2. & aſcendit Jeſus Hieroſolymam, & invenit in Templo vendentes Oves, & Boves, & Nummularios ſedentes: Et cum feciſſet, quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo: Oves quoque & Boves: & Nummulariorum effudit æs. & menſas ſubvertit. Et iis qui columbas vendebant, dixit, *Auferte iſta hinc, & nolite facere Domum Patris mei, Domum Negotiationis.* Imprimis à vero, quoad Tempus & ſeriem iſtius Hiſtoriæ, aberrat Chryſoſtomus, & qui eum ſequuntur, Græci: Theophylactus, &c. Nam hoc anno primo & principio ejuſdem anni, ſtatim nimirum, à baptiſmo contigiſſe volunt. Πρὸ ὀλίγων ἀρ. ἡμερῶν τῦ Πάσχα, ἐβαπτίζετο. ἀνελθὼν δὲ εἰς Ἱεροσόλυμα, τί ποιεῖ; πρᾶγμα πολλῆς αὐθεντίας γέμον. *Quocirca paucis ante Paſcha diebus, baptizabatur. Digrediens autem eo Hieroſolymas, quid agit? rem certè quæ plurimam & abſolutam ejus poteſtatem docebat.* 63 *Templum purgat Salvator.*

Sed hæc, ab omnibus ſententia exploſa eſt. *Hoc eſt ſecundum Paſcha, poſt Baptiſmum Chriſti*, Barradius rectè ait. Nam baptizatus eſt, ſextâ die Januarii, ut Eccleſiæ ſententia habet. Menſe 64 *Tempus ejus rei geſtæ.*

 Niſan

Niſan ſequenti, primum Paſcha egit. cujus (hoc eſt rerum in illo geſtarum) non meminit Johannes, aut Euangeliſta alius. Altero anno, ſexta item Januarii luce, ad Nuptias Canæ venit, & menſe Niſan, hoc ſecundum poſt Baptiſma, Paſcha celebravit. Poſtquam aſcendit Hieroſolymam, ***venit in Domum ſuam***, juxta Aggæi vaticinium, ***Dominator***, inſpecturus ſcilicet, quam rectè, aut perperam, ſacratiſſimus ille locus, tractaretur. à ſe, ſuis, ſuo Sanctuario Dominus auſpicabatur. hoc volebat B. Petrus, 1. 4. ***Tempus eſt ut judicium incipiat à Domo Dei.*** reperit autem omnia mirum in modum perturbata. Locum ſanctum horribili ſacrilegio nequiſſimè pollutum & prophanatum. Nam *Oves* & *Boves*, & *pecora campi*, intra ſacra illa ſepta, tanquam in *foro* aliquo *Boano*, lanii & opiliones, ſtabulatas vendebant & emebant, Collybiſtæ & excambiatores menſas ſuas nummularias, ibi publicè propoſitas habebant: & pullos columbarum vendentes ſuas caveas. Quam indigniſſimam loci ſacri prophanationem intuitus Chriſtus, zelo inflammatus, alioqui mitiſſimus, iracundiæ juſtiſſimè effectus, μετ' αὐθεντίας declarat. Quod non alibi feciſſe eum docent, aut inſinuant Euangeliſtæ. τοιαύτῃ προσδέσει οὐ κέχρηται, Chryſoſtomus obſervat, κατ' αὐτῶν, καίτοι λοιδορούμενος, ὑβριζόμενος, καὶ Σαμαρείτης, καὶ δαιμονῶν, κληθεὶς παρ' αὐτῶν. Nam in illis, quaſi in propriis & privatis injuriis, tacebat: Hoc in loco, Dei contumeliam publicè ulciſcitur. Ita enim Chriſtianum oportet eſſe animatum, ut qui paratus ſit ſuas ipſius condonare injurias, zelo Domus Dei, hoc eſt Divini cultus, inflammatus, accendatur, & vindictam ſumat. hoc enim & Phinehaco ceſſit in commendationem.

65 Sed cum Templum Domini, apud Judæos, tanto ſemper in honore haberetur, unde facta fuit hæc profanatio, ut tanquam Augiæ quoddam ſtabulum, bobus & cæteris animalibus contaminatum, velut ſterquilinium, aut fimicetum, conculcarent. Imprimis autem ſciendum eſt Templi vocabulo denotari, non tantum ædificium illud ſplendidiſſimum, Divinis Miniſteriis deſtinatum, ſed quicquid ἱερᾶς ὀργάδος, intra ſacra ſepta continebatur. hoc eſt, ut noſtro more loquamur, *The Cloſe, the Church-yard*, &c. cogitari non debet, Oves, Boves, Columbas, Collybiſtas, in Sanctuario. intra ſecundum velum. in atrio Sacerdotum. atrio mundorum. atrio Gentium: aut Porticu Salomonis: ſed in locis extimis, ſeptis forinſecis, Templi pomeriis, conſtitiſſe. Deinde, ſtatuendum eſt, non fuiſſe hunc mercatum, vel quotidiè, vel ſeptimanatim, inſtitutum, ſed per Paſchalem ſollennitatem. nam non adducebantur eo animalia, per pecuarios, ut apud nos in locum vocatum ***Smithfield***, quæ lanii eo commeantes, compararent in uſum ſuum, ſed in uſus ſacros mactanda, repræſentabatur. Hoc rectiſſimè ita explicat Chemnitius. Deuteron. 14. 24. Moyſes de decimis, primogenitis, & ſpontaneis oblationibus, ſtatuit, in hunc modum: ***Si remotior fuerit locus quem elegerit Dominus Deus tuus, nec potueris ad eum hæc omnia portare, vendes omnia*** &

Quo loco Templi vendebantur boves, &c.

& in pretium rediges, portabiſque manu tuâ ad locum quem elegerit Dominus: & emes, ex illa pecunia quicquid tibi placuerit, ſive ex armentis, ſive ex ovibus. Vinum quoque & ſiceram, & omne quod deſiderat anima tua, & comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis, Tu, & Domus tua.

Hoc Dei ſcita Iſraëlitas obligabat, undecunque ad Templum, & Feſtum commeantes. Cum igitur Judæi, totam terram Canaan incolentes, remotiores Hieroſolymis habitarent: & præterea, cum ex iis multi, inter exteras Gentes, per totum terrarum orbem diſperſi, frequenter, ad Feſtum illud accederent, ne eſſent imparati, aut deſtituti à Sacrificiis: ne opus haberent diſcurrere & ſollicitè inquirere animalia ad Sacrificia idonea: invaluerat conſuetudo, ut facile parabilia, quippe in Pomeriis Templi conſtituta, pretio numerato redimerentur. Et quia è re Sacerdotum erat; & ad rationem ſpectabat Sacrificii, nequid vitioſum Deo offerretur, ſed ut judicio Sacerdotum comprobata, fiebat, ut ad manum, in vicino, repræſentarentur; vituli, vaccæ, boves, hirci, hœdi, oves, aries, agnus, columbæ, munda & ſacris addicta animalia. Porrò etiam, cum è diverſis locis confluerent, in quibus varia, & diverſa moneta obtinebat, per nummularios, & excambiatores, huic difficultati ſuccurrebatur. Vocat autem κερματιστὰς, & κολλυβιστῶν κέρμα, quaſi lucellum quod è permutatione redigebant, exiguum eſſet. id enim ſignificat vox κέρμα, unde apud Heſychium, κέρματα ſunt χρήματα, & θραύσματα. Quod idem & κολλυβιστὰ notant. eſt enim κόλλυβος, non tantum εἶδος νομίσματος, quemadmodum reddit Heſychius, ſed εἶδος εὐτελοῦς νομίσματος, ut rectè docet Scholiaſtes Ariſtophanis ad Irenem. Auguſtin. Tract. 10. in Johan. *Et quæ ibi vendebant illi? Quæ opus habebant homines in Sacrificiis illius temporis. Novit enim Charitas veſtra, quod Sacrificia illi populo, pro ejus carnalitate, & corde adhuc lapideo talia data ſunt; quibus teneretur, ne in Idola difflueret. Et immolabant ibi Sacrificia; boves, oves, & columbas.* Non ergo magnum videtur peccatum, ſi hoc vendebant in Templo, quod emebatur; ut offerretur in Templo: & tamen ejecit inde illos. 66

Hieronymus ad caput Matth. 21. ubi ſecunda vice, ſed circumſtantiis aliis quibuſdam veſtitum, Chriſti Domini hoc idem ἀνδραγάθημα commemoratur, ita ſcribit, ut partim conſentanea, diſſentanea partim, ab Auguſtino ſtatuat. *Hoc primum ſciendum, quod juxta mandata Legis, in Auguſtiſſimo, & toto orbe celeberrimo Templo Domini: & de cunctis penè Regionibus Iudæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hoſtiæ: maximè Feſtis diebus; taurorum, arietum, hircorum; pauperibus, ne abſque Sacrificio eſſent, pullos columbarum, & turtures offerentibus. Accedebat plerunque; ut qui de longè venerant, non haberent victimas. Excogitaverunt igitur Sacerdotes, quomodo prædam de populo facerent: & omnia animalia, quibus opus erat ad Sacrificia, vendebant: ut & venderent non* 67 *Hieronymi ſententia.*

habentibus, & ipſi rurſus empta ſuſciperent. Hanc Stropham eorum, crebra venientium inopia diſſipabat. qui indigebant ſumptibus, & non ſolum hoſtias non habebant, ſed nec undè emerent quidem aves, & vilia munuſcula. Poſuerunt itaque & nummularios, qui mutuam ſub cautione darent pecuniam. Sed quia erat Lege Præceptum, ut nemo uſuras acciperet, & prodeſſe pecunia non poterat fœnerata, quæ commodi nihil haberet, & ſortem interdum perderet, excogitaverunt, & aliam technam, ut pro nummulariis collubiſtas facerent. cujus verbi proprietatem, Latina Lingua non exprimit. Collyba dicuntur apud eos, quæ nos appellamus Tragemata, vel vilia munuſcula. verbi gratia, frixi ciceris, uvarumque paſſarum, & poma diverſi generis. Igitur, quia uſuras accipere non poterant Collybiſtæ, qui pecuniam fœnerati erant, pro uſuris accipiebant varias ſpecies: ut quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent quæ nummis coëmuntur.

68 Sed nimis in Sacerdotes iniquus Hieronymus: non enim illi, aut ipſorum miniſtri, animalia vendebant, ſed eorum Domini, pecuarii. Et nimis argutatur in Collybiſtis. nam κόλλαβοι, panes ſunt, & frixi ciceris. κόλλυβοι. ſpecies nomiſmatis. ita enim diſtinguit Ariſtophanes Irena, pag. 479. Quocirca Origines Mercatores nobis, & non Sacerdotes, commemorat, in illum locum Johannis, ubi omnia, ſuo more, interpretatur allegoricè. Quod ipſum in ſequentibus faciunt Ambroſius & Hieronymus. Nam *Allegorica.* cum Cathedras vendentium columbas, referat vetus Interpres, illi, abſurdum exiſtimantes Cathedris donare, homines campſores, aut cauponas, quæ propriè ſpectabant ad Legis Doctores atque Scribas, ad myſticum neſcio quem ſenſum confugiunt, & venditores columbarum. Epiſcopos eſſe volunt χρηματολαίλατας & Simoniacos, qui Spiritus Sancti dona pecuniis vendunt, qui in ſpecie columbæ apparebat. Argutè, nec inficior, & quod tolerari poſſit, ſi ſtabilito prius literali ſenſu, eò velint deſcendere applicationis. Sed imprimis, apud Johannem, in primo Jeſu Chriſti ἀνδραγαθήματι, non habetur mentio *Cathedrarum.* Sed nec caveæ, aut loculi quibus includebantur aviculæ, everſi dicuntur. mitius compellat, ἐρχόμενος τῆς διακονίας, quam deinceps ληϊζόμενος, ubi & *Latronum ſpeluncam*, appellat; & *evertit menſas*, cum prius tantum diceret, ἄρατε ταῦτα. ſunt autem Cathedræ, non tantum Epiſcoporum βήματα, Sacerdotum βαθμοὶ, ſed quieſcentium ἀναπαύλαι: & cujuſcunque rei receptaculum.

69 *Flagellum è funiculis.* Vendentes ergo cum ſuis mercibus ejecit. neque enim aliter profanatio ceſſaret ſancti loci, ſi quid Sacrilegum, maculatum, profanum illi adhæſiſſet. Quod exemplum ut ſingulare fuit, ita modus, quo utebatur, particularis. Nam cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit è Templo. Hic ſuaviter nonnulli olim teſte Lyrano, deſipiebant, qui Chriſtum tanquam è Franciſci familia Cordalirium, duplici funiculo ſuccinctum fabulabantur: quorum uno præcingebatur, altero Mercatores flagellabat. Sed rectè Barradius, Repudianda hæc opinio eſt, quoniam

Digitized by Google

quoniam Chriſtus vulgari utebatur & cingulo, & veſtitu. Quod eo credibilius dicitur, quoniam Zonæ pelliceæ meminit Euangeliſta, qua præcingebatur Johannes: qui proculdubio & Chriſti meminiſſe voluit, ſi cinctura peculiari fuiſſet uſus. probabilius eſt, funiculis illum, ὡς ἔτυχε, jacentibus & ad manum extantibus, uſum. compoſito igitur è funiculis flagello, abegit ſumma cum poteſtate Mercatores & Nummularios.

Hic verò quæritur unde factum, ut tam patienter tulerint ejectionem, tam obedienter ſummoverint profanationem, cum tamen res multorum & facultates in eo verterentur. Utcunque enim fremerent, & indignarentur, nemo tamen obloquitur, reſiſtit nemo: nemo auſus eſt ſe opponere ei, ſed juſſi merces ſuas efferre, mox parent. Cui dubio variè reſpondetur, Sunt qui opinantur igneum ac ſidereum quid aſpectu, de facie, oculis, vultu Jeſu tunc emicuiſſe: Sacerdotes autem ac Mercatores, hoc conſpecto, adeò conterritos, ut ne hiſcere quidem auderent contra. Et certè non eſt iſtud improbabile, cum & Moyſis faciem reſplenduiſſe, à colloquio Dei, & Stephani dicatur coruſcaſſe, tanquam faciem Angeli, videntibus id cunctis in Concilio, Act. 6. Alii arbitrantur illum editis aliquot miraculis, ut Canæ in Galilæa, & fortaſſis alibi, adeò innotuiſſe, ut pro Propheta ſaltem agnoſceretur, & ex ſpeciali quâdam agitatione Divinâ, hoc percgiſſe; cui non audebant oggannire. huc etiam illa adferunt, & in rem repræſentant, quæ apud Jordanem, in ipſius baptiſmo, coram totâ multitudine contigerant. Certè divinitus id Deo operante gerebatur, cujus voluntati reſiſti nequeat: & quicquid demum in cauſſa fuit, Divinæ poteſtati id totum & omnino fuit aſcribendum. Quocirca Hieronymus in Matth. 21. Hoc Chriſti ἀνδραγάθημα, ſed ſecundò geſtum, maximum non veretur dicere *miraculorum. Plerique arbitrantur*, illius verba refero, *maximum eſſe ſignorum, quod Lazarus ſuſcitatus eſt, quod cæcus ex utero lumen accepit: quod ad Iordanem vox audita ſit Patris: quod in Monte transfiguratus gloriam oſtendit triumphantis. Mihi inter omnia ſigna quæ fecit, hoc videtur mirabilius eſſe, quod unus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut poſteà crucifigeretur, Scribis & Phariſæis contra ſe ſævientibus & videntibus lucra deſtrui ſua, potuerit ad unius flagelli verbera, tantam ejicere multitudinem, menſaſque ſubvertere, & Cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus.* Rationem adjungit, jam prius allegatam, *Igneum enim quiddam, ac ſidereum radiabat ex oculis ejus, & Divinitatis maieſtas lucebat in facie.* Atque hactenus præclarè Hieronymus, juxta ſenſum hiſtoricum: myſticum quem apponit, non attingimus.

Cur non reſtiterunt Chriſto. 70

71 Dupliciter in diverſis operatur hoc factum. Diſcipulis faventibus, & admirantibus, ringentibus Phariſæis, & Sacerdotibus. Diſcipulis, uti fuit, res mira videbatur, quod tali ſe modo gerebat Chriſtus; & recordati ſunt, ſive Tunc, ſive Poſtea, cum plenius

plenius à Chriſto erudirentur: ſive etiam poſt Reſurrectionem, & effuſum Spiritum Sanctum: quod ſcriptum de eo legebatur, Pſal. 68. *Zelus tuæ domus comedit me.* Et certè non tum in re præſenti, ſed poſt acceptum Spiritum Sanctum, videntur recordati iſtius teſtimonii. Nam utcunque fortaſſis Pſalmos audiverant recitatos, tamen pauca erant, ſi tamen aliqua, quæ homines rudes & illiterati, atque ſemper in mundanis negotiis verſati, ἀποχειροβίωτοι, apud animum ſuum deponebant: pauciora, quæ ſtatim, & ſubito in rem præſentem accommodarent. Rectè igitur mihi Rupertus videtur opinatus, qui ad Johan. 2. ſcribit; *Diſcipulos, hujus verſiculi Davidici recordatos, non hoc tempore, ſed poſt Reſurrectionem, cum intellectum illis ad intelligendas Scripturas Chriſtus aperuit: Ex tunc recordati ſunt, hoc de Chriſto eſſe ſcriptum, ex quo aperuit illis ſenſum intelligendi Scripturas.* Phariſæis & Sacerdotibus videbatur etiam eſſe mira res & nova, quod privatus motu proprio, illud attentaret. Reſponderunt ergo Judæi, & dixerunt ei, *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* Reſpondit Jeſus, & dixit iis, *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Dixerunt autem Judæi, *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum hoc, & Tu in tribus diebus excitabis illud? Ille verò dicebat de Templo corporis ſui. Cum autem reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt Diſcipuli ejus quia hoc dicebat: & crediderunt Scripturæ, & Sermoni, quem dixit Ieſus.* Quæ poſtrema verba confirmant Ruperti commemoratam ſententiam, de Recordatione Diſcipulorum, dicti Davidici, *Zelus Domus tuæ comedit me*, referendam eſſe interpretationem, ad tempus *effuſi Spiritus Sancti*, & *aperti illorum Intellectus*, poſt Reſurrectionem. Tales autem prochroniſmi, ſive metachroniſmi ſint, frequentes ſunt apud Scriptores ſacros.

Quo effectu, fecit hoc Christus.

72 Quæſtionem hanc proponunt Judæi ἀπολύτως, & diſceptant cum Domino, de Poteſtate. ſed imprimis referendum ad Primores ipſorum, Scribas, Pontifices, Sacerdotes: ad quos, tanquam Synedraticos, pertinebat cognoſcere, de motis, vel innovatis in Religione & cultu Patrio. Sed quia eorum ductum ſequebatur multitudo, & in partes Sacerdotum pedibus ierant, generali vocabulo *Iudæos* appellat. Proponunt autem Judæi Quæſtionem iſtam, *Quod ſignum oſtendis nobis, quia iſta facis?* De vetuſtâ diſciplinâ & diſpenſatione Divinâ apud populum ſuum, hoc deſumptum poſtulatum. Nam Moyſes *in ſignis*, & *prodigiis* ſuam miſſionem & authoritatem ratam habuit. Meſſiam ſibi ſimilem futurum prædixit, Deuter. 19. 22. Prophetæ ſecutis temporibus, eodem tenore progreſſi ſunt, quod in multis conſtat, Elia præcipuè, & Eliſæo, θαυματυργήτοις, qui Principes, collapſum Dei cultum apud Iſraëlitas, vel inſtaurabant, vel volebant inſtaurare, Chriſtus miſſionem ſuam miraculis confirmavit. & Apoſtolos iiſdem chariſmaſin illuſtres, in mundum miſit. Certè ratum & fixum in Religione eſſe debet, nihil à quoquam privatâ

Quæſtio Iudæorum.

Miraculorum uſus.

vatâ authoritate movendum, ſine inſigni & evidenti, ut noſtri βαρβαρίζοντες loquuntur, *warranto*. Hoc itaque Judæi volunt: Nova ſunt, & inaudita, quæ Tu, homo privatus in re publicâ, in Templo, perpetras. ſi privatâ authoritate, motu proprio, id agis, inſignis eſt Temeritas & non ferenda. Sin autem Divinâ & Extraordinariâ fultus poteſtate id aggreſſus es, age, ſignum nobis oſtendas, ut credamus Tibi. Eſt hæc ſimpliciſſima iſtius Judaïcæ quæſtionis, intelligentia.

Cum verò, illos ſecundum veritatem locutos, & Divinam ſuperiorum temporum diſpenſationem ſciret, *aliquo modo* poſtulatis condeſcendit, & *ſolvite hoc Templum*, ait, *ac in tribus diebus ſuſcitabo illud*, *aliquo* autem *modo*, inquam. nam ænigmaticè reſpondet, & ſignum aliquando dandum, non autem Tunc in præſenti, quod expectabant illi, docet. Futurum enim, ut ipſum interficerent Judæi, & ut mortuus, ac ſepultus corpore, tertio die reſurgeret ad vitam: quod miraculum fuit ſtupendiſſimum. alludit autem ad quæſtionem de Templo: non planè ſatisfacit Interrogationi. Nam τοῖς ἔξωθεν, quales iſti erant, impiis & incredulis, quemadmodum habetur Matth. 13. 13. Omnia proponebantur in *parabolis*: ut videntes viderent & non intelligerent: quippe qui σκληροκάρδιοι, ad Dei invitantis benignitatem obduruerant. Neque enim Credituri fuerant, etiamſi hoc ipſis diſtinctiſſimè proloqueretur. Quocirca nec ſe, nec ſua, concredebat iis. Vocat autem, *corpus* ſuum, Templum, ἰδικῶς· quia, quod ad Hebræos Paulus fuſius perſequitur, Templum illud τυπικὸν erat, & umbra, corporis Chriſto adaptati: tum ψυχικῶς· propterea quòd Corpora noſtra *Templa* ſint & dicantur *Spiritus ſancti*: illius autem, totius Deitatis receptaculum, in quo ἀχειροποιήτῳ dicitur habitare corporaliter, cum de χειροποιήτῳ neget beatus Stephanus, Actor. 7. Secundò, quod ut Templa ritibus quibuſdam ſacratiſque ceremoniis, de uſu communi ſeparata, etiam apud Paganos, Numini, rebus ſacris addicebantur, & niſi per nequiſſimum violata Sacrilegium, in uſus iterum profanos, tranſire non poterant: ita & corpora noſtra, ſollenni *baptiſmatis* lavacro, & ſacris quibuſdam ceremoniis, Deo devota, non deberent, ad ſerviendum Diabolo transferri. Οὐκ οἴδατε, ait Apoſtolus, 1 Cor. 3. 16. ὅτι ναὸς Θεοῦ ἐστε; εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ φθείρει, φθερεῖ τοῦτον ὁ Θεός. ὁ γὰρ ναὸς τοῦ Θεοῦ ἅγιός ἐστιν. οἵτινές ὑμεῖς ἐστε. Illud autem, *Perdat eum Dominus*, non eſt καταρωμένου inquit Chryſoſtomus, ſed Prophetantis, fore ut certiſſimè illum perdat Deus. 73

Ad Chriſti reſponſum exceptionem interponunt Judæi, non intellectam, quaſi τι τῶν ἀδυνάτων jactabundus gloriaretur, de Templo per triduum excitando: cum non niſi 46 annis conſtrui & conſummari poterat, quo utebantur. Sed illud petiit, πρὸς τὸ ἐπιτήδειον referri debet. In eventu fortaſſis verum erat, non niſi 46 annis conſummatum, cum multo potuerit paucioribus. Herodes ſcilicet Templum auguſtiſſimum, & vix, ſi omnino, quod ſtructuram attinet, 74

Corpus, Templum

attinet, Salomoniaco cedens, tribus ferè annis abſolvit: imo ἐνιαυτῷ, καὶ μῆσιν, ς'. ait Joſephus, cum ſex annos & dimidium in parandâ materiâ conſumpſiſſet, nec prius vetus Templum demoliretur, quàm parata eſſent omnia. Multa hic turbant Interpretes: ſed imprimis Baronius, cui ludus ferè Joſepho eſt contradicere; *Omnes hic*, inquit, *Interpretes, de Templo quod ſub Zorobabele ædificatum fuit, intelligunt.* Rectè, omnino ſi ita, ſtatuêre, neque enim de alio Templo vera eſſe poſſunt, Quadraginta & ſex annis ædificatum. *Conſtat enim*, Baronius ait, *licet aliquo interpoſito ſpatio, tamen tot annorum numero, & paullò majori, ædificatum.* Certè conſtat Cyrum, anno primo Babylonici ſui regni, hoc eſt, τῆς ὅλης βασιλείας anno 21, publicato edicto, facultatem Judæis in Palæſtinam redeundi, conceſſiſſe. 2 Paral. ult. 22. Eſdræ. 1. Conſtat Judæos, non quidem omnes, multos tamen, ducibus Zorobabele, de Tribu Juda, Familiâ David: & Jeſu Pontifice Joſedeci filio reverſos: & ſtatim Altare extruxiſſe, & juge Sacrificium, Septembris 3. hoc eſt, primo die menſis Tiſri, obtuliſſe. Eſd. 1. 1. ante Chriſtum natum 536 annos. Conſtat etiam anno ſecundo poſt reditum, currente, paratâ materiâ, quantam poterant, reſtaurando Templo, admoviſſe manus: ſed adverſariorum calumniis opus impeditum, Eſdr. 4. Cyro etiam tum vivo ſed abſente, & furioſo illo Cambyſe, Locum Patris tenente. Pendebant opera interrupta, ad ſecundum annum Darii Hyſtaſpis, hoc eſt, totos fere 17 annos. repetita autem inſtauratio illo anno, Prophetantibus Aggæo & Zachariâ, & conſummata eſt, anno ſexto, tertio die Adar, hoc eſt, decimo Martii, & Paſcha celebratum, 18 Aprilis. Eſdr. 6. ita anni ſunt non plures quàm 24, à licentiâ conceſſâ per Cyrum, ad finem Templo impoſitum ſub Dario. Non ſine ratione igitur videtur Ribera dixiſſe, Commentar. in primo Zachariæ, *Fatemur quidem Iudæos in hac annorum ſupputatione aberraſſe à veritate.* Sed profectò aliud in hoc reſponſo latet, quàm quod Annales vel Interpretes ſomniarunt. Judæi ſuam ἐποχὴν, & calculationem à primo anno Cyri regnantis in Perſia, hoc eſt, τῆς ὅλης βασιλείας: non à primo anno Babylonici imperii. Qui tamen de Judæis nihil potuit ſtatuere, quà Rex Perſarum: tantum quà Dominus Babyloniorum. Sed nec ita συνόλως pertingit ſumma annorum ad 46: nec opus eſt: ſed περί τι, quemadmodum ſæpè & ſacri ſcriptores & profani loquuntur.

75 Sed ulterius labaſcit & aliter Judæorum aſſertio. Neque enim Templum in quo verſabantur: quod δεικτικῶς deſignatur, *Hoc Templum:* erat illud per Zorobabelem extructum: ſed Templum, ab Herode magnificentius inſtauratum. Nam Hiſtoriam, Joſepho fuſius referente habemus Antiquit. 15, 14, ad 18 regni ſui annum, poſt cætera conſummata opera, ἔργον, οὐ τὸ τυχὸν, ἐπεβάλλετο, τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ κατασκευάζεσθαι, ambitu capaciori, & altitudine majore: non tam pietatis & cultus Divini intuitu, ſed ad populum

Digitized by Google

populum faciendum, & famam acquirendam: ἡγέμων ἁπάντων αὐτῷ πεπραγμένων, ἐπισημότερον, ὥσπερ ἦν, ἐκτελεσθήσεσθαι, καὶ πρὸς αἰώνιον μνήμην ἀρκέσειν. Quocirca, convocatis Judæis, propoſitum exponit: & quia videbat haud conceſſuros, eo quod diffidentes, ne eſſet perficiendo, ait, ſe non prius vetus ædificium demoliturum, quam omnia ædificationi eſſent apparata. ut multò ſplendidius eſſet quàm Zorobabelis. nam Zorobabelis, jubentibus Perſis, ἑξήκοντα πηχέσι, Salomonis Templum non attingebat. unde ſunt illa, Aggæi. 2. 4. *Quis in vobis eſt relictus qui vidit domum iſtam in gloriâ ſuâ primâ, & quid vos videtis hanc Nunc? Nunquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris?* In ſtructurâ ſuâ, Herodes uſus erat carris mille. habuit ἐπιλέκτους ἐργάτας 10000, Sacerdotibus 1000 totidem, ſacras ſtolas coëmit: quos partim diſpenſatores, partim etiam operarios *Ioſephus correctus.* habebat, lego enim apud Joſephum, τοὺς μὲν ἐπιλέξας οἰκονόμους, τοὺς δὲ τέκτονας. Nam ut ſequitur, Conditum fuit διὰ τῶν ἱερέων: hoc eſt, curantibus, & opus urgentibus cum Sacerdotio conſtitutis. Quod ad fabricam attinet, conſtruebatur ἐκ λίθων λευκῶν: quorum ſinguli, longitudinem habebant 25 cubitorum, latitudinem 12. Erat medium Templi altius: ὡς περιόπτον ἐπὶ πολλῶν σαδίων ἦν τοῖς τὴν χώραν νεμομένοις. Et hinc forſitan apud Chriſtianos deinceps Turris, ſive Campanile, quod reliquam ſtructuram excederet, in medio Templorum.

Sed quid hoc Templum ad Zorobabelis? cum nec Temporis 76
ſpatio: nec authoris nomine: nec aliqua conveniat circumſtantia? dicam. Imprimis, illud δεικτικὸν, *Hoc Templum*, non refertur neceſſariò ad Herodianum. Nam de Zorobabelis reparato Templo, loquitur Propheta etiam δεικτικῶς, *Qui vidit domum iſtam:* cum longè aliud eſſet à Salomonis. Secundò, Judæi pro Zorobabelis Templo habebant Herodianum. vel ex invidiâ: quod Herodi alienigenæ adſcribere nolebant: vel quia non erat captum ab hoſtibus, incenſum, dirutum, ut illud Salomonis, per Chaldæos, ſed demolitum ut reficeretur. Quomodo navis eadem eſſe dicitur, quæ Cholcos Heroas vexit, cum nec τρόπις, nec carina: forſitan nec γόμφος remaneret. Atque ita pleraque de Templo, perturbata, in ordinem rediguntur. *Sed his mirum in modum*, Baronius inquit, *contradicere videntur, quæ Ioſephus teſtatur.* His: nimirum Interpretibus, in illa verſantibus opinione, *hoc Templum*, cum Zorobabelis idem eſſe. Cur autem? nempè quia refert, Herodem demolito illo Zorobabelis, aliud, & quidem magnificentius erexiſſe. Quid ergo, an opinatur mentitum Joſephum in hac hiſtoria? an Herodem nullum tale Templum conſtruxiſſe? Omnino id oportet illum tueri, aut balbutit neſcio quid, inſenſatum. & tuetur proculdubio. *Nam res adeò*, inquit, *in anguſto ponitur, ut ſi Iudæi mentiti non ſint de 46 annis, mentiatur Ioſephus de Herodiano Templo.* at illi non ſunt hallucinati. vacillat ergo fides hiſtoriæ Joſephianæ. pueriliter, & malitioſè. quaſi mendacium foret, quod Joſephus prodidit de Templo per Herodem demolito. Eoque magis

hoc futilitate plenum, quod fateatur ſtatim, Templum ab Herode fuiſſe *reſtitutum*. Judæos, de illo Templo, & non Zorobabelis intellexiſſe. annos autem 46, ad hoc Chriſti egregium facinus, ab incepto illo opere Herodiano. At hoc quoque puerile commentum eſt. Nam ab incepto opere anno Herodis 18. ad Chriſti baptizati annum triceſimum primum, 50, plures minoreſve anni intercedunt. Quod ſi velit, (quemadmodum non minus futiliter Joſephum tueri ait) uſque ad Neronis imperium, non fuiſſe Templum planè abſolutum, Quomodo de illo Templo dicere Judæi poterant, Quadraginta ſex annis ædificatum eſt hoc Templum, quod ne per 80 fortè annos ab illo dicto conſummabatur. ſed infœlici eventu ſemper cum Joſepho congrediuntur Annales. quocirca fruantur infœlicitate ſua. Nos opinamur, Judæos agnoviſſe Templum ab Herode ſpecioſius extructum: illud Templum, quod tunc in oculos incurrebat, ubi verſabantur, intellexiſſe: illud rectè dixiſſe Quadraginta ſex annis conſummatum: quia Herodianum Templum, & Zorobabelis pro uno & eodem, optimè reputabant: non autem, exactiſſima Chronologiâ uſos, Quadraginta ſex annorum, ſed περί τι, cum Scriptura non magis curet Fractiones, quàm noſtri Logulei, de quibus locus idem narrat. Atque ita res de Templo expedita ſit.

Infœliciter Ioſephum inſectatur Baronius.

77 Expulſis ergo mercatoribus, ſanctificato quodammodo Templo, & Judæis nihil contra oggannientibus, per ſollennitatem Paſchalem, multa ſigna edidit, licet minimè literis conſecrata, quod diſertè ponitur ab Euangeliſta, & agnoſcitur ſtatim à Nicodemo, unde factum, ut *multi in illum crederent*, quibus tamen, utpote parum fidis, *non committebat ſeipſum*. Sciebat etenim καρδιογνώστης, ἄνδρα δίψυχον eſſe ἀκατάστατον in viis ſuis, & fidem illam illorum novellam, haudquaquam altos radices egiſſe. *Eorum qui tum præſentes aderant*, *nonnulli*, Chryſoſtomus ait, *attendebant animum errori ſuo: alii quidam veritatem amplectebantur: ſed & inter eos nonnulli, cum ad Tempus tantùm veritati accederent, ab illâ demum reſiliebant.* Hujuſcemodi homines Chriſtus deſignans, ſeminibus comparat, in ſulcum jactis, ſed minimè radicatis: quæ quia in ſuperficie telluris tantum hærerent, ideò ſtatim & velociter exareſcebant. Tales nobis hic depingit Euangeliſta. Non enim per doctrinam, ſed miracula, adducebantur. Illi autem ἀκριβέστεροι ſolent eſſe diſcipuli, ὅσοι μὴ ἀπὸ σημείων πεπιστεύκασιν, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς διδασκαλίας. Inter iſtos erat adhuc Nicodemus lucifuga, de nocte veniens ad Jeſum, quod interdiu non audebat, novitius adhuc, qui fatetur à Deo veniſſe Jeſum Magiſtrum: non de ſuâ tantum, ſed communiori opinione locutus. inductum porrò ſe, & cæteros, ad ita ſentiendum, propter ſigna & miracula quæ faciebat Jeſus. Certum eſt igitur, edidiſſe tum miracula per Paſchale illud Feſtum, licèt non legantur. Et hoc cum Nicodemo colloquium, incidiſſe in ipſum

Nicodemi ὁμολογία.

principium

Digitized by Google

principium miniſterii incepti Servatoris. Nam Johan. 19. 39. dicitur, ἀπ' ἀρχῆς, ab ipſo initio acceſſiſſe Nicodemum ad Jeſum. atque ita rectè collocatur à Baronio. *Cum hæc Hieroſolymis acta eſſent, Nicodemus Iudæorum nobiliſſimus, & inter eos facilè princeps, Nam cum Iohannes principem Iudæorum appellat, noctè venit ad Ieſum, & de principiis fidei Chriſtianæ multa edidicit, quæ ſummatim referuntur apud Evangeliſtam.* Nec ſine fructu, ut videtur. Nam cum nubila eſſent tempora, & diffugerant Diſcipuli, metu Judæorum, qui crucifixerant Dominum, Nicodemus ſe palam profitetur inter eos, qui ut vivum venerabantur: ita mortuo honores exhibebant. Quocirca in ipſo adimplebatur, quod in concluſione colloquii ponitur, *Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem amat veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia cum Deo ſunt facta.*

Poſthæc: hoc eſt finita Paſchali ſollennitate, venit Jeſus, 78
cum Diſcipulis ſuis in Judæam, relictis Hieroſolymis, & ibi demorabatur cum Diſcipulis ſuis & baptizabat. Ex induſtriâ ſcilicet, & deditâ operâ: cum alias in tranſitu plerunque regiones viſitaret: jam verò διέτριβε, moram faciebat. ſed quàm diuturnam, non liquet. Non opinor uſque ad *captivitatem* Johannis, quod aliqui volunt. Nimium enim diu forſan unico in loco hæſiſſet, qui venerat ad *obeundas & conſummandas civitates Iſrael:* Johannes autem, per hoſce ipſos dies, adhuc baptizabat ad Ænon juxta Salem; nondum acceſſerat in Galilæam, ad Herodem, nec in vincula conjectus fuit. Baptizabat ergo, & miracula edebat, & prædicabat, ante vincula Johannis, ſed non tam ſollenniter atque poſteà. Hic verò interrogant, Quinam erant illi quos baptizabat Jeſus. Reſpondent aliqui: ex Johan. 4. 1. *Nulli.* nam ipſe Jeſus ſuis manibus non baptizabat. Reſpondet Baronius ex Euodio Antiocheno, beati Petri immediato ſucceſſore, apud Nicephorum, Lib. 2. cap. 3. hiſce verbis; *Chriſtus, manibus ſuis, Petrum tantummodo baptizavit: Petrus porrò Andream, & filios Zebedæi, ij denique reliquos Apoſtolos,* (qui tamen adhuc nulli erant) *Septuaginta autem illos, Petrus & Iohannes, Theologus dictus, baptizarunt.* Hæc ille: proculdubio à Petro accepta, cujus erat
ſucceſſor Antiochiæ. ſed merus eſt agyrta: & ſub Euodii no- *Euodii lumen.*
mine, quem ex Ignatio fatemur Sancto Petro ſucceſſiſſe, tenebrarum Hyperaſpiſtes, tenebricoſus nebulo, ſub Elogio *Luminis*, Nicephoro, & ſimplici & ſuperſtitioſo impoſuit. Fatetur ipſemet Baronius, ad annum 71, hoc titulo, Euodii Librum, nulli antiquorum innotuiſſe. Quocirca, in *gemonias*, cum ſuo Libro, impoſtor.

Sed conclamatam cauſſam declamat ad Clepſydram, Bulen- 79
gerus, orator licet, parum vehemens. Quaſi nos neſciremus fuiſſe Euodium, Apoſtolorum Diſcipulum, & in Epiſcopatu Antiochenſi deceſſorem Ignatii Hieromartyris. Sed Hæretici

 olim

olim impoſtores, futile quoddam ſcriptum orbi obtruſerunt, ſub nomine viri illius in Eccleſia διαβοήτυ, cui Lumen titulum addiderunt, fabulis, ineptiis, impoſturis Hæreticis refertiſſimum. Hunc Mangonem, dum rectè ſapiebat, neque partium ſtudiis abripiebatur Baronius, notâ inuſſit ignominiæ. Ubi verò quiddam eximium, de Petro tinnuiſſe viſus fuit, alicujus eſſe cœpit ei authoritatis. ſed en Tibicinem ruituro alioqui parieti. Clemens ὁ πολυμαθὴς advocatur in partes, ex Hypotypoſibus: ſed citatus à Sophronio, in Prato ſpirituali. Neque enim Cardinalis Clementis credo, vidit Hypotypoſes. Certè magnus author Clemens, licet nimis interdum credulus Apocrypticis narrationibus, & rumoribus ab incertâ Traditione. ſecundò, Criticorum quidam nominatiſſimi, opus illud Hypotypoſεων, nec lectum ſibi nec viſum (ſed περὶ παντὸς, ὄντος καὶ μὴ ὄντος, judicant Critici) devocant in quæſtionem. Quod ſi extaret, multiplici proculdubio doctrinâ, ut ille alter λόγος στρωματεὺς, nos recrearet. ſed an ille antiquiſſimus & eruditiſſimus Pater, tale aliquid retulerit in Hypotypoſibus, tum tandem intelligemus, cum Patres ſocietatis quâ ſummâ pollent gratiâ & authoritate, apud hodiernum Patriarcham Alexandrinum, illud opus teſſellatum, in uſum publicum Eccleſiæ impetraverint. ſcribebat enim aliquando doctiſſimus Fronto, literis ad Clariſſimum Savilium miſſis, apud illum Patriarcham, librum hunc extare. Interim dum in lucem prodit illud opus liceat nobis ampliare de Sophronio. Neque enim author (quem & mire Bulengerus laudat, & Harpsfeldi Copus, Dial. 3. cap. 26.) erat Sophronius, ſed Johannes quidam, Abbas obſcuri nominis, obſcœni ominis & infauſti, Eviratus. ſed magnopere non refert quis ille fuerit, cum, quod profitetur Poſſevinus, illa inſerat interdum quæ *Parum tutam habent fidem.* Quæ vel relata à non fide dignis: vel ſaltem erant cum judicio, ſecernenda ab aliis. Nec eſt opus ut in Poſſevino tantum inſiſtamus: quanquam Rhinoceron naſum habuiſſe videri voluit, omnium quippe authorum Imperioſiſſimus Cenſor, Cardinalis ipſius Teſtimonio agemus, cui ſolent eſſe Authores, è re natâ, ac prout occaſio tulerit, calculi putatorii. Is, poſtquam mendacium unum aut alterum, in unicâ, ex hoc ipſo Sophronio narratione obſervaverat, Tom. 5. ad annum 407. Sect. 35. concludit, *Cum hæc compingat eâ narratione mendacia, quæ fides relinquitur in reliquis?* Inter illa autem *reliqua*, & illa narratio habetur, de ſolo Petro per Jeſum αὐτοχειρὶ baptizato.

Sophronius fictus.

80 Inſtat Bulengerus: Omnino unum aliquem ex Apoſtolis Chriſti manibus oportet eſſe baptizatum, à quo reliqui deinceps tingebantur: illam vero prærogativam, veriſimile eſt Petro collatam: quippè qui & aliis pleriſque ultra ſocios ſuos gaudebat. Probabiliter fortaſſe, non autem tam confidenter, & certo, ut illud, τὸ *Oportet*, admittamus. Non ita videbatur planè neceſſarium vetuſtis Eccleſiæ Patribus, qui nihil omnino de hac

re

Digitized by Google

re in ſuis Commentariis nobis ſcriptum reliquerunt, imo contrarium. Αὐτὸς μὲν οὐκ ἐβάπτιζεν, ait Chryſoſtomus, οἱ δὲ ἀπαγγέλλοντες, βουλόμενοι διεγεῖραι τοὺς ἀκούοντας εἰς φθόνον, οὕτως ἀπήγγελλον. Idque ita viſum Doctori Spiritui Sancto. Dicit enim ipſe Euangeliſta, *Ieſum neminem baptizaſſe, ſed Diſcipulos ejus.* Miſit enim illum pater, non ut baptizaret, ſed ut annum acceptabilem prædicaret. Tertullianus, de Baptiſmo, cap. 11. non ſolum affirmat, ſed & vehementer urget, Jeſum non baptizaſſe. *In quem enim tingeret? in Pœnitentiam. Quò ergo illi Præcurſorem? In peccatorum remiſſionem, quam verbo dabat? in ſemetipſum, quem humilitate celabat? In Spiritum Sanctum, qui nondum à patre deſcenderat in Eccleſiam? quam nondum Apoſtoli ſtruxerant. Itaque tingebant Diſcipuli ejus, ut miniſtri: ut Iohannes, ante præcurſor.* Et tamen hoc baptiſmo Apoſtolorum manibus collatum Chriſti baptiſmum fuiſſe, & rectè dici potuiſſe Chriſtum baptizaſſe docet, hoc propoſito exemplo. *Sicut, verbi gratia, Imperator propoſuit Edictum; aut Præfectus fuſtibus cecidit. Nunquid ipſe proponit? aut nunquid ipſe cædit? ſemper is dicitur facere, cui præminiſtratur. Ita erit accipiendum, Ipſe vos tinget, pro eo quod eſt, Per ipſum tingemini, vel in ipſum.* Ubi ergo illud Bulengeri, *Oportet*, de ſententiâ vetuſtatis.

Quanquam fortaſſis hæc non ſunt ad calculum tam ſtrictè devocanda, ut prorſus neminem baptizaverit, ſed tantum de miniſterio ordinario intellexerit Euangeliſta: de publico baptiſmo, qualis erat ille Præcurſoris: quod non impedit quo minus extra ordinem primos illos & paucos Diſcipulos, idque privatim, baptizaverit ſuis manibus, & non ſolitarium, Petrum. Duodecim futuri, ut tunc illorum ſtatus & conditio fuit, Apoſtoli, nondum enim electi erant, nondum omnes, certè conſtat de Matthæo, vocati: ut erant ſpeciali quodam modo eligendi, deſignandi, ordinandi, mittendi, ita poterant æquè extra ordinem, ab ipſo Servatore baptizari. Erant certè Baptiſmo Chriſti baptizati, vel tunc, vel ſequenti tempore. Neque enim aliter aliis illum impertire potuiſſent. à quo autem accipere poſſent, ſi non à Chriſto ipſo: cum Johannis & Chriſti baptiſmus toto genere differrent? ſed an hoc tempore ſic acceperint, an poſtea? videtur Tertulliano, quod deinceps. *Eodem baptiſmo Iohannis baptizabant: ne quo alio putet. Quia, non extat alius, niſi poſtea Chriſti, qui tunc utique à diſcentibus dari non poterat, utpote nondum adimpletâ gloriâ Domini, nec instructa efficaciâ lavacri, per Paſſionem & Reſurrectionem, quia nec mors noſtra diſſolvi poſſet, niſi Domini Paſſione: nec vita reſtitui ſine ſurrectione ipſius.* Hoc ergo vult Tertullianus, Apoſtolos non recepiſſe Chriſti baptiſma, niſi poſt Reſurrectionem. quocircà, fruſtra quæri, an ad præſens ab illo fuerint tali baptiſmo baptizati, qualis erat Johannis, cum ille non daret vitam æternam. ſentire igitur videtur, nec Judam Chriſti baptiſmo baptizatum. quippe qui deſcenderat in locum ſuum ante Reſurrectionem.

81

Apoſtoli à Chriſto baptizati.

Tertulliani ſententia.

Digitized by Google

nem. nec Petrum, aut alios, niſi poſt Reſurrectionem. Et fortaſſis Spiritu Sancto ſolo, ac igne baptizatos, addita efficacitate per mandatum miſſionis, *Ite in univerſum mundum*, &c. ſi enim *Petra Chriſtus, ſine dubio Aqua in Chriſto, licet non viſibiliter efflueret, ſed occulto modo.*

82 *Auguſtin.* Hæc vehementiſſimus, & accuratiſſimus Diſputator Tertullianus; Auguſtinus, Epiſt. 108. Baptizatos ſtatuit, ſive baptiſmo Johannis, quod nonnulli arbitrantur: ſive, quod magis credibile eſt, baptiſmo Chriſti. non erat ergo certum & de fide, per Auguſtini tempora in Eccleſia, Apoſtolos fuiſſe Chriſti baptiſmo baptizatos. Non enim quod de Fide eſt, *magis Credibile eſt:* nam κατὰ μείωσιν illud dicitur. ſed ἁπλῶς & abſolutè credendum eſt. Et ipſemet Auguſtinus, in eâdem Epiſtolâ contra Novatianum, qui tenebat, ſolum Petrum non fuiſſe baptizatum cum pœnitentia poſt negationem in gratiam rediret, ait, *Rectè dici poteſt, quia cum Petrus negavit Dominum, nondum fuerant Apoſtoli baptizati: non ſanè aqua, ſed Spiritu Sancto.* Hoc eſt, acceperant tantum Johannis baptiſma præparatorium. ſed illud non ſufficeret, ſi modo verum eſt, non potuiſſe illud aliis communicare, quod non receperant ipſi. hoc eſt dictante Auguſtino, *Miniſterio baptizandi Chriſtus non defuit, ut haberet baptizatos ſervos, per quos cæteros baptizaret.* Secundò, non ſufficeret, niſi Chriſti baptiſmum eundem faciat cum Johannis. Quod verò contendit, *aquâ* neceſſariò baptizatos, & id hoc modo tenendum, ne demus hominibus authoritatem contemnendi baptiſmum, nihil eſt. Facilem enim admittit exceptionem: Id intelligendum, de vulgo hominum, ordinariâ viâ. Cum & ipſe in eodem loco Martyres excipiat, qui non *Baptizati, aureolis* tamen ſuis, non fraudantur. pari modo, & Apoſtoli, aquâ materiali non abluti, niſi forſan in Jordane, Spiritu tamen Sancto irrigati, & immediatum per diploma, ad baptizandum miſſi, generali illâ regulâ minimè tenebantur, *Nemo dat, quod non habet:* aut illa, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. quanquam lotos conſtat, ante paſſionem, tempore cœnæ Paſchalis. & licet pedes tantum lavarentur, *Tamen qui lotus eſt*, Servator inquit, *non indiget niſi ut pedes lavet: ſed eſt mundus totus.* Concludit tandem, quod veriſſimum arbitror, licèt non conſtet, *Quando, Vbi*, per *Quem*, fuerant Apoſtoli baptizati, fuiſſe tamen baptizatos. Non enim omnia quæ facta ſunt, etiam ſcripta inveniuntur. ſed facta eſſe, è cæteris documentis probantur. Baptizatus fuit Petrus, contra Novatianum. fortè per Chriſtum ſolus baptizatus: non propter Euodii authoritatem. proculdubio & Petrus, & omnes Apoſtoli Aqua baptizabantur, in Nomen Patris, Filii, Spiritus Sancti, ipſius Chriſti, manibus & miniſterio: & illud probabiliter poſt Reſurrectionem. Novatianus delirabat, Petrum ſolum non fuiſſe baptizatum, à Chriſto, cæteros, fuiſſe. Bulengerus & alii ex oppoſito delirant, cæteros Apoſtolos Chriſti manibus non fuiſſe, ſed ſolum Petrum, baptizatos. Veritas inter extremitates.

Erant

Digitized by Google

Erant omnes baptizati: idque à Chriſto omnes. Qui dedit ſpiritum, manum impoſuit, miſit omnes ad prædicandum, idem prævia diſpoſitione, per baptiſmum, omnes ad hoc ipſum inſtituit. Bulengeri cæteras ineptias, etiam & mendacia omittam. Inſigne enim mendacium eſt, quo pronuntiat, *ſed Petrum Chriſti manibus baptizatum Patres aſſerunt.* Nulli Patres ita aſſerunt.

Baptizabant uterque, Chriſtus & Johannes. ſed Chriſtus per 83
Diſcipulos: Johannes per ſeipſum, qui aduſque carceres & vincula ſuo fungebatur miniſterio. Uterque in Jordane. ſed diverſis
locis. ſiletur locus baptizationis Chriſti: Johannis fuiſſe dicitur *Chriſtus baptizabat.*
in *Ennon, juxta Salim*, Quia multæ aquæ erant illic. Loco igitur abierat, juxta Bethabaram, ubi Chriſtum baptizaverat. & hoc indicant Diſcipuli ejus, dum ſic affantur Magiſtrum, *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem.* Hæc Jeſu Chriſti, Oeconomia, ad invidiam Diſcipulos Johannis movit, eò quòd ad Baptiſmum Diſcipulorum Jeſu, plures commearent, quàm ad ſui Præceptoris. Nempè poſterior acceſſerat ad has partes Jeſus: & per Diſcipulos baptizabat: undè vulgus, novitatibus ſemper inhians, non ad Johannem, quippe exoletum, ſed ad Jeſum, nuper adventitium accurrunt. Quod nequaquam iniquo animo Johannes tulit, ſed inde arreptâ occaſione, divinam apud ſuos concionem habet, de *perſona, meritis*, & *officio* Chriſti: in quâ concione comprehenſam eſſe totius Euangelii doctrinam, rectè Chemnitius Lutheranorum doctiſſimus, animadvertit.

Ubi autem cognovit Jeſus, quia audiverant Phariſæi, quòd 84
Jeſus plures Diſcipulos facit & baptizat, quàm Johannes, reliquit
Judæam, & abiit iterum in Galilæam. Hæc una cauſa fuit ſeceſſus è Judæâ, ut declinaret invidiam Phariſæorum. Altera *Johannes deſiit baptizare.*
fuit, quòd certior fiebat, Johannem ab Herode in carcerem concluſum. Moram igitur, & ſatis diuturnam, trahebat in Judæâ, Baptizando. Credibile eſt autem Johannem, ubi Chriſti baptizationem audivit, quaſi loco majori ceſſurum, ad tempus baptiſmum intermiſiſſe, & prædicaturum pœnitentiam, abiiſſe in Galilæam: ubi etiam apud Herodem Tetrarcham acceptus fuit: qui libenter illum audiebat. Jeſus, recedente Johanne, baptizare per Diſcipulos ſuos pergit: quo in munere peragendo, rectè ſentiam cum illuſtriſſimo Baronio, *Longiores illum traxiſſe moras*: cujus adducta ratio benè illud probat: quod inde recedens, & per Samariam tranſiens, allocutus ſuos Diſcipulos dixit, *Vos dicitis, quòd adhuc quatuor Menſes ſunt, & Meſſis venit*, Si ergo quatuor Menſibus, ante Meſſem, de Judæa receſſit Dominus, manifeſtum eſt illic permanſiſſe, uſque ad Novembrem Menſem: hoc eſt plus, quàm dimidium anni; Nam certum eſt ex Divinæ Scripturæ authoritate, quòd Menſe primo, altera die Paſchæ, manipulum Spicarum offerebat Sacerdos.

Poſtquam

85 Poſtquam verò de Johannis incarceratione accepit nuntium, abiit iterum in Galilæam. Nam ſecundâ vice, Paſchate præterito, aſcenderat, ad Feſtum Hieroſolymam. Oportebat autem eum tranſire per Samariam. Quæ profectio non in caſſum illi cedebat, converſis de Samaritanâ civitate ad fidem pluribus, & inſtituto illo celebri colloquio cum Samaritanâ muliere. cujus narratio, licet apud Johannem, quaſi προηγυμένως narretur, tamen, eò quòd prior fuit Incarceratio Johannis, de illa dicendum: quam nullus Euangeliſtarum, ſuo loco & ordine explicuit, ſed poſt annum & quod excurrit, ex occaſione, cum decollaretur. ubi tres Euangeliſtæ, Mat. cap. 14. Mar. 6. Luc. 3. ita narrant, hoc modo.

86 *Iohannis Hiſtoria decollati.* Herodes, miſſis ſatellitibus, manus injecerat in Johannem: vinxerat eum, ac poſuerat in carcere, cum corriperetur ab illo de omnibus malis quæ fecerat, imprimis de Herodiade, uxore Philippi fratris ſui, quia duxerat eam in uxorem. Dicebat enim ei Johannes, *non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Mulier igitur Herodias, inſidiabatur illi, volebatque occidere eum: ſed non poterat, Herodes enim metuebat Johannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum: obſervabatque illum, auditoque eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Cumque illum, inſtigatus ab Herodiade, in carcerem detruſerat, metuebat multitudinem, nec audebat eum interficere, propterea quod illum ceu Prophetam habebant.

87 Hiſtoria porrò Herodis Tetrarchæ, & Herodiadis hæc eſt. Herodes Infanticida, è Malthace Samaritanâ uxore ſuâ, ſuſcepit Archelaum qui poſt ipſum regnavit in Judæâ. ſuſcepit quoque Herodem Antipam qui deinceps Galileæ Tetrarcha fuit. ſuſcepit tertiò, Philippum, cui Auguſtus, defuncto patre, conceſſit Trachonitidem, Auranitidem Botiæam, cum *Parte*, vel ut alibi legitur, cum *Domo* Zenodoti. unde annui ei reditus 100 Talentorum accreſcebant. Moritur is, anno 20 Tiberii Cæſaris, cum præfuiſſet Provinciæ ſuæ annos 37. μέτριος ὢν καὶ ἀπράγμων, Joſephus ait. Genuerat idem Infanticida è Mariamne Aſſamonæâ, Ariſtobulum, atque Alexandrum. Ariſtobulus è Bernice filia Salomes amitæ ſuæ, inter cæteros, genuit Herodiadem; majorem natu, è duabus. eandem ipſam, quæ ſacræ Hiſtoriæ commemoratur. Illa Herodi primum elocata fuit, Herodis infanticidæ filio: non Antipæ, ſed quem de Mariamne Simonis Pontificis filio ſuſceperat, cui filiam peperit Salomen ſaltatricem. Herode mortuo ſecundo nupſit Philippo fratri: quod commemorat Euangeliſta, tacens illius nuptias cum Herode: unde cum Exercitatore Bulengerus & Baronius, Joſephum erraſſe perperam contendunt. *In Hiſtoria Herodiadis*, Caſaubonus ait, pag. 281. *quam Herodes Antipas duxit uxorem, Ioſephus partim eadem cum Euangeliſtis narrat: partim diverſa.* Gravis accuſatio, & ſi non probetur, in Hiſtoricum nobiliſſimum importuna calumnia. *Præcipua*, inquit, *diverſitas in eo eſt, quod Euan-*

Ioſephus defenditur contra Caſaubonum.

geliſtæ

geliſtæ quidem Matthæus, Marcus, Lucas, magno conſenſu ſcribant Herodiadem, prius fuiſſe nuptam Philippo. rectè, & verè. Quid tum autem? at *Ioſephus, Herodi cuidam, Herodis magni filio, è Mariamne Simonis Pontificis filiâ.* rectè quoque & verè. ait prius quam Antipæ, etiam quàm Philippo nuberet. an hoc in Galliis, nam certè non eſt in Angliâ, inuſitatum, ut Trigama eſſet mulier aliqua. Miror hominem doctum, diligentem, accuratum, tam pueriliter hallucinatum, ut dicat, hanc *diſcrepantiam* nullam admittere reconciliationem : quæ nulla eſt, imprimis *diſcrepantia :* ſecundò, ſi eſſet ; admitteret facilè. Titia enim quæ Mævio adhæſit relicto Caio, poterat prius Seio fuiſſe elocata. Quocirca temeritas eſt aſſerere erraſſe Joſephum, & quidem graviter.

Sed ultra temeritatem in Baronio Modeſtiam cogor deſiderare, qui Caſaubono errandi præivit viam. *Videas*, inquit, *hominem, more ſuo, ut alias ſæpè, hallucinatum, haudquaquam ſibi ipſi conſtantia loqui.* Cur verò, non conſtantia? docet. quippè qui, quod Herodiadem ſpectat, *dixit eam nuptui traditam, non Philippo Tetrarchæ, ut habet Euangeliſta, ſed Herodi filio Herodis majoris ex alia Mariamne, filia Simonis Pontificis.* Certè, profitetur Joſephus, Herodem aliquem ex illa natum: illi Herodi nupſiſſe Herodiadem: illi filiam Salomen peperiſſe. At non negat eandem Philippo nupſiſſe. niſi hoc, Negare, ſit profiteri illam prius Herodi, ac tunc Herodi alteri elocatam. aliter enim Joſephus nihil ſciſcit. Ἡρωδιὰς δὲ αὐτῶν ἡ ἀδελφὴ, ait Antiq. 18. cap. 7. γίνεται. Ἡρώδῃ Ἡρώδου τοῦ μεγάλου παιδὶ, ὃς γεγόνει ἐκ Μαριάμμης, τῆς τοῦ Σίμωνος ἀρχιερέως. καὶ αὐτοῖς Σαλώμη γίνεται. Μεθ' ἧς τὰς γονὰς Ἡρωδιὰς ἐπὶ συγχύσει φρονήσασα τῶν πατρίων, Ἡρώδῃ γαμεῖται τοῦ ἀνδρὸς τῷ ὁμοπατρείῳ ἀδελφῷ. Quæ omnia vera ſunt. Quod autem tacetur, non negatur. Meminit autem Herodis prioris, quoniam illi primum nupſerat, & ex illo ſolo, ſuſceperat prolem. meminit ſecundi, quod ad eum tranſierat. Tertii vel potius ſecundi non meminit, quòd nullâ ſuſceptâ prole, ἄπαις obierat. Non erat ergo opus ut tantopere in graviſſimum Hiſtoricum deſævirent viri doctiſſimi, præſertim cùm ſcribat, eruditiſſimus Petavius, Lib. 11. cap. 9. de *Doctrina Temporum*, in quibuſdam Græcis Codicibus Euangeliorum Matthæi, & Lucæ, vocem illam *Philippi*, non reperiri, ſed tantum, *Fratris tui*, indefinitè, qui revera erat Herodes & non Philippus. Quocirca, Codices Euangeliorum vulgatos, emendandos, extrita illa voce, Philippi. Modeſtiſſimè itaque cenſuram ſuam hic interpoſuit eruditiſſimus Petavius, ut diceret, vel Joſephum erraſſe; vel Codices depravatos; vel binominem fuiſſe Herodem. certè Joſephus non admittit illam ſuperius allegatam excuſationem, de ſecundis nuptiis cum Philippo, poſt Herodis interitum, ait enim diſertim, pag. 558. illam virum ſuum Herodem vivum deſeruiſſe. Ἡρώδῃ γαμεῖται τοῦ ἀνδρὸς Ἡρώδου τῷ ὁμοπατρείῳ ἀδελφῷ, διαστᾶσα ζῶντος. ſed major adhuc iniquitas Baroniana. *Mirum quidem videtur, unde novus iſte Herodes emerſerit.* Nam cum idem Joſephus agit

88 *Contra Baronium.*

Petavius laudatur.

de Teſtamento Herodis iterum inſtituto, nulla hujus Herodis facta eſt mentio. malitioſè & imperitè. Meminit enim Herodis & filiarum duarum quos è Mariamne Simonis ſuſceperat. in 17 Antiquit. & in ἀ. ἁλωσ. & Antiq. 17. 4. meminit Mariamnes Simonis in conjuratione Antipatri detectæ. unde illam domo ejecit: & filium Herodem regno privat, quem prioribus Tabulis Herodem ſcripſerat: Non eſt ergo novus aut inauditus ille Herodes, ſed vetus & inveterata Baronii in Joſephum κακοήθεια.

89 *Herodias tranſit ad Antipam.* Porrò quomodo, & quibus artibus hanc mulierem à viro ſuo abduxerit Antipas, exponit Joſephus Antiquit. 17. 13. Romam profecturus, κατάγεται ἐν Ἡρώδου, ἀδελφοῦ ὄντος, οὐκ ὁμομητρίου δέ. *Hoſpitio acceptus fuit in ædibus Herodis, fratris quidem ſui, at non eadem matre nati* (cum tamen ipſe & Philippus & ὁμοπάτριοι & ὁμομήτριοι eſſent. Hic in amorem incidit Herodiadis ipſius uxoris (Erat autem illa Ariſtobuli filia, fratris utriuſque, ſoror autem magni Agrippæ: cujus mentio ſcilicet Actorum 12) & eo impudentiæ devenit, ut auderet, λόγον ἅπτεσθαι περὶ γάμου. Cui cum laſciva illa mulier annuiſſet, paciſcuntur mutuo, quòd quàm citò Romà rediiſſet, illa, relicto viro ſuo, ad ipſum commearet. Sancitum quoque fuit inter illos, ut priorem Herodes Antipas uxorem repudiaret, quam duxerat, filiam Aretæ Regis Arabum. unde bellum inter illos conflatum: in quo Herodis copiæ deletæ ſunt. ſed hæc ἆθλα non niſi decollato Johanne illi contingebat, hoc eſt, à carceribus ſaltem poſt unum, ſi non alterum annum. Id enim colligitur è Joſephi verbis, qui narrat, vulgi ſermone, ac opinione ultioni divinæ adſcribendum, κατὰ ποινὴν Ἰωάννου καλουμένου βαπτιστοῦ. κτεῖναι γὰρ τοῦτον, ἀγαθὸν ἄνδρα, καὶ Ἰουδαίους κελεύοντα, ἀρετὴν ἐπασκεῖν. καὶ τὴν πρὸς ἀλλήλους δικαιοσύνην, καὶ πρὸς τὸν Θεὸν εὐσέβειαν, καὶ οὕτω τῷ βαπτισμῷ συνιέναι. *In ultionem Iohannis Baptiſtæ, appellati. Illum enim occiderat Herodes, virum bonum, quique Iudæis ſuggerebat ut virtutis ſtudium exercerent: mutua inter ſe juſtitia & jure uterentur: Deum piè & religioſè colerent, atque ita demum accederent ad baptiſmum.* Quæ per omnia conſentiunt cum Euangeliſtis, qui illius referunt prædicationem pœnitentiæ.

90 *Iter. & negotium Samaritanum.* Johannem ob hanc cauſſam poſtquam reſcivit Jeſus, in vincula conjectum, reliquit Jordanem, Judæam, baptiſmi curſum, & receſſit in Galilæam. Oportebat autem ire per Samariam. Samaria enim tertia erat pars terræ promiſſionis, in meditullio ſita Regionis, in ſorte olim Tribus Ephraim, & dimidiæ Tribus Manaſſis: cujus incolæ, ut primi defecerant à Deo, ad Idololatriam, ita Principes ejecti fuerant de Terrâ Promiſſionis: & de Tranſmarinis Regionibus peregrini, & advenæ, in illorum locum ſubintroducti. Cum ergo in medio jaceret inter Galilæam, & Judæam, convenienter dicitur, *Oportebat illum tranſire per Samariam*. Obſervant ulterius duplicem viam, per Samariam: utramq; de Judæâ ducere in Galilæam. unam, per mediam Samariam, Lu. 17. 11. Alteram, per

per terminos Samariæ Orientales, & Vallem Regiam ad Jordanem, inter Jordanem & Montem Acribetenæ; priorem inſiſtebat Servator. Venit enim ad Samariam urbem, ubi cum muliere Samaritanâ colloquium inſtituit. Cum autem *mitteretur*, ſicut ipſe ait, non niſi *ad ovem perditam domus Iſrael.* Eſſent autem alienigenæ Samaritani, unde & alibi prohibentur Diſcipuli prædicatum miſſi, Civitates ingredi Samaritanorum, tamen, quod vetus habet verbum, *Interdum aliquid boni, propter vicinum bonum:* Et Samaritæ, & Syrophœnicæ, & vicinæ Judæis gentes, de micis guſtabant è puerorum menſis. Venit ergo, ὁδοῦ πάρεργον, in Civitatem Samariæ, illam ſcilicet, quæ dicebatur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob filio Joſeph. Erat autem ibi fons Jacob.

Jeſus ergo, fatigatus ex itinere ſedebat ſuper fontem. hora erat fermè ſexta. Samariæ vox, ut alibi diximus, ambigua eſt. 91
Nam & totam *Regionem*, vel *Provinciam:* aut *Civitatem*, nempe Regionis *Metropolin* ſignificat. hoc in loco, non *Vrbem*, ſed *Provinciam* ſignificat, in qua ſita fuit Urbs *Sichar*, hoc eſt, olim dicta Sichem, & tunc corruptè Sichar. Ita ſentiebat Hieronymus in Epitaphio Paulæ. *Tranſivit Sichem, non ut plerique errantes legunt, Sichar, quæ nunc Neapolis appellatur: Et circa puteum Iacob extructam intravit Eccleſiam, ſuper quo reſidens Dominus, ſitiens & eſuriens Samaritanæ Fide ſatiatus eſt.* & alibi, de Quæſtionibus Hebraïcis in Geneſim, *Sichima, juxta Græcam & Latinam conſuetudinem declinata eſt. Hebraïcè Sichem dicitur, ut Iohannes Euangeliſta teſtatur, licet vitioſe ut Sichar legatur, error inolevit.* Sed corruptio illa nulla fuit. nominis tantum immutatio. populari Sermone per Chriſti tempora dicebatur Urbs illa Sichar, quæ olim Sichem audiebat. cujus frequens habetur mentio in Teſtamento veteri. Euſebii ſententiam Latinè tantum, è libro de locis Hebraïcis profert Barradius: quem è Græco manuſcripto Caſaubonus repræſentat Græcè. Σύχεμ, καὶ ἡ Σίκιμα, ἡ καὶ Σαλὴμ, πόλις Ἰακὼβ, νῦν ἔρημος. δείκνυται δὲ νῦν τόπος ἐν προαστείοις νέας πόλεως. ἔνθα καὶ ὁ τάφος δείκνυται Ἰωσὴφ, καὶ παράκειται. ἀνεῖλε δὲ αὐτὴν Ἀβιμέλεχ καὶ ἔσπειρεν αὐτὴν ἅλας, ὡς ἐν κριταῖς. ἤγειρε δὲ αὐτὴν Ἱεροβοὰμ, ὡς ἐν Βασιλείαις· κεῖται δὲ ἐν ὁρίοις κλήρου Ἐφραΐμ. Συχεὶμ δὲ καὶ υἱὸς Ἐμμὼρ ἐκαλεῖτο, ἀφ᾽ οὗ καὶ ὁ τόπος. Ἦν δὲ καὶ Συχεὶμ ἐν ὄρει Ἐφραεὶμ πόλις φυγαδευτηρίων. hoc eſt, refugii civitas: quod verum eſt.

Hieronymus de Sichar.

Euſebius.

Hoc in loco, juxta Fontem ſeu *puteum* Jacob, cùm conſideret Jeſus ſolus & ſolitarius, ablegatis in oppidum Diſcipulis, ad cibum coemendum, venit, ex oppido, aquatum mulier. Nam loco ſiticuloſo illa urbecula ſita, de communi illo Fonte ſupplebatur. Ab illa, ſitiens, aquam petit Dominus: ſed non tam ſitiens aquam, quam facere voluntatem Patris ſui, & verbum vitæ, indigentibus, vel ut loquitur, *aquam ſalientem in æternam vitam*, dare cupiens. Nam hinc occaſione ſumptâ, mulieri Samaritanæ, ſe Meſſiam eſſe docet: & ab illa popularibus ſuis commendatus, bidui apud illos moram fecit, nec ſine fructu. Nam ex civitate illâ, multi 92

crediderunt in eum Samaritanorum. Id enim teſtantur ipſi, *Quia jam, non propter tuam loquelam (mulieris) credimus. ipſi enim audivimus, & ſcimus, quia hic eſt verè, Salvator Mundi.* Commentatur hunc ad locum Chryſoſtomus, ut ſolet, egregiè. Invidiâ & malevolentiâ deterius nihil eſt. ambitione & vanâ gloriâ nihil magis intolerabile. ſolet enim omnia ubique bona corrumpere. Judæi autem, qui multò majorem quàm Samaritani ſcientiam haberent, utpote, aſſueti & innutriti Prophetarum oraculis, nihiſominus hic ab illis ſuperantur. Samaritæ enim, & propter mulieris relationem crediderunt, & cum adhuc miraculum nullum ab illo editum viderant, nihilominus rogant & deprecantur, ut apud ipſos maneret. Judæi verò, qui miracula ejus viderant, tantum abſunt, qui Illum apud Ipſos velint retinere, ut potius abegerint & omnem moverint lapidem, ut è ſuâ Regione ejectum fugarent: & tamen ipſorum cauſſâ, advenerat. Quocirca manſit apud Samaritas duos dies. αὐτοὶ μὲν ἐβούλοντο διηνεκῶς αὐτὸν κατέχειν. Id enim, ait, indicare voluit Euangeliſta, qui ait, ὅτι ἠρώτων αὐτὸν, μεῖναι παρ' αὐτοῖς.

93 Huic petitioni, nec debuit, nec voluit acquieſcere Chriſtus, nimirum miſſus ad *ovem perditam domus Iſrael.* Itaque, quemadmodum ſequitur in Hiſtoriâ ſacrâ, *Poſt duos dies exiit indè, & abiit in Galilæam.* Auguſtinus tam citi receſſus cauſſam allegat, *Firmos in fide, ſecuros citò dimiſit. Divinitatis enim præſentia, non dimiſit.*

Adventus Chriſti in Galilæam.

In quam partem Galilææ venit, litigatur. Generatim de omnibus, ſaltem pleriſque Galilæis dicitur, Cum veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cùm omnia vidiſſent, quæ fecerat Hieroſolymis, in Feſto. Ipſi enim aſcenderant, ad diem Feſtum. Non veniſſe Nazareth, patriam ſuam, indicat Matthæus, cap. 4. *Cum audiſſet Ieſus, quod Iohannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam: & relictâ Nazareth civitate, venit & habitavit in Capernaum.* Sed videtur Lucas contradicere, cap. 4. ubi de prædicatione meminit apud Nazareth, & contemptim habitâ, à patriotis ſuis. ita ſentire videtur Cardinalis, è loco Lucæ margini adſcripto. ſed fallitur. alio enim tempore, occaſione non eadem, illa contingebant. & apud Lucam, nulla habetur talis mentio. Venit ergo, Quod Johannes habet directò, Canan. Ita enim legimus, cap. 4. ver. 46. *Venit ergo iterum Ieſus in Cana Galilææ, ubi fecerat aquam vinum.* ſed contradicere videtur Matthæus, apud quem cap. 4. legitur, *& relictâ civitate Nazareth* (hoc eſt, non ſalutatâ, eam non ingreſſus) *venit & habitavit in Capernaum*, maritimâ, in finibus Zabulon & Nepthali. ſed dubitationem iſtam ſolvit ipſe Johannes: & Matthæum locutum docet αὐτονομαστικῶς præteritis cæteris locis, illum nominando, ubi moram fecit diuturniorem: hoc eſt, ut ipſe loquitur, *Habitavit.* Invitatum enim narrat Capernaum. Erat enim quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capernaum. Hic cum audiſſet, quod Jeſus venit è Judæâ in Galilæam, abiit ad eum, & rogavit eum, ut deſcenderet, ac ſanaret ipſius filium, ſiquidem is agebat animam. Et quanquam unà cum regulo non deſcendit, ſed

abire

abire illum juſſit, quia viveret filius, tamen ſtatim ſecutus videtur illum: interim, quà iret, Euangelium annuntians, quia ſciret januam, ut loquitur Paulus, magnam apertam fore, quoniam Credidit Regulus, cum familiâ ſuâ. Quis autem fuerat, & cujus conditionis, iſte qui vocatur Regulus, variè quæſitum eſt apud Omnium ætatum ſcriptores, & variè reſponſum. Mihi videtur fuiſſe Chuzi, Herodis Tetrarchæ oeconomus, & procurator. Nam conſtat ejus uxorem inter mulieres illas extitiſſe, quæ miniſtrabant Jeſu. Credebat igitur illa mulier. hic autem dicitur, *regulus*, hoc eſt, Regius famulus, cum familiâ credidiſſe. & cur non potuit impio Herodi vir pius ſervire, cum nequiſſimo Ahabo, Obadia religioſiſſimus, eſſet diſpenſator? *Regulus Capernaumi.*

Dum igitur Galilæam obiret Jeſus, Johanne jam tradito, viriliter inſiſtens miniſterio, fama exiit per univerſam Regionem de illo. Imo abiit opinio ejus, Matthæus ait, in totam Syriam. Indè accidit, inquit, Baronius, ut eadem fama, ſuperiores quoque fines attingeret, & ad Edeſſæ, Syriæ civitatis Regem Abagarum penetraret. His ille permotus, ad Jeſum fertur ſcripſiſſe Epiſtolam, quam Euſebius, de Syriacâ Linguâ in Græcam tranſtulit: ſimul cum eâ, quam ad eundem Dominus Jeſus Chriſtus eidem Tabellario dedit. Euſebii locus, ex editione & tranſlatione deceſſoris mei Chriſtophorſoni, alicubi à me correctus, ita ſe habet. *Hiſtoria autem de Thaddæo, cujus fecimus mentionem, ad hunc modum ſe habuit. Domini noſtri & Servatoris Ieſu Chriſti Divinitas, paſſim apud omnes propter poteſtatem miraculorum edendorum, pervagata, infinitos propemodum, è peregrinis Regionibus, & ſpatiis longinquis à Judæâ diſterminatis, propter ſpem conceptam, de curatione morborum impetrandâ, & quarumcunque infirmitatum, ad ſe attraxit. Inter cæteros hanc ob cauſſam Rex Abgarus, qui gentibus ad Euphratem poſitis, eminenti cum dignitate imperabat, cum eſſet gravi morbo, & quantum ad humanam opem pertinebat, incurabili excarnificatus, ubi nomen Ieſu, omnibus in ore verſari, & potentiam ac virtutes ab illo præſtitas, unanimi omnium ſermone deprædicatas audiit, miſſis ad eum literis per Tabellarium ſupplex rogat, ut morbo per ipſum liberaretur. Chriſtus deprecantem minimè in præſenti, ad voluntatem, audiit, non eſt tamen dedignatus, ad illum literas, manu propriâ exaratas deſtinare. pollicebaturque ſe aliquando è Diſcipulis ſuis unum ad ipſum miſſurum, qui morbo mederetur, quique ſalutem, non ipſi tantum, ſed etiam ſuis ſubditis eſſet allaturus. Et profectò, non diuturnum intercedebat tempus, cum hanc ſtipulationem cumulatiſſimè adimpleret. Nam poſtquam à mortuis reſurgens in cœlum aſcenderat, Thomas è duodecim Apoſtolis unus, Thaddæum fratrem ſuum, qui fuit è numero 70 Diſcipulorum, Divino incitante motu, prædicatorem & Euangeliſtam Chriſti doctrinæ, Edeſſam mittit, per quem Servatoris promiſſa, exitum ſuum ſortiebantur. Harum rerum inſigne & locuples Teſtimonium habes, è Tabulariis Edeſſenæ civitatis, quæ per illa tempora, Regis imperio gubernabatur. Certè enim, in Tabellis publicè cuſtoditis, quæ res olim per Abgari ætatem geſtas,*

Line-end margin markers in original: "94" beside the line "Dum igitur Galilæam obiret Jeſus, Johanne jam tradito, viriliter"; "*Abgarus.*" beside the line "attingeret, & ad Edeſſæ, Syriæ civitatis Regem Abagarum penetraret."

geſtas, continent, hæc ipſa, etiamnum ad noſtram ætatem tranſmiſſa reſervantur. Quare nihil vetat ipſas literas, tranſcriptas ex archivis legere, atque adeò ad verbum, ex Linguâ Syriacâ, in Græcam tranſlatas, quæ ſe ad hunc modum habent.

95 *Abgarus, Toparcha Edeſſæ Ieſu Servatori optimo qui in loco Hieroſolymitano apparuit, ſalutem.*

Ad aures meas de Te, & curationibus tuis, quæ non adhibitis medicamentis, facis, rumor & fama pervenit. Ita enim paſſim prædicant homines, te efficere, ut cæci videant, claudi ambulent, mundentur Leproſi: Te Spiritus immundos & Dæmonas ejicere, aiunt: morbis diuturnis laborantes curare: à morte denique ad vitam, non paucos revocare. Hæc omnia & ſingula cum de Te narrata audiverim, ita apud animum meum de Te ſtatui, alterum, è duobus hiſce verum eſſe, aut Deum Te eſſe & de cœli faſtigio delapſum: aut Dei ſaltem filium, qui iſta tam ſtupenda miracula edas. Quapropter hæc ad Te ſcripſi, maximopere precatus, ut laborem ad me veniendi ſuſcipere, & hoc genus morbi, quo excrucior, levare non dedigneris. Fando autem accepi, Iudæos malo animo tibi oggannire, & mala Tibi quæ poſſunt, machinari. Eſt mihi civitas, exigua certè nec celeberrima, ſed tamen ſufficienter exculta, & quæ poſſit utrique noſtrum, rerum neceſſariarum ad vitam ſatis abundanter ſuppeditare. Hoc modo tunc temporis ad Jeſum ſcribebat ille, exiguo quodam Divino lumine illuſtratus. Operæ pretium eſt autem Epiſtolam, licet brevem, plenam tamen virtutis & efficacitatis audire, quæ per eundem Tabellarium, à Jeſu, ad illum miſſa fuit. cujus quidem hæc erat ſententia. *Abgare, beatus es, qui cum non videris me, in me tamen credidiſti. De me enim ſcriptis proditum eſt, eos qui me viderunt in me non credere, ut hii qui me non viderunt, credant, & vitam conſequantur. Quod ad me ſcripſeris, te velle & cupere ut ad te veniam, eas res, quarum gratiâ miſſus ſum, debeo hic perficere neceſſariò, quas cum conſummavero, ad eum recipi me oportet, Qui miſit me. Quò ſimul ac aſſumptus fuero, aliquem è Diſcipulis meis ad Te mittam, qui morbum, quo tantopere torqueris, curabit, & vitam Tibi, tuiſque ſubditis, communicabit.* Hæc Euſebius, αὐτολεξεί.

96 Nec eſt quod miretur vir eruditus Gelaſii Papæ primi, & Romani Concilii authoritatem hodie paſſim contemni, à Baronio ſcilicet, & aliis qui hanc Hiſtoriam admittunt, quam ille cum Concilio ſuo, reprobavit. ſed κατ' ἀνθρωπον rectè reſpondit Cardinalis. Gelaſius Papa recenſet has Epiſtolas inter Apocrypha ſcripta, non tamen, tanquam Hæreticorum carcinomata, ut penitus proſcribendas & rejiciendas, per Chriſtianos, ſed ut tales, quæ nequaquam inter Hagiographa, aut Canonicas Scripturas admitti debeant. Melchioris Cani, è Lib. 11. judicium in hoc judicio deſidero. qui præter alia parum commodè dicta, Clementis Alexandrini ſcripta, in eâdem Claſſe, cum Abgari Epiſtolâ, ponit. ſunt ergo Clementis Stromateis, Apocrypha, hoc eſt, commentitia ficta, ſurreptitia ſcripta: nec hoc tantum, ſed Hæreticorum

De hiſce Epiſtolis Cenſura.

Digitized by Google

ticorum fabulæ, aut fabulis referta. Ridiculè Canus: temerè autem Exercitator, cum conſtet ex Epiſtola 263 apud Auguſtinum, Epiſtolas iſtas in Eccleſia tanquam genuinas, admiſſas. Nec eſt in iis aliquid cur rejiciantur. Omnia pia, modeſta, & cum Chriſtianâ pietate conjuncta. Sed utcunque mihi ita videantur æſtimandæ, unuſquiſque tamen in ſuo ſenſu abundet. Erat autem Edeſſa, inquit Stephanus, πόλις τῆς Συρίας, διὰ τὴν τῶν ὑδάτων ῥύμην, οὕτω κληθεῖσα. Erat ejuſdem nominis alia per Macedoniam. meminit Strabo.

Utcunque mereantur fidem Epiſtolæ ἀμοιβαῖαι, Jeſu & Abgari, non tamen æque ſunt ἀξιόπιστα quæ ſequuntur apud Baronium, de 97
Sanctâ, opinor, Veronicâ, quam appellant. de qua fabulâ, hæc Cardinalis. *Quin & ab ipſo Chriſto, ſui imaginem; non arte hominis elaboratam, ſed ab ipſomet, ſummo rerum architecto & opifice Domino noſtro ad Abgarum miſſam, poſt eam Epiſtolam, à compluribus graviſſimis authoribus ſcriptum reperimus.* Certè à *pluribus*, ſed non nimis *gravibus*, nedum *graviſſimis* authoribus. Princeps, quod nos ſcimus Euagrius hanc fabulam, ex aliquo triobulari ſcriptore arreptam vulgavit. vivebat & ſcribebat Euagrius, Gregorio Turonenſi coætaneus, circa annum Domini 600, cum ineptiarum & fabularum ὅρμαθοι Eccleſiam fœdaverant. Narrat autem ille, Lib. 3. cap. 26. Choſroen Perſam Edeſſam obſidione cinxiſſe: urbem ad extrema omnia redegiſſe: hic verò cives cum deſperatione debilitati ferè ſuccumberent, ſanctiſſimam imaginem, divinitùs fabricatam, quam non hominum manus effinxerant, ſed Chriſtus Deus Abgaro, quandoquidem eum videre cupiebat, miſerat, proferunt: eamque in foſſam quam conſtruxerant importatam, aqua conſpergunt, ex qua, non parum, in rogum & ſtruem lignorum immittunt: atque Divinâ potentiâ, fidei illorum, qui iſtud moliebantur, ſubſidio veniente, quod ab ipſis ante fieri non poterat, jam facilè conficiebatur. Quam fabulam Nicephorus, Lib. 17. cap. 16. & clarius, & elegantiori ſermone explicuit. citat autem uterque Procopium authorem, qui certè Lib. 2. Perſicorum, Choſrois expeditionis meminit contra Edeſſenos. ſed illius imaginis, nulla apud eum habetur mentio. vel igitur noſtri Procopiani Codices mutili in hac Hiſtoria circumferuntur: aut illi Procopium mentiuntur. Certum eſt ab Euſebio, nullam fieri iſtius imagunculæ mentionem, qui tamen ipſe poſt annos 300, & quod excurrit, ab Abgari ætate ſemovebatur. proculdubio extitiſſet, ſi omnino ulla fuiſſet, in Theſauris, ſi non Eccleſiæ, at Reipub. Edeſſanæ. cæteri qui ſequuntur apud Cardinalem, leviſſimi, non graviſſimi authores, ejuſdem furfuris planè, ſi non & deterioris, aliorum centones ῥαψῳδῶν. Nugator Bulengerus, ne titivillitio dignum quid affert: omnino nihil, quo fidem illorum vitiligatorum, à Caſaubono convulſam, reſarciat, tantum ad imagines, in vetuſta Eccleſia adhibitas, excurrit, & ſua in nos effundit adverſaria. ſed de imaginibus aliàs.

Veronicæ fabula.

Digreſſus

98 Digreſſus Canâ, ubi aquam in Vinum converterat, *Ingreditur,* ait Marcus, cap. 1. *Capernaum, ibique docebat illos Sabbathis,* Luc. 4. *Et ſtupebant ſuper doctrinâ ejus*, uterque ait. Docebat autem in Synagogis, non in compitis, biviis, ſylvis, campis. Erant autem

Synagogæ. Συναγωγαὶ, & Congregationes, ac conventus hominum. unde ait Auguſtinus, in Pſal. 73. *Omnis congregatio generali nomine Synagoga appellatur.* παρὰ τὸ Συνάγειν, deducta voce. Et loca conventibus deſtinata. quemadmodum utroque modo apud Eccleſiam, quæ ſucceſſit Synagogæ, appellatur. In locis igitur iſtis, cultui divino & religioni ſacratis, per ſingula Sabbatha conveniebant, ubi Legem & Prophetas audiebant. *Habuit enim Moyſes ab antiquiſſimis temporibus, in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur*, Act. 15. 21. Ex hac conſuetudine, poſtquam venit Nazareth, patriam ipſius, ut ibi doceret, Luc. 4. 17. *Traditus eſt illi Liber, Eſaiæ Prophetæ.* nimirum ut aliquid de eo legeret & explicaret. Quod & ipſum Capernaumi feciſſe illum par eſt credere.

99 Inter docendum, accidit, ut eſſet in Synagogâ illâ, *homo quidam ſpiritu immundo*: hoc eſt habens Dæmonium ſive ſpiritum immundum, qui exclamavit voce magnâ dicens, *Sine nos: Quid nobis tecum eſt Ieſu Nazarene? Veniſti perdere nos? Scio quis ſis, Sanctus Dei.* Dæmonium habens, Dæmoniacus eſt, quem ἐνεργούμενον veteres Chriſtiani vocabant; & à ſacris myſteriis excludebant. Dæmon, nomen eſt generale ſpiritus *apoſtatici*, & *apotactici*: quam

Dæmonium. vocem ridiculè, ut multa alia tradit Eugubinus, deducit à Sadai, quod eſt nomen Dei. unde pluralis deducitur Sadaim, & κατ' ἀφαίρεσιν prioris ſyllabæ *Sa*, *Daim*, unde Dæmon, vel Daimon. ridiculè. Dæmonum nomen Græcum eſt, & Gnoſticum; intelligentem enim vel cognoſcentem ſignificat. Δαίμονες, οἱ Θεοὶ, inquit Heſychius, δαήμονές τινες ὄντες, οἱ ἔμπειροι. Etymologus. Δαίω, τὸ μανθάνω, ἐξ οὗ καὶ δαίμων, οἱονεὶ δαήμων τις ὤν. Magiſtri autem illi Platonem ſequuntur in Cratylo, qui ex Heſiodo deducit, δαίμονας ἄγνως, eſſe dictos propter intelligentiam. τοῦτο τοίνυν παντὸς μᾶλλον λέγει τοὺς δαίμονας, ὅτι φρόνιμοι, καὶ δαήμονες ἦσαν. *Illud verò, ita progreditur; è priſcâ noſtrâ linguâ contingit nomen. Præclarè igitur & hic* (Heſiodus) *& alii Poetæ, quicunque affirmant eum qui bonus ſit, ubi mortuus fuerit, magnæ cujuſdam ſortis conſequi dignitatem, &* δαίμονα *eſſe ex illa ſapientiæ appellatione.* Ita illi εὐφημίζουσι, & nomen & ſubjectum nominis. at in Chriſtianorum Scholâ, ſemper in malam partem accipitur vox, pro ſpiritu, ut dictum eſt, *immundo* & *apoſtatico.*

100 *Dæmonas, Grammatici dictos aiunt*, Lactantius inquit, Lib. 2. cap. 15. quaſi δαήμονας, *& rerum peritos. hos autem putant Deos eſſe. Hi per omnem terram vagantes* (παντῇ φοιτῶντες ἐπ' αἶαν, inquit Poeta) *ſolatium perditionis ſuæ, perdendis hominibus operantur. Itaque omnia inſidiis, fraudibus, erroribus complent. Inſinuant ſe corporibus hominum, & occultè in viſceribus operti valetudinem vitiant. Angeli enim qui in*

veritate

veritate non ſteterunt, capitali odio tùm in Deum, tum in homines, ad imaginem Dei factos & ſimilitudinem pluſquam capitali feruntur. Quia verò Deum ipſum lædere non poſſunt, Dei [illegible] multipliciter infeſtant: quod abunde teſtatur Hiſtoria Job. Nec tantum per occultas ſuggeſtiones, aut externa vi & inſidiis homines aggrediuntur, ad malum ſollicitant, & externâ impugnatione vel perdunt, vel perdere ſtudent: ſed quandoque etiam, Deo permittente, in humana corpora reali illapſione ſe inſinuant, eaque ingreſſi, velut in ſuam poteſtatem & dominium redigunt; eaque obſeſſa & poſſeſſa inhabitant: membris pro ſua libidine abutuntur: oculos excæcant: aures obſtruunt: linguæ fibulam injiciunt; pedes, manus, brachia, os, &c. diſtorquent: ſenſus interiores, & exteriores perturbant: quò volunt, inclinant: unde volunt, deducunt: varia, & miranda in iis, & per eos operantes: *ſed eos tantum poſſidere poſſunt*, ait Auguſt. Lib. 4. de Civ. Dei, cap. 32. *quos fallendo deceperint*. quod videtur innuere ipſemet Servator, ubi ad liberatum ait, *Noli amplius peccare, ne quid deterius tibi accidat.* Nec hominem eo modo poſſidere poteſt Dæmon, ut non aliter ſit in corpore, quam ſpiritus humanus, hoc eſt, *anima*, ineſt, realiter & ſubſtantialiter, ſed ut ventus ingreditur, & de loco, ad locum movetur. Nec eſt in homine ſpiritus immundus, quomodo Dei ſpiritus eſt, inhabitans, & menti illabens. citant è D. Thoma Quodlibet: 3. Q. 13. ar. 8. *Quantùm ad animum, non poteſt Diabolus inhabitare hominem, ſubſtantialiter, quia ſolus Deus illabitur menti. ſed quantum ad corpus, Diabolus poteſt hominem ſubſtantialiter inhabitare, ſicut patet in arreptitiis.* Permittit autem hæc Dominus, ait Bonaventura, ſive ad *gloriæ ſuæ oſtenſionem*: ſive ad *peccati punitionem*: ſive ad *peccantis correptionem*: ſive ad *noſtram eruditionem*. Quos autem ita redegit in poteſtatem Diabolus, immundus ipſe, quippe [illegible], & à nativâ puritate deficiens, ad omnes libidinum ſpurcities, & immunditias impellit, cum non niſi ſordibus delectetur. Quod verò tali ſpiritu poſſeſſus fuerit in Synagoga; declarat, ſitne vel commeare vel adduci eo *energumenos*, ut per lucida ſua ſaltem intervalla, intellectis Scripturis refocillentur. Quod ipſum per Eccleſiam etiam primitivam obtinuit.

Dæmonum poſſeſſio.

Audivit verò concionantem Servatorem aliquandiu, tacitus, & quietus, Dæmoniacus, nec ſtatim ab initio interfatur. obſervant enim uterque, Marcus & Lucas, populum obſtupefactum ad ipſius doctrinam: & tum demum narrant, Arreptitii illius interventionem. nec fortaſſis vel tunc interfatus fuiſſet Dæmon, niſi quòd res ipſius agerentur, cum de regno Dei, ἐν ἐξουσίᾳ loqueretur, unde deſolatio Satanici regni inferrebatur. Tum exclamat, *Quid nobis Tecum eſt? veniſti nos perdere?* non de finali perditione volebat, in judicio *magnæ diei*: ſed, quemadmodum alibi expreſſius profitentur, *Perdere nos ante Tempus.* Nimirum, quòd homines non perdere, ipſorum ſit perditio: &, cum non ſint, qui fuerint, 101

non eſt, quod velint vivere. Metuebant igitur, non modo, ne ex illo homine depellerentur, ſed ne in aliquos deinceps cum eſſent nocendi cupidiſſimi, invadere poſſent, ſed exterminati, in abyſſum cruciandi detruderentur: ante finale judicium, & omnimodò conſummatam ipſorum condemnationem.

102 *Dæmonis de Chriſto teſtimonium.* Impios, etiam Dæmonas vel invitos & reluctantes veritati teſtimonium, & quidem inſigne, perhibere interdum cogit Divina omnipotentia. idque hoc ipſo in loco patet. Non enim, *adulando*, quod Euthymius ſentiebat, Chriſto dixit Dæmon, *Novi qui ſis:* ſed quod Beda opinabatur, *Neceſſitate* extortam puto hanc Confeſſionem. *Non voluntatis*, inquit ille, *iſta confeſſio eſt, quam præmium ſequitur, ſed neceſſitatis extorſio, quæ cogit invitos confiteri.* ſed confiteri, quæ noverunt. alioqui *confeſſio* propriè non erit. Quocirca ait Dæmon, *novi qui ſis.* nempè, qui habeas in Nos poteſtatem, & de nobis, prout placuerit, diſpoſitionem, cum ſis, *ille ſanctus Dei.* Ita enim legendum eſt, non *ſanctus Dei*, cum veteri Interprete, qui fere ſemper, tanquam otioſum, articulum omittit, cum præcipua loci ſententia in eo verſetur. Et certè parum eſt ſciviſſe Dæmonem Chriſtum fuiſſe virum aliquem ſanctum, Deo dilectum, à Deo miſſum, virtutibus ornatum, tanquam unum aliquem è numero Prophetarum, utcunque cæteris eminentiorem, ſed agnovit illum, Naturâ ſanctum, τὸν ἅγιον, hoc eſt, Deum. ideoque Meſſiam, illum, Deſideratum omni nationi. *Non dixit ſpiritus immundus*, inquit Theophylactus, *Sanctus es: multi enim Prophetæ fuerunt ſancti: ſed, Es ille ſanctus: adjectione articuli: unicus ille, & prædefinitus ſanctus, Meſſias nempe.* atque ita rectè, vulgo interpretantur. Nimis autem ſubtilia ſunt illa aliquorum Interpretum, qui Dæmonem hoc effatum colludendo veluti, protuliſſe docent, quaſi vellet ſuſpicionem hominibus in Synagogâ conſtitutis injicere, non poſſe illum omnino Meſſiam eſſe qui de Bethlehem oriri debet, cum conſtet hunc, quem ſanctum Dei fatetur, Nazarethâ profectum, quem icciрco compellat, nec aliter, *Ieſum Nazarenum.* Loquebatur autem de more populari: & id quod omnes ſciebant verum eſſe, profitetur: ſed, quod obſervat Beda, neceſſitate, vel ut Græci dicunt, πεισαναγκη.

103 *An vere cognitum.* Quærunt hic an verè ſciebat Dæmon Jeſum Nazarenum eſſe τὸ ἅγιον Θεοῦ, Meſſiam, Deum, Dei filium. Hic autem imprimis obſervandum eſt, aliud eſſe, Agnoſcere Jeſum eſſe Meſſiam: & aliud, Jeſum eſſe Deum. Judæi enim Meſſiam ſuum quem expectabant, & expectant adhuc, non Deum, ſed hominem futurum expectant. Certè utrumque de Dæmonibus pronuntiat Scriptura. ſcimus quis ſis, hic aiunt, ſanctus ille Dei. & Luc. c. 4. expreſſè ait, *Exibant autem Dæmonia à multis clamantia, & dicentia, quia, Tu es filius Dei.* &, *Increpans, non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.* ſciebant ergo, Chriſtum eſſe, Meſſiam eſſe, filium Dei eſſe, & ſcientiam ſuam profitebantur. Non tamen in eum credebant,

obdurati

Digitized by Google

obdurati ſcilicet in malô, ſed quacunque ratione oppugnabant: ut hoc in loco verum ſit Apoſtoli illud apophthegma, Dæmones credunt, & contremiſcunt.

De hac autem menſura cognitionis Dæmonum, in varias ſententias, veteres & recentiores, abiere. Ignatii Patrum omnium in Eccleſia antiquiſſimi, ex illa ad Philippenſes, hæc ſententia eſt, Ἀγνοεῖς δὲ σύ τις ὁ γεννηθείς, &c. *Ignoras autem Tu, quis ille erat, genitus, qui Te quicquid eſt, intelligere, præ Te fers.* Legenda ſunt iſta affirmativè, non cum interrogatione: ut in vulgatis editionibus, etiam illâ nuperâ Genevenſi, quæ ſpecioſo titulo, fucum facit, de Ignatio emendatô. *At multa te latuerunt. Mariæ virginitas: & admirandus ille partus: quis ille erat, qui in corpore fuit. Stella, quæ dux erat Magis ab oriente; qui dona offerebant. Archangeli ſalutatio, virgini dicta: ipſius virginis, viro deſponſatæ partus inſolitus. Præcurſoris famuli præconium, de illo, qui è virgine naſciturus erat, cum rerum prævisarum conſcius, in materno utero ſubſultaret. Angelorum hymni, edito in lucem infante. paſtorum Euangelia, vel lætum nuntium. Herodis metus ne regno pelleretur. Mandatum de necandis infantibus, in Ægyptum commigratio: & exinde in iſtas Regiones regreſſus. Faſciæ & crepundia puerilia: Cenſus: & deſcriptio inter homines, lactentis educatio:* Nomen patris inditum, ejus qui non genuerat. *Præſepe, quia nullus alius locus ei eſſet*, &c. Deinde addit. *Tu ipſe tortus, & poteſtate ejus qui apparebat, flagellatus, nec ſciens quò te verteres.* Ταῦτ' ὁρῶν, ἰλιγγιᾷς. *Virginem eſſe, quæ peperit, ignoras. at obſtupefaciebant Te Angelorum laudes. Magorum adoratio: ſtellæ exortus: ſed in ignorantiam reveheris*, διὰ τὰ εὐτελῆ. *Talia enim, hoc eſt vilia videbantur, faſciæ, paſſiones, circumciſio, lactatio. Indigna iſta Deo, videbantur eſſe. Rurſus videbas hominem; quadraginta dies & noctes perdurare jejunum, ſine ullo humano alimento: Angelos miniſtrantes, quos & horrebas. cum videres illum, velut unum è multis, baptizatum: cujus rei cauſſam neſciebas: & poſt jejunium eſurientem demum, ſumptâ audacia, tentabas, ut communem hominem: neſciens quis erat: Dicebas enim, Si filius Dei es, dic ut lapides hi, panes fiant.* Illud autem, *Si filius Dei es*, ἀγνοίας ἐστί. *Si enim id revera reſciviſſes, intellexiſſes, quod ex æquo poteſt, rerum univerſarum conditor, & facere quòd non eſt, & mutare quod eſt.*

Hæc & alia fuſius perſequitur hieromartyr: Incertum fuiſſe Dæmonem concludens, quis qualiſve eſſet Jeſus Nazarenus: qui ideò, ob diverſas & labiles opiniones, in diverſa ſtudia, & molitiones contra eum diſtrahebatur: præcipuè poſtquam immiſerat in cor Judæ ut eum proderet, & Sacerdotum, ut eum crucifigerent, cum ad ipſam crucem deveniretur, omni ope, operâque impeditum ibat. Πρὶν μὲν γένηται ὁ σταυρός, ἔσπευδε γίνεσθαι, τοῦτον. καὶ ἐνήργει ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπωλείας, ἐνήργει ἐν Ἰούδᾳ, ἐν Φαρισαίοις, ἐν Σαδδουκαίοις, ἐν πρεσβύταις, ἐν νέοις, ἐν ἱερεῦσι. μέλλοντος δὲ γίνεσθαι, θορυβεῖται, καὶ μετάμελον ἐμβάλλει τῷ προδότῃ, καὶ βρόχον αὐτῷ δείκνυσι, καὶ ἀγχόνην διδάσκει. φοβεῖ δὲ καὶ τὸ γύναιον, ἐν ὀνείροις αὐτὴν καταταράττων, καὶ παύειν πειρᾶται τὰ κατὰ τὸν σταυρόν, ὁ πάντα κακῶν κινῶν εἰς τὴν αὐτοῦ καταστροφήν.

104 *De Dæmonum cognitione Patrum ſententiæ.*

Ignatii.

105 *Crucem volebat impedire Dæmon.*

Hæc eſt antiquiſſima in Eccleſia ſententia de ſcientiâ quam Dæmon habebat de Chriſto. Fidem nempè illius & ſcientiam, non fuiſſe ſtabilem, ſed fluxam. ſcientiam non certam, ſed potius conjecturalem: qualis erat proculdubio, & Judæorum, quam alicubi

Lib.18. Antiq.6. & Joſephus, minimè Chriſtianus, expreſſit, *Fuit & Ieſus ſapiens vir, ſi tamen virum nominare eum fas eſt, mirabilium operum effector, & doctor eorum hominum, qui libenter quæ vera ſunt, audiunt.* Ad hunc etiam modum & τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, Gentibus olim revelabatur. *Edo-*

Lib. 4. cap.14. *cuit autem Dominus*, cenſente Irenæo, *quoniam Deum ſcire nemo poſſit, niſi Deo docente, hoc eſt, ſine Deo, non cognoſci Deum.* Et igitur ſtatim infert, *Audivit quidem univerſus populus ſimiliter, non ſimiliter autem omnes crediderunt, & per ipſum, verbum, viſibilem & palpabilem factum pater oſtendebatur, etiamſi non omnes ſimiliter credebant ei. Et propter hoc, Omnes Chriſtum loquebantur, præſente eo, & Deum nominabant. ſed & Dæmones videntes Filium dicebant, ſcimus Te, qui es: Sanctus Dei.*

106 Adacti ſunt autem ad hanc confeſſionem, ex Irenæi ſententia, ut majus inde Teſtimonium Divinitati ejus accederet. ***Oportebat veritatem ab omnibus accipere Teſtimonium, & eſſe, judicium quidem in ſalutem Credentium, in Condemnationem autem non Credentium, ut omnes juſtè judicentur, & ea quæ eſt in Patrem ac Filium fides, ab omnibus comprobetur, id eſt, ab omnibus confirmetur, ab omnibus accipiens Teſtimonium, & à domeſticis, quoniam Amici: & ab extraneis, quoniam inimici. Illa eſt enim vera, & ſine contradictione probatio, quæ etiam ab adverſariis ipſis ſingula etiam teſtificationis profert, in ipſâ quidem manifeſta ſua viſione convictis, de præſenti negotio, & teſtificantibus, & ſignificantibus, poſtea vero ad inimicitiam erumpentibus, & accuſantibus & volentibus non eſſe, verum ſuum teſtimonium.*** Atque ita ex ſententia Irenæi, Ἐν δοίῃ μάλα θυμὸς, ἐπεὶ γένος ἀμφίεισον.

107 Tertullianus, Lib.5. contra Marcionem, cap.6. ſcribit, ***Ieſum quoque & ſecundum noſtrum Euangelium, Diabolus in Tentatione cognovit; & ſecundum commune Inſtrumentum ſpiritus nequam: ſciebat enim Sanctum Dei eſſe, & Ieſum vocari, & in perditionem eorum veniſſe.*** Et in Libro contra Praxeam: ***Hoc & Satanas eum in tentationibus agnovit: Si filius Dei es. Hoc & exindè Dæmonia confitentur, ſcimus qui ſis, Filius Dei.*** Verum ſuam ille ſententiam clarius ediſſerit, Lib.4. contra Marc. cap.6. ***Sed & habebat utique ſenſum aliquem Dominicæ diſpoſitionis, licet Dæmon tamen, magis quam alienæ, & nondum ſatis cognitæ. Nam & præmiſit,*** Quid Nobis & Tibi? ***non quaſi in extraneum Ieſu, ad quem pertinet Spiritus Creatoris. Nec enim dixit,*** Quid Tibi & Nobis? ***ſed,*** Quid Nobis & Tibi, ***ſe deplorans, & ſorti ſuæ exprobrans, quam jam videns, adjicit,*** veniſti perdere nos? ***adeò judicis, & ultoris, & ut dixerim, ſævi Dei filium agnovit, non optimi illius, & perdere & punire neſcientis. Quorſum hunc locum præmiſimus? ut & Ieſum à Dæmone, non alium doceamus agnitum, & à ſemetipſo, non alium confirmatum, quam Creatoris.*** Cyprianus, Lib. de

jejuniis

jejuniis & tentationibus Chriſti, non recedit ab hac opinione. *Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant: Nec vult fateri, nec præſumit Diabolus diffiteri Chriſtum filium Dei, ſed dubiè diſpenſeque conſulens, tendiculas blandiis innectit ſermonibus, ut obaudientem ſibi reddat obnoxium, & ſe de compaſſionis ſpecie reddat acceptum.*

Citat & ex Euſebii Demonſt. Lib. 10. cap. 8. Barradas, *Dæmones dum animam humanam, & cæteris ſimilem, nec amplius præterea quicquam eſſe arbitrantur, quod in corpore Ieſu habitabat, aperuerunt os ſuum, ut quemadmodum alias hominum animas conſueverant, ita etiam hanc devorarent.* Sed hoc Teſtimonium eſt ἀπροσδιόνυσον. Nam de Chriſto mortuo, ſepulto, & verſante apud Inferos loquitur, non de eo ἐπὶ χθονὶ ἐρχομένοιο. id quod altero Teſtimonio clarius patet, quod è 7. ἀποδ. protulit idem Barradas: Locus Euſebii habetur, p. 377. nuperæ editionis, quæ nobis multum debet. *Sanè illum, Fratres miraculorum gratia, tanquam admirabilem virum duntaxat, ab initio laudavit. quippè qui unum aliquem de Prophetis, ut veriſimile eſt, illum eſſe ſuſpicarentur. Sed ubi interim admirabiles, & omnem fidem excedentes, illius actiones intuentur, & quemadmodum, inimicum, & ultorem, mortemque ſæculi iſtius Dominam, unà cum reliquis, & inviſibilibus hujus mundi poteſtatibus ſuſtinuiſſet, tum verò, Deum illum eſſe credentes, adoraverunt. Manus autem Servatoris noſtri in tergo inimicorum ſuorum fuere: quo tempore ſcilicet, omnes actiones ſuas, & virtutes, & geſta prodigioſa, ad delendos Dæmonas & malignos ſpiritus, intendebat. Quinetiam cum manus ſuas expandiſſet in Cruce, tum quoque manus ejus fugientibus inimicis, & eidem terga dantibus, in tergo inimicorum fuerunt. magiſque etiam, cum patri reddito ſpiritu, & ſuæ carnis expers, & eo quod aſſumpſerat corpore nudatus, qui ipſa vita erat, ad loca inimicorum deſcendit, ut & mortem & reliquas quæ adverſus ipſum poteſtates, diſſiparet: quas quidem veriſimile eſt, communem quendam hominem, ac reliquis ſimilem, ratas fuiſſe illum: itaque circa eundem ſtetiſſe, & quaſi unum de multis adortas, at ubi præſtantiorem agnoverant, quàm ut homo exiſtimari poſſet, ac diviniori naturâ præditum, & converſas eſſe, & terga illi dediſſe.* 108

Vult ergo Euſebius, Dæmonas, nec vivum nec mortuum Dei filium agnoviſſe pro certo, ſed inter utramque opinionem fluctuaſſe. Auguſtinus ſuam ſententiam expreſſit, de Civit. Dei, Lib. 9. cap. 22. *Ipſi autem Dæmones etiam hoc ita ſciunt, ut eidem Domino infirmitate carnis induto dixerint.* Quid nobis & tibi Jeſu Nazarene? Veniſti ante tempus, perdere nos? *Clarum eſt in his verbis quod in eis tanta ſcientia erat, & charitas non erat. Pœnam quippè ſuam formidabant ab illo, non in illo juſtitiam diligebant. Tantum verò iis innotuit, quantum voluit, tantum autem voluit, quantum oportuit. Sed ſic innotuit, non ſicut Angelis ſanctis, qui ejus ſecundum id quod Dei verbum eſt, participatâ æternitate fruuntur, ſed ſicut eis terrendis innoteſcendum fuit, ex quorum tyrannica quodammodo poteſtate, fuerat liberaturus prædeſtinatos in ſuum regnum. Innotuit ergo Dæmonibus, non per id quod eſt vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios, ſed per quædam* 109 111

quædam temporalia ſuæ virtutis effecta, & occultiſſimæ ſigna præſentiæ, quæ Angelicis ſenſibus, etiam malignorum ſpirituum potius quam infirmitati hominum poſſent eſſe conſpicua. Denique quando ea paululum ſupprimenda putavit, & aliquanto altius latuit, dubitavit de illo Dæmonum Princeps, eumque tentavit an Chriſtus eſſet, explorans quantum ſe tentari ipſe permiſit, ut hominem quem gerebat, ad noſtræ imitationis temperaret exemplum. Poſt illam vero tentationem, cum Angeli ſicut ſcriptum eſt, miniſtrarent illi, boni utique & ſancti, ac per hoc ſpiritibus immundis metuendi & tremendi, magis magiſq; innoteſcebat dæmonibus quantus eſſet, ut ei jubenti, quamvis in eo contemptibilis videretur carnis infirmitas, reſiſtere nullus auderet.

110 Leo, Ser. 18. de Paſſione, adhæret iis qui Dæmonem volunt ignoraſſe quis eſſet Jeſus. *Hoc magnum pietatis Sacramentum, ſicut Iudaïca impietas, ita Diabolica malignitas neſciebat. Quia hoſtem humani generis latebat conſilium miſericordiæ Dei, & oppoſito carnis velamine, Deus in Chriſto, mundum ſibi reconcilians tegebatur, perſtitit in eum furere, in quo nihil ſuum poterat invenire.* Hoc paullo prius ediſſeruerat inquiens, *Inimicus humani generis, mortificatæ in ipſâ origine univerſitati, lethale vulnus intulerat, nec poterat declinare jus ferreum deditícii ſeminis captiva progenies. Vndè cum in tot generationibus mortali ſibi lege ſubjectis, unum videret inter hominum filios, cujus virtutem ſuper omnes totius temporis ſanctos miraretur excellere, ſecurum ſe fore credidit de perpetuitate ſui juris, ſi nulla juſtitiæ merita, ſævæ potuiſſent ſuperare vim mortis. Famulis itaque ſuis & ſtipendiariis vehementius incitatis in præjudicium ſuum ſævit.* Gregorius Nazianzenus, non Orat. 42. ut habet Barradas, ſed 39. pag. *622.* de Dæmonibus Chriſtum agnoſcentibus ait, ἔτοι τὸν ἐλαύνοντα Θεὸν ᾔδεσαν. ἐπειδὴ ὄντο γὰρ, ἐξ ὧν ἔπυχον. & in ἀ. στηλ. affirmat, eos ἄκοντας Ἰησοῦν ὁμολογεῖν. Hic autem objicitur, cur Jeſus Dæmonem increpuit ſi veritatem agnitam profeſſus eſt? Reſpondet Tertullianus, ubi ſupra, *Planè ut invidioſum, & in ipſa confeſſione petulantem, & malè adulantem, quaſi hæc eſſet ſumma gloria Chriſti, ſi ad perditionem Dæmonum veniret, & non potius ad ſalutem hominum, qui nec Diſcipulos de ſubactione ſpirituum, ſed de candido ſalutis gloriari volebat.* Cont. Mar. 4. *6.*

111 Hæc & hiſce ſimilia Patres de ſcientiâ, & ignorantiâ Dæmonum, circa *perſonam*, & *officium* Servatoris. Scholaſtici, & recentiores, magis propriè, & ad rem congruè loquuntur. agnoviſſe Meſſiam: ſed non certò, aut indubitanter. non certitudine abſolutâ ac ſtabili. ſecundò, potuiſſe, hoc certius cognoſcere quàm homines. nimirum propter majores ſapientiæ & intelligentiæ dotes. ſed diſpenſatione Divinâ prohibitos, ne Chriſti *paſſio*, & mundi *redemptio* impediretur. poſt conſummatam paſſionem abſolutâ, ſed non ſalutiferâ ſcientiâ, propter obdurationem, cognoviſſe. Qui aliter ſentiunt, ultra moralem, ut appellant ſcientiam non aſſurgunt, & conjecturalem. Videndus Barradas, Tom. 2. Lib. 5. cap. 10.

Increpavit

Increpavit itaque Dæmonem proloquentem Jeſus, & quidem 112
vehementius: nam *Comminatus eſt ei*, Marcus inquit: & ut obmuteſceret & exiret de homine, ſeriò imperat. Cui imperio ſtatim paruit; ſed quantum potuit & audebat, reluctatus, & malitiam inveteratam in humanum genus, prodens. Nam cum projeciſſet illum in medium, diſcerpens hominem, hoc eſt, corporis membra diſtorquens, ita tamen ut minimè illum læderet, mutilaret, aut vulnus infligeret, & voce magnâ ac horrendâ exclamans, exiit ab homine. Quo viſo, qui præſentes aderant obſtupefacti, & timore perculſi, admirantesque dicebant, *Quodnam eſt hoc verbum:* quale, cujus mandatum tam efficax, quia *in poteſtate & virtute imperat immundis ſpiritibus, & obedientes illi, exeunt.* Hinc factum, quod in ejuſmodi rebus accidere ſolet, ut ſtatim diſſeminaretur hujus facti fama, per omnes Galilææ Regiones.

Digrediens autem, finitâ concione, de Synagogâ, Jeſus, introivit
in domum Simonis Petri: qui Capernaumi, unà cum Andrea 113
fratre, ὁμοτραπεζίῳ, habitabat, comitantibus Jacobo & Johanne, ὁμοτέχνοις. Erant enim omnes Piſcatores, & ſocii. Marcus ſolus, hujus rei author, inquiens, *Et protinus egredientes de Synagogâ, venerunt, in domum Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Iohanne.* Volunt autem tunc non habitaſſe ibi Petrum, quia omnia reliquerat, & ſecutus fuerat Jeſum. Inepte: Nam uxorem & fortaſſis filiam Petronillam, oportebat alicubi diſponi. quin & *ſocrum* ejus hâc in domo habitaſſe certum eſt. Nec ita omnia reliquerat Simon poſt vocationem, ut non interdum, ad viſendam familiam recurreret, & res ſuas familiares procurandas, quas *ſocrui, uxori, & famulis* committere poterat. Stultum eſt quod comminiſcuntur, *Intravit in domum Simonis:* hoc eſt, in domum, quæ fuerat Simonis. non adeò deſipuit Cardinalis, ut hoc aſſereret. Nec verum eſt, quod volunt alii, Intravit in domum Petri, quæ Bethſaïdæ erat. Oriebatur certè Simon è Bethſaïdâ: ſed habitabat Capernaumi: ita enim ſolent frequentiſſimè homines, de natali ſolo alium in locum tranſire: Certè hæc geſta ſunt Capernaumi, & non Bethſaïdæ. Quocirca, *Protinus, Surgens ingreſſus eſt:* quaſi nec longè diſtaret illa domus à Synagogâ. In illa autem domo, ſocrus Simonis magnis febribus tenebatur, ita ut lecto affigeretur. Quod renunciant præſentes Jeſu, de ſtatu mulieris certiorem eum facientes, & intercedunt pro illâ, ut ſanitati reſtituatur. Non abnuit; ſed accedens ad illam, & juxta illam conſiſtens, imperavit febri ut dimitteret illam, & apprehenſâ manu elevavit eam: quæ continuò, ſana ſurrexit, & miniſtrabat ipſis accumbentibus. Veſpere facto, eodem die, cum jam occidiſſet Sol, acceſſerunt ad eum confertim, variis morbis, & infirmitatibus conflictati; quos ſine morâ reſtituit omnes ſanitati. ἔιδες τὸ πλῆθος, εἰς πίστιν αὐξόμενον λοιπόν. Quaſi multitudo ex fide conceptâ accurreret, Chryſoſtomus obſervat, nec immeritò. Neque enim tempus cum eſſet, recedere volebant: & opportunum ſibi rebantur, uſque ad *veſperam*, illi adhærere,

Domum Petri adit Ieſus.

Quam nullam habuiſſe ineptè putant.

adhærere, ægrotantes ei repræſentare. Tu autem hic obſerva, quam magnum numerum Sanatorum, ſilentio omiſſos prætereunt Euangeliſtæ. neque enim ſigillatum unum nobis poſt alterum, eos recenſent, ſed uno verbulo expedientes, πόλλας ἀρρώστων δαιμονίων ἐθεράπευσεν. hæc ille.

114 Pernoctaſse videtur apud Simonem. nam, quod habet Marcus, *Diluculò ſurgens, egreſſus, abiit in deſertum locum, ut ibi oraret. Et ſecutus eſt eum Simon, & qui cum illo erant.* Andreas nempe, Jacobus, Johannes. Exiit autem, ante ortum ſolis. πρωῒ, ἔννυχον λίαν, cum adhuc Tenebræ eſſent: ut confluentem turbam non præſtolaretur: & opportuno tempore vacaret Orationi. Manè enim ſurgere ad Laudandum Deum, etiam olim in Iſraël ſolebant pii viri. Orto jam ſole, veſtigia ejus inquirendo premebant Petrus, & ſocii ejus. cumque inveniſſent ſolum, ac ſolitarium, intentum Orationi, à Turbis eum quæri renuntiant, &, quod videtur, rogant, ut revertatur. ille autem ſe non miſſum ad ſolos Capernaïtas reſpondet, ſed ut alibi quoque Euangelium annuntiaret. *Eamus,* itaque inquit, *in proximos vicos & civitates, ut & ibi prædicem. ad hoc enim veni.* Iturum, accedunt turbæ, & detinebant illum, ne diſcederet ab iis. ſed reſpondet, etiam turbis, *& alibi oportet me prædicare.* Abiit itaque in alia oppida, & vicos circumjacentes, ſequentibus illum turbis, quocunque iret, & accedentibus aliis, per illas civitates, adeò ut ingenti multitudine virorum & mulierum ſtipatus incederet. Quorum preſſus multitudine, juſſit ut apparatâ naviculâ transfretaret. Quod cum Simon & ſocii expedirent, verſus Mare Tiberiadis inſtituit iter. Inter eundum, dixit quidam ad illum, (ſcriba ille fuit, authore Marco) *Sequar Te, quocunque iveris:* proculdubio captatâ dicendi occaſione, quia *ſe velle transfretare,* dicebat Jeſus. reſpondet autem illi, *Vulpes foveas habent,* &c. Hilarius ita concipit, quaſi interrogaſſet Dominum Scriba an pateretur ſe ſequi: non ut affirmaverit. Hieronymus opinatur lucri cauſſa voluiſſe illum cum Domino eſſe. Auguſtinus è jactantiâ, & ambitioſâ vanitate, voluiſſe ſequi: Quippè qui rebatur, ſe nominis celebritatem conſequuturum, ſi in Domini contubernium recipi poſſet. Potius crediderim, ex affectu bono, ſed ſubitaneo motum miraculis, non fide ſtabilitâ, firmâ, fixâ, id deſideraſſe: nec ſatis comparatâ, ad ſubſiſtendum in illâ Scholâ & Diſciplinâ, quæ multis exponenda fuit difficultatibus, ideoque Servatorem, certiorem illum reddere voluiſſe, ut ſubductis calculis apud animum ſuum ſtatueret, utrum illi ſe tradere & vellet & poſſet in magiſterium, qui non haberet ubi reclinaret caput.

Scriba volens Chriſtum ſequi.

115 Alter ab illo idem ſervitium offert, *Sequar Te,* inquiens, *ſed permitte me primum ſepelire patrem.* Is autem titulo Diſcipuli inſignitur. Nimirum, quia hiſce deinceps accenſebatur, non quod in præſenti Diſcipulus eſſet: Neque enim dixiſſet *Sequar Te*, cum jam ſequeretur. Quod ſi vera eſſet Clementis Alexandrini ſententia,

Item alius.

Digitized by Google

tentia,quam in ſuperioribus commemoratam dedimus,Philippum fuiſſe oportet eum, cui illa referebat Dominus, *Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos.* ſed incertâ Traditione ſubnixus Clemens,falſum & commentitium nobis diſcipulum donat. Primus enim omnium Philippus vocabatur. ſed nec Matthæus fuit: nec in illo errore verſabatur Tertullianus de Bapt. cap. 12. Quiſquis erat, veniam petit ſepeliendi patrem: ſequebatur Chriſtum, & in itinere accepit nuntium de patris exceſſu: quem volebat ſepelire præſens. Quod officium ſine dubio parenti præſtandum, nec negaſſet, nec impediſſet Chriſtus. Non opinor habuiſſe illum patrem tum,vita functum: ſed in extremâ verſantem ſenectute,adeò ut diu ſuperſtes in vitâ eſſe nequiret: profitetur igitur, ſe libenter Chriſtum ſecuturum, ſed petere aliquam comperendinationem uſquedum pater excederet, cui ſilicernio, baculus ætatis eſſe cuperet. Et hæc eſt ſententia Theophylacti, probabilior quam illa aliorum, etiam Chryſoſtomi, quem hic non ſequitur Theophylactus, ut in pleriſque ſolet.

Succedit tertius inter volones iſtos, is autem & ſuæ dilationis cauſſam ſuggerit, ut reverſus domum, diſponat de re familiari. Permitte me primum ἀποτάξασθαι, renuntiare rebus meis domeſticis. Cui Servator, *Nemo mittens manus ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt, regno Dei. Quando enim parat Deus Evangelio*, cenſente Auguſtino, *nullam excuſationem vult interponi carnalis hujus, temporaliſque Pietatis, ne poſt exordia boni operis, ad mala revertatur, quæ reliquit.* 116 *Et tertius.*

Interea, ut conſtituerat, ad mare accedens, paratam ſibi naviculam aſcendit,unà cum Diſcipulis ſuis.Inter autem navigandum, obdormivit in puppi ſuper cervical: & ecce motu magno, & vi ventorum vehementiori mare inſurgebat, adeò ut valdè periclitarentur navigantes. Non erat autem vel ordinaria, vel naturalis hæc procella, ſi gloſſam audiamus; ſed de voluntate & imperio Servatoris. ſic enim tranſcriptum eſt ex Origene, Homil. 6. in diverſos. *Tempeſtas non ex ſe orta eſt, ſed poteſtati paruit illius & imperio, qui producit ventos de Theſauris ſuis.* atque hoc videtur textus inſinuare; *deſcendit*, enim, *procella*, ait Lucas; quaſi ſubitò, & inexpectata; nam malacia erat, & tranquillitas, cum naviculam aſcenderent. Ideo etiam *obdormivit*. Nam ſi vigilantem vidiſſent Dominum,aut non adeò timuiſſent,aut petere, ab eo ſalutem, qui pericula eorum oculis ſuis videbat, neglexiſſent: aut non poſſe eum fluctus ſedare putaſſent. icciccò dormit, ut timoris cauſſa major ipſis præberetur, & ſenſus eorum apertior, ad miracula redderetur. ita Chryſoſt. Hom. 29. in Matth. 117 *Mare turbatum.*

Vehementius igitur periclitati, eum accedunt, ſomno ſopitum, & cum excitaſſent, aiunt, Magiſter, nonne tibi curæ eſt noſtra ſalus? En perimus. Ille autem exurgens, dixit mari, *obmuteſce.* & imperavit ventis, qui ſtatim tacuerunt. *& facta eſt tranquillitas magna.* ſupra quidem, ſi non contra naturam. Non enim ſtatim ſedatâ 118 *Diſcipuli periclitantur.*

Digitized by Google

tempeſtate, & vi depulſâ ventorum acquieſcit mare, ponunt ſe fluctus, ſed aliquandiu fervent, nec ſubitò detumeſcunt. Hoc autem ſola vocis increpatione fecit. *Non virgam, ut Moyſes, tetendit. non aquas percuſſit. non manus in cœlum extulit, non precibus ullis indiguit*, Chryſoſtom. ait, *verum, ut Dominus, ancillæ imperans, & conditor ſuæ creaturæ, ſic fluctus depreſſit franavitque ſolo verbo, atque præcepto*. Quod cum viderent vectores, & juxta ſimul navigantes dicebant, *Qualis eſt hic, quia mare & venti obediunt illi?* Nam nec ſoli Diſcipuli, & nautæ aderant, in unâ navi, ſed aliæ ſimul aderant naviculæ. Quanquam non poſſim ire in Ambroſii ſententiam, qui ita plures adfuiſse naves aſſerit, ut Petrus & Judas ſimul non navigarent. *Non turbatur*, inquit, *navis, quæ Petrum habebat: turbatur illa quæ Iudam habuit*. Subtiliter nimis. neque enim Judas adhuc, aut Diſcipulus fuit: aut non malus. & ſi Diſcipulus, in eadem naviculâ cum Petro & Chriſto navigabat; *ipſe aſcendit in naviculam, & Diſcipuli ejus*, ait Lucas. *& aliæ naves erant cum illo*, inquit Marcus. Fruſtra igitur de diverſis naviculis Petri & Judæ obtrudunt. & ratio conſtat de admirantibus, & dicentibus, quis eſt iſte? cum multi de turbis comitarentur eum.

119 Transfretato Mari, vel Lacu Galilææ, qui ad 40 ſtadia diffundebatur, navigarunt ad Regionem Garaſenorum, quæ eſt ex oppoſito Galilææ: vel etiam Gadarenorum: aut Gergeſenorum. Gergaſi. vel Gargaſi, apud Hieronymum, de locis Hebraïcis, *trans Iordanem erat, juncta Monti Galaad, quam tenuit Tribus Manaſſe. Et hæc eſſe dicitur nunc Geraſa, urbs inſignis Arabiæ. Quidam autem ipſam eſſe Gadaram exiſtimant*. Et iterum, *Gadara urbs eſt trans Iordanem, contra Scythopolim & Tiberiadem, ad Orientalem plagam, ſita in Monte, ad cujus radices aquæ calidæ erumpunt, balneis deſuper ædificatis*. Et eodem Libro, de Gergaſa, ubi eos qui à Dæmonibus vexabantur Servator, reſtituit ſanitati. *Et hodie ſuper Montem, viculus demonſtratur, juxta ſtagnum Tiberiadis in quod Porci ſunt præcipitati*. In Græcis Matthæi Codicibus legitur, venerunt in Regionem Γεργεσηνῶν. apud Marcum & Lucam, Γαδαρηνῶν. in Biblius Latinis utrobique Geraſenorum, ſed hæc diverſitas *nominalis*, & non *realis* eſt. Geraſenorum Regio, ab urbe Geraſa appellabatur. Geraſa, dicebatur per metatheſin Gergaſa. unde Gergaſeni iidem qui Geraſeni. præter Geraſa, erat in eadem Regione urbs Gadara, unde & incolæ, Gadareni.

Gergaſeni.

120 Quæritur autem an fuerint Judaïcæ Gentes, atque urbes. doctiſſimus Exercitator, Græcanicas fuiſſe & Paganicas contendit. ſaltem Gadara, non fuiſſe Judaïcam urbem. Baronius contra vult, fuiſſe Judaïcam: in Tribu Gad: à quo Patriarcha, nomen deducebat. de nomine non contenderim: fuiſſe in Tribu Gad, & Judaïcam urbem, cum Baronio cenſuerim. at Pompeius inquit Joſephus, inter cæteras Ἑλληνίδας πόλεις ademit Judæis Gadaram. Eſto. tamen hoc non evincit, non fuiſſe ſitam, aut ſpectaſſe ad Tribum

Tribum Gad. non magis certè, quàm Samariam non pertinuiſſe ad Tribum Ephraim, quod illam, deportatis inquilinis trans Euphratem, Cuthæi incoluerunt. Per tot annorum Centurias revolutas, Gadara Judaïca urbs, poterat in Gentium poteſtatem tranſire, & demum à Judæis recuperari. nec eſt hæc mera aut nuda conjectura; Joſephus tradit. 1. de Bell. 5. Ἀνακτίζει δὲ καὶ Γαδαρὰν ὑπὸ Ἰουδαίων κατεστραμμένην, Γαδαρεῖτῃ τινὶ τῶν ἰδίων ἀπελευθέρων Δημητρίῳ χαριζόμενος. qui apud eum Pompeium nempè gratiâ, & authoritate plurimum pollebat. nec κατάσκαψις illa Judæorum, probat fuiſſe πόλιν Ἑλληνικήν: non magis quam Hippos, Scythopolis, Pella, Samaria, & aliæ, per Joſephum nominatæ urbes Græcæ fuerant, quas ibidem Joſephus refert per Judæos ſubverſas. Illud autem frivolum eſt, quo probare vult Gadaram ab initio ſaltem non fuiſſe Judaïcam, quia multi clari Philoſophi & Philologi erant Gadaris oriundi. Nam non negatur, Græcos illam urbem inhabitaſſe. non aſſeritur, Philoſophos vel Philologos de Judæis non poſſe prodire. hoc enim falſum eſt. nam Philo ſaltem, Joſephus, Juſtus Tiberiadenſis Judæi erant. Geraſa potius erat Græcanica urbs. nam multi inde eruditi oriebantur. Γέρασα πόλις τῆς κοίλης Συρίας, inquit Stephanus, τῆς τεσσαρεσκαιδεκαπόλεως. ἐξ αὐτῆς Ἀρίστων ῥήτωρ ἀστεῖος, ὡς φίλων καὶ Κήρυκος ὁ σοφιστής. καὶ Πλάτων νομικὸς ῥήτωρ πᾶσαν παίδευσιν, ὡς μίαν, ἀποστοματίζων. Nec objectio illa de porcis abjudicat à Judæis illam urbem aut regionem. Comedere ſuillam, interdictum fuit Judæis, minimè autem porcos paſcere. cum verò rei augendæ imprimis intenti Judæi eſſent, & mercaturam frequentarent, maritimas incolentes urbes vel regiones, quidni porcos alerent, quos occiſos, & ſalitos venderent? Ita veriſſimè cenſuit Baronius, quod nec diffitetur, nec improbat Exercitator. Ad ſuppeditandam annonam Romanis militibus, certum eſt, ſicut & in aliis Provinciis, in Palæſtinâ ſues ali conſueviſſe. Eâ de cauſſa, & multa ſuariis conceſſa privilegia leguntur, in Cod. Theodoſiano. Opponit è Rabbinis Decretum, Hyrcani & Ariſtobuli tempore factum, quo dicitur, *maledictus eſto, qui aluerit ſuem.* ſed reſpondeo, Decretum illud aut non obtinuiſſe, aut reſciſſum fuiſſe, aut praxi contrariâ abolitum. aut quod verum arbitror, mendacium eſſe merè Rabbinicum.

Exeunti Domino de navi, ſtatim occurrit ei vir quidam Dæmonium habens, & ſpiritum immundum, jam à multis retro annis. qui nec veſtitus incedebat, nec aliquando domos ingrediebatur, utpote nulla habens lucida intervalla, ſed perpetuò verſabatur, foris, in agro, inter monumenta. Catenis ligatus, facilè tanquam ſtuppam, aut filum, eas frangebat, ferociſſimus erga viatores, dies ac noctes continuas, agebat in ſepulchretis, vociferans & concidens ſe lapidibus. Non enim unus aliquis de ſpiritibus immundis, ſed plures, Legio ſcilicet, ut ſtatim reſpondent, calamitoſiſſimum hunc hominem poſſederant. Energumenus iſte, cum à longè vidiſſet Jeſum ambulantem, feſtinatò accurrit, in faciem procidit, eumque veneratur, clamans voce magnâ, quemadmodum ille alter immundus

[Margin: 121 *Dæmoniacus ſanatur.*]

immundus ſpiritus in Synagogâ Capernaumi, *Quid mihi Tecum eſt Ieſu Fili Dei altiſſimi? adjuro te per Deum, ne me torqueas.* Jam enim,ad primum congreſſum,mandarat Diabolo,ut exiret. Quaſi tormentum eſſet Diabolo, ſi quando per Divinam bonitatem & omnipotentiam malitiæ ipſius frænum injiciatur.cætera quæ ſequuntur de hoc miraculo,fuſius commemorantur ab Euangeliſtis: quæ ſtrictìm,& rectè,ubi attigerat Baronius,ad alia deſcendit, huc pertinentia.

122 Imprimis citat ex Epiphanio, contra Ebionitas, de Gadara civitate, fuiſſe, non longè ab illa, in agris ſepulchra, in ſpeluncis, de Petra exciſis,ubi malefici & præſtigiatores, ſuas exercere ſolebant Incantationes. Locus quem indicat extat Hæreſi 30,contra Ebionæos, pag.131. Edit. nupera. Narrat autem Ellelis Judæorum Patriarchæ,ſive Principis,filium impuberem,à familiaribus quibuſdam ſuis,moribus depravatum, *Fortè, autem* addit, *Gadara, ad thermas proficiſcuntur. Frequens illic Mercatus, quotannis celebratur, ad quem undique, lavandi cauſa per dies aliquot confluunt, variorum ad morborum remedium. idque callidiſſimo Dæmonis conſilio geritur. Nam quæcunque loca, divinis ſunt celebrata prodigiis, in iis, ex adverſo exitioſas ſuas plagas tendere conatus eſt.* Quibus verbis videri poſſit Epiphanius inſinuare, non naturali quadam vi & facultate medendi, licet occultâ, præditas fuiſſe aquas illas Gadarenſes, ſed adventitiâ,maleficâ nimirum Dæmonis arte,& impoſtura.deinde, medicam hanc facultatem, non ab omni retrò memoriâ, ſed tantum poſt miraculum illud editum in agro Gadarenſi, in Dæmoniacum illum,obtinuiſſe. quod omnino falſum eſt. Joſephus enim Libro Antiq.17. ubi de tormentis & morbo Herodis illius Infanticidæ agit, meminit Thermarum ad Callirrhoen, *in agro* Gadarenico. Ποταμόν τε περάσας Ἰορδάνην, θερμοῖς, τοῖς κατὰ Καλλιῤῥόην αὑτὸν παρεδίδου; ἃ τὸ σὺν τῇ εἰς πάντ' ἀρετῇ, καὶ πότιμα ἐστίν. ἔξεισι δὲ τὸ ὕδωρ τοῦτο, εἰς λίμνην τὴν ἀσφαλτοφόρον λεγομένην. Quæ eadem repetuntur in ά, περὶ ἁλώσ. ſed proſequitur narrationem ſuam Epiphanius. *Illic, viri cum mulieribus promiſcuè lavare ſolent. Ac tum fortè erat in balneis, ingenua quædam mulier, eximia corporis ſpecie ac venuſtate. Adoleſcens autem ille, uſitatæ libidinis tentigine tactus, eam cepit concupiſcere. ac per balnearum ſolium ambulans, latus ſuum ad mulieris latus affricuit.* Illa, ἑαυτὴν ἐσφραγίσατο εἰς ὄνομα Χριστοῦ. Chriſti nomine invocato,ſemet Cruce ſignat. nam Chriſtiana erat : atque ideò minus decuit illam,ad hunc modum peccare,ut cum viris & fœminis promiſcuè lavaret. ſed ita tranſgredi divina mandata, non raro contingit, ab imperitis,rudibus,& ignaris,propter τῶν διδασκάλων ῥᾳθυμίαν, qui nullis ipſos documentis præmuniunt. *Deus autem, ut ſua miracula revelaret, fecit ut omnibus ſuis conatibus adoleſcens ille excideret, qui miſſis ad eam nuntiis, muneribus ſollicitavit, quæ & internuncios contumeliis onuſtos demiſit, & impudici amatoris artibus reſtitit, ita ut vanas redargueret.* Hæc & alia Epiphanius. Nam ad illa ſepulchreta, quæ πολυάνδρεια vocat,ubi Dæmoniacum illum,Legione poſſeſſum,

Epiphanii narratio, de maleficis Gadarenſibus.

verſatum

Digitized by Google

verſatum narrat, magicas ſuas incantationes exercuiſſe illum adoleſcentem, cum ſuis ſociis, ad percellendum animum illius mulieris: ſed fruſtra. ſed οὐκ ἴσχυσεν, ἔνθα ὄνομα Χριστοῦ καὶ σφραγὶς σταυροῦ φαρμακείας δύναμις.

De hac Hiſtoria litem intendit Cardinali Exercitator. Negat hoc Epiphanium dicere, quod refertur à Cardinali. Baronii verba ſunt, rem hanc narrantis, *Subdit Epiphanius perpulchrum exemplum, de muliere Chriſtianâ, quod virtute ſigni Crucis liberata ſit à laſcivo juvene, ſibi Dæmonis arte illudente.* rectè negat. nuſquam enim reperiet apud Epiphanium, ſola illa verba, & ſolitaria, *Signi Crucis virtute, liberata eſt mulier.* Narrat ille, mulierem ſe in Nomine Chriſti, ſigno Crucis muniviſſe, & conſignatam ita, liberatam à laſcivo juvene. ſed inquient, ſignum quo ſe muniebat, erat Crucis ſignum. Erat, nec Caſaubonus, opinor, voluit, certè non debuit, hoc inficiari. Explicat autem modum loquendi, illius Cyprii patris, *In nomine Chriſti ſe conſignaſſe:* hoc eſt, opem à Chriſto, precibus & deſiderio poſtulaſſe, facto ſignaculo ſanctæ Crucis. nimirum, ut eo facto teſtaretur, ſe ad illum pertinere: ſub illius vexillo ipſam militare. Addit autem Epiphanius, expeditam & liberatam ab inſidiis mulierem, illo ſigno facto. Certè. & ideò, ἵνα δείξῃ ὁ Θεὸς τὰ αὐτοῦ θαυμάσια. Argumentum ita Exercitatoris, in hunc modum procedit. Quæ in nomine, & per virtutem ac potentiam Chriſti liberabatur, non erat liberata per virtutem Crucis Chriſti, in ſigno nudo. At illa liberabatur in nomine, per virtutem Chriſti, id ῥητῶς affirmat Epiphanius. Ergo non virtute ſigni Crucis Chriſti. Neq; enim, virtus Chriſti, & virtus Crucis Chriſti, idem ſunt. Omnino inter Dei θαυμάσια, Chriſti Crucem, & Crucis illius trophæa, reponere debemus. Filium Dei, nemo Chriſtianus ignorat, nullus diffitetur, glorioſiſſimam omnium victoriam, de potentiſſimis & periculoſiſſimis hoſtibus, In Cruce, & per Crucem, reportaſſe. 123 *Signum crucis.*

Calumniantur autem qui Eccleſiam aiunt Anglicanam, Crucis trophæa à Dei mirabilibus ſeparare. nec debuit hoc ex Epiphanii narratione deduci, cum fateatur qui accuſat, geminam eo loco cauſſam narrari ab Epiphanio, quæ utraque concurrebat, ad mulieris illius liberationem. Finalem, unam, hoc eſt, manifeſtationem magnalium Dei. Efficientem alteram, Nomen Chriſti. Nomen nimirum Chriſti προηγουμένως: & ſignum Crucis ὀργανικῶς. ſunt autem Duo, in facto, vel faciendo Crucis ſigno attendenda, Lineæ duplices, tranſverſim ductæ aut decuſſatæ; quanquam hæc forma non ſpectat ad Chriſti, ſed Andreæ quam appellant, Crucem. Illæ ſic tranſductæ lineolæ, efficiunt τύπον, vel ut loquitur Epiphanius, σημεῖον Crucis, in fronte, pectore, aëre conformatum. ſecundum eſt, res per σημεῖον intellecta, & animo concepta, ut per illum τύπον repræſentata. hoc eſt, mors Chriſti: generis totius humani ἀπολύτρωσις, effectus reſultantes ab illâ morte. Diſcuſſa, nimirum, diſſipata, ac profligata poteſtas Inferni & Tenebrarum: portæ difflatæ & perruptæ 124 *Eccleſia Anglicana defenditur.*

ruptæ Infernales: vectes diffracti & disjecti, portis, olim obducti Infernalibus. Regnum Satanæ ſubverſum, ſubditum, ſubjugatum. Captivi redempti, liberati, manumiſſi; qui poſt Abelem illum juſtum, ab omni retro antiquitate detinebantur, ſi ſigno Crucis nudo, ut Crux eſt ſignata & in aëre figurata, aut in ſubjecto quovis alio facta tranſverſim, vis illa per ſe ineſset, αὐτοφάρμακος, ut immediatè operaretur mirabilia: ſi nudum Crucis ſignum, quatenus tale, ſuâ virtute Dæmonas, ex opere operato abigere poſset, præſtigias difflare, & amoliri; maleficia, incantamenta, & cætera ſacrilegorum impia μαγγανεύματα evanida reddere & inepta poſset, qui fieri potuit, ut arreptitii, energumeni, Dæmoniaci, Pythoniſsæ, Engaſtrimuthi, vel olim extarent ulla apud ſæcula illa priora, vel etiamnum, in Eccleſiâ præſertim Romanâ, inveniantur, ubi nihil tam frequens quàm τυποῖ τὸ σημεῖον in omnibus angulis & angiportis. ubi ἐσθίοντες, πίνοντες, καθήμενοι. ubi de cubilibus exituri, loquentes, ambulantes, ad omnem motum ac inceſſum: & ἐν παντὶ πράγματι ἁπαξαπλῶς, ut admonebant fieri, Tertullianus, & Cyrillus Hieroſolymitanus, ſe conſignant, religioſi Crucis, Tertullianeâ phraſi.

125 Hæretici autem quos appellant comminiſcentes, paſſim omnes, ſaltem plerique, extra Angliam certè omnes, à ſpiritibus immundis & malignis poſſeſſi, exagitarentur: Quod tamen nequaquam ita eſt. Imo verò ſi hæc virtus nudo ſigno ineſſet αὐτοφυῶς, undè ulli omnino Dæmones, ſpectra, aut præſtigiæ & offuciæ dæmonicæ rebus ineſſe humanis poſſent, cum quilibet homo, quà homo eſt, manibus ſaltem expanſis, conſtitutus, ipſiſſimam Crucis effigiem & ἐναργεστάτην repræſentet: & illam multo efficaciorem proculdubio, quia αὐτοφυῆ & naturalem, quàm eſt illa evanida *ſpecies* in aëre effigiata. Imo verò, parum eſt hoc de homine, *licet* veriſſimum, quod prætendimus, Non eſt aliquid fere in Natura, vel ab Arte factum, quod non ſuo modo Crucem poſſit exhibere. Κατανοήσατε, in ſecundo Apolog. ait Juſtinus Martyr, πάντα τὰ ἐν τῷ κόσμῳ, εἰ χωρὶς τοῦ σχήματος τούτου διοικεῖται, ἢ κοινωνίαν ἔχειν δύναται. Quod ille fuſius per partes, & particulari inductione confirmat. Ita de totâ rerum naturâ Dæmonas amandatos eſſe & excluſos oportet, nec alicubi tutos & ſecuros conſiſtere, ſi à nudo ſigno viſo in ordinem redigerentur, cum in omni loco & re formidoloſiſſimum illud φάσμα vel μυρμολύκειον, in oculos & intuitum eorum incurreret. Non tam inſigniter, de nudo ſigno, delirabant, illuſtriſſimi antiquioris Eccleſiæ proceres: aut illi, quos conſtrinxit in unum faſciculum de vindemiâ Gretſerianâ Taliator, qui de Cruce, & Crucis σημείῳ tam honoranda prædicant. ſed nec favet, tam fatuæ opinioni Epiphanius, *In nomen Chriſti*, ubi ait, *mulierem conſignatam.* nam Nomen Chriſti, remotum eſt, à nudo Crucis ſigno. Non vult Epiphanius, virtutem è ſigno Crucis eo modo profluxiſſe, quo ex attactu fimbriarum veſtitus Chriſti, è corpore mediatè exibat in hæmorrhoüſam. Quin ſtatim explicat quid voluerit, in

Nudum Crucis ſignum non operatur.

illis,

illis, Ἡ γυνὴ ἐσώθη διὰ πίστεως. Non valuit Incantatio, ubi facto ſigno Crucis, Fide apprehendit virtutem Chriſti. Duas agnoſcit adverſarius hujus virtutis & efficaciæ cauſſas. ſi autem duas, certè non unam ſolitariam, ſignum, oportet profiteri.

Et certè duas conjungit Hieromartyr Ignatius, τῷ σημείῳ τοῦ σταυροῦ, καὶ τῇ εἰς Χριστὸν πίστει, καταπατῶν θάνατον, ὡς νεκρόν. ſunt enim ibi iſta duo, 126
Οἰκονομία ἄρρητος καὶ δύναμις ἄφατος. Itaque rem expedit Exercitator verè. Opem à Jeſu Chriſto poſtulavit, facto ſigno Crucis: quod apud antiquos, in Eccleſiâ primitivâ, Chriſtianos, Symbolum fuit illius Fidei, quam in Jeſu Chriſto, in Cruce ipſius, ac paſſione, collocabant, Qui, ut Ignatius docet, διὰ τῆς ἐναντίας, τὰ ἐναντία κατορθῶν· διὰ πάθους ἀπάθειαν χαριζόμενος, καὶ διὰ θανάτου ἀθανασίαν δωρούμενος. Sed ecce locum ait proximè ſequentem apud Epiphanium: ubi per virtutem ſigni Crucis, aquæ communicatam, ignis præſtigiæ diſpelluntur. Ecce autem. Nam non extat alius apud illum patrem, ita manifeſtus, quo, ſignaculo nudo & ſolitario vis omnis detrahitur, & efficacia. Σταυροῦ σφραγῖδα, ait ille, ἐπιθεὶς τῷ ἀγγείῳ, καὶ ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα Ἰησοῦ, εἶπεν οὕτως. Ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου, ὃν ἐσταύρωσαν οἱ πατέρες μου, καὶ τούτων πάντων ἐφεστώτων, γένηται δύναμις τούτῳ τῷ ὕδατι, εἰς ἀθέτησιν πάσης φαρμακείας καὶ μαγείας. *Signaculum Crucis poſtquam vaſi impoſuerat, & nomen Ieſu invocaverat, ad hunc modum ait, In Nomine Ieſu Nazareni quem crucifixerunt majores mei, & omnium item iſtorum aſtantium* (nempè, majores, nam Judæi erant illi) *fiat virtus & efficacia in hac aqua, ad fruſtrationem Magiæ, & Incantationis omnis.* Hinc opinor illa forma, benedicendæ aquæ apud poſteros, quam ad malos ſpiritus effugandos adhibebant. Nihil hic autem de ſigno Crucis ſolitario, &, *à nomine Ieſu*, hoc eſt, ejus virtute ſeparato, habetur. Plena ſunt, agnoſco, antiquorum Patrum ſcripta: antiquæ Eccleſiæ Annales & Memoriæ, plenæ teſtimoniis de ſignaculo Crucis ſalutari, corporibus, ad omnem ſtatum, ſitum, motum, locum, actionem, tempore quocunque imprimendo. Cui ſigno ſic impreſſo, ſic in aëre effigiato, nunc virtutem adſcribunt, nunc potentiam admirabilem, quemadmodum rectè in Talione poſitum non negaverim. ſed illa Patrum teſtimonia, quæ ſumma cum induſtria & diligentia, in luculentis de Cruce Commentariis Gretſerus, vir multiplicis lectionis accumulavit, non aſcribunt illam vim & virtutem ſigno Crucis, hoc eſt, lineis tranſverſim ductis, ſed, ut erat Inſtrumentum *morale*, & non *naturale*, Divinæ virtutis manifeſtandæ, ad gloriam Jeſu Chriſti crucifixi, qui Principatus ſpoliatos & Poteſtates palam ἐθριάμβευσεν in illa Cruce, regnavitque à Ligno, in ſempiternum.

Hoc de uſu eſt & praxi Anglicanæ Eccleſiæ, ſecundum antiquiſſimas Traditiones, verbo innixas revelato: cum & illis olim 127
temporibus apud veteres, & noſtris diebus apud nos ipſos frequentetur, in Nomine Domini Jeſu Chriſti, Crucis ſignaculum adhibere; cum publicè in Baptiſmo, de mandato: tum in Confirmatione Catechizatorum, & cæteris Eccleſiæ Sacramentis: tum etiam

Digitized by Google

etiam in vitâ & converſatione communi, dum ſurgunt, vel ad aliquod novum attoniti expalleſcunt. *Scimus veterem Eccleſiam*, ait Exercitator, *& in vitæ communis uſu, & in ritibus quoque ſacris, multùm uſam eſſe venerabili illo ſigno. ſed ut piâ ceremoniâ, quæ adjecta Orationi animos Fidelium, ad Chriſti Crucem eveheret, non materiæ alicui terrenæ, aut figuræ, aut geſtui affigeret. Hoc ſenſu, ſanctiſſimi prudentiſſimique Antiſtites qui Eccleſiæ in Anglia reformandæ negotio præfuerunt, & in publicis locis paſſi ſunt Cruces remanere, & nonnullis etiam ſacris in ritibus retinuere.* Hoc de nobis veriſſimè vir doctiſſimus, teſtis ſcribebat oculatus.

128 *Roſweydus in taliane calumniator.*

Quocirca vel ludere neceſſe eſt Roſweydum, vel apertè calumniari, qui non ſecus exagitat, noſtrorum, quos Novatores vocat, ſententiam, quàm ſi Crucis Chriſti hoſtes ſe cum Manichæis Hæreticis profiterentur. Certè cum ipſe Taliator, tum Cardinalis vacillant, dum à *ſigno morali*, ad *naturale ſignum*: à Nomine Chriſti invocato, à fide & fiduciâ in mortem Chriſti: à virtute refugiunt περιλοιπῦ, & in ſolo, nudo, ſimplici, ſingulari ſigno ſubſiſtunt. ſtatuere oportet, ubi, & in quo conſiſtendum. ſi in *ſigno nudo*: in virtute ſigni à ſubjecto ſeparati: ſi in opere, ut loquuntur, operato hanc virtutem quæſiverint, ματαιοφρονῦσι. Sin autem ſigno Crucis facto, ducto, impreſſo alicubi tanquam morali quodam inſtrumento, Deum profiteantur operatum mirabilia, & etiam hodiè operari interdum, ſed rarius, erimus σύμψηφοι: & Crucis, ſi velint, Religioſi. Nec aliquid in fide, uſu aut diſciplinâ Anglicanæ Eccleſiæ intelligo eſſe, quo Cruce nos in fronte, in pectore &c. quoties piè libuerit, ſignare vel inſignire prohibeamur. De virtute etiam ſigni Crucis impreſſæ, per Nomen Crucifixi invocatum, poſſunt quædam fortaſſis experimentaliter *proferri*, unde veterum relationes confirmentur. Neque verebor ego cum illo dicere, Ἀλλὰ καὶ, κἂν ἄλλος ἀποκρύπτῃ, ἡμεῖς φανερῶς ἐπὶ μετώπου σφραγιζώμεθα, ἵνα οἱ δαίμονες τὸ σημεῖον ἰδόντες τὸ βασιλικὸν, μακρὰν φύγωσι τρέμοντες. Eſt ergo ſignum Crucis, ſine ſuperſtitione, *Arma cæleſtia*, *Vallum ſacroſanctum*: Μάχαιρα καὶ ἀσπὶς, *impervia. Gladius & armatura ſalutaris.* σωτήριον ὅπλον. & ſi quibus aliis Elogiis, quæ multa quidem ſunt, Crucem Chriſti, & Crucis τύπον, utpote Divinæ potentiæ, & virtutis cœleſtis Inſtrumentum, vetuſtiores inſignierunt. Non fert tamen pietas & religio Chriſtiana, ut aliqua ſigno Crucis perſe, ſeparatæ, & à Nomine Crucifixi divulſæ propria vis ac virtus miracula faciendi tribuatur: quod contendere, ſaltem, videntur, οἱ ἐξ ἐναντίας. Hoc nulla vetuſtas: nulli patres prodidere: & qui eam tuentur incommodam ſententiam, timidè ſatis eam proponunt, ſi non fraudulenter interdum, & doloſè, ut ſic efficaciam, quaſi nexu quodam naturali cohærentem inſinuent.

129 *Signum Crucis ab impiis adhibitum.*

At uſi ſunt interdum illo ſigno Chriſtianiſmi hoſtes Judæi: vel alii homines impii, ut Julianus: & Idolis addicti, idque ſine ulla Oratione prævia, aut nominis Jeſu invocatione: ex imitatione ſcilicet Chriſtianorum. Agnoſco uſum, & primò vel in vitâ communi,

Digitized by Google

communi, aut ſacris ſuis ritibus. Secundò, uſos ut ſacratâ & religioſâ quadam ceremoniâ. Tertiò, particularis, & extraordinaria occaſio, vim Legis communis non obtinet, nec communem regulam fruſtrat, aut inanem facit. Et tamen aliquando, ut in propoſito exemplo Juliani, Oratio, & Applicatio nominis Chriſti adhibita, ſaltem mentalis & implicita reperitur. Hiſtoria verò ad hunc modum ſe habet. Julianus, referente Theodoreto, ad Paganiſmum ἠρέμα jam ἀποκλίνων, & deſyderio quinetiam imperandi accenſus, Magos ad ſe, Ariolos, & Incantatores accerſit. Horum unus, τὸν ἄθλιον Ἰουλιανὸν εἰς εἰδωλικὸν σηκὸν ἀπαγαγὼν, cum ritibus infandis operatus Dæmonas μετὰ συνήθους φαντασίας elicuerat: non ferens horrendum illorum aſpectum Julianus, ἐπιτίθεται τῷ μετώπῳ τοῦ σταυροῦ τὸ σημεῖον. Dæmones autem, hoc conſpecto, evanuere. Hic jam, aiunt, ſine nullâ oratione, in homine Idolis addicto, vim ſuam obtinuit illud ſignum, & virtutem. *Vim ſuam*, hoc eſt, ſcilicet, ipſi propriam, congenitam, naturaliter inſitam, & adhærentem inſeparabiliter. Cur igitur Julianum ipſum, & ſocios non exhorruere qui humanâ formâ præditi: magis genuinum Crucis Dominicæ ſignum referebant? Cur non ſunt veriti σηκὸν illam introire, in quâ æde non potuit fieri, quin Crucis illa forma reſultaret, ſi modo è tignis & tabulationibus, ſi ex opere conſtabat arcuato. ſed nec Templum, nec Magos exhorruere Dæmones. Quia non erat illa vis Crucis cuicunque figuræ congenita & naturalis: ſed τὸ σημεῖον *fronti* impreſſum, de praxi Eccleſiaſticâ, & Traditione Apoſtolicâ, erat *morale* quoddam *organon*, quo, propter crucifixi ſui Filii gloriam, mirabilia ſua Deus, non niſi diſpenſatoriè, operabatur. Ideò vocat hoc Theodoretus, δεσποτικὸν τρόπαιον, & δαιμόνων ἥττης μνημόσυνον. At non uſus eſt aliquâ Oratione præviâ Julianus. ſed imprimis hoc gratis dicitur: nec certò conſtat: Theodoretus non affirmat: ſed nec negat. Expreſſam, ut non adhibuerit, adhibuiſſe mentalem poterat. & relativam per animi reflexum, ſecundum morem & conſuetudinem in Eccleſiâ. Et ut nec illâ uteretur, qua non opinor uſum, voluit tamen Deus optimus maximus, miſerrimum illum Principem, ſponte ſuâ in impietatis barathrum ruentem, retrahere de curſu, pro ſuâ bonitate, & hoc miraculo perculſum & attonitum, ad mentem reducere meliorem, & Chriſto priori Domino, in cujus verba, Sacramento addixerat, addictum retinere; cum cerneret oculis, quam nihil auderent aut poſſent impuri illi ſpiritus, in quorum caſtra confugerat, ad vel umbram relucentem de potentiâ Jeſu Chriſti crucifixi.

Nazianzenus, dum eandem hiſtoriam fuſius exequitur in ſteliteutico, propriam illam quam fingunt, & congenitam Cruci vim, 130
refellit, βοηθὸν inquiens, καλεῖται τὸν διωκόμενον, ad illius auxilium implorandum confugit, quem perſequebatur. Quæ verba effectricem deſignant cauſſam, miraculi illius per ſignum Crucis editi: nempè ipſummet Chriſtum, quem perſequebatur, cujus illud erat

M insigne

inſigne & velut quoddam emblema gentilitium. Atque ideò ἴσχυσεν ἡ σφραγὶς, ἠπάτηνται οἱ δαίμονες. ſed pergebat tamen ille impius, πρὸς κέντρα λακτίζειν, furorem ſuum & virus in illum evomere, qui virtutem ſuam Divinam, in re tam infirmâ, ſigno ſcilicet aëreo, & evanido, declaraverat. Ferramenta, ædem non ædificant, ſed fabri facultas architectonica, ferramentorum uſa miniſterio. ſecuris, lignum non dedolat, ſed manus ſecurim ritè adhibentis. Ita ſignum Crucis per ſe, ac vim ſuam nativam, Dæmonas non terrefacit, ſed vis & virtus illius erat tota, cujus Crux inſigne fuit & trophæum. Nec obſtat vel adjutat neceſſariò, utentium pietas aut irreligio. Neque enim Fides miraculoſa, eſt vel juſtificans, vel ſalutifera. *Hoc enim valet*, ait Auguſtinus, *propter honorem, excellentiſſimi Imperatoris.* Concludo, de Cruce, & ſigno Crucis ſalutari: non video cur partes, utrinque Catholici, diſſidium foveant, cum ex unâ parte, ſaniores virtutem non congenitam & naturalem, ſed accommodatam tantum aſcribant, & diſpenſatoriam: ex altera parte, illam vim non negent, aut virtutem, noſtræ Confeſſionis viri eruditi. ſed à Thermis in agrum Gadarenorum revertamur.

131 Priuſquam exiret, poſt deprecationem, rogat, *Et quod tibi nomen eſt?* Non quod ignoraret, ſed ut præſentes intelligerent, eoque majorem in modum potentiam ejus admirarentur, qui non tantum de uno Dæmone, ſed de exercitu eorum, ſolus, ſolo verbo triumpharat. Intraverant enim in iſtum, *multa Dæmònia*, quod habet Lucas: & fortè inter cæteros, Dæmonum Princeps, quem ſolum affatur Chriſtus: qui ſolus reſpondet Chriſto. reſpondet autem de propriis. mentitur enim. Chriſtus nomen interrogat. regerit ille, conditionem. *Legio mihi nomen, quia multi ſumus.* de Nominibus beatorum ſpirituum, & damnatorum, vide Barradium *erudite diſſerentem*, ad hunc locum. Ejiciendi de domo ſuâ poſſeſſâ Dæmones, hoc eſt, de corpore miſerrimi illius energumeni, quem tam horribiliter exagitabant, Tria rogant Dominum; Imprimis, ne jubeantur abire *in abyſſum.* Secundò, ne ipſos amandaret extra illam *Regionem.* Tertiò, ut permitteret in *Porcos* abire. *Nam ſi non aliquo nocuiſſet, mortuus eſſet.* Quandoquidem hominibus nocere ulterius non permittuntur, ad hominum accidentia convertuntur Dæmones: ut odium illud declarent capitale, quo nos, & noſtra omnia proſequentur. Permiſit autem Jeſus, ut invaderent Porcos: ratio in occulto eſt, juſta tamen. *Sed nec in Porcos*, obſervat Tertullianus, *Diaboli legio habuit poteſtatem, niſi eam de Deo impetraſſet:* tantum abeſt, ut in oves Dei habeant. poſſum dicere Porcorum ſetas tunc apud Deum numeratas fuiſſe, nedum capillos ſanctorum. Permiſſi Dæmones ingrediuntur Porcos, illi autem ſtatim, arreptitii, in Mare ſe præcipitarunt, & ſuffocabantur in aquis: Quâ re viſâ, Porcarii metu perterriti, annunciaturi in urbem currunt. Exiit autem tota civitas, & rogabant ut de finibus eorum tranſiret. ſcilicet, ſalutem à ſe æternam amandarunt, ut

De fuga in Perſ. cap. 2.

Digitized by Google

ut rebus fruerentur Temporalibus. Et hoc voluiſſe Dæmonas cum Euthymio opinor, cum rogarent, ut Porcos ingredi liceret. *Student*, inquit ille, *Porcos occidere, ut horum damno contriſtati Domini gregis, Ieſum non ſuſciperent, & ita Euangelio repudiato, maximo afficerentur damno.* Chriſtus autem, non ignorans quò tenderet illa poſtulatio, permiſit tamen, ut ipſorum innoteſceret ingratitudo. Nec repugnat Dominus Gadarenorum poſtulatis, ut recederet, ſed receſſit: ac ipſos, qui ſe indignos doctrinâ fecerant, reliquit. Dæmoniis verò liberatus, libentiſſimè illius contubernio adhæſiſſet, & rogat, ut cum ipſo proficiſceretur: ſed non permiſit eum Jeſus, Quin, *abi*, inquit, *ad tuos, & annuncia illis quanta tibi Dominus largitus eſt.* Abiit, & ut gratum hominem decebat, ubique illud miraculum prædicabat.

Rogatus à Gadarenis Servator, ut abiret, abiit, & naviculâ aſcenſâ, qua vectus fuerat, iterum reverſus eſt in Galilæam, & *Iterum intravit in Capernaum*, quemadmodum ſuggeſſit Marcus: nec diſſentit Matthæus, cap. 9. qui ait *transfretaſſe* eum, & *veniſſe in Civitatem ſuam*, hoc eſt, Capernaum. eò enim relictâ Nazarethâ, domicilium tranſtulerat: & ibidem, matrem ſuam dereliquit, dum ipſe Regionem totam prædicando obiret. *Et factum eſt in una dierum*, hoc eſt, ipſo primo die quo transfretaverat, *ut ipſe conſidens doceret circumfuſam multitudinem. Et erant Phariſæi unà ſedentes, & Legis Doctores*, ait Lucas, *qui venerant ex omni Caſtello Galilææ, & Iudææ, & Ieruſalem*; famâ nimirum exciti illius, ad illum audiendum, & videnda miracula. de Phariſæis mentionem, & Legis Doctoribus injecit propter illa quæ deinceps, de ipſorum γογγυσμῷ, narrantur. Inter cætera autem quæ narrantur, aut etiam geſta ſilentur apud Capernaum, illud imprimis à B. Matthæo commemoratur, eò quòd eximiam ipſorum fidem, qui partes ſuas in re geſta habebant, declarabat; Afferunt paralyticum, clinicum, ſeu lecto affixum, ut ſimul haberent neceſſe, lectum exhibere cum ægroto. modus afferendi ſingularis eſt non in eo ſolo, quòd unà cum lecto afferebant, ſed cum liberum acceſſum ad Jeſum, præ turba habere non poſſent, aſcenderunt ſuper tectum, & per tegulas aut ſolarium demiſerunt eum, cum Lecto, in medium ante Jeſum. Horum fidem commendans, dicit Paralytico, *dimittuntur tibi peccata tua.* Horum autem fidem, id eſt, portantium, excluſivè, non autem in Lecto decumbentis. ita viſum, Hieronymo, Chryſologo, quibuſdam aliis. ſed non perſuadent. Paralytico admonente hoc aggrediebantur: & ad illius rogatum, adducebant. Certè nunquam dixiſſet Paralytico Chriſtus, *Tibi demittuntur peccata tua*, niſi & ille quoque fide præditus fuiſſet. Quoniam autem, tantâ illi fide præditi advenerunt, propterea Dominus quoque virtutem ſuam magis oſtendit, ſummâ cum poteſtate, à peccatorum vinculis paralyticum ſolvens, ut notat Chryſoſtomus. Quod tectum attinet, cujus per tegulas demittebatur paralyticus, rideat, qui volet, *petulanti ſplene cachinno*; omnino non eſt

132 *Reditus in Galilæam.*

prætereunda Baronii annotatio, Humilem planè fuiſſe domum illam, in quam aſcendentes vectores Paralytici aperto tecto, per tegulas eum deorſum intulerunt. Satis eſt etiam argumento, quod Judæorum domus non erant ſublimiores, imbricibus teguliſque contectæ, ſed ſolaria habebant, pavimento deſuper conſtrata, in quibus manere ac deambulare liberum eſſet, cum haberent circumcirca repagula, ex Legis præſcripto (hoc eſt pinnas, ut nobis uſitatum eſt crenatas) Deuter. 22. *Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur ſanguis in domo tua, & ſis reus labente illo, & in præceps ruente.* Sic & David, refert Divina Scriptura, deambulaſſe in *ſolario* domus ſuæ: & Bethſaboam itidem lavaſſe ſe, in ſuæ domus *ſolario.* Ex his facilè rem accipies, quid ſit quod Dominus ait, *Qui fuerit in tecto, ne deſcendat.* Hæc de formâ tectorum apud Judæos.

133 De peccatorum remiſſione obmurmurant Phariſæi: neque tamen audent palam proloqui, ſed tacitis cogitationibus ruminabant. At ille, ſcrutator renum, & cordium cognitor, intellectis eorum tacitis, de blaſphemiâ cogitationibus eis reſpondet, *Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris mala?* non exprimit in ſpecie: ſed ex additis intelligere poterant, de facilitate iſtarum propoſitionum, *Surge & ambula,* &, *Dimittuntur tibi peccata tua:* & ſimul profiteri, non ſolum, Quis eſt qui dimittit peccatum, ſed, Quis eſt, qui cordium cogitationes agnoſcit? Si ſolius Dei erat peccata remittere, eſt & Dei ſolius, corda ſcrutari, utrumque enim ex æquo in Scripturis legebatur Deo attributum.

134 Poſt ſanatum paralyticum, & finitam concionem, Exiit, ait Lucas, & dum tranſiret, *vidit hominem ſedentem in Teloneo, Matthæum nomine, qui & Levi dicebatur, Alphæi filium. Et ait illi, ſequere me. Qui continuò relictis omnibus ſequebatur eum.* Invitavit autem Dominum in domum ſuam Matthæus, & fecit ei convivium, ubi aderat turba multa *peccatorum,* & *publicanorum,* quos Levi, ut ejuſdem cum ipſo profeſſionis, convocaverat: qui cum ſimul diſcumberent, hypocritica illa gens Phariſæorum, continere ſe non potuit, ſed expoſtulant cum Diſcipulis ipſius, cur *comederet cum Publicanis,* quos tanquam excommunicatos, fugiebant. cui reſpondet, ſe veniſſe qui ægrotos curaret, medicum: non qui ſanos & valentes de ſtatu dejiceret: ſe veniſſe prædicatorem, qui Peccatores vocaret, non juſtos: hoc eſt ſua ipſorum opinione Mundos. hoc eſt, ut *meretrices,* & *publicanos,* in regnum cœlorum introduceret, excluſis per obdurationem ipſis. Ita os tum obſtruebatur hiſce φαρισαίων. ſed de novo inſtaurant quæſtionem, aſſumptis ad partes Johannis diſcipulis, malevolo plerunque in Chriſtum animo, *Cur ipſi frequentius jejunarent: Ieſu verò, & diſcipuli Ieſu, non jejunarent?* quibus non tam directè, quam per quaſdam reſpondet ſimilitudines. de *convivio nuptiali, præſente Sponſo,* de *novo panno* aſſuto veſtimento veteri, & depaxo; de *Vino novo,* in cados novos, non veteres immittendo: quarum

Matthæi vocatio.

ſenſum,

ſenſum, ſi non aſſecuti, rimantur tamen Interpretes: qui in præſenti diſſertatione adeundi.

Hæc illo adhuc loquente, Matthæus ait, *Ecce Princeps unus acceſſit ad eum.* non Princeps ſæcularis, Dynaſta, Tetrarcha, &c. ſed Synagogæ Princeps, aut Curator, *Archiſynagogus*, ait Marcus: *Jaïrus*, de nomine, inquit Lucas. ſingulis autem Judæorum Synagogis, quæ plurimæ fuerant, unus, præfectus præponebatur, ad tempus, ut videtur vitæ ſuæ. hic, quia illius Synagogæ primus fuerat & primicerius, Princeps ἀπολύτως nominatur. Ita expreſſit plenè beatus Lucas. *Ecce venit vir cui nomen Jaïrus, & ipſe Princeps Synagogæ erat.* Venit autem ἐνταζόμενος pro filiolâ ſuâ, & quidem unicâ ac unigenitâ, ideoque dilectâ, annos natâ duodecim, ideoque innocenti, quæ valetudinaria in extremis decumbebat. Pater itaque puellæ Jaïrus, vehementer ſollicitus de ſalute filiæ, acceſſit Jeſum, & pronus ad pedes cum lachrymis rogat, ut deſcenderet & curaret filiam ſuam. Compatitur hominis afflictioni Jeſus, & ſurgens Archiſynagogam ſequebatur, cui comites adhærebant Diſcipuli, & turba ſimul multa ſequebatur, adeò ut conſtipati comprimerent eum. 134 *Synagogæ Principis filia ſanatur.*

Factum eſt autem inter eundum, ut mulier quædam de turba, quæ profluvio ſanguinis, ab annis retro duodecim laboraverat, quæ dum medicorum ope & opera uteretur, ſubſtantiam ſuam, τὰ ὑπάρχοντα in eos erogaverat, ſed, ut plerunque fit, fruſtra, neque enim melius, ſed deterius ſe habebat, ſtatuerat autem illa apud animum ſuum, quod ſi vel fimbriam aut oras veſtimenti ejus contingere poſſet, ſanitati reſtitueretur. ex hac fide & fiducia, enixa eſt, ut illum propè accederet, & contingeret. Quod & perfecit, & continuò ſiſtebat ſe fluxus ille ſanguinis. Jeſus, quem non latebat in tanta turba, hoc mulieris factum, ſenſit enim, ut loquitur, è ſe virtutem egreſſam, converſus quærit, *Quis me tetigit?* Frivola videbatur Diſcipulis illa quæſtio: ideò inquiunt, *Turbæ Te comprimunt, & Tu rogas, quis Te tetigerit?* At ille, *Tetigit me*, hoc eſt, modo peculiari, *aliquis*. Mulier, hoc audito, cum ſe non poſſe ulterius latere ſciret, procedens in medium, procidit ad genua, rem totam confeſſa, ſeriatim. Cui Jeſus, *Filia, Fides tua te ſalvam fecit, vade in pace.* 135 *Hæmorrhoiſſa.*

De hac muliere multa proponuntur apud authores, quæ tamen Baronius neglectim attingit. Ambroſium ait, verſatum in illa opinione, quod Martha fuerit ſoror Lazari & Mariæ. Lib. de Salomone, cap. 5. hæc, inquit Ambroſii verba ſunt. *Dum largum ſanguinis fluxum, ſiſtit in Marthâ: dum Dæmones pellit ex Maria: dum corpus Lazari redivivi ſpiritus calore conſtringit: & quod mors ſibi vindicaverat ad pœnam, Lux denuò recepit ad vitam.* Solitaria eſt, opinor hæc Ambroſii ſententia: Et tamen, nihil eſt quod refellat eam apud Euangeliſtas, qui tacent Omnes, *Quæ genus, unde domo quibus huc veniebat ab oris.* Martha ortu & origine Judæa fuit: communis eſt vetuſtiorum ſententia, fœminam hanc, in perpetuam 136 *De Hæmorrhoiſſa.*

tuam rei memoriam,& gratum ſui animi Teſtimonium,ſtatuâ ante ædes erectâ, quod Gentiles factitare ſolebant, rei geſtæ ſeriem commendaſſe poſteritati: Paneade nimirum, ubi habitabat. Et certè, ſi ſtatuam erexit Chriſto, Judæa ortu non fuit; nam Judæi maluerunt potius millies mori, quàm ſtatuas conflatas in ædibus locare. Quocirca Euſebius, qui ſtatuæ meminit, Gentilem fuiſſe verè prodidit. Eidemque ſententiæ favent omnes, qui de ſtatuâ Chriſto poſitâ, ὡς εὐεργέτῃ, meminere. & nos in illorum communi, & ſatis probabili ſententiâ acquieſcimus.

137 Iſta autem hiſtoriâ de Hæmorrhouſſâ ejuſque ſtatuâ pleroſque hodiè abuſos ſcribebat Exercitator. Exagitant hanc ſententiam Talionis tabulæ, & primum ſe neſcire profitetur author illarum quis ea abutatur. Ὅπε δὲ ἄγνοια, ἐκεῖ καὶ ἀμαθία, καὶ ἡ περὶ τὰ ἀναγκαῖα ἀπαιδευσία, inquit Epictetus apud Arrhianum. Triplex eſt autem Ignorantia, inquit vetuſtus ille ſcriptor, qui, quæſtiones nobis reliquit, Juſtini nomine vulgò inſcriptas. prima, κατὰ λήθην. ſecunda, κατ᾽ ἀγαθὴν τύχην. tertia, κατ᾽ ἄπιστον φύσιν. hoc eſt,affectata Ignorantia. Et *hoc eſt ſumma delicti tui*, ut cum Cypriano loquar, de Idolorum vanitate, *nolle agnoſcere, quod non potes ignorare*. Abutuntur autem Hæmorrhouſſæ hiſtoria, quotquot ad Imagines, Lauretti, Sichemi, vel alicubi proſtitutas, *peregrinationes* hodiè inſtituunt, quas appellant, *religioſas*: Nam de Calvariâ, de Bethleem, de totâ illâ peregrinatione Hieronymianâ,Helenicâ, aliorum, alia mens fuit melior ratio. Abutuntur,qui coram Imaginibus,& apud Imagines, vota inſtituunt, reddunt vota, exolvunt pacta, accendunt cereos, flectunt genua, terram lingunt, verrunt pulverem, dona deponunt, ſuſpendunt theuſis anathemata. aut qui his ſimilia pietatis & religionis, ut videri volunt, intuitu, interdum ridicula, κωφοῖς σεσηπόσιν, donaria donant: cujuſmodi memoratur, neſcio an verè, *Lipſius* ille, olim πολὺς ἐν λόγοις, φρενοβλαβὴς & φλήναφος, depexa & detrita, poſtquam ὀχευλοχεύκας, ſi non & vermiculata, ſubligacula, Divæ Sichemenſi conſecraſſe. Abutuntur illi omnes hac quoque hiſtoria, qui vel proni adorant, ipſas illas ſtatuas; quod ſine ſcrupulo facit imperitum vulgus,indocta,rudis multitudo,ignara penitus,neque capax diſtinctionum ſcitularum curioſarumque, quas acumina ſcholaſtica excogitarunt, de *Cultu relativo*, & *abſoluto*. de *Latriâ*, *Duliâ*, *Hyperduliâ*, de Imagine ipſâ, & re per Imaginem repræſentatâ. Non eſt enim conſilium in vulgo,non ratio, non mens, non intellectus. Abutuntur illi,hac hiſtoriâ,qui per ſtatuas venerantur Jeſum Chriſtum, & iſtâ luce defunctos ſanctos; in cœlis,animitùs,cum Domino Jeſu triumphantes;quod etiam eruditi nonnulli faciunt,& χαριέστεροι. Iſti omnes, fortè plures, certè autem iſti, abutuntur hac hiſtoriâ de Hæmorrhouſſâ. Sed ultra iſtos omnes, modo quodam & menſurâ excellentiori abutuntur, eâ, illi qui rei Imaginem atque ἐκτύπωσιν, ære fuſam, auro decoram, coloribus delineatam,eodemmet honorè proſequuntur,quo ſolent archetypon honorare: hoc eſt, Chriſti characterem ſive effigiem, in lapide

Ignorantia triplex.

Abuſus hiſtoriæ hæmorrhoüſſæ.

ſculptam,

ſculptam,in pariete expreſſam,in Templorum feneſtris,vaſis,ſacris utenſilibus διαχαραγμένην, eodem planè cultu & honore dignantur, quo, in cœlis, ad dextram Dei exaltatum: ſuper Angelos, Archangelos, Dominatus, Poteſtates, omne nomen, quod ſive in hoc ſæculo, ſive in futuro nominatur, ὑπερυψωθέντα.

Tute ipſe,vir erudite, Eriberte Roſwyde,hac hiſtoriâ,& quidem inſigniter,abuti videris. multis enim paraſangis receſſiſti, ab illa mente & ſententiâ Euſebianâ, hanc hiſtoriam referentis: & ab intentione *mulieris ipſius hæmorrhouſſæ* eandem illam ſtatuam collocantis. In eorum enim claſſe te reponis,qui quaſi ab hac hiſtoriâ confirmati, ſupplicare ſolent Chriſto,coram ſtatuis: quod ipſum non adeò intolerandum, ſi non & Chriſtum per ſtatuam, μεσόνως τῆς ὑλῆς, adorarent: Chriſtum, in ſtatuâ veluti reſidentem. quod ridiculè, & tantum non blaſphemè opinantur, & inhabitantem, venerarentur. Cui ſententiæ, atheologicæ, deeſt illud unicum, ad quadrigam ſtultorum conjungendam; Qui ſtatuæ ipſi factæ, Chriſtum venerantur tantummodo Imaginarium. Ita enim Pſaltes ille Iſraëlis, *Qui fabricant illas, ſimiles ſunt illis:* hoc eſt,ſtatuæ, non minùs quàm ipſæ ſtatuæ. & Omnes qui confidunt in illis. At enimvero dicis, utimini hac hiſtoriâ, ad mentem Euſebii eam deſcribentis: ad mentem *mulieris*, eam dedicantis: quâ olim ſeptima Synodus: quâ Damaſcenus: quâ alii Eccleſiaſtici ſcriptores. 138

Mentem verò Euſebii referentis, ut rectè capere & intelligere poſſimus; das hæmorrhouſſæ hiſtoriam ſatis longam deſcriptam ab Euſebio & hiſtoricis eum ſequentibus (nam ille fundus eſt & Princeps narrationis) non niſi ad chartas complendas, & ut volumen μικρόκωλον alioquin turgeſceret aliquantum, repetitis, ἐν τῷ πλάτει, poſt Baronium, illis, quæ tribus apicibus expediri poſſent. Lites hic non movemus aut multiplicamus minus neceſſarias: ſatis enim vexatæ ſunt res inter Chriſtianos. Quocirca Te vocare nolumus ad calculos, aut probationem exigere certâ certiorem, illam ſtatuam, quam commemorant apud Euſebium, imaginem fuiſſe, Dominum Servatorem repræſentantem. ac ſtatuam illam alteram juxta poſitam, effigiem fuiſſe mulieris illius hæmorrhouſſæ, de geniculis adorantis Servatorem. Euſebius enim hiſtoriæ, ut ad nos derivata eſt, primus author, è certâ ſuâ ſcientiâ, non ita confirmat: è tabulis conſignatis, Actis publicis, ut in aliis, nominatim illâ Abgari hiſtoriâ, non loquitur: præter auditum, rumores vulgi, Traditionem incertam & ἀδέσποτον, nihil affert. τοῦτον τὸν ἀνδριάντα, εἰκόνα τοῦ Ἰησοῦ φέρειν ἔλεγον. vulgi ſermonibus, incertis igitur, & famâ communi, ita ferebatur. 139

Sed obtineat per me, incertus ille rumor, & dedita in vulgus fama. vera ſit Traditio παραδεδομένη. Mihi perſuaſiſſimum eſt, de veritate hiſtoriæ, quæ narratur. & ut interrogatis rotundè reſpondeam, Nihil in hac hiſtoria reprehendi poteſt. Nihil in hoc facto ſanatæ illius mulieris, quod non liceat cuivis Chriſtiano, etiam 140

reſpr-

reformato, imitari. Habetur fœmina in ſtatuâ repræſentata, de geniculis adorans, velut illa olim cecidit, ad Jeſu genua provoluta. habemus illam, manus, in formam ſupplicantis, extendentem. Rectè hæc in illâ ſtatuâ fatemur ſic repræſentata, quam volebat illa, pia mulier, rei olim geſtæ ἐξεικόνισμα, ad poſteritatis memoriam propagari. Extendebantur ſupplicantum manus: deſumptum de vetuſſimâ conſuetudine. Habemus per expreſſam γονυκλισίαν fœminam, ſuas preces, ſuam indigentiam, ſuam humilitatem exprimentem. ſed non habemus, aut habere poſſumus, quod ſequitur, fœminam coram ſtatuâ venerantem. fœminam ſtatuæ ſupplicantem. ſtatuæ duliacum cultum exhibentem. nedum venerationem Latriæ, aut Divinum cultum relativum. ſtatuæ ſunt, & hominum φάσματα, quibus hoc perſuadent Loiolitæ. Eratne Chriſtus ſtatua, cum actu illi, ea mulier ſupplicaret? Eratne ſtatua fœmina cum rem geſtam exprimendam curaret per imaginem? Certè imagines rerum, non ſunt ipſæ res: Nam ſic eſſe imagines deſiiſſent, Imago mulieris profluvio ſanguinis laborantis, non erat ipſa mulier, illo morbo laborans. Imago Servatoris, non eſt ipſe Servator. ſed nec Imago aliqua, aliquem cultum alteri imagini exhibere poteſt. Imago illa Paneadenſis, hæmorrhouſſæ figuram repræſentans, rem olim factam, venerationem exhibitam, Chriſto incarnato, & verſanti cum hominibus per mulierem tam vivam videntemque, & in re præſentem, efformabat. Nam coram ipſo Chriſto illa olim, nunquam coram Chriſti ſtatuâ, in terram proſtrata concidebat. Chriſtum ipſum Θεάνθρωπον, non Chriſtum, *æs* aut *lignum*, hoc eſt, Chriſti imaginem, colebat.

141 Quocirca ad propoſitum non facit hæc narratio, niſi coram Chriſti ſtatuâ, non autem Chriſtum ipſum, adoraſſet. Et quod miror, hoc affirmatur. *Habes enim*, inquit Talio, *ſtatuâ coram, fœminam adorantem, aut ſupplicem.* Stylitæ ergo omnes, mera ſunt mapalia, ſi cum fœminæ iſtius σκληραγωγία componantur, quæ ab anno Tiberii 16. ad ætatem Euſebii, coram illâ ſtatuâ ſupplicabat. Annoſam mulierem oportet eſſe, & portento ſimilem, ultra ætatem illius Johannis de Temporibus agentem, qui tercentum æſtates numerabat. Et miramur Euſebii negligentiam, qui peregrinationes tacuit, ab omni proculdubiò mundi plagâ factas, ad viſendam mulierem quadringentorum, præter propter annorum, quæ in carne cum Chriſto verſata fuerat, ingenti ab illo affecta beneficio: quæ teſtis, non aurita ſed oculata, divinam in ſe potentiam, Paganis incredulis poterat annuntiare. Credo equidem & Te, vir erudite, ut aliquando illuſtriſſimum Cardinalem, ad aliquam inſignem veſaniam Novatorum obſtupuiſſe, cum tam immane portentum, tabulis allineres: *Habes fœminam, coram ſtatuâ ſupplicantem.* ſaltem diceres, ſtatuam ſtatuæ ſupplicem. æneam imaginem, ad alteram imaginem æream γονυπετοῦσαν. Hoc qui credat, ſtatua ſit oportet. Quod ſi deſcendatur ἀπὸ τοῦ τότε γενομένου, ad repræſentationem τοῦ πάλαι γενομένου, agnoſcam libens, & amplexabor. Sed

πρὸς

πρὸς ἔπος, hoc ἐστὶν eſt, cultus ullius imaginarii. Atque ita, à Chriſti viventis in terrâ adoratione, ad cultum ſtatuæ, picturæ, imaginis argumentari, hominis eſt longè ab Euſebii mente, & ſuâ ſanâ, deviantis. Statuis hæc ſcribantur, & hominum εἰκονίσμασι. Mens Euſebii ſe ita habet.

Injecta forſitan de Paneade, urbeculâ Phœniciæ, mentione, 142
ex illâ urbe profectam Euſebius ait, fœminam illam, quam ſanguinis profluvio laborantem, poſtquam Chriſtus reſtituerat ſanitati, in grati ſui animi teſtimonium illa, rei illius memoriam volebat ad poſteritatem propagari. Hanc ob cauſſam, præ foribus ſuarum ædium, ſtatuam ſui ipſius æneam collocandam putavit γονυπετῆ, τεταμέναις ταῖς χερσὶν ἐπὶ τὸ πρόσθεν, habentem διπλοΐδα περιβεβλημένην. & ſimul ex adverſo, ſtatuam aliam, manum mulieri porrigentis hominis. Habes hic duarum ſtatuarum formam, & effigiem, rem, olim geſtam, exprimentium. habes cauſſam expreſſam, εὐεργεσίας τρόπαιον. de cultu ſtatuæ, aut colente ſtatuam ne *My Lucillianum.* Habes cauſſam cauſſæ, originem primam; mores, & inſtituta, Euſebio cenſore, Paganorum. *Non eſt*, inquit Euſebius, *mirum, eos qui è Gentibus orti, qualis illa fuit, qui à Chriſto fuerant beneficiis affecti*, ταῦτα πεποιηκότων, *cum Apoſtolorum, Petri, Pauli, Chriſti etiam, expreſſas imagines in tabellis, ad noſtram uſque ætatem conſervatas intelligamus.* Quocirca Euſebius uſum illum agnoſcit vetuſtiſſimum, præcipuum (quod non oportuit) quorundam, nunc Chriſtianiſmum, pietatem, habendi picturas & imagines Chriſti. Sed non ab authore beato Lucâ, Nicodemo, &c. ſed à moribus & uſu Gentilium. Idque propterea, ita ſequitur in Euſebio, *quod majores noſtri, ſicut veroſimile eſt, ad Gentilis conſuetudinis ſimilitudinem, quàm proximè accedentes, eos, qui tanquam Salvatores ipſis fuiſſent apud ſe, honore, ad hunc modum afficere conſueverant.* Itaque mulier illa, cum veteri Gentilium Paganiſmo, potius habebat conteſſerationem. Vos itaque videte, quibus Patronis gloriamini & authoribus, qui θεοδοξίας τὸ χρῆμα τοῖς λίθοις περιτεθείκασι. ut de ſtatuas adorantibus Clemens in Protreptico. Et certè multi ſunt, de quibus uſurpaverimus,

> Ἔργα δὲ χειροποίητα γεραίρετε ἄφρονι θυμῷ
> Εἴδωλα ξοάνων τε καθαρθμένων τ' ἀνθρώπων.

Quod qui faciunt, abutuntur Euſebiano Teſtimonio, ubi nullum vel χρῆμα patrocinii pro Idololatriâ. Quocirca, nec mirum, ſi gratam acceptamque ſibi mulieris illius, pietatem habuit Deus, vindex Idololatriæ omnis, acerrimus, per miraculum teſtificatam. Nam, ut notat Baſilius, ἐκ δεῖ Θεῷ ἐκ τῶν ἀπηγορευμένων οἰκειωθῆναι. Quia, *Odio eſt Deo impius & impietas ejus.* Inter pietatis rationes non poſtremas, eſt, ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, portionem, Deo benigniſſimo, in grati animi Teſtimonium, conſecrare: præcipuè cum, ſi omnia

N impen-

impenderimus in uſus ſacros, πάντως ἐλάττω εἰσοίσομεν τοσοῦτον, ὅσον εἰλήφαμεν παρ' αὐτοῦ. cum Nazianzeno arbitror. Itaque qui Deo etiamnum Templa extruunt, & Oratoria: Donant prædia & poſſeſſiones: Veſtes in ſacra holoſericas, auro intertexto pretioſas: aurum, argentum, vaſa, calices conferunt: Qui Decimas jure omni Divino, humano, Deo debitas & Eccleſiæ, non intervertunt: Næ illi Deo θυσίαν εὐάρεστον, cum viduâ offerunt Euangelicâ, eſtque illorum religio acceptabilis, & centenariâ ſuâ menſurâ in illâ Juſtorum retributione remuneranda. Atque ita res expedita eſto de mulieris hæmorrhouſſæ ſtatuâ apud Euſebium.

143 Sequitur apud Talionem de Juliano, contra quem novo prodigio gratum ſibi fœminæ obſequium, ingratum Juliani facinus Deus rurſus declaravit. Ergo infertur, ſacratarum, ut appellant, imaginum cultum, Deo placere conſtat & acceptum eſſe. Nam Julianus illam demolitus, ſuam ipſius, in ejus loco ſtatuit, quæ de cœlo fulmine perſtringebatur. Rem ait, narrat Sozomenus, Lib. 5. cap. 20. Illud porrò dixerim, quod etiam regnante Juliano accidit: quod quidem ut Chriſti potentiam planè indicat, ita iram Divinam adverſus Imperatorem accenſam evidenter oſtendit. *Cum certior factus eſſet Julianus, apud Cæſaream Philippi (eſt autem illa urbs Phœniciæ quam Paneadem vocant) præclaram extitiſſe Chriſti ſtatuam, quam mulier quæ ſanguinis profluvio laborabat, cum eſſet morbo liberata, ibi collocaverat: eam deturbavit, ſuamque in ejus loco poſuit. Quo facto, ignis vehemens de cœlo lapſus, ſtatuam illam pectus circum perſecuit, caputque unà cum collo, in terram dejecit, atque in faciem, humi eâ in parte defixit, quæ fuerat à pectore divulſa. Ex quo quidem tempore ad hodiernum diem atra, tanquam fulminis ictu ambuſta manet.* At quid inde deducunt? ſcilicet, imaginem ex ære conflare, eſſe imaginem adorare. ſed in Sozomeno nihil vel refertur, vel præceſſit de imaginum cultu & veneratione: quod ſi verum eſſet, tamen adhuc etiam ſic, foret, de imaginum cultu ſtabilito, ampliandum. Non enim Dei vindicta illum roborat, qua facinus illud impium & execrandum ſceleſtiſſimi Apoſtatæ puniebatur, qui odio Jeſu Chriſti occæcatus, cum in ipſum non poſſet, quem vocare ſolebat Galilæum, quod proximum eſſe opinabatur, animi ſui virus exulcerari, in ſtatuam & effigiem evomebat. Certè non aliâ mente, ſtatuam ille Dominicam demoliebatur, quàm ut Domini memoriam, ex hominum mentibus, ſi fieri poſſet, aboleret. Hanc injuriam, ſibi ultimate intentatam, ſi volebat ulciſci Divina majeſtas: ſi ſceleris perpetrati indignitatem, ſummoperè ſibi diſplicuiſſe oſtendit, non eſt mirum: nec alienum à juſtitiâ & diſpenſatione Divinâ. Nam certè, ut minus reverâ fuiſſet Chriſti ſtatua, tamen quamdiu ejus eſſe putabatur, in Servatoris ignominiam redundabat, quod ipſius lædendi animo in ſtatuam ejus aut imaginem admittebatur.

Sed

Sed quorſum iſta urgentur de Juliano? Licet Charitatem 144 ſuſpicacem eſſe minimè decet, tamen ſtupidam illam eſſe non congruit. illa autem eſt plerunque Charitas τῆς ἐξ ἐναντίας, & convitiandi, maledicendique ſcabies ſeu libido, ut noſtros omnes, quos ſolent uſurpare Novatores, in eadem claſſe cum Apoſtatâ nefandiſſimo reponendos doceant, qui Chriſti imagines, in quibuſdam locis, cultu & latriâ profanatas, zelo, utcunque interdum præpoſtero, ſuſtulere. Quodſi quis Juliani factum & furorem imitari voluerit, eſto ille per me, Jeſu Chriſti incarnati hoſtis, non minus quàm Julianus. Non quod imagines dejectas contriverit. piè enim poteſt illud & religioſè interdum fieri. ſed quod eo animo, eâ mente eas contriverit, quo Chriſti hoſtis juratus Julianus; imminutas capitibus, truncatas manibus, pedibus ἠκρωτηριασμένας dejecerunt, aut traxerunt etiam, quod non raro fiebat, in latrinas: propter nomen illud glorioſum, & ſuperexaltatum, profanatum, dignitatem Divinam conculcatam, Leges & Præcepta Dei antiquatas, cultum Deo debitum omnipotenti ſtatuis adſcriptum & picturis. ſi quis Novatorum in eâ verſetur hæreſi, illicitum eſſe picturas, imagines, ſtatuas conflare, facere, comparare: domi privatim, publicè per forum, etiam & Eccleſiis ad ornatum proponere, & informationem rudiorum; homo vecors eſt, & vel rerum ignarus temerè loquitur, vel malitiâ & οἰήσει abreptus, contumelioſè: Legum & Diſciplinæ fibulis coercendus. Nos Angli conflamus, conflatas toleramus, domo repoſitas, in publico locatas, in ſacris ædibus depictas, per feneſtras habemus omnes, pegmata, & periſtylia. nec cum maleſanis Iconoclaſtis, veteribus, modernis, comminuendas: nedum cum Juliano, propter impiam in Chriſtum mentem, abolendas. Audemus uſurpare illud Damaſceni, licet fortaſſis emanſoris, Θαῤῥῶν εἰκονίζω τὸν Θεὸν τὸν ἀόρατον. οὐχ ὡς ἀόρατον, ἀλλ' ὡς ὁρατὸν δι' ἡμᾶς γενόμενον. οὐκ εἰκονίζω ἀόρατον θεότητα, ἀλλ' εἰκονίζω Θεοῦ ὁραθεῖσαν σάρκα. Imaginem Chriſti hominis ad hanc Damaſceni regulam exaſciatam, quæ Nobis repræſentet Deum incarnatum, ſi quis è Novatoribus unco impacto, ad Gemonias trahat, aut indignis modis violare præſumpſerit & tractare, per me fruatur ſuâ inſaniâ, & ad Latomias eat donec reſipiſcat. Certum eſt, interdum ſcurras & rabulas triobolares ἐκ τῆς ἐναντίας, famoſis libellis, omnia infanda, de quibuſvis, ut vocant, Novatoribus deblaterare. Quid enim non audebunt pudoris carcinomata, mendaciorum figuli, qui de pulpitis, qui in libris, ſine fronte, modeſtiâ, corde, comminiſcuntur, Catholicos in Angliâ pellibus urſinis inſutos, moloſſis devorandos projici? Imaginem Regis alicujus terreni, in tabellâ pictam: numiſmate expreſſam: minimè violandam, ſani omnes ſincipitis, & cordis ſinceri, arbitrantur. ſicâ impactâ, aut ſecuri inflictâ deformandam, nemo niſi læſæ majeſtatis reus, arbitrabitur.

Honor quidem conſtat ſuus regiæ ſellæ, ephippiis regiis, & 145 regiæ imagini debita veneratio. ſed quatenus tamen, ſed qualis?

ſed certè *ſuus honor*, non indebitus, non alienus. Imaginibus ita Chriſti debetur veneratio: ſed quæ illa, conticeſcunt magiſtri, nec de Pulpitis aut Cathedris edocemur. Sunt qui rem proponunt ſatis tolerabiliter. Sunt qui inſaniunt ultra omnem non ſolum *pietatem*, ſed & communem *rationem*. Omnes omnino modum excedunt, ἐν τῇ πράξει: etiam illi qui ἐν τῇ θεωρίᾳ, non ſic παραφέρονται. Hic ſi excandeſcant Novatores, in eos qui per exceſſum videntur declinare ad manifeſtam Idololatriam: ſi ſtatuas ſubruant ita Deificatas: imagines deforment: picturas obducant: tantum tamen illi abſunt ab impietate Juliani, quantum εἰκονοκλάσται à pietate hæmorrhoiſſæ. Julianum quod attinet, deplorandum Principem propter Apoſtaſiam, ſed eruditum, & alioquin utilem Romanis rebus, Τυχεῖν καὶ ἐκεῖνον ἐπιγνῶναι τῆς ἀσεβείας, διὰ τοῦτο ἐπιστάμενοι. πολλὰς γὰρ καὶ παραδόξους ὁδοὺς σωτηρίας καινοτομεῖν τὸ θεῖον οἶδε, πρὸς ἡμᾶς τὸ φιλάνθρωπον.

146 Ab impio Juliano loco motam & dejectam Chriſti ſtatuam, Chriſtiani non neglexere, ſed in Diaconicum intulere. Narrat hoc Nicephorus: & brevior Sozomenus. Μετὰ ταῦτα οἱ Χριστιανοὶ συλλέξαντες ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἀπέθεντο, ἔνθα καὶ νῦν φυλάττεται. Maluit tamen Taliator fuſius è Nicephoro recitare, tum ut creſceret libellus, tum quod de cultu aliquo modo locutus videatur: de viſitatione & inſpectione neſcio quid adjiciens, quod apud Sozomenum non habetur. Narro autem tibi vir docte, non eſſe aliquem è noſtris Novatoribus, (Puritanos ſemper excipio, hoc eſt, Proteſtantium Jeſuitas) qui non, ſi eſſet eadem apud Turcas ſtatua & Paganos: ac certo conſtaret cujus foret Imago, iiſdem, quibus olim, *pietatis* officiis, & religioſis affectibus, ſuum erga Chriſtum, animi *inſitum* amorem & ſtudium declararent, ſi ab hoſtibus fidei & nominis Chriſtianæ, de baſi mota, rapta, diffracta, lacera, unco injecto traheretur in latrinas; qui tamen, quiſquis foret, non audiret ob hunc animi ſui affectum, εἰκονολάτρης. Ille tamen ipſe, eandem met ſtatuam inter Chriſtianos, ultra omnem ſobriæ pietatis modum cultu & honore Divino violatam, è medio tollendam perſuaderet, ſine ullo diſpendio religioſi ſui affectus: ſine omni pietatis in Chriſtum imminutione: potiùs cum non minori laude & applauſu, quàm Rex piiſſimus Hezechias, ſerpentem illum æneum, juſſit comminatum aboleri. Quid ergo nobis ſtudium veterum Chriſtianorum commemoratur? Laudamus ſtudium, pietatem exoſculamur. Μηδὲ κάμπτωμεν γόνυ τῇ Βαάλ, διὰ τὴν χρείαν, μηδὲ διὰ εἶδος τῇ εἰκόνι τῇ χρυσῇ προσκυνήσωμεν. Huc non aſpirat illa collocatio in Diaconio. Imo ne quidem *conveniens cultus*. Fallitur enim qui *convenientem cultum*, Latriam quorundam ſcholaſticorum putant. Diaconicum illud libenter frequentantes Chriſtiani, & imaginem ipſam inſpectantes, libenter deſyderium ſuum & amorem, Nicephorus ait non erga ſtatuam, per ſtatuæ adorationem, ſed erga ſtatuæ archetypon & exemplar primarium declarabant. Religio fateor, hæc fuit, ſed conveniens, limitibus quibuſdam ſuis, & terminis,

minis circumſcripta. Inanis autem & frivola eſt illa quæſtio. *Quibus aliis pietatis indiciis poterant Chriſtiani, ſuum, erga imaginum cultum declarare ſtudium?* Nam nec cultum ullum imaginis repræſentat iſte locus, ſed cultum archetypi illius imaginis. Et cultus ille exhibitus; erat longè alius, quàm imaginum deſcriptus in Amore & Deſyderio. non ad γονυκλισίαν, προσκύνησιν, aut vel προσφώνησιν elevatus.

Compi ſunt καὶ λῆροι, quæ de continuo tenore illo, & ab antiquis temporibus derivatâ in Romanam Eccleſiam conſuetudine, imaginum colendarum ampullantur. Illa vetuſta conſuetudo, jam ad *tramam abiit*: ſubintroductam nobis reponunt novam. Quid ſtatuerit ſecunda Nicæna Synodus: quam benè, quam malè de imaginibus, & earum veneratione concluſerit, non eſt in præſenti laborandum. Epiphanius citatus, non ille Cyprius, ſed qui in coronâ Patrum 350. ſuam ſententiam proferebat de imaginibus, εἰκόνων τιμὴν ſuggerit, ab Apoſtolorum ævo in Eccleſiâ continuatam. Hanc, non ſcriptis conſignatam, ſed unà cum multis aliis Traditionibus, inoleviſſe docet. Hanc antiquitatem, confirmat ille exemplo iſtius hæmorrhoiſſæ. Non hic objicimus, imaginem illam æneam, nequaquam in æde ſacrâ, vel Oratorio ſtatutam: ſed ſub dio, in propatulo, in hominum conſpectu, in trivio, ante ſuarum ædium fores. nec objicimus, quod diſertim notatur ab Euſebio, mulierem hoc ipſum, de Paganorum uſu derivaſſe: quod effatum, Epiphanii illud ψήφισμα de vetuſtiſſimâ Traditione, refigit. Non objicimus, conceſſam Traditionem antiquam, vulgi rumoribus ſolis innixam, Quæ tamen omnia premi deberent, ſi quæſtionem tractaremus Iconolatricam: illud ſatis eſt, quod urgeatur, Epiphanium illum loqui, non de προσκυνήσει, de quâ ſolâ quæritur, ſed de τιμῇ, quæ non negatur. Quæ voces cum rem eandem non ſignificent, verborum cincinnos, & Rhetorum pigmenta tollat licet Taliator, quibus fœminæ illius prædicat pietatem. 147

In ſecunda tabellæ ſuæ facie Roſwydus, quaſi victoriâ potitus glorioſâ, ita Ἰὼ triumphe, ſibi cecinit, vir eruditus. *Teneo te* κομπάζων, iterum *te Caſaubone teneo, craſſæ ignorantiæ, vel fraudis potius ex Lege Talionis reum.* Certè negari non poteſt, viro erudito, aliud agenti, properantive, aliqua interdum excidere aliena: ut hoc ipſo in loco: non quidem à ſubjecto, ſed de perſonâ. Libri ſunt vel potius ſermones tres Johannis Damaſceni de imaginibus, in quibus author ille, neſcio quid ex imperito quodam fungo, fatuo, bardo ſcriptore Johanne Malalâ, pro ratione ἀξιοπιστίας, recitaverat. Illuſtriſſimus Baronius, qui per occaſionem, de quibuſdam relatis apud Damaſcenum, in ſuis Annalibus injecerat mentionem, de Johanne illo Malalâ ita cenſuit. *In multis ejus ſcriptis fidem vacillare, & compluribus ipſum ſcatere mendaciis.* Caſaubonus, ad alia dum feſtinat: aut, quod opere in longo contingere ſolet, parum attentus, cenſuram illam, per Cardinalem in Malalam prolatam, 148

Caſauboni hallucinatio, in Damaſceno.

quaſi

quaſi dictam de ſermonibus Damaſceni de imaginibus, interpretatur. Hinc illi clamores, de dolo malo, fraude, ignorantiâ craſſâ. Hinc in laudem Damaſceni non immeritam, ſed minùs neceſſariam, expatratio. Damaſceni manes leviter quieſcunt: non libet eos inquietare. eruditi viri, in multis & magnis utiliſſimi ſcriptoris: in quibuſdam tamen, ut habent maxima ingenia, qui dolum admixtum inſaniæ, & infantiſſimi, ac etiam vani. Nec eſt opus ut longè abeamus demonſtratum. Hoc ejus de imaginibus ſcriptum, quaſi quædam eſt πολύποδος κεφαλή. in illo enim, ut apud olim Ægyptios, Παῦρα μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά: *Sunt bona quædam, ſunt mediocria, ſunt mala plura.* Et non poſſum quin judicium deſiderem in Baronio, tantis hoc ſcriptum præconiis efferente. In Taliatore, διαῤῥοίαν quandam verborum deridendam habeo, qui de Opere præclariſſimo, de ornatiore quovis Damaſceno periſtromate opellâ, ampullas jacit, & ſeſquipedalia verba, quod craſſiſſimo filo, & levidenſiori contexebatur. Quæ de imaginibus ille habet nullo ordine, ſed confuſiſſimè in tribus illis ſermonibus, iſta ſunt.

149 *Damaſceni de imaginib. λόγων epitome.* Eſſe Dei imaginem triplicem; Primam φυσικὴν, & ἀπαράλλακτον. Filium nempè unigenitum, & coævum. Eſſe in mente Divinâ προορισμοὺς, quos appellat Areopagita, imagines nempè rerum producendarum. Eſſe quoque hominem imaginem Dei, ad quam in principio creabatur. De nullâ iſtarum imaginum, agitur in præſenti tractatione, ſed illa ſolâ, qua Chriſti Θεανθρώπου & ſanctorum ejus, ſculptæ, pictæ, aut aliter expreſſæ Imagines repræſentantur. Quas εἰκονισμοὺς, utiliter poſſe fieri & haberi docere vult, & ſic factas, veneratione coli convenienti. Quam congruentem venerationem, ut exprimeret, docet eſſe διαφόρους προσκυνήσεις. nempè λατρείας, & ἐκ τιμῆς προσαγομένην τοῖς ἐν ἀξιώμασι. Illam priorem eſſe duplicem: primò, debitam ſcilicet uni & ſoli Deo. Patrem enim, Filium & Spiritum ſanctum, ἐν τριάδι τὴν μονάδα, modo quodam, ſuper omnem meram Creaturam excellentiori, cultu quodam proprio, & peculiari adorandam. Alteram Latriæ ſpeciem, Dei amicis, propter Deum, attribuendam. Quæ non alia videtur eſſe, quàm quæ eſt à recentioribus Hyperdulia appellata. Res enim ſanctas, Deo dedicatas, & loca ſacra, non modo non debere contemni, conculcari, prophanari: ſed veneratione debitâ, & religioſo affectu adamari. Itaque contra communem Scholæ ſententiam, è doctrinâ Damaſceni, Latria, non ſignificat excluſivè illum unicum, & ſolum cultum, qui Deo optimo maximo particulariter debetur, ſed, qui communicari etiam poſſit, licet non eodem modo graduve, Creaturis. Impium tamen diceret Damaſcenus opinor, illum, qui eodem cultu Chriſti imaginem in Cruce pendentis, ligneâ aliquâ aut argenteâ, hoc eſt, Crucifixi, ἐκτύπωμα, quo eundem in Cœlis regnantem Deum, & in ſæcula ſæculorum benedictum coleret & adoraret.

150 Pergit autem porro, in iiſdem ſermonibus Damaſcenus de imaginibus

Digitized by Google

ginibus commentari. Pingi poſſe: idque non inutiliter, in feneſtris, parietibus, etiam Eccleſiarum: ut Idiotæ, viſis, & uſurpatis ſanctorum deſcriptis κατορθώμασιν, ac Martyrum concertationibus, illorum fortia facta recolant memoriâ, & ad illorum virtutes diligendas exprimendaſque excitentur. ut ex intuitu, Chriſti Servatoris capti, flagellati, crucifixi, Judæorum impietatem, peccati horrorem, Domini pietatem, adament, & perfectam ab illo Redemptionem atque ἀπολύτρωσιν recognoſcant. Rectè enim dictum, meo animo, eſſe rerum ſacrarum imagines, ita diſpoſitas ac adhibitas, *Idiotarum libros*: eruditorum Nomenclaturas: ſeu ἱερομνήμονας: quæ ſunt ab illâ, alicubi uſurpatâ veneratione, & προσκυνήσει remotiſſima.

Damaſcenus, in illo opere teſſellato, licet omnia confuſim & confertim tradat, non aſcendit, quod animadvertere potui, ultra iſtud διαψήφισμα, Ob Martyrem depictum, ejuſque Paſſionem, in pariete, Deum veneror, & proſtratus adoro. Hoc eſt, ex intuitu τῆς ἱστορίας, excitatur animus, & πρὸς θεὸν ſtatim, affectu fertur & oratione, genibus interim in terram reclinatis; eò quòd in adorioſo athleta illo ſuo, gloriam nominis ſui propagavit Deus, & per illius τὰ σκάμματα, & Heroïcæ patientiæ παλαίσματα Deum ſe potentem, in carne fragili & infirmâ declaravit, dum ad extrema omnia tolleranda, vires illi, ultra humanas, ſuppeditavit. 152

Hæc ſunt vel omnia, vel ſaltem præcipua Damaſceni, in laudato illo opere, apophthegmata: quæ plerunque ſunt cum pietate ſatis conſentanea. Quæ omnia in illo opere, eo modo allata, dupliciter ivit confirmatum. Authoritate & exemplis. Authoritas illi ſola humana ſuppetit. Vetuſta nimirum conſuetudo. Quæ & ipſa, ſi ſtemus Epiphanio, in Concilio Nicæno, à fœminâ hæmorrhoüſſa, deducebatur. Ita Lib. 2. pag. 40. diſertis verbis ſtatuit Damaſcenus. Et tamen, quaſi ſui oblitus, ſtatim dilabitur ad Divinam authoritatem, & fundatam in Scripturis Inſtitutionem. Qui & Teſtimoniis inde agit perquam prodigioſis, & mirificè detortis, ut Damaſcenum cogamur in Damaſceno deſiderare. Poſtremò, illud opus, triplici diſtributione commendatum, eſt è tribus laciniis, φόρημα ῥακῶδες. Quod ſi autem flagellum, ut volunt, Iconoclaſtis, certè è tribus funiculis detritis contextum eſt, ac arroſis. Præter iſtas authoritates, cum ad patrum deſcendit Teſtimonia, ut πρὸς ἔπος nihil dicentes affert, ita inter antiquos Eccleſiæ Patres, veneranda capita, ſcriptorum nonnulla, ἀποκαθάρματα, & eruditionis mendicabula reponit. apud quos, funem vel familiam ducit, ille Malala omnium bipedum, quod nunc patet, ineptiſſimus. ſed ſatis multa de Manzore, per occaſionem tabulæ Roſweydanæ. 153

Conveniendus eſt in ſecundis, Diatripta, quo nemo magis nugas operoſiores, vænum expoſuit caupo. *Invidioſum eſt*, inquit, *& ridiculum, quod debitum uni Deo cultum, Creaturis variè & multifariam ais, à nobis communicari.* Si invidioſum ſit, benè habet, quod ſimul ſit ridiculum. ſed annon tibi fluit, ridicula ſatis oratio? Id quod 154 *Diſſertatio cum Bulengero.*

invidiam

invidiam vobis adeò conflat: quod vos malè vulgo, apud noſtros Novatores, audire facit, & incurrere in hominum odia, itane tibi videtur eſſe παιγνιῶδες & joculare, quod cum Dei contumelia conjunctum criminantur? Ridiculum non debet eſſe, quod eſt ejuſmodi. niſi fortè morſos à Tarantulâ imagineris, ridiculos, quos ridere aiunt in re ſeriâ, adeò ut ridentes emoriantur. Profectò, hæc vos pungit accuſatio de Latriâ exhibitâ Creaturis, & veſtram vulnerat conſcientiam, de communicato cultu Divino, hoc eſt, incommunicabili. Cæcitatem in hac cauſſâ vel deplorant veſtram Novatores non διάπλαγκτοι, vel exagitant, religioſi. Καίτοι, ὅστις τούτοις φθονεῖ, ut cum Lyſiâ Oratore loquar, ὡς ἐν ἄλλοις λέξιν, is non magis videtur ſanâ ſuâ mente frui, quàm ille, qui in eâ verſatur ſtupendâ inſaniâ, ut proſtratus imagines veneretur. Quocirca, negatur accuſatio. *Vni Deo debitus cultus*, ais, *uni Deo redditur:* cum rebus Creatis non communicatur. Εὖγε καὶ καλῶς, ſi vera narràs: ſaltem conſtat pudendam eſſe praxin εἰκονολατρευόντων. alioqui, quid opus, vel negatione, vel diminutione, & μειώσει; Honoris impenſi, cultus præſtiti, ad Eum quem, per illum cultum colimus, debet eſſe proportio & analogia. Majeſtas autem illa Divina, infinities excedit menſuram quantamlibet Creaturarum. Adverſarii veſtri cauſantur & criminantur, Eccleſiam Romanam longiùs recedere in Adorationis ſuæ praxi & uſu communi ac populari, à doctrinâ quorundam in illâ Eccleſiâ viventium: *imo* etiam, & in doctrinâ, quoad partem non contemnendam. *ſed Antiquitate vos tuemini.* rectè, ſi verè. nam à terminis quos antiqui Patres fixerunt, exorbitantes, πρὸς τὰ ἤθη τὰ ἀρχαῖα revocamus. Sed illa vos tuemini Antiquitate, quæ Gentiles olim Ethnici*que* in impiis ſuis ritibus & prophanis Orgiis, Chriſtianis *majoribus* opponebant. Qui calumniis illorum reſpondebant. Μόνον ἐγκαλεῖν ἡμῖν ἔχετε, ὅτι μὴ τοὺς αὐτοὺς ὑμῖν σέβομεν Θεοὺς, μηδὲ τοῖς ἀποθανοῦσι χέας φέρομεν. Non illâ Antiquitate vos tueri poteſtis quæ coætanea fuit Chriſto, & Apoſtolis. Illi nec imaginibus utebantur, at ſtatim ab initio naſcentis Eccleſiæ, erant in aliquo imagines. quod fatemur. ad civilem tamen, non religioſum uſum. hoc multo opere nugator probas, quod nemo negat. nos fatemur eſſe inter *adiaphora* habere, ſeu non habere. ſed habere ad cultum, inter *ſacrilegia.* Picturas, imagines, ſtatuas eſto habuerint. Fictos, pictos, factitios, putativos Deos non habebant. ad ſimulachra, motu, ſenſu, vitâ carentia non currebant, λίθων ἀφιδρύματα κωφῶν, quæ Sibylla nominabat. Annon Hi ſunt Dii veſtri, ſanctorum imagines, reliquiæ, ſimulachra? apud Quos: coram Quibus: & fortean Quibus etiam incenſum adoletis, cultum exhibetis & venerationem?

155 Et hoc aliquo modo fatetur Diatripta, qui poſt Invocationem pergit, ad Adorationem. κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Quaſi & invocandæ Divino ritu & adorandæ imagines eſſent. Illa autem *Adoratio*, nam de invocatione ampliandum, ſi ad praxin popularem attendamus, vix, aut ne vix, ab Idololatriâ excuſabitur: honeſtiore forſitan nomine

Digitized by Google

nomine (quemadmodum ſolent rei atrocitatem verborum mollitie mitigare) palliata. Per illam enim, à vivis ad mortuos: à ſacris, ad prophana: à ſanctis apud Deum, gloriâ & honore coronatis, ad Ludibria trunci, pupas, cippos, lapides, ramenta, fragmina, & putamina neſcio quæ, colenda acceſſerunt. Κακὰ μὲν θελκτὰ, κακὰ δὲ καὶ ἴσα. in utroque receſſum eſt à verâ pietate. Benè autem habet, quod coarctat adeò, & compingit in anguſtum. *Quem videmus hodiè*: hoc eſt, noviſſimis hiſce & deploratiſſimis Mundi temporibus, poſtquam tenebræ diffuſæ ſint, ſuper faciem abyſſi. Certè videmus, nos Hodiè, illam Imaginum venerationem, quam non viderunt Heroïcis Apoſtolorum temporibus proximi. Quod & ipſum agnoſcere videtur ὁ Δαμασκηνὸς. *Quem enim videmus hodiè*, inſinuat, non vidiſſe olim illos. An viderint autem, agedum veteres interrogemus.

Euſebius imprimis citatur Teſtis. Quid autem viderit, loquatur 156
ipſe, Euſ. Lib. 7. cap. 18. verba ſunt; Τὰς εἰκόνας Παύλου καὶ Πέτρου, καὶ αὐτοῦ δὴ τοῦ Χριστοῦ, διὰ χρωμάτων ἐν γραφαῖς σωζομένας ἱστορήσαμεν, ὡς εἰκὸς τῶν παλαιῶν ἀπαραλλάκτως, οἷα σωτῆρας ἐθνικῇ συνηθείᾳ παρ' ἑαυτοῖς, τοῦτον τιμᾶν εἰωθότων τὸν τρόπον. Vidit ergo Imagines Euſebius pictas, Petri, Pauli, Chriſti, διὰ χρωμάτων: hoc eſt, in tabellis delineatas. Credo. Vidi ego ſexcentas eorundem, apud Nos, Hæreticos, ſi placet, Imagines. Sed quid pictura nuda ſpectat ad cultum aut adorationem, in qua quidam, ad impietatem inſanierunt? Pinguntur apud nos paſſim: nullibi apud nos adorantur. Picta, in ludibrium fortè, oſtenduntur multa, quæ nullo cultu impenſo, ſpectantur tamen, uſque ad inſaniam, puerorum applauſibus, & εὐφημισμοῖς acclamata, in publico excipiuntur. Habemus nos Imagines paſſim, in compitis & feneſtris, qui non adoramus eas. Hic ergo terminus eſto. Non poſſumus εἰκονομάχοι reputari. Aſſervamus enim (ne decipiantur οἱ ἐξώτεροι, per noſtros errones fugitivos, maleſuados) Petri, Pauli, beatæ Virginis Deiparæ, ſanctorum aliorum innumeras Imagines: præſertim verò Jeſu Chriſti Redemptoris Crucifixi, per omnia atria, ædes, cubicula, περιστύλια & ambulachra: in omnibus ferè urbium angiportis, viarum compitis, templorum adytis, cryptis, & larariis, in parietibus & feneſtris, quas tamen non adoramus: non ſumus adoraturi, ne tum, cum zelotas quoſdam εἰκονολάτρας, ſeverè, quod nuper factum, in furioſo quodam rabulâ forenſi, etiam publico, & honorato judicio vindicemus. Invaluerat hæc olim, quæ & hodiè obtinet, conſuetudo. neque opus erat Bulengero, magno, ut nugatore, ita & plagiario, tranſcriptis è Bellarmini ſchedis, teſtimoniis (cui tamen ſe debere illa non agnoſcit, nec profitetur per quem profecit) rem minimè, apud nos, controverſam confirmare. Serius tamen in Eccleſias & Baſilicas, quàm in praxin privatorum, ſe transfudit hæc conſuetudo, quam non exagitamus, quin libenter retinemus & propugnamus, & cum utilitate conjunctam, comprobamus. Quodſi vellemus diſſentire, non alio prius authore uteremur, quàm Euſebio, qui loco citato,

Patrum de Imaginibus dicta. Euſebii.

Lib.7.cap.18.vel 14. ab Ethnica deducit & derivat conſuetudine, quod oſtendimus, ubi de ſtatuâ tractat, in honorem Servatoris per hæmorrhouſſam mulierem poſitâ.

157 *Chryſoſtomi.* Sed beatus Johannes Chryſoſtomus, beati Meletii Imagines, adeò celebres fuiſſe ait, in Orat. in S. Meletium, ut vulgò annulis vitreis, parietibus inſculparentur. ſed an vidiſſe ſe ait Johannes Chryſoſtomus, illum cultum Meletii imaginibus habitum, quem videmus hodiè Divæ Lauretanæ impendi? Nihil minus. Ne quidem ullum omnino habitum. niſi, geſtare imaginem inſculptam annuli palæ, ſit imaginem, apud ſtipites & truncos, adorare. Pronunciat confidenter Bulengerus. & is, cujus ſcrinia gratis compilat Bellarminus: ſed parum prudenter: ut Scaurus Varum, quod dici ſolet. Citarunt hunc locum utroque priores, ſed ridiculè, ut plerunque ſolent, Nicenæ ſecundæ Synodi Patres, Act. 5. uti & cætera teſtimonia Patrum Bellarminiana. Cultum imaginibus illi aſſerebant debitum. Quem verò volebant deberi *cultum* imaginibus *debitum*, ignorare nos patiuntur. vel enim non ſciunt: vel effari non audent. Quemcunque ſtatuunt, nihil eò ſpectant Chryſoſtomiana de Meletio. ſi velit factas olim imagines, & licitè quidem factas, inde probare, quærendi ſunt ipſi in hac cauſſâ adverſarii. Nos litem nullam hac de re movemus, nec conteſtatam tueri volumus. ſi cultum, quod & certum opinor, & debet, propugnat; quod & in animo verſatur ei, & in calamo, quærendus eſt alius à Chryſoſtomo teſtis. Sed nec adjutant Nicæni Patres. *Taraſius enim ſanctiſſimus Patriarcha dixit: ſi vetus Teſtamentum habebat Cherubin, obumbrantia propitiatorium, & nos Iconas Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſanctæ Dei genetricis, ſanctorumque ipſius habeamus obumbrantia Altare.* Habeat autem: dummodo non adoret: quod non ait ibi ſe facturum: Ad eundem ſenſum, & non alium, ſtabiliendum, Chryſoſtomum citant ex illa Meletiana. Hallucinatur igitur, & quidem inſigniter, Bulengerus. Nam, ut in rem præſentem eum deducam, Meletium, nondum vitâ functum, *De Meletio vera relatio.* (quales illi uſurpantur Lumine caſſi, quorum imagines venerantur) ſed vivum etiamnum videntemque, Epiſcopum ſibi deſignatum, Antiochenſes, tanto amore proſequebantur, ut imagines ipſius, quædam ἀνακλητικὰ, veluti ſymbola amoris & affectus in hominem ardentioris, ſibi libenter compararent. Inconſideratè ergo Diatriptes. Neque enim, niſi ſanctis, hoc eſt vitâ functis, & per Canonizationem Papalem, vel Eccleſiæ conſenſum univerſalem conſecratis, hunc honorem exhibere ſolent Pontificii, aut titulos aſſerere tam illuſtres. Ad ſanctorum enim in Cœlis beatitudinem ſpectat accidentalem, quod abſentium imagines in honore habeantur.

158 Erat Meletius ille, vir certè illuſtris, & Hiſtoriis Eccleſiæ nominatiſſimus, rebus humanis minimè exemptus, cum de illo Panegyricam illam Orationem Chryſoſtomus haberet. Erat, inquam, in vivis, ſed deportatus in exilium, & Epiſcopatu pulſus: eò quòd à partibus Homouſiſtarum, (quo nomine Orthodoxos, vocabant

Hæretici

Digitized by Google

Hæretici Ariani) & nomen ſuum profiteretur, ac etiam ſtaret conſtantiſſimè. Erga vivum igitur amores ſuos Orthodoxi Antiochenſes, & quidem mirabiles, oſtenderunt. Imprimis cum electus Epiſcopus, urbem accederet, εἰσελθόντα δεξάμενοι, τὸ παιδίον ἕκαστος ἑαυτοῦ, ἀπὸ τῆς προσηγορίας ἐκαλεῖτε (Antiochenſes alloquitur) τῆς ἐκείνου. διὰ τῆς προσηγορίας εἰς τὴν οἰκίαν ἕκαστος ἑαυτοῦ τὸν ἅγιον ἐκεῖνον εἰσάγειν νομίζοντες. Καὶ πατέρες, καὶ πάππους, καὶ προγόνους παρατρέχουσαι αἱ μητέρες, τὸ ὄνομα τοῦ μακαρίου Μελετίου τοῖς τεχθεῖσι παιδίοις ἐπετίθησαν. Ἐνίκα γὰρ τὴν φύσιν, ὁ τῆς εὐλαβείας πόθος. καὶ τὰ πικλάμψια λοιπὸν, οὐκ ἀπὸ τῆς κατὰ φύσιν φιλοστοργίας μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς πρὸς τὴν ἐκείνου προσηγορίαν διαθέσεως, ποθεινὰ τοῖς φύσασιν ἦν. Erat hic primus & præcipuus Antiochenſium civium, erga ſanctum illum Epiſcopum ſuum amoris affectus, illiuſque certiſſima demonſtratio, quod Parentes plerique natos ſibi liberos, non de ſuis, ſuorumve majorum nominibus, ſed de Meletii Meletios appellarent, ut Epiſcopi ſui memoriam, in liberis perpetuò recolerent. Neque huc ſolum progreſſus eſt ille Antiochenſium civium amor erga paſtorem ſuum, ἀλλὰ καὶ πρὸς αὐτὸν τοῦ σώματος τύπον, ferebatur. Ita enim ſequitur apud Chryſoſtomum, ubi de imaginibus & ſimulachris, hæſit ad metas Bulengeri, Fides, Induſtria, vel Ingenuitas. ὥσπερ γοῦν ἐν ὀνόμασιν ἐποιήσατε, τοῦτο καὶ ἐπὶ τῆς εἰκόνος ἐπράξατε τῆς ἐκείνου. Id autem quod prius in Nomine, etiam feciſtis, deinceps, & in imagine illius. Namque & in palis annulorum & in ſigillis, in poculis, in parietibus thalamorum, in muris, ubique denique ſanctam illam imaginem non pauci expreſſerunt. Et hæc omnia, ne de mortuo jam dicta fingamus, proponuntur in hiſtoriâ illa Chryſoſtomianâ, cum ipſius ingreſſu, & continuò ſequutâ ejectione. Ideò autem ab iis facta docet, ut διπλῆν haberent, ipſius ἀποδημίας παραμυθίαν. καὶ γὰρ εὐθέως εἰσελθὼν, τῆς πόλεως ἐξεβάλλετο, ab Imperatore Ariano, & triginta tantum dies, ſed nec illos integros, commoratus cum Epiſcopatu, in exilium deportabatur. Cujus rei cauſſâ, ut dolorem ſuum, & ſimul deſiderium explere poſſent Orthodoxi, ad imagines exulantis habendas & cuſtodiendas, magnifaciendaſque ſe contulerunt.

Et hæc ſunt omnia quæ Chryſoſtomus de imaginibus Meletii cultis & veneratis ſcilicet, apud Antiochenſes, in illa Oratione, 159
quam poſt decurſum quinquennium ab exceſſu beati viri habuit apud ſuos populares, Chryſoſtomus perſequitur, in quâ rerum præteritarum narrat hiſtoriam, non præſentem deſcribit tum rerum ſtatum, aut populi in defunctum, venerationem. Ita temerè magiſtri noſtri magni in Iſraël, Præceptis ſuis opinionibus, per aliorum ementitas actiones obducunt velum. ſeptimæ Synodi Patres illi belluli ſi mentem ipſorum cepit interpres, ἀποδημίαν, quam vocat Chryſoſtomus, *exceſſum* ad Deum, non ut oportuit, *exilium*, interpretantur. Quaſi poſtquam fato ſuo functus fuerat Meletius, illius εἰκονίσματα tanquam ſacrata κειμήλια, in Larariis repoſita, coluerunt Antiochenſes. Ridiculè: ut ſunt pleraque à Convenis illis, in illâ Synodo, εἰκονοδούλοις, ſine ullo judicio, convaſata. Aliud eſt, imaginem alicujus abſentis amici, annulo incluſam, amuleto

& περίαπτα inſculptam circumgeſtare : aliud imaginem, in ligno, lapide, auro, argento venerari. Hoc ἀπάτηλον eſt & impium, in Divini numinis contumeliam patratum : illud εἰς μνημόσυνον fit amicorum : laude dignum eſt, & commendatione. De iis dixerimus quod de ſtellis Leo, contra Genethliacos, *Etſi admirandam habent pulchritudinem*, *adorandam non habent Deitatem*. Ἡμεῖς μὲν οὖν, cum Theodoreto dicam, ὁρωμένων θεολογοῦμεν οὐδέν. τοὺς δὲ ἀνθρώπους, τοὺς ἐν ἀρετῇ διαπρέψαντας, ὡς ἀνθρώπους ἀρίστους, γεραίρομεν, μόνον δὲ τὸν τῶν ὅλων Θεὸν προσκυνοῦμεν. Atque ita ineptias de Chryſoſtomiano Meletio miſſas faciemus.

160 *Sed beatus*, ais *Nazianzenus*, (& aiebat ante Te, cui iſta omnia debes, licet non profitearis per quem profeceris, Illuſtriſſimus Controverſor) *in Eccleſia olim Diocæſareenſi imagines extitiſſe ſculptas docet*. & doceat. Quid hoc ad rhombum? ſunt enim apud Nos, quod aliquoties diximus, frequentiſſimæ imagines ſculptæ, pictæ, poſitæ, per Eccleſias : per ſtallos, ut vocant, Canonicorum : per feneſtras : periſtylia : ambones : vaſa : veſtimenta : & ipſa ἅγια τῶν ἁγίων, θυσιαστήρια. Sed non docet, quod mentitur, id Nazianzenus, imagines locatas & diſpoſitas fuiſſe, per Eccleſias Diocæſareenſium, & miror Jacobi Billii interpretis, quem liben-

Billius notatur. ter exſcribunt, θρύλλημα, cujus hæc ſunt in illum locum Epiſtolæ Nazianzeni 49, annotata, *Obſerva ædes ſacras Gregorii tempore, ſtatuis & imaginibus ornatas fuiſſe*. Obſervamus autem : ſed aliunde. fatemur : ſed per alias evidentias. Non licet illud obſervare uſurpatum ex hoc loco. *Statuarum* enim non meminit Nazianzenus, aut *Imaginum* ullarum per Eccleſias & ſacras ædes : ſed per communia & prophana habitacula, per urbes, vicos, civitatem. Adoleſcentes quidam Diocæſareenſes, neſcio quomodo παροινησάμενοι, in Leges deliquerant : aut ſaltem in edicta viri clariſſimi Olympii, ἡγεμονεύοντος τῆς ἐπαρχίας. Hinc ille irritatior, minatus eſt, ſe urbem illam funditùs exciſam ſolo æquaturum. Intercedit Gregorius Nazianzenus pro Diocæſareenſibus, apud amicum præfectum. Deprecatur hanc juſtam excandeſcentiam, quâ in juvenum illorum παροινίαν flagrabat. rogat ne urbem ſi in ruinam tradat, Eccleſiam quoque exſcinderet nuper magnis impenſis ædificatam, & multis inſtructam ornamentis. ὅτι ναὸς ὃν ἐγείρομεν τῷ Θεῷ, καὶ περὶ τοῦτον ἡμῶν φιλοκαλία. Rogat ne antiquam urbem velit deſolare, dejectis primum ſtatuis quibus abundabat, & ſtratis ad ſolum ædificiis. *Graviſſimum eſſe*, ait, *ſi ſtatuæ ad ornatum urbis comparatæ dejiciantur : gravius tamen, ſi ipſa urbs : graviſſimum, ſi Dei Templum*. Ita triplici innititur, præter preces, ad perſuadendum argumento. De urbe antiquâ & innoxiâ non complanandâ. de Templo, non deſtruendo. de ſtatuis non dejiciendis, quæ non per Eccleſias, ſed urbis vicos & angiportus, de more illorum temporum & receptâ conſuetudine habebantur. quanquàm hoc leviſſimum è tribus, eſſe pronunciat. Δεινὸν, εἴποτε τὴν μεγάλην πόλιν ἔχοντες, νῦν μηδὲ πόλιν ἔχοιμεν. καὶ θηρίων οἰκητήριον γίνοιτο, ὅτι ναὸς ὃν ἐγείρομεν τῷ Θεῷ,

καὶ

καὶ ἡ περὶ τοῦτον ἡμῶν φιλοκαλία. οὐδὲ γὰρ εἰ ἀνδριάντες κατενεχθεῖεν ποτὲ, τοῦτο δεινόν. Statuas vult per urbem, & non per Eccleſias. Quod ſi per Eccleſias intelligeret, non eſt quod debeant εἰκονοδοῦλοι Nazianzeno, qui pronunciat, non eſſe δεινὸν, ſi dejiciantur. Qui & addit, *Noli exiſtimare, nos illarum habere rationem* (nam Billius etiam & hic ceſpitat) ὅτι περὶ τὰ κρείττονα ἡ σπουδή. Qui de multo præſtantioribus ſolliciti ſumus. Atque ita ſe habet Nazianzeni teſtimonium, quod Bulengeri oſcitantiam στηλιτεύει, non minus quàm ipſe Gregorius Juliani impietatem. Ejuſdem ſunt & furfuris, quæ de Tertulliano, Prudentio, Baſilio adhibentur. Quanquam Baſilium, inſigniter mentiuntur. Hæc autem & plura his ſimilia à Nicenis patribus ad furores retundendos Iconomachorum: qui cum modum omnem exceſſerant & menſuram, quemadmodum & hodiè Calviniſtæ quidam furioſiores allegata, in noſtrâ cauſſâ, non deberent recitari, qui tantum averſamur adorationem, uſum non ſollicitamus vel utilitatem ullo modo rudioribus inſerviendi. *Secundus ejus error.*

Quod dixi mentiri vos Baſilium, ita eſt. Non enim liquet Mihi, Tibi doctiſſimo Bellarmino, de quo Pictore, qua Pictura loquatur eo loco Divinus vir Baſilius. Si enim veſtris oculis credere voluiſſetis, non Niceæ convenis, hamaxas ineptiarum convaſantibus, non pictorem fingeretis, qualem Lucam volunt, aut Nicodemum: ſed qualem cum præſtantiſſimis Baſilium ponimus, λαμπρὸν τῶν ἀθλητῶν κατορθωμάτων ζωγράφον, qui vivis eloquentiæ ſuæ coloribus, & Rhetorico penicillo, Martyrum beatiſſimorum facinora, *ſermone* de pulpito, non in *pariete*, de olla fictili expreſſius delinearet. ſic enim affatur ſuos Baſilius pictores. ἀμαυρότερον παρ' ἐμοῦ τὸν στεφανίτην χαραχθέντα τοῖς τῆς ὑμετέρας σοφίας περιλάμψατε χρώμασι. Athletam à me obſcurius obumbratum, veſtræ ſapientiæ luminibus acceptum & coloribus illuſtrate. Erant ergo Pictores, de quibus loquitur, non alius modi quàm ipſe erat in Oratione. 161

Erat igitur Novitas, deinceps ſubintroducta, imaginum veneratio. quæ vehementius, quod notat Exercitator, *Orientem afflixit, & commiſit cum Occidente.* Hinc enim emerſerunt illa jurgia, rixæ, cædes inter Conſtantinopolitanos Imperatores. & deinde inter illos ac Romanos Pontifices, ſub Philippico, Leone, Copronymo. quæ tandem gnaviter, licet interdum clandeſtinius, interdum apertius, in id incumbentibus Papis, Italiam extorſit ab Exarchis Ravennatibus, & viam expeditam communivit, ad ruinam & deſolationem Imperii, per barbaros hoſtes ſubintroductos: Leo Iſauricus, cui Conon, ab infantiâ nomen fuerat, qualem ſe in Imperio geſſerit, non ad nos. *Peſſimo is exemplo,* Bulengerus ait, *à Iudæis corruptus, Sanctorum Imagines, quas ab Apoſtolis Eccleſia complexa erat, paſſim evertit.* Eſto. nec inficior: *peſſimo exemplo.* Sed videndum an ille primus hanc inivit viam. ſunt qui Philippicum produnt principem illo anteriorem. Et certè, tum inſanire 162

ceperant

Digitized by Google

ceperant uſque ad cultum, qui prius ultra intuitum, & invitationem, non progrediebantur. aut fortaſſis, licet cautius, & parcius, in illam devenerunt improbitatem. Serenus enim Maſſilienſis *in* Gallia Epiſcopus, antiquior Leone, aut Philippico, imagines curaverat confringendas, quas tum incipiebant adorare. Invaleſcente autem, paullo interciſâ impietate, radices altos egerat, & latè ſe diffuderat ſub Leone Iconodulia. Qui an ex animo perverſo acceſſerit, ad bellum gerendum cum Imaginibus an verò zelo *potius* Pietatis accenſus ad Idola tollenda, incertum eſt. Hiſtorici, *illius* temporis, partium ſtudiis, ut fieri ſolet, commaculati, *fanda infanda*, in illum congerunt. Quicquid fuerat in cauſſâ, ſcimus, homines impios, etiam Diabolum ipſum, reluctantes & invitos, & aliud agentes & aliter animatos, in rem ſuam pertrahere Deum, atque inſtrumenta ſtatuere voluntati ſuæ, ſemper juſtiſſimæ, peragendæ. Fuerit itaque impius Imperator ille Leo, potuit tamen Deus Leone illo uti & Copronymo, in Idolomaniâ coercendâ, quam ab uſu imaginum ſeparamus.

163 Intuitum enim & Invitationem, non eſt cur quiſpiam ut mihi videtur, improbet, aut condemnet. Nos certè non obloquimur, non obmurmuramus. Pingite, ſequemur : ſculpite, ſuſpicimus. Abrahami ſacrificaturientis imaginem. Chriſti in Cruce pendentis, Paſſionem : Typum illum : hoc complementum, (quis negat?) Nos imitamur in Eccleſiis noſtris : intuemur libenter, & uſurpamus oculis, ex intuitu, ad συμπάθειαν commovemur, & ad deteſtationi conjunctam σύνυξιν de peccatis noſtris in Judæos vehementius inflammamur, Chriſti paſſionum tormentis compatimur, & ſimul in memoriam revocamus, non fuiſſe dolorem, ſicut dolorem ejus : cujus illa, ut Græci in ſuis Liturgicis *loquuntur*, ἄγνωστα παθήματα, vocem illam dolorificam expreſſerunt, *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti ?* atque hinc ab Intuitu iſto Invitati, ad Amandum amore noſtro, amorem illius excitamur, qui propter amorem noſtri, ut Auguſtinus loquitur, ſemetipſum ἐκένωσεν, exinanivit, cum in *Plenitudine exiſtens Deitatis*, quod habet Sanctus Leo, *plenitudinem accepit Naturæ humanæ.* & Factus obediens ad mortem, mortem autem Crucis, ἐταπείνωσε tantoperè ἑαυτόν. Hæc & hujuſcemodi nemo noſtrum negat, ſaltem negare nemo poteſt, ex intuitu efficacius ad animum, & intimos cordium affectus deſcendere. eòque magis commendantur, in uſu poſita quotidiano, quo, tardiores cum ſimus, adhæc magnalia Dei recolenda, pluribus indigemus & efficaciſſimis adjumentis.

164 *Athanaſius falſarius.* Rectè igitur è Nyſſeno Abrahami filium ſacrificaturientis Imaginem delineaſti : Non rectè Athanaſium ad Antiochum appellas. Neque enim Athanaſius ille διαβόητος, quæſtiones ſcribebat ad Antiochum : Et quiſquis erat author, non rectè calculus ſubducitur, aut numerus initur capitum, per Centenarias. ſunt in quibuſdam Codicibus 46, in aliis 162, ſi nos non fallat Poſſevinus. In editis, per Commelinum Codicibus, habentur numero 136.

136. Verùm Athanaſium non ſcripſiſſe illas Quæſtiones, non ſolùm noſtri prædicant Novatores, ſed doctiſſimi quique ἀπὸ ἐναντίας, Deluo: Senenſis: Poſſevinus: Bellarminus. Qui vir longè doctiſſimus, & judicio præditus perſpicaci, authorem eſſe nuperum & recentem non dubitat affirmare. Quicunque verò tandem fuit Quæſtionum illarum miſcellanearum author, malè certè meretur de Diatriba, ubi ſic loquentem introducit. *Abſit ut imagines colamus pro Diis, quod Græci faciunt. Induamus modò affectum & ſtudium teſtemur in eum, quem Imago repræſentat. Ideoque ubi deleta eſt Imago, lignum igni permittimus. Quemadmodum autem moriens Iacob, verticem virgæ Ioſeph adoravit, non eum honorem habens virgæ, ſed virgam tenenti: ita non Imagines ipſas, ſed eos qui expreſſi ſunt Imaginibus, honoramus.* Τὸν πόθον, πρὸς τὸν χαρακτῆρα τοῦ προσώπου τῆς εἰκόνος ἐμφανίζοντες. Quæ poſtrema, non leguntur apud illum Athanaſium. Et in iis quæ habentur hodiè, apud Quæſtiones, non, eum ordinem Lector obſervatum, non verba inveniet, non ſententias. *Non ut Deos Imagines adoramus*, inquit, *nos Fideles: abſit enim: ut Ethnici faciunt. ſed ſolummodo affectum ac amorem animi noſtri, quo erga characterem Imaginis affecti ſumus, ſignificamus. Et quemadmodum Iacob, jam morti vicinus, ſuper extremo Scipionis Ioſeph adoravit, non baculum honore afficiens, ſed eum à quo is tenebatur, ſic nos Fideles, non propter aliam aliquam rationem, Imagines ſalutamus & exoſculamur, cum hoc facimus, quàm quomodo Patres aut amicos oſculo accipimus ac ſalute.*

Cyrilli Epiſtolam non vidi: ubi eam Bulengerus uſurpavit, neſcio: an forſitan apud Synodum 7. ubi omnia congeruntur ſine judicio. ubicunque verò tandem extat, veriſſimum eſt omnino quod affirmat, διὰ τὰ ἀρχέτυπα τιμῶνται αἱ εἰκόνες, quocunque tandem honore honorantur. ut Cæſaris Imago in Numiſmate: ut Meletii character in ſculpturâ annuli. Quod ſi quis Cæſarem in Numiſmate ſuo, & in Charactere ἀτιμάζει, in Archetypum tranſit illa contumelia. Et ad eum modum, ſi quis ſancti alicujus expreſſam Imaginem, Beatæ putà Virginis, Petri, Pauli dedecore afficiat, illum ego, & ὑγιαίνειν optaverim, & ſuæ impudentiæ ac temeritatis pœnas dare, quod optimo nos exemplo, aliquoties vidimus in Puritanos quoſdam animadverſum. ſed τιμὴ, aliud eſt: diverſum, ἡ προσκύνησις. 165

Erant poſitæ in publico Imagines per Iuliani ætatem: & hoc teſtatur Nazianzenus. Erant, & quidem per Euſebii ætatem, antiquioris. Sed non tamen erant publicè, ut meretrices πάνδημοι, proſtitutæ: ad cultum expoſitæ, ac venerationem. Lib. 5. Demonſtr. Euangel. (quem librum & locum inveſtigandum reliquit nobis Bulengerus, indefinitè locutus, Euſebius, de Demonſtr. Euangel. Libris, ſcribit) nullum cultum ſuggerit, nedum adorationem. En tranſcriptum tibi locum Lector, ſi acutior fueris ſuggere, in quo cultus ille verſatur, ut agnoſcam. Οἱ γὰρ τῷ Ἀβραὰμ ἐπιξενωθέντες, ἐπὶ χαμαὶ ἀνακείμενοι, δύο μὲν ἑκατέρωθεν, μέσος δὲ ὁ κρείττων, ὑπερέχων τῇ τιμῇ. Εἴη δ' ἂν ὁ δεδηλωμένος ἡμῖν Κύριος αὐτὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ, ὃν καὶ οἱ ἀγνῶτες σέβουσι τὰ θεῖα λόγια πιστεύοντες. 166

De

De pictura tantum agitur. & mirum eſt, hominem non dixiſſe, picturam, non ob aliam ullam cauſſam inventam, niſi ad promovendam Idololatriam. De Damaſceni tribus laciniosis ſermonibus jam diximus ad Talionem. Erat ille vir doctiſſimus, ſed δεισιδαίμων, & partibus addictior, εἰκονολατρεύων: ætate puer, ſi ad veteres heroas, Apoſtolicis temporibus proximos, reſpiciamus. Per Bellarminum intelligimus quid Prudentius cecinit de Hippolyto. Et ſcimus quid Poëtæ, de homonymo illius ſancti canunt. utrumque compono: non tamen in cauſſâ mortis. Prudentius de *picto:* non & *culto* loquitur. ſcio apud Baſilium, non extare portentoſum illud mendacium, *In omnium oculis adoro illas.* Synodum 7. affirmantem non moror. Convenerant eo Epiſcopi ſatis multi, in omnibus apparet vix fuiſſe micam ſalis, judicii, aut eruditionis ſolidioris. Mirificè garriunt: pueriliter ludunt: Scripturas imperitiſſimè torquent: Patres, ſine fronte comminiſcuntur: fabulas & ſomnia, & λήρων λήρους pro demonſtrationibus recitare ſolent.

167 Pergit ad Traditiones Diatriba: & *cum,* inquit, *ab Apoſtolorum Traditionibus Chriſtiani acceperint, meritò faciunt, ut eas adorent.* Traditiones autem Apoſtolorum, vel Scripturis fuerant conſignatæ: vel perpetuo, nec interrupto, ideoque certiſſimo Eccleſiæ totius uſu commendatæ. atque ita vim ſuam obtinent & authoritatem. Ab Apoſtolis ſi acceptus fuit & derivatus Imaginum cultus ille ſive honor, extarent, opinor, Traditionis illius veſtigia, in ſcriptis vetuſtiſſimis Eccleſiaſticorum. Non extant autem, aut proferuntur. De Imaginibus interea, ſic ſtatuimus.

168 Imagines, & ſimulachra, vel in Opere ipſo & Facturâ: *vel in* Uſu & Fine conſiderantur. Fieri à nobis poſſe Imagines, *tam* apud nos eſt certum, quam Judæos hallucinari, qui *illud* negant. Erant autem ipſis olim Divinâ Lege penitus interdicta ſimulachra: vel, ad civilem uſum fabricanda: propter Gentis εὐόλισθον in Idololatriam. Neque Judæis integrum fuit, ſculptile aliquid vel depictum, licet non ad *cultum,* niſi per indultam prius diſpenſationem, effigiare. Ita enim Divinum illud præceptum, in quo, ut in aliis, erat nonnihil, *non morale,* praxis illius populi & perpetuus uſus, præſertim à reſtauratis, poſt captivitatem Hieroſolymis, interpretabatur. Multo autem magis prohibitæ fuerant, ad cultum applicitæ, vel uſum aliquem religioſum. Chriſtianis licet fabricare omne genus Imaginum; & ſimulachrorum: arte, formâ, materiâ, ſine diſcrepantium. modò citra impietatem, aut ſuperſtitionem. Fuiſſe non dubito, etiam apud vetuſtiſſimos Chriſtianos Imagines & ſimulachrorum uſus, ſed civiles & in communi poſitos. licet illi quales fuerant, non perindè liquet. Hæmorrhouſſam quis audebit inter Chriſtianos numerandam negare? quam, in honorem Domini Jeſu ſtatuam dedicaſſe, quamvis de Paganorum more deductam, facilè mihimet perſuaderi patior ex Euſebio. Imagines Deitatis ullas, ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis,

Digitized by Google

nitatis, ut Inviſibilis, aut incircumſcriptæ, nemo tam eſt à communi ſenſu alienus, ut affirmet. Spiritum ſanctum, ſub ſpecie linguæ diſpertitæ: in figurâ columbæ depingi potuiſſe, de mente patrum, Chriſtum quoque hominem: vel in Agni τύπῳ &c. tam certò liquet, quàm ſolem meridie lucere. Dei autem patris an fingi poſſit Imago, non perinde liquet cum nonnulli velint, nuſquam illum, ſub ullâ figurâ apparuiſſe apud ſæculum prius: quod ab aliis tamen contra aſſeritur, ut veroſimiliter, è Daniele: ubi *Antiquus dierum*, & *Filius hominis* diſtincti commemorantur. Civilem autem uſum, ac moralem ſtatuo, ad Intuitum ac Invitationem: nullum religioſum, ad Adorationem. An verò, ad Intuitum & Invitationem conſtituerentur, in locis ſacris & ſacratis conventibus deſtinatis, ſunt qui negant, ex Origine, Arnobio, Minutio Fœlici: ſed non perſuadent. ſucceſſerunt tempora cùm frequentius in Templis locarentur. ſed tantum ad Intuitum, & Invitationem Tempora illa laudamus, & imitamur. admiramur ingentes illas animas, quæ ceu Luminaria, orbem Eccleſiaſticum illuſtrarunt; & cum Carolo magno, ad Hadrianum primum: *Permittimus Sanctorum Imagines, quicunque eas formare voluerit, tam in Eccleſiâ, quam extra Eccleſiam, propter amorem Dei, & Sanctorum ejus: adorare verò eas, non cogimus, ſi noluerint* (imò ſi voluerint, prohibemus) *frangere, vel deſtruere eas, etiamſi quis voluerit, non permittimus.* Hæc ille, ita nos.

Ætas parentum pejor avis, progeniem tulit deteriorem. Succeſſerunt etenim deinceps, qui cultu ſacro & adoratione: qui ſuffitu, proſtratu venerabantur. qui cultum relativum excogitarunt: & tranſeuntem ab Imagine, ad archetypòn, adorationem. Qui per Duliæ, & Latriæ diſtinctionem perverſam, fucum ſe poſſe facere putarunt, & offucias inducere, Divinis mandatis, de Diis alienis non acerſendis: de ſculptilibus picturis, non adorandis. Ita qui, quod habet verbum vetus, modeſtiæ (vel pietatis) fines tranſivit, eum graviter oportet eſſe impudentem, vel etiam impium. Septima enim Synodus, niſi nos fallat Diatriptes, eundem honorem docet *imagini* exhibendum, qui Imaginis archetypo exhibetur. Atque ita demum audent homines φρενοβλαβεῖς, aliquid Gyaris & carcere dignum. Atque ita Chriſtus in ligno, vel in vitro pendulus: in feneſtris aut pariete pictus: eodem honore, & adoratione pari excipiendus erit; quo ad dextram Dei in cœlis honoratur.

169

Θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίᾳ πλανώμενοι
Ἱδρυσάμεσθα πημάτων παραψυχὴν
Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων καὶ ξύλων·
Θυσίας τε τούτοις καὶ καλὰς Πανηγύρεις
Τεύχοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν.

P Ait

Ait Sophocles apud Juſtinum Martyrem, quaſi nonnullorum εἰδωλομανίαν depingeret.

Mortales multi, corde errabundi
Ereximus dolorum lenimentum
Deorum Imagines è lapidibus & lignis,
Sacrificia autem iſtis & ſollennes Panegyres
Celebrantes, ita pii eſſe arbitramur.

170 Meritò autem ἀπάτηλον τεχνὴν, in Protreptico vocat Clemens, οἱ τὸ τῆς θεοδοξίας σχῆμα τῇ ὕλῃ περιτεθείκασι. Chriſtiani omnes adoramus Chriſtum. ſed οἱ γνήσιοι, non Imaginem. Coram Imagine ut proſternantur, propter intuitum, & adorationem. ut oculos elevent ad Crucifixum, & intentius conſiderent, auxilium eſt devotionis & ἀνάμνησις, non veneratio. Ita & nos, ante menſam Dominicam, ſeu Altare, inclinamur, non tamen menſam aut τὰ σεβασμιώτατα, adoramus. Oraturi, ſed non geniculantes, Zelotæ quidam noſtri, faciem galero obvelant ſuam. non tamen galerum adorant illi πιλοστρομάστης. ſed objiciunt, Simulachrum non colo, ſed per effigiem ejus rei ſignum intueor, quam colere debeo, ait Ethnicus apud Auguſtinum in Pſal. 113. Rectè. niſi id in cauſſâ eſſet, quod nec ſignum ſit, alicujus rei exiſtentis. Quid enim Deaſtri, Jupiter, Apollo, Venus? τὰ κενά; Idolum enim nihil eſt, nec ut eſſent ὑπάρχοντες, coli debebant. Sed ulterius, rectè inſtat Auguſtinus, *Quis adorat, vel orat intuens ſimulachrum, qui non ſic afficitur, ut ab eo ſe putet exaudiri, & ab eo ſibi præſtari quod ſperat?* Τοιοῦτοι, ſic afficiuntur; οἱ χαριέστεροι καὶ μελαγχολικώτεροι, cultum fortaſſis Relativum didicere. Τῶν γραμμάτων οἱ ἀνόητοι, inquit Porphyrius apud Euſebium, λίθους μὲν ὁρῶσι τὰς στήλας, ξύλα δὲ τὰς δέλτους, ἐξυφασμένην δὲ τὴν πάπυρον τὰς βίβλους. ſed ἅλις γράφειν, ſatis multa de Imaginibus idiotarum libris, ἀνοηταινόντων Diis.

171 *Reditus ad hiſtoriam Evangelicam.* Sanatâ muliere hæmorrhouſſâ, cujus συγγνωμοσύνη, nobis hanc peperit de Imaginibus diſquiſitionem, pergit porrò Servator, ad domum Jairi archiſynagogi, cujus filia agebat in extremis. Inter eundum, occurrunt nuntiantes famuli, *Quid vexas magiſtrum? Filia tua jam mortua eſt.* Quo nuntio accepto, conſternatus pater obmutuit: ſed illum conſolatus Jeſus, ait, *Noli timere: Crede tantùm, & ſalva erit.* Ingreſſus inde domum, ubi defuncta jacebat puella, vidit ingentem tumultum: flentes, & ejulantes. conductas ſcilicet mulieres. Matthæus addit, affuiſſe *tibicines*, qui liſſum ibi & planctum concinebant. Erat hoc de Paganorum conſuetudine, quæ in mores Judæorum, ut & alia nonnulla, invaluerat. *Tubæ & Tibiæ in funeribus.* Apud Romanos enim, qui tum devictis per Pompeium Judæis dominabantur; & quorum Ritus non paucos, ad ſe traduxerant, & Tuba, & Tibia in funeribus adhibebantur. Sed Tuba, in funere locupletum: in Pauperiorum civium, aut Mediocrium, Tibia, ait Paſſeratius, ad Lib. 4. Propert. Eleg. 12. Sed falli eum in hoc *Plutarchi hiſtoria de loquace picâ.* docet Plutarchi quædam narratio: quam licèt longiorem, eò quòd inſignis ſit, hic aſcribam, è Libro de ſollertiâ animalium. Tonſor,

inquit

Digitized by Google

inquit ille, Romæ habens officinam, picam prodigioſè loquacem nutriebat, humana verba, ferarum ſonos reddere conſuetam; inſtrumentorum omnium ſtrepitus, effingere ſolebat, nullo cogente: nec quicquam inimitatum relinquere volebat. Accidit autem ut Dives quiſpiam ingenti Tibicinum ſtrepitu efferretur: qui, audiente picâ, moram canendi diutius trahebant. Pica, poſtridiè elinguis obmutuit. Quod ipſius ſilentium ſuſpicionem injecit & admirationem. Nam venenum illi porrectum nonnulli: alii tibiarum ſonitu, auditum obſtupefactum, & vocem ablatam ſuſpicabantur. ſed neutrum horum fuit. Apparabat enim, & omni ſtudio intus revocato contendebat, ut vocem ad tibias aptaret. Subitò enim vocalis demum extitit, & tibiarum ſonos, iiſdem prorſus periodis & numeris, referebat. Erant igitur Tibicines, quod ex iſtâ narratione apparet in funeribus adhibiti etiam locupletiorum. Quos peculiari nomine *Siticines* vocabant Romani veteres: propterea quòd apud *Sitos*, hoc eſt defunctos, concinebant. Gellius, Lib. 20. c. 2. è Capitonis Atei conjectaneis recitat, *Siticines* appellatos, qui apud *Sitos* canere *Siticines.* ſolebant. hoc eſt, vita functos, & ſepultos. Eoſque habuiſſe proprium genus Tibiæ à cæteris differens. At non canebatur, quod refert Gellius, apud jam ſepultos, ſed ſæpeliendos. nempè, apud vitâ caſſos: ablatos: expoſitos: foras ſpectantes: elatos. Ut in illâ narratione de Picâ refertur de Elatis, in hâc, de Archiſynagogi filiâ, de Lumine caſſâ, & fortè expoſitâ puellâ. Atque de hac conſuetudine, apud Judæos introductâ & uſurpatâ Joſephus, in 3. ἁλωσ. c. 30. *Per ſingulas domos, itemque cognationes, amiſſorum quiſque lugebatur à ſuis. luctus verò Ducis publicus erat, Et hi quidem hoſpites: alii propinquos, amicos alii: nonnulli etiam fratres flebant. Ioſephum verò, univerſi. adeò ut per dies 30, nunquam lamenta in civitate Ieruſalem ceſſarent.* πλείστους δὲ μισθῶσ τοὺς αὐλητὰς, οἳ θρήνων ἐξῆρχον αὐτοῖς, *magnáque mercede complures conducerent Tibicines, qui luctus & næniarum modos ipſis præirent.*

Lugentes porrò illos, & Tibicines funereum concinentes apud 172
Jaïrum compeſcere volens Jeſus, abire, & tacere juſſit, eò quòd fruſtra & inaniter obſtreperent, cum *dormiret* puella, nec eſſet *mortua*. Hoc Jeſu proloquium palam præſentes irridebant, ſcientes quod actu exceſſerat, & anima de corpore ſolvebatur. ſed Chriſtus, non περὶ τὸ γενόμενον, ſed τὸ ἐσόμενον reſpiciebat. vitam nimirum revocabilem eſſe: cum tam facilè eſſet illam ad vitam revocaturus, quàm quivis, ſomno ſopitam excitare poteſt. Interim tamen ex iſtâ præſentium conceſſione, de reali exceſſu, multum divinæ Chriſti virtuti accrevit, & gloriæ. Εἰ δὲ καταγελῶσιν αὐτοῦ, μὴ θαυμάσῃς, Theophylactus ait. ἐμπρέπει γὰρ μᾶλλον τῷ θαύματι, ὡς νεκρὸν τῷ ὄντι ἀναστήσαντος. Ἵνα γὰρ μή τις λέγῃ, ὅτι κάτοχος ἐγένετο, διὰ τοῦτο ὡμολογήθη διὰ πάντων ἀποθανεῖν. Excluſis autem omnibus, etiam diſcipulis, præter Petrum, Jacobum, & Johannem, cum parentibus puellæ, manu apprehenſam eam excitat, præfatus, quemadmodum à beato Marco narratur, *Talitha Cumi:* quod eſt interpretatum, *Puella, tibi dico, Surge.* Ita pro imperio, morti imperat, ut

puellam è cuſtodiâ dimiſſam ſuæ vitæ demum tranſmittat. *juſſit* porrò, ut reſuſcitatæ darent cibum. nam reſtauratis viribus, & perfectæ ſanitati reſtituta, cibo indigebat, quò collapſæ per morbi violentiam vires, & jam reſtauratæ, conſervarentur : tum etiam, quod Chryſoſtomus obſervat, ne illuſio videretur aut phantaſma. Quocirca, non ipſe dedit, ſed ait, *Date illi.* Καὶ οὐκ ἀνίστησι μόνον, ἀλλὰ καὶ τροφὴν κελεύει δοῦναι. ἵνα μὴ δόξῃ φάντασμα εἶναι τὸ γεγενημένον. καὶ οὐκ αὐτὸς δίδωσιν, ἀλλ᾽ ἐκείνοις κελεύει. ὥσπερ καὶ ἐπὶ τοῦ Λαζάρου λέγει, λύσατε αὐτὸν, καὶ ἄφετε ὑπάγειν. Tranſeuntem autem inde Eum, de Archiſynagogi ædibus, & à puellâ ad vitam reductâ, ſecuti ſunt, quemadmodum ſuggerit Matthæus, duo cæci, clamantes, ac dicentes, *Miſerere noſtri, Fili David.* Fortè ædibus exeuntem præſtolabantur : & digredientem conſectabantur, potiùs quàm ut contingebat, obviam factum ſalutarent. Non ſubſtitit in viâ : nec ſanavit ſtatim, ſed poſtquam ædes ingreſſus fuerat, ad ſe vocat. ædes porrò, quas, vel ubi ſitas? Crediderim vel maternas, quæ μετῳκίσατο Capernaum: aut Petri diſcipuli, unde exierat: niſi fortè cujuſdam alibi alterius diſcipulorum, qui multi per illum tractum, ſe accommodabant ipſi. Ædes ubilibet ſitas, ingreſſus, vocatis ſtatim ad ſe Cæcis, alloquitur eos in hunc modum. *Creditis, quia hoc poſſum facere vobis?* reſpondent illi: *Credimus Domine.* Tum tetigit oculos cæcorum, inquiens, *ſecundum Fidem veſtram fiat vobis; & oculi eorum aperti ſtatim ſunt.* utriuſque ſcilicet. Credebant igitur ambo verè ipſum eſſe Meſſiam promiſſum, de Davidicâ ſtirpe oriundum. reſtituto viſu, Comminatus eſt illis Jeſus dicens, videte ne quis ſciat. quod ipſum dederat & Archiſynagogo in mandatis, ut refert Lucas, & quidem vehementius; quemadmodum habetur apud Marcum, διεστείλατο αὐτοῖς πολλὰ, multis verbis admonuit & in mandatis dedit. quod tamen ejus mandatum non obſervatum fuerat, nam *exiit fama*, de eâ re, in univerſam terram: hic adhuc vehementius idem mandatum repetit: ἐνεβριμήσατο enim, ait Euangeliſta, hoc eſt, interprete Euthymio, *Auſterè intuens, contractis ſuperciliis, commoto capite:* quæ Maldonato diſplicet interpretatio: & mihi etiam. Cujus obſervatio, de præcepto tacendi, acuta eſt, & opinor vera : ad vitandam Scribarum & Phariſæorum invidiam, qui cum minora miracula ejus ferre non poſſent, multo minùs audire patienter vellent, mortuos reſuſcitatos : cæcos viſui reſtitutos. nam de ſolis hiſce duobus generibus miraculorum, interdictionem illam interpoſitam refert, & quidem verè. Contra autem, quam præceperat, cæci, exeuntes διεφήμισαν, Rumorem undique diffuſum diſſeminarunt, Jeſum Nazarenũ, viſum ſibi reſtituiſſe. Quibus auditis, Phariſæi, malitioſa natio, cùm ob iſtud, tum ob aliud ipſius ἐνεργήματα, mutum ſcilicet loquelæ reſtitutum, blaſphemiam evomunt, quod non illâ tantum vice, ſed alias ſæpius, φύγῃ ἕρκος ὀδόντων, *in Principe Dæmonum, Dæmones ejicere.* Atque hic finem anno primo Miniſterii Jeſu Chriſti inchoato ſtatuit Cardinalis, expleto ætatis anno 31. Quod verum opinamur. at non perinde illud, quod primus hic annus à Baptiſmo, cum reverà ſecundus eſſet, terminabatur.

Annus

Annus Jesu Christi *Triceſimus ſecundus, à Baptiſmo tertius currens.*

Xorditur iſtius anni res geſtas, illuſtriſſimus Baronius, ab illa narratione quam pertexuit, Cap. 5. Divinus Euangeliſta Johannes. *Poſthæc erat dies Feſtus Iudæorum. & aſcendit Ieſus Hieroſolymam. eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraïce Betheſda, quinque porticus habens. in his* (porticibus) *jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini deſcendebat, ſecundum tempus in piſcinam: & movebatur aqua. & qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quâcunque detinebatur infirmitate.* Hæc Johannes, & quidem ſolus commemorat ex Euangeliſtis. ſtatim poſt finitam ſuperiori capite, de Samaritanæ colloquio narrationem, prætermiſſis, κατὰ πλεῖστον, ſuperioris anni rebus geſtis, eò quod, authore Cardinale, cum noviſſimus omnium ſcriberet Euangelium, quæ ab aliis tribus Euangeliſtis erant abunde narrata, repetere non curavit: quæ verò prætermiſſa vidiſſet ipſe ſupplevit. eo enim conſilio, in ſcribendo Euangelio uſum fuiſſe teſtatur S. Hieronymus. 1 *Hiſtoria ſanati ad Betheſdam probaticam.*

Paſchatis Feſtum hoc fuiſſe ſubindicatum arbitror cum Baronio, Janſenio, aliis. Verum eſt, vehementi contentione diſputatum inter interpretes veteres & recentiores, de hoc Feſto. Imprimis autem videntur omnes συμφώνως illud ponere in confeſſo, fuiſſe *unum* ſaltem, è *tribus* illis Feſtis, ab initio Judaïcæ politiæ inſtitutis, jubente & authore Deo, per Moyſen. Paſcha enim inſtituit, Pentecoſten & ſcenopægia, ſeu dictum Feſtum Tabernaculorum. Et quidem ſcenopægiam hic excludunt illa, *uſque ad meſſem, quatuor tantum menſes* reſtare. Feſtum verò Tabernaculorum, quod ineunte hyeme celebrandum fuit, Exod. 23. 14, 15. & Deuter. 16. 16. omnino, *per quatuor* iſtos *menſes*, excluditur. Quocirca, circa Paſcha & Pentecoſten verſatur controverſia exagitata. Qui Paſcha putant, Irenæum, vetuſtiſſimum Eccleſiæ Patrem, & temporibus proximum Apoſtolicis, authorem laudant & ſequuntur. *Secundâ*, inquit ille, *vice, aſcendit Chriſtus, in diem Feſtum Paſchæ, in Ieruſalem, quando paralyticum, qui juxta natatorium jacebat, ſanavit; jubens ut ſurgeret, & auferret grabatum ſuum; & iret*, Lib. 2. cap. 39. qui tamen cap. 42. ubi iterum iſtius Hiſtoriæ meminit, de Feſto, non adjecit. Maldonatus, cui patres eſſe ſolent, calculi mercatorum putatorii, 2 *Quodnam Feſtum fuit.*

putatorii, hujuſce elevat, κατὰ μείωσιν, dignitatem & fidem ſcilicet, quod de Chriſti prædicatione erravit. ridiculè, ne dicam ſtultè. Nam quis non ex antiquis Eccleſiæ Patribus rejicietur, ſi erràſſe alibi in aliquo, ſit ſufficiens cujuſcunque pronunciati refutatio. Agnoſco Irenæum, à ſuâ, ſanâ, & orthodoxâ ſententiâ aliorſum abiiſſe, ſeductum ſcilicet ſpecioſis Traditionum titulis, quæ paſſim per illa tempora non minus quàm hodiè ferebantur, quas multi ubique venditabant, quaſi ab Apoſtolis, αὐθέντως acceperant illas. Is ergo, cum contra quaſdam Traditiones, *de unico anno* Prædicationis Chriſti, è Paſchatum obſervatione apud Johannem, plures uno annos rectè contenderet, delabitur inde ad ἀδεσπότους quaſdam Traditiones, & recitat, Seniores in Aſiâ teſtari, Johannem Apoſtolum ipſis tradidiſſe, Chriſtum baptizatum quidem anno 30. Sed non cepiſſe docere, príuſquam *ætatem magiſtri* haberet: hoc eſt, annos ætatis ſuæ 40. atque ita cum per aliquot annos, docendi miniſterio fuiſſet functus, perveniſſe vivendo ad ætatem Seniorum, quæ non longè ab anno quinquageſimo aberat. & huc illud applicat, quod aiunt Judæi, Joh. 8. 57. *Quinquaginta annos nondum habes.* ſed error hic inſignis, non unà complectitur, aut ad ſe rapit illam aſſertionem de Paſchate, Feſto Judæorum. nec perſuadent illa Maldonatiana, ubicunque volebat Johannes Paſcha intelligi, ibi nominatim, Paſcha, & non per περίφρασιν, deſignari. At hoc falſum eſt. nam Matth. 27. 15. dicitur ἀπολύτως, *Circa Feſtum.* Præſidem oportebat unum ex vinctis dimittere. At certum eſt de Paſchate hoc intelligendum, & Joh. 4. 45. *Viderant quæ Hieroſolymis fecerat in Feſto.* patet autem non niſi de Paſchate intelligendum, Joh. 11. 56. *Quid putatis, quia non venit ad diem Feſtum?* Liquet autem è verſu præcedenti, 55, Paſcha, non aliud Feſtum, deſignatum, Joh. 12. 12. *In craſtinum autem, turba multa, quæ venerat ad diem Feſtum.* Ita falſum eſt & fatuum Maldonati, pronunciatum. ineptum itaque & futile argumentum, contra ſententiam Irenæi. Feſtum enim vocabatur ἀπολελυμένως, per excellentiam. *The Feaſt:* non, *a Feaſt*, ut interdum vertunt: rectè autem Feſtum ἀπολύτως: quod Feſtorum principium erat: & præcipuum Feſtorum omnium. Ideò cum diſpenſatio poſſet intercedere, de non intereſſendo, duobus reliquis Feſtis, Scenopægiarum, & Pentecoſtes, ut longè habitantes excuſarentur, abſentia à Paſchatis ſolennitate, niſi per ineluctabilem neceſſitatem non excuſabatur. inde eſt quod Chryſtomaſtyges momi dicunt Joh. 11. 56. *Quid putatis, quia non venit ad Feſtum?* Principio anni, per Menſem Niſan, hoc eſt, partim Martium, partim Aprilem, agebatur. Quocirca, rectè hoc in loco Barradius ait, *ſi à baptiſmate Paſchata numeremus, quinque ſunt.* Etenim Chriſtus, 6 die Januarii baptizatus eſt, ut Eccleſia tenet. à baptiſmate, uſque ad miraculum, quo vinum de aqua fecit in nuptiis, annus interfluxit: & illius anni Paſcha. cujus neque Johannes, nec alius aliquis Euangeliſta, meminerunt. Hinc ſi quatuor Paſchata, à Johanne commemorata,

Irenæi error.

Paſcha, ſimpliciter Feſtum.

Digitized by Google

memorata, adjungas, quinque efficiuntur Paſchata, & ita anni à baptiſmo ad crucem quatuor integri, & tres menſes.

Aſcendit ergo Paſcha celebraturus Jeſus Hieroſolymam, 3
συνεχῶς ἐν ταῖς ἑορταῖς ἐπιχωριάζει τῇ πόλει, Chryſoſtomus ait: cujus conſuetudinis rationes iſtas reddit, τοῦτο μὲν, ἵνα δόξῃ μετ' αὐτῶν ἑορτάζειν. τοῦτο δὲ, ἵνα τὸ πλῆθος ἐπισπάσηται τὸ ἄδολον. μάλιστα γὰρ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις, οἱ μάλιστα ἀφελέστερον διακείμενοι, συνέτρεχον. Erat autem, per id temporis *Betheſda.*
piſcina probatica (quam προβατικὴν κολυμβήθραν appellat Johannes) & ἐπὶ τῇ κολυμβήθρᾳ, ad illam piſcinam, vel lavationem, domus ædificata ut videtur, quinque porticibus inſtructa. eſt autem oratio elleiptica; ut hodiè legitur in vulgatis codicibus, per ἐπὶ præpoſitionem adjunctam. nam olim legebatur ſine illâ, hoc modo, ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις προβατικὴ κολυμβήθρα. Ita ſcriptum invenerat vetus interpres. ſic legunt, Chryſoſtomus, Cyrillus, alii è Græcis. Et certè conjunctum eſt cum ratione, ut ædicula ibidem conſtructa fuerit, πέντε στοὰς ἔχουσα, in quibus, id quod ſequitur, infirmi diſponebantur. Idque cum voce ipſa congruere certum eſt: nam Hebraïcè *Betheſda* dicebatur, hoc eſt, *Domus* meatus, effluxus, aut effuſionis aquæ. nam quod Hebraïcè erat *Eſed*, id Syris *Eſda* vocabatur. apud veterem interpretem ſcribitur Bethſaïda: quaſi domus fuiſſet alicujus Piſcatoris, pro Bethſeda, quomodo, per metatheſin literæ ſcribebatur: neque enim capiendis, aut vendendis piſcibus domus illa inſerviebat, qui nulli in *colymbethrâ* alebantur. Cui autem uſui inſerviret, docet ipſum, quo dicebatur, nomen, προβατική, Ovibus vel potandis vel lavandis potius. Brocardus de illâ ita refert. *Ab areâ templi contra Aquilonem, eſt porta vallis, ducens in vallem Ioſaphat: Et hæc, etiam vocatur Gregis: quod per eam introducebantur Greges in templo immolandi. Intrantibus porrò portam Gregis ad ſiniſtram, occurrit piſcina probatica in qua Nathinæi lavabant hoſtias, quas tradebant Sacerdotibus in templo offerendas.* Hieronymus in de locis Hebraicis conſentit. *Betheſda,* inquiens, *piſcina in Ieruſalem, quæ vocabatur peculialis* (προβατική) *oſtenduntur que gemini lacus: quorum unus Hybernis pluviis adimpleri ſolet. alter mirum in modum rubens, quaſi cruentis aquis, antiqui operis ſigna teſtatur: quæ duo teſtimonia transfudit in ſuam farraginem Adrichomius.* Rectè autem ait, *Antiqui operis,* Solomon enim prius ædificarat. deinde Nehemias reſtauratâ Civitate. eſt autem κολυμβᾶν *urinare.* & κολυμβήθρα locus ubi urinare ſolent. inſerviebat autem lavandis vel pecudibus, vel ſacrificiis.

Mirum eſt porrò quòd de hac natatoriâ narrat Euangeliſtes, 4
Angelus Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & movebatur aqua, &c. motus porrò aquæ, quòd apparet è ſequentibus, *De piſcinæ motu per Angelos.*
ſignum erat *præſentiæ* & Actionis Angelicæ in Natatoriâ. deſcendebat autem, non quotidiè: ſed κατὰ καιρὸν, per intervalla, ad certas temporis occaſiones, in conſilio Divino determinatas. ita igitur extraordinaria diſpenſatio; uſui quotidiano opponebatur. ſed illa temporis oeconomia quæ fuerat, non exprimitur.

Pro-

Digitized by Google

Lib.2. in Iohan. cap.125.

Probabilis eſt Cyrilli ſententia. *Die*, inquientis, *Pentecoſtes*, *Angeli de Cœlo deſcendentes*, *Piſcinæ aquam movebant.* Et Piſcinæ aqua, non alio quàm Pentecoſtes tempore movebatur. Alii Paſchatis tempus potiùs aſſignant: propterea quod per illud Feſtum longè maxima multitudo convenerat & in porticibus jacebat, expectantium aquæ motum. at hæc ratio futilis eſt. non enim omnes in aquam deſcendentes, non plures aliqui aut pauciores: ſed unus tantum: nempè qui cæteros anteverterat, & in aquam deſcenderat, curabatur. Chryſoſtomus nimis coarctat hanc gratiam, & ſemel tantum in anno communicatam refert. ἔτη τριάκοντα εἶχε. καὶ καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἀπαλλαγήσεσθαι τῆς νόσου προσδοκῶν προσήδρευέ τε, καὶ οὐκ ἀφίστατο. *Annos triginta habuerat. & cùm per ſingulos annos liberationem à morbo expectaſſet, continuò, neque diſcedens inde, ibi aſſidebat.* & Tom.5. Orat. in Reſurrect. εἷς μόνος τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐθεραπεύετο, καὶ εὐθέως ἀνελύετο ἡ χάρις. οὐ διὰ τὴν πτωχείαν τοῦ διδόντος, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀσθένειαν τῶν λαμβανόντων. κατέβαινε τοίνυν ἄγγελος ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, εἰς τὴν κολυμβήθραν, καὶ ἐτάραττε τὸ ὕδωρ, καὶ εἷς ἐθεραπεύετο. Hanc ſententiam & Ambroſius ſequebatur: *Hæc piſcina, in Hieroſolymis erat, in quâ, unus annuus ſanabatur.* Potior eſt illorum ſententia, qui ut tempus incertum, nec alligatum cuicunque Feſto ſtatuunt, ita quoque & pluries per eundem annum contigiſſe volunt.

5 Quæritur autem & diſputatur à quo tempore primum inceperit hæc divina diſpenſatio. Et primum apud vetuſtiores ſcriptores, ante ac poſt Babylonicam μετοικεσίαν: ſive in Canonem receptos: ſeu Hagiographos: aut Apocryphos attinet altum de hoc miraculo ſilentium. neque verò qui poſtremis Judaïcarum rerum temporibus vivebant, Philo ac Joſephus, vel tenuiſſimam ejus memoriam injecerunt. videri itaque poſſit, nec antiquum fuiſſe, nec multum temporis perduraſſe. ſunt qui putant incepiſſe, cum Chriſtus in Jordane baptizatus, aquas ubique omnes ſanctificaſſet. ſed cur non & alibi aliis aquis: cur non alterius Piſcinæ aquis, nam binæ erant, eadem virtus & gratia communicabatur, cum ex æquo omnes aquæ ſanctificarentur? Sed & hoc ſecundo anno Miniſterii Jeſu Chriſti patrabatur miraculum. quo tunc tempore quinque porticus, recipiendis ægrotis conſtructæ fuerant. Quod nullo modo poteſt cum illâ Scholaſticorum quorundam ſententiâ cohærere. Commentitium eſt quod narrat Petrus Comeſtor;

Fabula de ligno Crucis in Piſcina.

Traditur, inquiens, *à quibuſdam, quod Regina Saba vidit in ſpiritu lignum Crucis Dominicæ, & annuntiavit Salomoni, quod in eo quidam moreretur, propter quem Iudæi perirent. Quod timens Salomon, abſcondit lignum ſub terrâ, in qua facta eſt* (deinceps) *piſcinæ. appropinquante verò tempore paſſionis enatavit lignum, & incepit miraculum.* Sed hæc narratio, ut ipſe Petrus ait, non eſt authentica. Nec diſſimilis eſt fabula apud Adrichomium: in loco Piſcinæ olim fuiſſe occultatum ſacrum ignem. ſi tamen eſſet apud illum relata fabula. nuſquam enim comparet, in loco ad quem nos remittit Barradas, Num. 62. in deſcriptione Jeruſalem. Secundum alios

erat

erat hæc antiquiſſima Dei diſpenſatio : & quidem minimè miraculoſa, quia quotidiana fere, ex ablutione ſacrificiorum. Εἶχον γὰρ οἱ πολλοὶ ὑπόληψιν, Theophylactus ait, ὅτι καὶ ἀπὸ μόνου τοῦ πλύνεσθαι τὰ ἐντόσθια τῶν ἱερείων, δύναμιν τινὰ λαμβάνει θειοτέραν τὸ ὕδωρ. διὸ καὶ τὸν ἄγγελον ἐπιφοιτᾷν, τούτῳ τῷ ὕδατι ὡς ἐκλεκτῷ καὶ θαυματουργεῖν. Potiùs putarim invaluiſſe hoc miraculum, à Maccabaïcis temporibus, ad interitum vergente Judæorum politiâ : multis modis oppreſſo & contrito illo populo : in aliquam ſaltem ipſorum conſolationem, ceſſantibus Oraculis Prophetarum, ne planè & in ſolidum rejeciſſe illam gentem videretur Deus, tanto olim amore complexam. Nullam vero mentionem ejus Philonis vel Joſephi ſcriptis ingeſtam, quod cum poſt Chriſti Aſcenſionem uterque floruerit, ab illâ ejus ἀναβάσει Judæorum rejectio, & Chariſmatum ceſſatio ſtatim ſequuta fuerit. Ita optimè diſſeruit Tertullianus, *Recognoſcant Iudæi exitum ſuum, quem poſt adventum Chriſti relaturi præcinebantur, ob impietatem, qua eum & deſpexerunt, & interfecerunt.* Inter cæteras porrò divinæ ſeveritatis & juſtitiæ emanationes refert. *Et piſcina Bethſaida uſque ad adventum Chriſti, curando invaletudines ab Iſrael, deſiit à beneficiis deinde, cum ex Perſeverantiâ furoris ſui, Nomen Domini per ipſos blaſphemaretur. ab illis enim incepit infamia, & tempus medium à Tiberio, uſque ad Veſpaſianum.* Con. Iud. cap. 13.

Concludam cum doctiſſimo Chemnitio. De articulo temporis, quando ceperit nihil conſtitui poteſt. Hoc verò apparet, non multo ante Chriſti tempora incepiſſe. Et hæc obſervatio monſtrabit, qualem Deus voluerit eſſe uſum hujus admirandi doni ſanationis. Dona enim Prophetiæ & miraculorum ante annos plus 400 deſierant, ut animi excitarentur ad ardentiorem expectationem Prophetæ, qui promiſſus erat, Deut. 18. 15. & ad obſervationem ſignorum Meſſiæ : Quia verò poſtremis temporibus populus Judæorum, non tantum patebat direptionibus & Tyrannidi Ethnicorum, ſed libertas ipſorum planè oppreſſa, imò extincta erat : ne vel de promiſſionibus deſperarent : vel totam religionem abjicerent : mirabile hoc Donum ſanationis ſtatuit, in illo loco, ubi victimæ, quæ figuræ erant propitiatorii ſacrificii Meſſiæ, lavabantur, & præparabantur, oſtendens ſe poſteritatem Abrahæ, & cultum à ſe inſtitutum adhuc amare : ut ita firmâ expectatione, uſque ad Meſſiæ adventum, ſuſtentarentur. Et quidem in aquâ turbatâ virtutem ſuam mirabiliter oſtendit, ſignificans, rebus maximè turbatis ſalutem ſe poſſe, & velle præſtare. Tunc autem, cum in foribus eſſet adventus Meſſiæ, miraculum illud Angeli è Cœlo deſcendentis cepit, ut commonefierent, ſalutem è Cœlo promiſſam jam appropinquare. Ideò extra Templum Donum illud ſanationis fuit. Et non eſt dubium, Chriſtum ideò porticus illas ingreſſum, edidiſſe ibi inſigne illud, quod ſequitur, miraculum, ut oſtenderet, quid ſibi Deus hoc Dono ſanationis voluerit, & quo deberet homines perducere. Ideò etiam per intervalla temporis aqua fuit turbata, & ſimul, non niſi unus ſana-

6

batur, ne reſiſterent, in corporali illo beneficio, ut in miniſterio Angeli: ſed ut, ad conſiderationem promiſſionum appropinquantis adventus Meſſiæ, excitarentur. Hæc ille hactenus, appoſitiſſimè.

7 E veteribus aliter, atque aliter hujus hiſtoriæ ſenſum myſticum atque allegoricum perſecuti ſunt. Auguſtini ſententia hæc eſt. *Aqua illa, Iudaicus populus erat: Quinque Porticus, Lex. Quinque enim libros ſcripſit Moyſes. Ergo aqua, quinque porticibus cingebatur, ſicut ille populus Lege coercebatur. Aquæ perturbatio in illo populo eſt, Domini Paſſio. Qui deſcendebat, ſanabatur, non niſi unus: quia ipſe eſt unitas. Quibuſcunque iſta diſplicet Domini Paſſio: ſuperbi ſunt, nolunt deſcendere.* Plerique ad Baptiſmum retulere. *Crede,* inquit Ambroſius, *quia non ſunt vacuæ aquæ; Ideo tibi dictum eſt, quia Angelus Domini deſcendebat, ſecundum tempus, in natatoriam, & movebatur aqua, & qui primus deſcendiſſet in natatoriam poſt commotionem aquæ, ſanus fiebat à languore quocunque tenebatur. Hæc piſcina in Ieroſolymis erat: in qua unus annuus ſanabatur; ſed nemo ante ſanabatur, quàm deſcendiſſet Angelus. ut eſſet indicium, quia deſcenderet Angelus, movebatur aqua propter incredulos. Illis ſignum: Tibi Fides. Illis Angelus deſcendebat: Tibi, Spiritus Sanctus. Illis Creatura movebatur: Tibi Chriſtus operatur, ipſe Dominus Creaturæ. Tunc curabatur unus: nunc omnes ſanantur, aut certe, unus ſolus populus Chriſtianus.* Et iterum, *Quid in hoc typo Angelus, niſi deſcenſionem Spiritus ſancti nunciabat? quæ noſtris futura temporibus, aquas Sacerdotalibus invocatas precibus conſecraret.* Et tertiò, *Illa piſcina in figura fuit: ut Credas quia in hunc Fontem, id eſt, Baptiſmatis, vis divina deſcendat. Et certè quod tunc in natatoriâ fiebat, ut morbus cujuſcunque generis, gradus, conditionis curaretur, id nunc multo magis in Baptiſmo fit: nullum tantum peccatum eſt, quod non curet. verificatur in Baptiſmo illud, Pſal. 73. Contribulâſti capita Draconis in aquis.* Ad Baptiſmum quoque retulit Tertullianus, *contra Iudæos: & in Libro de Baptiſmo: Piſcinam Bethſaidam Angelus interveniens commovebat. obſervabant, qui valetudinem querebantur. Nam ſi quis præveneraṫ deſcendere illuc, queri poſt lavacrum deſinebat. Figura iſta medicinæ corporalis, ſpiritalem medicinam canebat, eâ forma, qua ſemper carnalia, in figurâ ſpiritualium, antecedunt.* Sed imprimis Theophylactus & Chryſoſtomus huc feruntur. *Videbatur utique Divina ſapientia,* Theophylactus ait, *à longè viam facere Iudæis, ad fidem in Chriſtum, præordinando miraculum piſcinæ. Nam quoniam Baptiſma daturum erat magnam virtutem, & maximum donum, utpote purificans peccatum, & vivificans animas, præfigurat Deus Baptiſma in rebus Iudaicis, & ipſis quoque aquam dat, quæ purificet ſordeis: quæ non ſordes propriè erant, ſed videbantur eſſe: Dat autem & piſcinæ hujus miraculum, quod duceret eos ad ſuſceptionem baptiſmatis. Nuſquam illa natura aquæ eſt, ut per ſe ſanet: alioquin hoc perpetuo fieret, ſed totum in Angelo ſitum erat, quicquid inerat, efficaciæ. Ita & apud nos, Aqua Baptiſmi aqua eſt ſimpliciter: cum autem acceſſerit Spiritus ſancti gratia, propter invocationem Dei, morbos ſolvit.*

Tract. 17. in Ioh.

Myſticæ interpretationes.

Baptiſmus ita inſinuatur.

ſolvit animarum: & ſi quis cæcus fuiſſet, occæcatis oculis animæ ne poſſit dijudicare bonum à malo, &c. ab aqua illa curabatur. Chryſoſtomus idem urget ſæpius: in locum ita ſcribit. Τίς ὁ τῆς θεραπείας τρόπος ἐστί; ποῖον ἡμῖν μυστήριον αἰνίττεται; οὐ γὰρ ἁπλῶς, οὐδὲ εἰκῇ ταῦτα ἀναγέγραπται, ἀλλά, τὰ μέλλοντα ἡμῖν, ὡς ἐν εἰκόνι καὶ τύπῳ ὑπογράφει. Hæc de figuris generatim, & hæc particulatim præfatus addit. Ἔμελλε βάπτισμα δίδοσθαι, πολλὴν δύναμιν ἔχον καὶ δωρεὰν μεγίστην. βάπτισμα πάσας ἁμαρτίας καθαῖρον, καὶ ἀντὶ νεκρῶν ζῶντας ποιοῦν. καθάπερ οὖν ἐν εἰκόνι προγράφει ταῦτα, τῇ κολυμβήθρᾳ καὶ ἑτέροις πλείοσι. Neque enim unica erat διατύπωσις vel προγραφή, ſed multæ & multiplices. Πολλὰ ἄν τις ἴδοι δι' ὕδατος γεγονότα, ἐπὶ τῆς παλαιᾶς, ταύτης ἕνεκα τῆς προφάσεως. Imprimis autem ſordes corporeas abluit aquâ. tum autem & omnigenas morbos ac infirmitates, per eaſdem aquas, ſanabat. Βουλόμενος γὰρ ἡμᾶς ὁ Θεὸς ἐγγύτερον ἀγαγεῖν τῆς τοῦ βαπτίσματος πίστεως, οὐκ ἔτι μολυσμοὺς ἁπλῶς μόνον, ἀλλὰ καὶ νόσους ἰᾶται. αἱ γὰρ ἐγγυτέραι τῆς ἀληθείας εἰκόνες, καὶ ἐπὶ τοῦ βαπτίσματος, καὶ ἐπὶ τοῦ πάθους, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τρανοτέραι τῶν ἀρχαιοτέρων ἦσαν. καθάπερ γὰρ οἱ τοῦ βασιλέως ἐγγὺς, τῶν ἔμπροσθεν εἰσὶ λαμπρότεροι δορυφόρων, οὕτω δὲ καὶ ἐπὶ τῶν τύπων ἐγένετο. καὶ ἄγγελος καταβαίνων ἐτάραττε τὸ ὕδωρ, καὶ ἰατικὴν ἐνετίθει δύναμιν, ἵνα μάθωσιν Ἰουδαῖοι, ὅτι πολλῷ μᾶλλον, ὁ τῶν ἀγγέλων δεσπότης, πάντα τὰ νοσήματα τῆς ψυχῆς ἰάσασθαι δύναται. Non tamen hoc *ex opere*, ut loquuntur, *operato.* neque enim naturalis aliqua vis purgandi peccata, ineſt aquis ex ſe, ſed *ex opere operantis*, hoc eſt, divini ſpiritus gratia. ita ſequitur, ibidem. ὥσπερ ἐνταῦθα οὐχ ἁπλῶς ἰᾶτο τῶν ὑδάτων ἡ φύσις, ἦ γὰρ ἂν διαπαντὸς τοῦτο ἐγίνετο, ἀλλ' ἐπὶ τῇ τοῦ ἀγγέλου ἐνεργείᾳ· οὕτω καὶ ἐφ' ἡμῶν ἁπλῶς τὸ ὕδωρ οὐκ ἐργάζεται, ἀλλ' ὅταν τὴν τοῦ πνεύματος δέξηται χάριν, τότε ἅπαντα λύει τὰ ἁμαρτήματα. Huc alluſit, ut ſolet Gregorius Nazianzenus, Orat. in S. Baptiſma. χθὲς ἐπὶ κλίνης ἔρριψο παρειμένος, ita alloquitur Catechumenum, non baptizatum, καὶ λελυμένος. καὶ οὐκ εἶχες ἄνθρωπον, ἵνα ὅταν ταραχθῇ τὸ ὕδωρ, βάλλῃ σε εἰς κολυμβήθραν. σήμερον εὗρες ἄνθρωπον, τὸν αὐτὸν καὶ Θεόν. Ita & multi alii hac de re commentantur. piè, & eleganter.

Erat autem ibidem homo, triginta & octo annos habens in infirmitate 8
ſuâ. Hunc cum vidiſſet Ieſus jacentem, & cognoviſſet, quia jam multum tempus haberet, dicit ei, vis ſanus fieri? Reſpondet ei languidus, Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam. Dum venio enim ego, alius ante me deſcendit. Dicit ei Ieſus, Surge, tolle grabatum tuum & ambula. Breviter inſigne miraculum, & inſignem laborantis patientiam inſinuat narratio, Ἐκπληκτικὴ ἡ καρτερία τοῦ παραλύτου. Nam paralyſi laboraſſe putarunt plerique veteres. ἔτη τριάκοντα καὶ ὀκτὼ εἶχε, καὶ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἀπαλλαγήσεσθαι τοῦ νοσήματος προσδοκῶν, ἐνεδρεύετο ἐμποδιζόμενος ὑπὸ τῶν δυνατωτέρων. ita notat Theophylactus, Chryſoſtomum ſecutus præeuntem. Euthymius addit, ob hanc eximiam patientiam, ſolum illum à Domino, cæteris præteritis, ſanitati reſtitutum. Certè εὔσπλαγχνον, & ad miſericordiam propenſum, multa erant, quæ afficere poterant in illo homine Servatorem. Nam & diuturnâ torquebatur invaletudine, & ea vis erat morbi, ut impotem redderet ad aliquid auxilii ſibi afferendum. & paupertate premebatur; quod non erat hominem conducendo, qui eum dimitteret in turbatam aquam. Hæc erant ſingula quidem

dura, ſed concurrentia, intolerabilia. Illum ergo, qui talem ſciret, accedens Servator ait, *vis ſanus fieri?* Non quod de eo dubitaret: eſſet enim hoc abſurdum, Chryſoſtomo cenſente, ſed ut illius oſtenderet tolerantiam. Erudita & acuta eſt doctiſſimi Chemnitii ad hunc locum obſervatio, ubi inter multos infirmitate laborantes unus tantum, idque Hieroſolymis, ſanatur, cum frequenter, plures ſimul, alibi & præſertim in Galilæa, curaret. Eſt & hæc peculiaris obſervatio, inquit ille, quod in tanta decumbentium ibi multitudine, unicum tantum ſanavit: in Galilæâ omne genus morborum, Matth. 4. 23. Capernaumi, Omnes qui adducebantur, Matth. 8. 16. Potuit igitur & nunc, unico verbo, Omnes qui in porticibus illis decumbebant, ſanitati reſtituere. Et noſtro judicio, debuerat hoc potius Hieroſolymis, quam in Galilæâ facere. Sion enim, Hieruſalem, & Templum, loca ſunt manifeſtationi regni Meſſiæ in Prophetis deputata. Sed non tantum in hac, verum in totâ Euangelicâ hiſtoriâ videmus Chriſtum ſtudioſè hoc obſervaſſe: cum alibi ſigna ferè innumerabilia fecerit, quæ Hieroſolymis illuſtria quidem, ſed rara & pauciora ediderit. Idque ſine dubio propter hanc cauſſam factum eſt, ne reſiſterent in externis ſignis: aut ne cogitarent beneficia Meſſiæ, ſanitate corporum, & aliis externis commoditatibus definiri & terminari. Hæc ille. ſed veriſſimam & directiſſimam rationem reddit alibi Scriptura, hanc, nempè: *propter illorum incredulitatem, nihil magnum inter eos* (Nazarethanos ſuos) *facere poterat.*

9 Deus invitum non ſanat. Rogato, & conſentienti, ait ſtatim, ſine mora aut ambiguitatibus, Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Tria ſunt omnia. verbo imperat: mandato roborat: manifeſtatione declarat, ſuam potentiam Divinam: ægri curationem, & perfectiſſimè reparatas denuo vires. Non eſſe *præſtigias* & phantaſiam videntes, inde conjicere poterant. non paullatim reſtitutam, ac per intervalla curationem, ſicut ordinariè per Medicos curationes præſtantur; ſtatim enim tollit grabatum, & humeris impoſitam domum portat, per interjectum ſatis longum ſpatium. Erat autem dies ille, quo hoc gerebatur, Sabbatum: & quidem, ut videtur, ſollennius. Prima nimirum dies Paſchatis ſollennitatis: quæ & magna fuit, & celeberrima, Joh. 19. 21. Calumniantur itaque, de violato Sabbato, Judæi, & Legis tranſgreſſione. *Sabbatum,* inquiunt, *eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum.* reſpondet ille, *Qui me ſanum fecit, is mihi dixit, Tolle grabatum tuum & ambula.* Quaſi diceret, Is cui tanta Divinitùs potentia affuit, ut me verbo ſanatum redderet, habuit proculdubiò authoritatem, diſpenſandi de Sabbato non obſervando. Ita ferè inſinuat Theophylactus. Ὡσανεὶ ταῦτα λέγων, ληρεῖτε καὶ παραπαίετε, κελεύοντες μὴ πείθεσθαι τῷ ἀπὸ μακρᾶς οὕτω καὶ χαλεπῆς με νόσου ἀπαλλάξαντι.

10 Aiunt Judæi, & inſenſati & incitati, *Quis eſt ille homo qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula?* Furioſi nimirum, qui cum interrogare deberent, de Medico, Quis eſt, qui Te ſanavit, illi hoc omiſſo,

omiſſo, convolant, ad violationem Sabbati. *Quis te juſſit lectum tollere?* nempè, ut in illum impetu facto, involarent. Huic quæſtioni ſatisfacere non potuit, uti nec alteri, ſi interrogaſſent, Paralyticus; Is enim qui ſanus factus fuerat, neſciebat, quis eſſet. ſed fortè poſtea, invenit eum in Templo Jeſus, & dixit illi, *Ecce ſanus factus es, noli jam peccare, ne deterius Tibi aliquid contingat.* In loco ſancto, actione ſacra inventum; revocat ei in memoriam, Divinum, collatum beneficium: ut & gratias ageret: & ſe authorem profiteretur: quem prius nec viſum, nec cognitum, ignorabat: jam, de fama, & concurſu notum multitudinis factum, agnoſcit, & apud Phariſæos prædicat: haud lædendi, accuſandi, aut ſe inſinuandi ipſis ſtudio, ſed ut beneficium acceptum propalaret. Theophylactus contra homini detrahentes ita diſputat. ſunt qui, ex eo quod Dominus dixerit, *Noli denuo peccare*, conjecturam facientes ſtatuunt, quod cum probè ſciret Dominus, voluiſſe hunc Paralyticum, ipſius nomen Judæis deferre, poſt repertum illum in Templo, dixerat eam ob cauſſam, vide ne iterum pecces. ſed non eſt ita. φαίνεται γὰρ εὐλαβὴς ὁ ἄνθρωπος. Nam in Templo verſantem invenit eum Jeſus. Niſi autem pietate & religione inſtructus fuiſſet, ἀνέσει καὶ τρυφῇ ἂν ἐξέδωκεν ἑαυτὸν, οἷα δὴ δρᾶμα ἄν. καὶ ἐξέφυγεν ἂν τὴν τῶν Ἰουδαίων μανίαν καὶ τὰς λογοπραγίας. ἀλλ' οὐδὲν αὐτὸν τούτων ἐποίησεν ἀποστῆναι τοῦ ἱεροῦ. ſed & poſtquam cognovit fuiſſe Jeſum, qui ipſum ſanaverat, vide quanta cum gratitudine Judæis ipſum prædicet. Non enim dicit, Jeſus erat qui mihi dixit, *Tolle grabatum;* id quod illi audire volebant, ſed is, *Qui me ſanum fecit.* At in hoc Theophylactum fugit ratio. Nam interrogatus de Medico Jeſum non nominat, quia nondum noverat. at quamprimum reſcivit, eum indicat. Hinc autem multa, & quidem longius expoſita Judæorum cum Jeſu altercatio: qui ob Sabbatum violatum, quod cauſabantur, vehementius in eum, quem jam oderant, erant inflammati. quæ ſancto Euangeliſtæ recitata, fuſius ab interpretibus enarratur.

Hanc calumniandi anſam ſemel amplexi, non omittunt Phariſæi & malevoli Judæi. Nam relictis Hieroſolymis, cum denuo redierat in Galilæam, introivit per Sabbatum in Synagogam; ut doceret. & erat in Synagoga quidam, cujus manus dextra exaruerat. Scribæ autem præſentes & Phariſæi, ſedulò obſervabant, an illum eſſet curaturus, ut de Sabbato accuſarent profanato. Obſervatio illa inimicorum, non ὡς ἔτυχεν, videtur inſtituta, ſed à præcedenti deprecatione hominis cui manus exaruerat. Narrat enim Hieronymus in hunc locum, ex Euangelio Apocrypho Nazarenorum, ſed in quo, multa cum veritate conjuncta continebantur, cæmentarium hunc hominem fuiſſe, & venerabundum rogaſſe Curationem. Rem tangit Baronius, ſed fuſius ex Hieronymo tranſcripſit Barradas. *In Euangelio, quo utuntur Nazareni, & Ebionitæ, quod nuper in Græcum ex Hebræo ſermone tranſtulimus, & quod vocatur à pleriſque Matthæi authenticum, homo iſte qui aridam habet manum, cæmentarius ſcribitur, qui Dominum ita affatur. Cæmentarius eram: manibus victum quæritans.* 11

De homine habente manum aridam.

quæritans. precor te Ieſu, ut mihi reſtituas ſanitatem, ne turpiter mendicem cibos. Hoc audito, attente inhiabant inimici, & quid erat facturus, obſervabant. Ille autem ut αὐτοκατακρίτοις os obturaret, quæſtionem proponit, quam ſolus commemorat ex Euangeliſtis Matthæus, *ſi liceret Sabbato curare?* Cui ipſemet per ἐπίτασιν reſpondet, ita ut confuſi non haberent, quod hiſcere in contrarium vel oggannire poſſent; de ovicula, per Sabbatum, è foveâ, ne pereat, extrahendâ. quam cum negare non poſſent, quia ipſimet actitarent, occaſione datâ, circumſpiciens cum indignatione & fremitu improbos illoſce obſervatores, juſſit manum extendere & ſanitate reformat, arefactam. Adverſarii confuſi, indignantes tamen egrediuntur: & cum Herodianis (de quibus diximus in apparatu) conſilium ineunt de perdendo eo. Quod intelligens Jeſus, inde receſſit, furori cedens, & ut rem fuſius ac particularius Marcus refert, *Seceſſit cum diſcipulis ſuis ad mare.* & multa turba è Judæâ & Galilæâ ſecuta eſt eum. & ab Hieroſolymis, & Idumæa, & trans Jordanem, & qui circa Tyrum & Sidonem multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum. Quaſi formam univerſalis Eccleſiæ è gentibus deinceps aggregandæ proponit, cum non tantum Judæos, ſed vicinas Gentes, ad Chriſtum convenas enumeret: idque à quatuor mundi plagis. Chorographia enim earum Gentium quæ commemorantur, ad eum modum diſponebatur. Idumæa, Palæſtinæ, ad Meridiem jacebat. Syrophœnicia, quæ Tyrum & Sidonem complectebatur, ab Occaſu fuit ad Septentrionem. Decapolis cum Peræa, ad Orientem. Ita pulchrè. τὰ μικρὰ καὶ φαινόμενα, μεγάλα διαπτύσσει καὶ μὴ βλεπόμενα.

12 *Factum eſt autem in illis diebus.* ἀπολελυμένως, neque enim deſignantur, Qui dies fuerant. Euangeliſtæ enim, cum nec Annales, nec *diaria* ſcriberent, in enarrandis rebus à Chriſto geſtis, Temporis ordInem, aut conſecutionis non magnopere obſervant. quando autem cunque fiebat, *Factum fuit, ut exiret in montem orare, & erat pernoctans in oratione. Et cum eluceſſerat dies, vocavit diſcipulos ſuos & elegit duodecim ex illis, Quos & Apoſtolos nominavit, ut eſſent cum illo,* Matthæus addit, & ut mitteret eos prædicare. Præivit itaque Euangeliſta, & viæ ductor fuit Cardinali Baronio, ad illam Apoſtolorum deſcriptionem, ſi modo volebat illos, aut ipſorum munus deſcribere, cum Sect. 5. ad annum 32 ſtatuit ita, *Ea de cauſa illos elegit Chriſtus, ut verbi prædicatione Orbi, caligine offuſo, lumen veritatis impertirent.* Nimis ſeverus Cenſor & rigidus Exercitator, qui in vitioſam hanc deſcriptionem, propter multiplicem omiſſionem invehitur. Certè ſequitur Euangeliſtam Cardinalis; *miſit eos prædicare,* non tantum ait, ſed *elegit* ut mitteret prædicare. an volebat Apoſtoli deſcriptionem inſtituere, litigent Grammatiſtarum & Logiſtarum παῖδες. ſi volebat, non erit vitioſa Baronii deſcriptio: nam iiſdem verbis concipitur. ſi nolebat, tum nec Cardinalis. nam eundem finem inſtituendi Apoſtolos refert, non alium, licet aliis verbis, exequitur: eligebantur ut mitterentur ad præ-

Apoſtolorum electio.

Digitized by Google

prædicationem. Certè nodum in ſcirpo nectit, aut quærit, qui tam tragicè de negligentiâ, ſuſpitione, fraude, omiſſione, & tamen fruſtra, quiritat. Certum eſt, nomen illud non unicâ ſignificatione uſurpari. Apoſtolus indefinitè dicebatur quicunque, à quocunque, quacunque de cauſſâ miſſus. & ita utitur Scriptura, Joh. 13. 16. οὐδὲ ἀπόστολος μείζων τοῦ πέμψαντος αὐτόν. at non tam laxa ſignificatio eſt, Heb. 3. 1. ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν. eſt certè ταπεινὸν, quod notat Theophylactus, διὰ τὴν σάρκα. ita omnis ἀπόστολος eſt reſpectu mittentis. ſed ἀπόστολος cum ibidem, per excellentiam Chriſto adſcribitur, non ad quamlibet legationem, ſed eam ipſam refertur, quam particulariter in 11 illis electis diſcipulis Scriptura indicat. Miſſionem ſcilicet ad Lumen Orbi affundendum, peccatorum caligine offuſa. Venit enim Filius hominis (eapropter ideò miſſus eſt) *quærere & ſervare*, τὸ ἀπολωλός.

Apoſtoli nomen & vox, ab ἀποστέλλω deducitur. atque id ſignificat locus è Johanne recitatus 13. 16. apud Græcos, in Repub. Athenienſium, cum Ἀποστολεῖς eſſent magiſtratus triremibus præfecti, tum ἀπόστολοι erant ipſæ triremes emiſſæ. ἀποστολὴ apud Joſephum, quod Caſaubonus obſervat, non tantum legationem notat, ſed ipſum eorundem mittendi actum. ἀφίκετο εἰς Ῥώμην πρεσβεία Ἰουδαίων; Οὐάρου τὸν ἀπόστολον αὐτῶν τῷ ἔθνει ἐπικεχωρηκότος. Literæ etiam ἀποστολικαὶ vel dimiſſoriæ apud Juriſconſultos, ab hoc uſu capiuntur. Ab hiſce, παρὰ τοῖς ἔξωθεν notionibus in linguam ſacram, & uſum Scripturæ; tranſlatæ voces ἀπόστολος & ἀποστέλλειν, ut & aliæ nonnullæ, commigrarunt. Hinc factum, ut in Repub. Chriſtiana dicerentur Apoſtoli 12 illi numero, qui erant à Chriſto, de toto Diſcipulorum collectitio numero electi, & immediatè ſeparati, ut teſtes adhiberentur τῶν τοῦ Θεοῦ μεγαλείων, in Judæâ, Samariâ, & uſque ad terminos terræ. Eſt hæc prima pars muneris Apoſtolici quam attingit ex Euangeliſtâ Baronius: eſtque etiam pars principalis. & ab illâ denominati ſunt Apoſtoli. Quâ quidem primariâ ratione conſtitutâ, aliis etiam, ab illis duodecim, nomen illud communicatur, & honos. qui tamen non crevit æquali dignitate, pari ratione, cum 12 illis Apoſtolis. Erant enim ipſi Apoſtoli, καθ' ὑπεροχήν, utpote quibus αὐτολεξεὶ inſinuaverit Chriſtus ipſos à ſe perinde miſſos, ac ipſe à Patre mittebatur, Joh. 20. 21. quod nulli unquam mortalium communicabatur. uti nec quod in univerſum mundum, quaſi propriam provinciam, cum imperio tranſmittebantur. nimirum quod ſoli, poſt homines natos, à Chriſto immediatè Electi, non ab hominibus, neque per homines, ut ſubinde repetere ſolet B. Paulus, acceptâ poteſtate. unde Petrus Act. 10. 42. vocat ſe & alios coæquales Apoſtolos μάρτυρας προκεχειροτονημένους ὑπὸ Θεοῦ. ſed tamen nec ipſis ea dignitas communicata, quæ Domino Jeſu Chriſto, καθ' ὑπεροχὴν Apoſtolo, nam magnum eum Apoſtolum, Paulus 3 ad Hebræos nominat, competebat. Non enim illud *Sicut*, καθὼς, paritatem denotat, aut æqualitatem, ſed in Legatione ſimilitudinem tantum. Miſſus quidem à patre ſuo Chriſtus erat, ratione ſuſceptæ huma- 13 Ἀπόστολος.

Digitized by Google

humanitatis, qui erat illi ὁμότιμος, eò quòd ὁμούσιος, ratione Divinitatis, Non ſunt Apoſtoli ſic æquales Chriſto, miſſi ab eo, ſicut ipſe à Patre, non cum eâdem, aut pari poteſtate. Ἄρχοντές εἰσιν ἀπὸ Θεοῦ χειροτονηθέντες οἱ Ἀπόστολοι. Hæc ampliſſima omnium inter homines poteſtas, & Angelicâ functione major, illuſtrior, honoratior, niſi per Divini ſpiritus diſpenſationem non poterat conferri, non procurari. Itaque illos poſtquam inſufflaverat, ait eis, *Accipite Spiritum Sanctum*. Et hanc partem muneris Apoſtolici, non omiſit, ut Bulengerus calumniatur, Caſaubonus. Illa autem injunctio, *Hoc facite in mei commemorationem*, non erat aliqua Apoſtolorum prærogativa, ſed cum iis, & ab iis, per eos Succeſſoribus quibuſcunque, Epiſcopis & Sacerdotibus communicata. Bulengerus ἱερὰ ῥέζων, Hoc facit. qui tamen, haud opinor auſurus eſt, ad Apoſtolatus apicem aſpirare. Illa verò προτερήματα, quod immediatè fuerant per Chriſtum præſentem & ἐνανθρωπηθέντα electi: Quod in rem præſentem Teſtes deſtinati: & eorum quæ αὐτόπται viderant, ordinati declaratores: Quod non ἔθνη καὶ πόλεις διαφόρους ἄρχοντες ἐλάμβανον, ut Chry-
Tom. 8. p. 110. ſoſtomus loquitur, ἀλλὰ πάντες κοινῇ τὴν οἰκουμένην ἐμπιστευθέντες· Quod iis dictum ore tenus fuerat; ſicut miſit me Pater meus, & ego mitto vos: ſunt communia Apoſtolorum omnium, & quidem ſolorum, γνωρίσματα, nulli cum Sacerdotio, aut Epiſcopatu, communicata. Sed & illud etiam, *Hoc facite in mei commemorationem*, eo modo ipſis dicebatur injunctum, quo nulli prætereà unquam, ab hominibus natis. Hoc enim ibi δεικτικῶς adhibetur: & eſt ad illud ῥῆμα, quod tum Dominus faciebat, referendum, Ipſis præſentibus, in Illum præſentem oculis ſuis intuentibus. *Hoc facite*, quod me vidiſtis facientem. Accipite panem. Benedicite. Frangite. Date in mei commemorationem. Quod nullis unquam vel dictum ita fuit, aut potuit dici, ac Apoſtolis cœnæ communicantibus.

14 Chriſtus, novo Eccleſiæ populo, novum Sacerdotium hic, verum eſt, & novum Sacrificium, veteribus vel amotis vel exoletis, inſtituit. ſed an quia Novum: an quia Tum temporis Reale: ideò non Commemorativum? Cruentum non erat. hoc non affirmatur. Nullus enim fuſus adhuc Tum ſanguis fuerat. Ne quidem in horto, nam hoc præceſſit, inter Orandum, grumoſus ſudore mixtus. Corpus non erat ὁλοκαυτούμενον, aut in arâ Crucis adhuc Sacrificatum: nondum pependerat occiſus in ligno ſalutari. Sed & etiam, *Hoc facite*, non poteſt ad illos tum in cœnâ præſentes, reſtringi. Omnes pertingit, ubicunque conſtitutos Sacerdotes: & modum notat, ac menſuram quaſi actionis. Hoc eſt Actum deſignat continuandum, per ſucceſſiones Sacerdotum. Quocirca, laxitatem illius, *Hoc facite*, aliquo modo reſtringit & coarctat. ſed hæc obiter. ad Apoſtolos demum revertamur.

15 Illuſtriſſimus Baronius, Sect. 5. præmiſit de nomine, & ſubjecto nominis. Uſitatum nomen fuit apud Hebræos, ut Apoſtolos illos nominarent, qui aſſiduè verſabantur cum ſummo Sacerdote, conſulendi gratiâ. Quaſi Syncellos quoſdam, qui deinceps dicebantur,

Digitized by Google

tur, in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ; deſignaret. Illi enim eo munere fungebantur. Zonar. Annal. 3. ἐκπέμπεται δὲ καὶ ἕτερος πρὸς βασιλέα. ὃν ἐκάλουν ἐκεῖνοι, Σεκρέτον. ἔστι δ' ἔτι παρ' αὐτοῖς, ὅπερ πάλαι ἦν παρ' ἡμῖν ὁ λεγόμενος Σύγκελλος. Mittitur ille, tanquam à ſecretis: mitti poterant illi, ut adſeſſores. Et tales fuiſſe videri poſſunt, qui Joh. 1. à Concilio legantur ad Baptiſtam, Interrogaturi, *Tu quis es?* Diſplicent hæc Baronii, Exercitatori. & quidem inſigniter hallucinatum ait: & tamen agnoſcit ipſe, in ritibus Judaïcis apud Rabbinos recenſitis, ubi varia variorum miniſtrorum habentur nomina, eſſe & Apoſtolos nominatos, & ἀποστόλους τῆς Συναγωγῆς. ſed de Chriſti temporibus intelligebat Baronius. & adhuc, Dominum noſtrum Diſcipulis ſuis eam appellationem indidiſſe, vocem mutuatam ex communi uſu Judaïcæ Synagogæ. Sed imprimis Baronius neutrum affirmat, diſertis verbis. Uſitatum ait, nomen fuit apud Hebræos, ut Apoſtolos eos nominarent qui aſſiduè verſarentur cum ſummo Sacerdote conſulendi cauſsâ. qui & ad ipſum referrent ea quæ ſunt in Lege. quos etiam ipſe ſibi legare conſueverat, ad componendos optimos Sacerdotum mores: ipſas Synagogas inſpiciendas: pravos mores corrigendos: ipſos denique miniſtros qui non ſecundum Legem viverent, in ordinem redigendos. Ita particulatim ipſorum officium circumſcribit. Munus ejuſmodi inſtitutum docet. ſed quando, à quibus, quâ antiquitate, tacet. de Domini noſtri temporibus, ſilet. nec affirmat Dominum illud nomen ſelectis ſuis Diſcipulis, de communi Judæorum uſu deſumptum impoſuiſſe. ſed nec Epiphanii narrationem, vel eò refert ipſe: vel eò intendiſſe Epiphanium docet. ſubjectum annectit præcedentibus, ut ex his colligitur quæ Epiphanius de Joſepho, apud Judæos Apoſtolo, agens contra Ebionæos, ſcribit. citat authorem Epiphanium pro voce & munere illo apud Judæos. & rectè citat, nam fatetur ipſe Epiphanius, de Patriarchis Tiberiadenſium Judæorum ætatis ſuæ loquens, adſeſſores quoſdam ipſos habuiſſe, qui Apoſtoli nominarentur. Certè nihil aliud Epiphanio adſcribit Cardinalis, nec aliquid admiſit, hoc tumultu excipiendum aut imputatione. Nulli certè (credo nec Baronio) fuit dubium, quod ait, Dominum noſtrum, cum Syriacè loqueretur, voce Syriacâ uſum, & *Schelichin* ſuos duodecim Diſcipulos appellaſſe, quos Euangeliſtæ, qui ſcribebant Græcè, ἀποστόλους dixerunt.

E Diſcipulis, quos multos habebat, duodecim præcipuos lateri ſuo Chriſtus adlegerat, *deſtinatos nationibus magiſtros*, inquit Tertullianus. In illo autem duodenario numero, cur conſtiterit Dominus, non explicatur ratio: multa à multis, eâ de re diſputantur. *Non fruſtra duodecim numero Apoſtolos Dominus habere voluit*, inquit Auguſtinus, *& adeò numerus ille ſacratus eſt, ut in locum unius, qui exciderat, non poſſet niſi alter nominari. voluit certè numerum hunc completum manere Deus: ideò commemoratur à beato Petro, Act. 1. alium ſurrogandum in Iudæ Traditoris locum, quod & ſacris Oraculis*

16 *Cur duodecim Apoſtoli.*

In Pſal. 103.

conſignabatur: nam Epiſcopatum ejus aiunt, accipiat alter. Auguſtinus, loco citato, numerum iſtum ideò ſacratum arbitratur, quod è quatuor mundi plagis, Oriente, Occidente, Septentrione, Auſtro (hoc eſt ter quatuor) per Euangelium totus Orbis in nomine ſacroſanctæ Trinitatis eſt vocandus. Quatuor autem ter ducta hunc numerum efficiunt. *Quare*, inquit, *duodecim ſunt Apoſtoli? Quia enim quatuor ſunt Orbis parteis, & totus Orbis in Euangelio vocabatur. unde quatuor Euangelia ſcripta ſunt. & totus Orbis, in nomine Trinitatis vocabatur, ut congregetur Eccleſia. quatuor ter ducta, duodecim ſiunt.* in partes Auguſtini accedit Beda. Ideò quaterna. electi ſunt, inquiens, Joh. 6. ut ſancta Trinitas per quatuor partes Orbis prædicaretur. Qui tamen & ad curſum Solis per duodecim Zodiaci Signa nos refert, eodem loco. *Annus duodenario numero*, inquiens, *currit, & ordo ſignorum in cœlis, per quæ Sol & Luna currere noſcuntur, duodenario numero diſtinguuntur. Ideò, hoc numero, primos prædicatores Chriſtus direxit in mundum.* Sedulius non longè receſſit, qui cum duodecim anni menſibus componit, & duodecim diei horis.

> *Sic & Apoſtolici ſemper duodenus honoris*
> *Fulget apex, numero menſes imitatus & horas.*
> *Omnibus ut rebus ſemper tibi militet annus.*

Juſtinus Martyr ideò putat duodecim allectos, quod duodecim tintinnabulis in veſtitu Pontificis ſummi pendentibus ſignificarentur. *Quod*, inquit, *traditum eſt, ut duodecim tintinnabula, è veſte Pontificis penderent, ſimulachrum erat duodecim Apoſtolorum, qui vi æterni Pontificis Chriſti, incenſi ſunt, quorum voce & oratione terra omnis, Dei, ejuſque Chriſti gloriæ & gratiæ plena eſt. Itaque David ait, Pſal. 18. in omnem terram exivit ſonus eorum.* Juſtinum ſugillant, qui tintinnabula numero duodecim circumſcripſit: ſed nec ſolus, nec primus in illa verſabatur opinione. Philo alicubi, ita ſcribit, *Perfectus autem numerus duodenarius, quod teſtatur Zodiacus in cœlo circulus; illuſtratus tot ſideribus. teſtatur etiam ſolis ambitus. Nam intra duodecim menſes circuitum ſuum peragit: & in totidem horas diurnas nocturnaſque tempus dividunt homines. Moſes quoque non parum laudat hunc numerum: deſcriptâ ſua natione in Tribus duodecim: & inſtitutis duodecim propoſitionis panibus: & totidem lapillis, cum ſuis ſculpturis qui in Pontificali veſte talari, circum rationale, quod vocant, intexerentur.* At quod Irenæus, Lib. 4. cap. 38. Duodecim Apoſtolos Eccleſiæ duodecaſtylon firmamentum, haud iſtuc ſpectat. Nam non niſi ἐν τοῦ ἱεροῦ, ita vocabantur. περιστυλίοις, in Templo Salomonis, nullum ejuſmodi δωδεκάστυλον habebatur. Certè rectè, ait Irenæus, Chriſtus Eccleſiæ Templum ædificans, duodecim has firmiſſimas columnas, quibus tam præclarum ædificium fulciretur, præparavit. ſed in nullis columnis illum numerum, ſocietatem, aut etiam officium conſecravit.

Lib. de Profugis.

Huc

Huc retulero, quod de duodecim principibus, vectigalium Sa- 17
lomoniacorum præfectis habet Scriptura. Qui præbebant anno- *Figuræ duodecim*
nam Regi & domui ejus. per ſingulos enim menſes in anno, *Apoſtolorum.*
ſinguli neceſſaria miniſtrabant. 3 *Reg.*4. 7. Magis autem propè
accedunt ad rem quæ Tertullianus habet, contra Mar. Lib. 4.
Ex hoc, inquit ille, *Chriſtum interpretari poſſum: non tantum vocibus
Prophetarum, ſed & argumentis rerum, prædicatum. Hujus enim numeri
figuras apud Creatorem deprehendo. Duodecim fontes Elim. duodecim
gemmas in tunicâ Sacerdotali Aron. duodecim lapides à Ioſua de Ior-
dane electos, & in Arcam Teſtamenti conditos. Totidem enim Apoſtoli
prætendebantur, proinde ut fontes irrigaturi aridum orbem: ut gemmæ,
illuminaturi ſacram Eccleſiæ veſtem, quam induit Chriſtus Pontifex
Patris: ut lapides ſolidi fide, quos de lavacro Iordanis Chriſtus verus
elegit, & in ſacrarium Teſtamenti ſui recepit. Huc referunt etiam
duodecim Boves, Mare æneum, à Salomone ædificatum, ſuſtentantes &
portantes: è quibus tres Aquilonem reſpiciebant: tres Meridiem:
Occidentem tres: Orientem tres. quaſi in omnes mundi plagas eſſent
deſtinati: & baptiſterium illud, in illas deportare.* Addunt alii
duodecim exploratores miſſos è deſerto in terram Canaan. La-
pides duodecim è quibus Altare conſtruebatur. Leunculos duo-
decim in Throno Salomonis. Prophetas etiam duodecim. ſed
omittunt plerunque quod eſt κορυφαιότατον, duodecim Patriarchas,
filios Jacobi, qui & Iſraël, qui populum illum electum proſemi-
narunt. eoque magis mirum omiſiſſe, quod, quemadmodum
Chemnitius obſervabat, Chriſtus ipſe videbatur eò alludere,
Matth. 19. 28. *Sedebitis ſuper duodecim Sedes, judicantes duodecim
Tribus Iſraël. Peragrarunt autem iſti orbem Terrarum, non ſcuta mo-
ventes: non arcus tendentes: non ſagittas mittentes: non pecunias
largientes: non eloquentiæ confidentes.* Chryſoſt. ait.

Elegit ergo duodecim ex iis, quos & Apoſtolos nominavit. 18
Simonem, quem cognominavit Petrum: & Andream, fratrem ejus: *Apoſtolorum*
Iacobum & Iohannem, Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Tho- *nomina.*
*mam: Iacobum Alphei & Simonem, qui vocatur Zelotes: Iudam Iacobi,
& Iudam Iſcariotem, qui fuit proditor.* Hæc eſt recitatio B. Lucæ,
qui in Actibus ita refert: Petrus, Johannes, Jacobus Zebedei,
Andreas, Philippus, Thomas, Bartholomæus, Matthæus, Jacobus
Alphæi, Simon, Thaddæus. Marci Catalogus iſte eſt: Petrus, *Ordo.*
Jacobus, Johannes, Andreas, Philippus, Bartholomæus, Matthæus,
Thomas, Jacobus Alphei, Thaddæus, Simon, Judas proditor.
Matthæi ordo eſt: Petrus, Andreas, Jacobus Zebedei, Johannes
frater ejus, Philippus, Bartholomæus, Thomas, Matthæus, Jacobus
Alphei, Thaddæus, Simon Cananæus, Judas Iſcariotes proditor.
Ita variant penè in omnibus, præterquam quod ubique Petrus
princeps, & Judas poſtremus, commemorentur: ſi in cæteris no-
minandis idem ordo fuiſſet obſervatus, dici nec improbabiliter
potuit, eo tenore relatos ab Euangeliſtis, quo ab Eligente Chriſto
citabantur. ſed cum varient in ea re ſcriptores ſacri, commodè hoc

R 2 non

Digitized by Google

non poteſt reſponderi. Baronius dixit, Ordinem fuiſſe inter Apoſtolos. ait Bulengerus non confuſionem vel ἀταξίαν. Rectè. & an is novit aliquem qui hoc negaverit. Etiam apud inferos, ordo quidam perhibetur. alioquin *Legiones*, & *Principem Dæmoniorum, Belzebubum, Luciferum* non audiremus. Caput & cauda, ad Ordinem ſpectat: & illa membrorum *Synharmologia*. Ineptè nugatur Bulengerus. *Bonum factum per Caſauborum liceret, ut Petrus primus ſit Apoſtolorum*. Licet autem. nam Matthæus ait πρῶτος, Primus Simon Petrus. Quid tum verò? Non tamen ubi ordo eſt & εὐταξία, ſtatim Principatum αὐτοκρατορίαν, aut Monarchiam Imaginari neceſſe eſt. & rectè affirmat Caſaubonus, hoc negare Abulenſem, & probare illum, ſuam aſſertionem Firmiſſimo argumento. Quia deinceps inter ſe contendebant, quis eorum major videretur. Nunquam autem contendiſſent, ſi in Creatione ipſa Apoſtolatus, *majoritatem* aliquam inter diſcipulos ordinaſſet Chriſtus. ſed nec dubii ſolutionem ad Chriſtum detuliſſent, quod tamen faciunt, Matth. 18. Neque Mater filiorum Zebedæi, aut ipſimet fratres, de ſedibus à dextris & ſiniſtris interpellaſſent, ſi ab initio ſententiam ſuam protuliſſet Chriſtus. neque aliter Euangeliſtæ nobis iſta recenſerent. Ordinem ergo obſervant Euangeliſtæ. ſed non eundem omnes. non igitur ex eodem reſpectu. Fuit autem inter eos, vel eſſe poterat, Ordo diſpenſationis, quippè qui emittebantur, ἀνὰ δύο, ad prædicandum. Erat Ordo Temporis per vocationem. Ordo Ætatis & Senioritatis. Ordo etiam Excellentiæ, & Dignitatis: quem ab Apoſtolis ſummovit Chryſoſtomus, Homil. 33. in Matth. Vides non ex dignitate ipſos nominari. Nam meâ quidem ſententiâ, Johannes non ſolum iis qui poſt illum enumerantur, ſed etiam fratre major erat. Et tamen hunc ordinem dignitatis nemo noſtrum Petro denegaverit. Neque enim ubique, Primus ponitur, ὡς ἔτυχε, aut fortuitò: ſed deſtinato Spiritus Sancti conſilio. illo ſcilicet, ut ordinem Eccleſiæ commendaret, Et Ordinem ab aliquo primo derivaret: ac ut ille primus, eſſet Petrus. *Nam Petro primum Dominus, ſuper quem ædificavit Eccleſiam, & unde Unitatis Originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit*, &c. ait Cyprian. Epiſt. 73. Sect. 6. & in Lib. de Unitate Eccleſiæ, Sect. 3. Quamvis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam, parem poteſtatem tribuat, & dicat, *Sicut miſit Me Pater, & Ego mitto vos, Accipite Spiritum Sanctum:* Tamen, ut Unitatem manifeſtaret, Unam Cathedram conſtituit, & Unitatis ejuſdem Originem ab uno incipientem, ſuâ authoritate diſpoſuit. *Hoc erat utique, & cæteri Apoſtoli, quod erat Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab Unitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur*. Et hoc modo ſi intellexerit Baronius, quod ait, apud omnes antiquos Patres in confeſſo fuiſſe, non repugno: neque obſiſtebat, opinor, Exercitator: ſed tantummodo difflat inſomnium, ut appellat, de Mundi Monarchiâ, Baronianum. Dicendum enim omnino, cùm Cypriano,

in

in ſequentibus, *Hanc Eccleſiæ Vnitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſupra quam fundata eſt Eccleſia deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Epiſcopatus enim unus eſt* (& hæc eſt illa Cathedra Petri quam commemorat) *cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur.*

Citat in ſuam rem & ſententiam Cardinalis Nazianzeni ῥῆσιν, in hæc verba. *Vis aliud quoque ordinis ac diſciplinæ exemplum in medium proferam, idque præclarum, ac laudabile, ac præſenti commemoratione, atque admiratione imprimis dignum? Vides, quemadmodum è Chriſti diſcipulis magnis utique omnibus & excelſis, atque electione dignis, hic Petra vocetur atque Eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam accipiat.* Sed rectè reſpondet Exercitator: hanc Theologi allatam ῥῆσιν, non procedere è mente Cardinalitiâ agnoſcit, imo & urget, & ſtabilitum item Nazianzenus, ordinem fuiſſe inter Apoſtolos, uti & in omnibus operibus Divinis, ita imprimis per Eccleſiam relucentem. aliud ubique & aliud: alium & alium. Petrum imprimis & Johannem ſuâ quemque gaudentem prærogativâ, ſed non ordinem προεδρίας, multo minus talem, quæ mundi ſubintroducat Monarchiam. qui ſolus eſt ille Ordo, quem cum Cardinali Bulengerus requirit apud Nazianzenum. at illum ordinem non reperiet. addit enim ille pater, poſtquam dixerat, *Ille Petra vocatur,* καὶ τοὺς θεμελίους τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται. ὁ δὲ ἀγαπᾶται πλέον, καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ ἀναπαύεται. καὶ φέρουσιν οἱ λοιποὶ τὴν προτίμησιν, non iniquo animo cæteri diſcipuli ferebant, Prælatum ipſis Johannem fuiſſe. Et cum in montem aſcendendum erat, ut Chriſtus, τῇ μορφῇ λάμψῃ, καὶ τὴν θεότητα παραδείξῃ, καὶ γυμνώσῃ τὸ ἐν τῇ σαρκὶ κρυπτόμενον. Quinam ſimul aſcendunt? (Neque enim omnes ad hujus miraculi ſpectaculum admittuntur) Petrus, Johannes, & Jacobus, qui ante alios, & erant, & numerabantur. Rurſus cum animo anxio, atque paulò ante Paſſionem ſecedenti, ac precibus operam danti, quoſdam adeſſe oporteret, quinam ad eam rem aſciti ſunt? iidem illi. Atque hæc Chriſti prælatio & electio fuit. Tum addit, quod jugulum ambitioſorum petit. Quid reliqua moderatio ordiniſque diſciplina quanta? aliud Petrus interrogat, aliud Philippus, aliud Judas, aliud Thomas, aliud alius quiſpiam. neque aut idem omnes, aut omnia unus, ſed viciſſim quiſque ac ſigillatim; ac prout cuique erat opus. Philippus quippiam dicere geſtit; nec ſolus audet. Verum Andream adhibet adjutorem. Petrus aliquid percunctari cupit, καὶ Ἰωάννην προβάλλεται διὰ νεύματος. Hic jam Bulengerum interrogat Gregorius παραφρονοῦντα, & in ſenſum perverſum hæc trahentem, ποῦ τὸ ἄνωθεν ἐνταῦθα; ποῦ δὲ τὸ φίλαρχον; πῶς ἂν μᾶλλον ἔδειξαν, μαθηταὶ ὄντες Χριστοῦ, τοῦ πράου καὶ ταπεινοῦ τὴν καρδίαν. Hic jam Bulengerum interrogem, an probaturus eſſet Nazianzenus ὀφρὺν illam τὴν δυτικὴν, quam aliquando Baſilius perſtringebat. multo minus, inauditum & incognitum antiquis ſæculis faſtum μεγαλ-[illegible], quo non tantum κεκλεισμένον εἰς τὸν κλῆρον, ſed in mundum univerſum volunt, ob id ipſum, quod in omni ſtatu & re, ordinem relucentem Deus inſtituit. Ordo in Eccleſia omnino retinendus: ut 19 Orat. de moderat. ſervand.

ut alii Oves ſint, paſtores alii: alii præſint, alii ſubſint: alius velut caput ſit, alius pedes, alius manus, alius oculi, alius aliud aliquod corporis membrum, ad totius Eccleſiæ concinnitatem, & utilitatem. ἔστι γὰρ ὅρος πάσης πνευματικῆς προστασίας, πανταχοῦ, τὸ καθ' ἑαυτὸν, παρορᾷν, πρὸς τὸ τῶν ἄλλων συμφέρον. Orat. 1. Nazianzen.

20 Petrum igitur imprimis ſelegit. propter ordinem ſeligendus erat unus. *Propterea inter duodecim Apoſtolos unus eligitur*, Hieronymus ait, *ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* ſed in Petrum potius cur collatum hoc προτέρημα; idem docet, quod ætate ſenior.

Lib. 1. c. Iovin. *Sed cur non Iohannes electus eſt virgo? Ætati delatum, quia Petrus ſenior erat. nec adhuc adoleſcens & penè puer, progreſſæ ætatis hominibus præferretur.* Rectè. & hoc ad Ordinem & εὐταξίαν ſpectat. Deplorat non immerito ſui ſæculi præcocitatem Nazianzenus: (& nos multo verius de noſtro ingeremus) Nullum ordinem ætatis obſervatum. nullam habitam rationem προεδρίας. *At nobis*, inquit, *nullus docendi & diſcendi terminus eſt conſtitutus: velut olim tribubus quæ ultra Iordanem, & intra Iordanem erant. nec quibuſnam illud, quibuſnam rurſus hoc committendum ſit, nec norma ulla, ad quam habitus exigamus: verum ita projecta & confuſa res eſt, tamque malè afficimur, ut è nobis quamplurimi, ne omnes dicam, prius ferè quàm primam comam depoſuerimus, puerilique more balbutire deſierimus: priuſquam in divina atria introierimus: priuſquam ſacrorum librorum vel nomina ipſa noverimus: priuſquam novi veteriſque Teſtamenti characterem, & authores cognitos habuerimus: ſi duo aut tria pia verba edidicerimus: eaque non electione, ſed ſola auditione hauſerimus: ſi Davidi paululum operæ impenderimus: aut pallium ſcite contraxerimus, aut zonâ tenus Philoſophati fuerimus* (hoc eſt, habitu Sacerdotem repræſentemus) ἢ τὸ τριβώνιον εὐσυστειλάμεθα, ἢ μέχρι τῆς ζώνης φιλοσοφήσωμεν, εὐσεβείας τι πλάσμα καὶ ὄψιν ἡμῶν περιγράψαντες, βαβαὶ τῆς προεδρίας, καὶ τοῦ φρονήματος, ἱερὸς καὶ ἐκ σπαργάνων Σαμουὴλ, εὐθὺς ἐσμὲν σοφοὶ, καὶ διδάσκαλοι καὶ ὑψηλοὶ τὰ θεῖα, καὶ γραμματέων τὰ πρῶτα καὶ νομικῶν. Quæ cum ſint in Eccleſiâ nævi & reduviæ, datum eſt aliquid ætati & maturitati in electione Apoſtolorum εἰς ὑπόδειγμα, & futuris temporibus imitationem, ut ſenioribus donaretur πρεσβυτεροδρία. unus tamen junior admiſſus, ad omnia penè ſecretiora, ne illam ætatem à Dei Liturgiâ penitus ſepararent.

21 Petrus Petrâ. Petrus icciрco huic muneri & officio deſtinatus ab initio: & ſuo tempore πάντων προηγούμενος deſignatus, ex intuitu ſuſcepti officii Petra dicebatur: non quod erat Petra, ſeponebatur, & cæteris præferebatur. *Vocaberis enim Cephas*, ait Salvator. nempè poſtquam functioni fueris initiatus. τοὺς θεμελίους Eccleſiæ πεπιστευμένος, tum & non prius, ἡ Πέτρα καλεῖται. unde & alii ab illo, apud Nazianzenum, Petræ ſunt. Οἱ δὲ τῇ Πέτρα, ait ille Orat. 28. τῆς Πέτρας ἐκείνης ἄξιοι, ἐφ' ἧς βεβήκαμεν, καὶ ᾗ λατρεύομεν, ὅσοι φιλοσόφῳ χρώμενοι λόγῳ, καὶ ὑπερβεβηκότες τὴν τῶν πολλῶν ταπεινότητα πάντα φέρουσιν ἀσείστως, καὶ ἀτινάκτως, καὶ διαγελῶσι μὲν ἢ ἐλεοῦσι τοὺς σειομένους: *Illi autem Petræ ſunt, digni illâ Petrâ ſuper quam conſiſtimus, cui famulamur, qui cum Philoſophico vivendi*

modo

modo uſi, vulgi humilitatem ſupergreſſi, omnino immoti & inconcuſſi toleramus, & vel ridemus vel plangimus excuſſas. Prærogativas igitur agnoſcimus Apoſtolorum quorundam. etiam vivo & vidente Jeſu Chriſto: & poſt ejuſdem Aſcenſionem. nam Galat. 2. 9. Jacobus, Cephas, & Johannes habentur *pro columnis.* Quod ad Patriam attinet, erant omnes Iſraëlitæ. nec Germi, nec advenæ. aut è vicinis gentibus electi. Omnes Galilæâ oriundi. nemo è Samariâ: è Judæâ nemo. undè *Viri Galilæi* appellantur, Act. 2. & de omnibus ibidem dicitur, *Nonne omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt?* remotiores ſcilicet à Jeruſalem: propinquiores diſperſioni Gentium. Nec prætermittenda illuſtriſſimi Baronii vera, acuta, & ad propoſitum ſpectans obſervatio de Galilæorum ἤθει, & diſpoſitione naturali, è Joſephi Commentariis obſervatio. *Pugnaces ſunt ab Infantiâ Galilæi: & omni tempore plurimum multitudine abundant: neque aut formido unquam viros, aut eorum regiones penuria, occupavit:* ἄλλον. Lib. 5. cap. 4. & non 2. ejus verba ſunt. Τηλικαῦται δὲ οὖσαι τὸ μέγεθος (nempè utraque Galilæa) καὶ τοσούτοις ἔθνεσιν ἀλλοφύλοις κεκυκλωμέναι (unde & *Galilæa Gentium* ſacris literis dicitur) πρὸς πᾶσαν ἀεὶ πολέμου πεῖραν ἀντέσχον. μάχιμοί τε γὰρ ἐκ νηπίων, καὶ πολλοὶ πάντοτε Γαλιλαῖοι. καὶ οὔτε δειλία ποτὲ τοὺς ἄνδρας, οὔτε λειπανδρία τὴν χώραν κατέσχεν. Hinc, addit Cardinalis, Petrum videas, ingentes ſumentem ſpiritus. ſolum adverſus cohortem militum intrepidum gladium evaginaſſe: ſervum principis Sacerdotum vulneraſſe, longèque his audaciora patraturum, niſi à Domino cohibitus fuiſſet.

Apoſtolorum Patria.

In Galileâ, Bethſaidâ oriebatur, & patrem habebat Jonam. 22 unde ipſe Barjonæ appellatur. non erat autem Bethſaida obſcurus viculus: ſed clara Galilææ civitas, quæ inter decem Decapolis principales civitates, recenſebatur. *ſita eſt,* ait Adrichomius, *juxta viam, quæ è Syriâ in Ægyptum ducit, in angulo Maris Galilææ: ubi ſe Mare ab Aquilone flectit contra Auſtrum. Habet & ſub ditione ſua vicum & deſertum, quæ ultra idem Mare jacent.* Videtur huc Dominus frequenter commeaſſe: & multa ibi ſigna & miracula edidiſſe. unde illa exprobratio & comminatio; *Væ tibi Corazin: Væ tibi Bethſaida. Quoniam ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in ſacco & cinere pænitentiam egiſſent, &c.* Hinc etiam orti Andreas, & Philippus; ille frater Simonis Petri, hic Andreæ familiaris. Qui non Hebraicâ aliquâ terminatione, ſed prorſus Græcâ origine ita vocabantur, ut Stephanus, Nicodemus, &c. Quatuor Apoſtolorum nomina Græca ſunt, Petrus, Andreas, Philippus, Bartholomæus. Cephas Syriacum eſt, reliqua Hebraïca. Simon, *Audientem ſignificat,* vel *Obedientem*; Jacobus, *Supplantatorem*; Johannes, *Gratiam*; Judas, *Confitentem*; Matthæus, *Donatum*; Thomas, *Gemellum*: unde & Græcè, Δίδυμος. Binomines erant, Simon Petrus, vel Barjona: & Simon Cananæus, vel Zelotes. qui illo oppido oriundus erat, cujus nominis notio ſpectabat eò. Ita Judas duplex; ſed unus, Simonis filius, Jacobi frater. alter, Judas Iſcariot, alterius etiam

Petrus unde.

Simonis

Simonis filius, qui vel à loco nativitatis *Iſch,Carah*,vir de Carioth nominabatur: quod ſignificat *abſciſſionem, exterminium.* vel *Iſch-Schacar*; vir qui ob mercedem aliquid facit. utroque modo, ἐπώνυμος erat; & male ominatâ voce vocabatur. Poſtremò, quod Tribum & cognationes in Iſrael attinebat,cenſuerim cum Baronio, fuiſſe omnes,de Tribubus Judâ, Zabulon,Nepthali,eos qui fratres Domini vocantur: & filios Zebedæi de Tribu Judâ: utcunque incolerent Galilæam. cæteros de reliquis duabus: niſi fortè Judas Proditor de Iſachar fuerit,cujus ſententiæ meminit Hieronymus. & huc non ineptè referri poſſunt,quæ Pſalmo 67 habentur. *Principes Iuda,duces eorum: Principes Zabulon,Principes Nepthalin.*

23 Hiſtoriæ conſequentia apud ſolum Lucam habetur, cap.6. *Deſcendens cum illis è Monte,ſtetit in loco Campeſtri, turbaque Diſcipulorum ejus, & multitudo copioſa plebis, ex omni Iudæâ & Ieruſalem, & à Maritimâ Tyro & Sidone, qui venerant ut audirent eum & ſanarentur à morbis.* Certè poſt Electionem,non ſtatim emiſit eos ad prædicandum Euangelium: ſed interjecto tempore, & plenius ſua doctrinâ informatos. Concio enim illa celebris, quæ per cap.5,6,7, apud Matthæum deſcribitur in Monte apud Apoſtolos electos habebatur, cujus concionis explicatio apud Interpretes quærenda,& Homiliarios. Chemnitius,Chriſti ipſius methodum ſecutus,in quaſdam pericopas concionem diſtribuit. quarum princeps habetur *de Beatitudinibus*; partim in cœlo, partim in hac vita, ſanctis, & Deum timentibus, communicatis quaſi pro mercede ipſorum bonis operibus redhoſtita. Ita enim ait, Pericopen concludens, *Quia merces veſtra magna eſt in cœlis.* Secunda eſt de Officio & Miniſterio Apoſtolico: ad formandos,& inſtituendos nuper electos Apoſtolos: quos & nobis, & ſuis ipſorum cogitationibus deſcriptos commendat, à triplici ſimilitudine, *Salis* nimirum, *Lucernæ*, & *Civitatis* in Monte ſitæ. Tertia continet Commentarium quendam in Legem Moyſis, & explicationem correctoriam Decalogi, contra nuperas, & ſuperinductas Scribarum & Phariſæorum,impias Traditiones: unde irritam & inanem Legem reddere,conabantur. Capita porrò corrupta, & per ipſum reformata, ſatis per ſe patent legenti textum cum attentione. Quarta pars bona opera adhibenda ſpectat: & quidem primum de dandis Eleemoſynis locum tractat: quem contra Phariſæorum & Scribarum Hypocriſin explicat. Qui dabant, ſed ut laudem inde ab hominibus reportarent. Hinc progreditur ad Orationem, quæ pars in reprehenſione & informatione verſatur. docet enim, Quid, Quomodo, & à quo precibus depoſcenda ſunt bona, deprecanda mala. unde nactus occaſionem,formam abſolutiſſimæ Orationis deſcribit,quam ab Authore,Orationem Dominicam nominamus. In iſtâ de Orando Deo pericopâ, inter alia Servator ait, προσευχόμενοι δὲ, μὴ βαττολογήσητε· ὥσπερ οἱ ἐθνικοί. Baronius obſervat, non hinc inferendum, quod reprehenderit Dominus prolixum Pſalmorum cantum. Nemo hoc Chriſtianus,mentis compos,affirmaverit.

Concio Chriſti in Monte.

Digitized by Google

:. de *Battologiâ*, Grammatici ſtatuunt, quoad vocis originem. ologi quoad rem ſubjectam. Neque enim, rectè cenſebat Auinus, ut nonnulli arbitrantur, *Orare in multiloquio eſt, ſi diutius* *ur*: ille βαττολογίαν, per multiloquium extulit, qui tamen opinor, e dicta fuit βαττολογία, intelligebat & derivanda. ſequebatur Auinus Jeſum Chriſtum: qui quaſi explicans quid intelligebat βαττολογίαν, ait, Δοκοῦσι γὰρ ὅτι ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν εἰσακουσθήσονται. fruſtra ur cum Baronio, vel Auguſtino φλυαρεῖν τινός. Non ſunt autem tologi, Bulengerus ait, qui nomen Jeſu iterant in Orationibus. rtè non ſunt agnoſco. Nomen enim Jeſu, nomen eſt *ſalutis* & *ricordiæ*: nomen *Amoris* & *Benevolentiæ*. Juvat, in eo, *uſque mo*-*i*, & *conferre gradum*. De cœlo deſcendit, in terram venit, Baculus iâ, Anchora ſacra, Mel in Ore, Melos in Aure, Jubilum in corde. *Battologia in Oratione*. im nomino Jeſum, hominem mihi propono mitem, humilem de, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, omni ſanctitate iſpicuum. Eum denique ipſum, Deum omnipotentem, qui ſuo exemplo ſanet & roboret adjutorio. Hæc omnia mihi ſimul iant, cum inſonuerit Jeſu. ita meditatur piè bonus Bernardus. t illi Athei per me, qui tam ſacro & ſancto nomine, tantum abit, ut capiantur, ut redintegratum aut tertiatum averſentur, inhorent, reſpuant eum, & è contemptu. Nec tamen minùs erunt perſtitioſi, qui ſine ſenſu, & judicio, labiis repetunt, non corde volvunt. qui ad certam menſuram, numerum, formam, quaſi macum quid demurmurant. qui ad clepſydram: ad globulos, ad atum omnem & inceſſum inaniter reboant, & nugatoriè. Μόνος ιοφιλής, μόνος εἰδὼς εὔξασθαι, inquit Hierocles Pythagoræus: id eſt, νος εὔξασθαι εἰδὼς ἐπιστάμενος, ut protulit Tyrius Maximus. Non vult rcumſcribi Spiritus ſancti gratia. modum non agnoſcit, & afctum remiſſum, Spiritus Divinitùs inflammatus; ut Ter, Quater, it etiam decies, nomen illud ſuaviſſimum recolendo, cordis exſcitet deſiderium. Centies repetatur, modò ἐκτόνως. Bis interum repetens, ſi labaſcat, frigeſcat, flacceſcat, affectio, Battologiam admittit & φλυαρεῖ. Cordis motu, non linguæ rotatu, leſideriorum conditio examinatur. Interdum orabant ſeriò, & ecundum Deum, neque tamen vox eorum audiebatur: quam λέξιν κεκρυμμένην appellat Sophocles: & tamen Deum, ſilentes ὠσπάτουν, & illud ἐμπόρευμα τῆς ψυχῆς, quod vocat Nazianzenus quantocius procurabant. Cum tamen apud alios turpe haberetur ea poſtulare, *Quæ, niſi ſeductis nequeas committere Divis*: Animus in procinctu conſtitutus, ſemper evigilet ad Deum ἀναβαίνων. *Quo pluries iterantur, quæ de Corde promuntur & affectu, efficaciùs ea Cœlum expugnant*, inquit Tertullianus. Piè & eruditè Auguſtinus. *Ac per hoc, etiam ipſi ſatis oſtendunt, hanc intentionem, ſicut non eſt obtundenda, ſi perdurare non poſſit; ita ſi perduraverit, non eſſe citò abrumpendam. Abſit enim ab Oratione, multa locutio, ſed non abſit multa precatio, ſi fervens intentio perſeveret. Nam multum Loqui, eſt in orando rem neceſſariam verbis ſuperfluis agere. Multum autem precari, eſt ad eum quem precamur, diuturnâ & piâ cordis excitatione pulſare*;

pulſare. Nam plerunque hoc negotium, plus gemitibus agitur quam ſermonibus : plus fletu quam affatu.

24 Proximum caput inſtructionem *de jejuniis* continet, quod & ipſum inter *bona opera* præcipuum, ſuis ἐθελοθρησκεύμασι Phariſæi corruperant. eam reformationem ſequitur ſeptima pericope, contra Avaritiam, diffidentiam, impiam habendi cupiditatem & ſolicitudinem. unde ad veras, certas, & æternas divitias, ad divinam in rebus providentiam declinat. Octavum caput concionis ſeu inſtructionis montanæ eſt, de non judicando temerario auſu, & de correptione fraterna adhibendâ. Decima, de arcta via ad cœlum ducente tractat : & portâ anguſtâ intromittente ad Paradiſum. His expeditis concionis partibus, concluſionem ſubjungit, in qua graviſſimè monet de falſis Prophetis devitandis : & eorum γνώρισμα, unde dignoſcantur, *Fructus* ſtatuit, à quibus ad communes auditorum cœtus tranſit, qui plerunq; hypocriſi laborabant. *Factum eſt autem, cum conſummaſſet Ieſus verba iſta, admirabantur turbæ, ſuper doctrina ejus. Erat enim docens eos, ſicut habens poteſtatem, & non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi.* Nam in circuitu erant turbæ.

25 Deſcendit de monte, finitâ concione Dominus : & ad urbes iterum iter direxit. *cum autem eſſet in unâ Civitatum*, ait Lucas, cap. 5. vir plenus leprâ, obviam ei factus, procidit in faciem, inquiens, *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Quæ ipſiſſima verba ab illo prolata, tres Euangeliſtæ retulere. Poteſtatem profitetur. de voluntate, non dubitat. ſed Chriſti voluntati, ſuum ſummittit deſyderium. optimâ, & ſecundum rectum fidem, ratione. *Multiplex adeuntis Chriſtum leproſi, & prudentia*, inquit Chryſoſtomus, & *Fides.* Prudentiam docet, Quod cum adeſſet, curſum doctrinæ non interrupit, importunâ interceſſione de curandâ leprâ. οὐδὲ ἔτεμε τὸ θέατρον, ἀλλ' ἀνέμεινε τὸν προσήκοντα καιρόν. Fidem docet, Quod acceſſerit, οὐχ ὡς ἔτυχεν, ἀλλὰ μετὰ πολλῆς τῆς θερμότητος. & in genua procidens exoravit : cum verâ fide : & congruâ de ipſo perſuaſione. Non enim dixit, ſi Deum rogaveris, aut precibus contenderis : ſed, *ſi vis, potes me mundare.* Neque dixit, Domine, Munda Me, ſed rem integram ipſius permiſit beneplacito. Καὶ Κύριον ποιεῖ τῆς διορθώσεως, καὶ τὴν ἐξουσίαν αὐτῷ μαρτυρεῖ ἅπασαν. reſpondet ex animo : & pro Poteſtate, *Volo, Mundare, Tetigit eum.* Tria ſunt omnia; Pietatis Clementia; Majeſtatis Potentia; Legis obſervatio. Nam Sacerdotes curaturi, vel de eo judicaturi, inſpiciebant & tangebant. Quocirca & remittit illum ad Sacerdotes : *Vade, & oſtende Te Sacerdoti : & offer pro emundatione tua ſicut præcepit Moyſes, in Teſtimonium illis.* Id enim Lege ſanciebatur, Levit. 13. Quod verò addit, *in Teſtimonium ipſis* : vel pro me : vel contra ipſos. *Vt ſit in Teſtimonium*, inquit Tertullianus, *ſine dubio, quo teſtabatur, ſe Legem non diſſolvere, ſed adimplere. quo teſtabatur, ſe eſſe qui morbos & valetudines eorum, ſuſcepturus, annuntiabatur.* & Origenes. Oſtendere ſe Sacerdoti jubetur leproſus, ut ipſe Sacerdos intelligeret per Divinam gratiam illum fuiſſe ſanatum. In Teſtimonium, contra ipſos, nimirum Sacerdotes. Εἰς κατηγορίαν, καὶ εἰς ἔλεγχον, Chryſoſt. ait. Eſt enim Prædicatio etiam

Lib. 4. c. Marc. 9.

verbi

:rbi εἰς κατάκρισιν, quò retulit illud, Matth. 24. 14. & certè conve-it. nam nihil inde boni Sacerdotes traxere. Et tamen προσηνῶς ἀδιαφο-ρῶντες μένοντας, οὐδὲ κτως ἀνέλειπον, ἀπὸ ποιεῖν ἐχθρῶν. vel etiam in teſtimonium ıobis: id eſt, ut inſinuaret, honorandos eſſe Sacerdotes. *Chriſtus* ·*nim*, inquit B. Cyprianus, Epiſt. 65. *uſque ad Paſſionis diem ſer-vavit honorem Pontificibus & Sacerdotibus, quamvis illi, nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſervarent. Nam cum leproſum emundaſſet, dixit illi; vade, & monſtra Te Sacerdoti, & Offer, &c.*

Hinc, de unâ nimirum, quæcunque illa fuerat civitatum digrediens Capernaum adiit, & ibidem Centurionis ſervum curat, paralyſi laborantem, pro quo inſtantius apud Jeſum Dominus interceſſerat. Centurionem illum, Judæum fuiſſe Hilarius putavit. Et certè nihil impedit quin in Romanorum caſtris Centuriones Judæi militarent. Sed hic obſtant Scripturæ, ne Judæum putemus. aiunt enim de illo Legati Judæorum ſeniores, *Diligit gentem noſtram.* non ita de indigenâ loquerentur. ait ipſe Chriſtus, *Amen dico vobis, nec in Iſrael talem fidem inveni.* Opponit ergo Centurionem Iſraelitæ. ſed narratio Matthæi & Lucæ videtur diſſentire. Lucas enim narrat, per Legatos ſeniores Judæorum interceſſiſſe, & ſecundâ vice per amicos ſalutaſſe. Matthæus narrat, acceſſiſſe ipſum. nec ſatisfacit Auguſtinus, Quod acceſſit, per internuntios, non ſemetipſum: nam diſertis verbis dicitur αὐτοπροσώπως illum adiiſſe. Rectiùs illi, qui imprimis ſeniores legaſſe putant. tum familiares & amicos. poſtremò, in occurſum veniſſe ipſum, & illa dixiſſe, quæ & laudat & admiratur Chriſtus. 26

Lucas poſt ſanatum Centurionis ſervum, digreſſum inde docet Jeſum, & peragrantem urbes Galileæ veniſſe ad civitatem vocatam Naim: idque factum poſtridiè docet, ἐν τῇ ἑξῆς poſt ſervum ſanatum Centurionis. *Naim verò*, ait Hieronymus, in de locis Hebraicis, *oppidum uſque hodiè, in ſecundo milliario Tabor montis oſtenditur, contra meridiem, juxta Endor.* Brochardus docet fuiſſe vicinam Nazareth: *à Nazaret*, inquiens, *duabus leucis: à monte Thabor, plus unâ leucâ, contra Auſtrum, eſt mons Hermon, minor, in cujus latere Aquilonari eſt urbs Naim.* Cum autem appropinquaret portæ civitatis, Eccè defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ, & hæc vidua erat, & turba civitatis multa cum illâ. Hanc hiſtoriam fuſius explicat Nyſſenus, de Hominis opificio, cap. 25. pag. 111, 112. nuperæ editionis, ubi tres in vitam revocatos à Domino ait, diverſarum ætatum. nam Jairi filia penè infans erat. Viduæ filius ephœbus. Lazarus ætatis perfectæ. & hic quidem quatriduanus mortuus & ſepultus. ille ad ſepulturam elatus. illa recens defuncta. τὸ μὲν θαῦμα μεῖζον.. τὸ δὲ πρᾶγμα ἴσον, in ſingulis. Eſt autem *efferre* vox ſepulchralis. Quia intra *urbes* olim ſepelire nefas, nedum *in Templis*, ut hodiè peſſimus mos invaluit. Erant ſepulchra extra urbes, juxta vias publicas, in ſuis fundis. Quæ loca ibi ſepulchris ſacrata, hæredes non ſequebantur: ſed de his aliàs. 27

pulſare. Nam plerunque hoc negotium, plus gemitibus agitur quam ſermonibus: plus fletu quam affatu.

24 Proximum caput inſtructionem *de jejuniis* continet, quod & ipſum inter *bona opera* præcipuum, ſuis παραδιορθώμασι Phariſæi corruperant. eam reformationem ſequitur ſeptima pericope, contra Avaritiam, diffidentiam, impiam habendi cupiditatem & ſolicitudinem. unde ad veras, certas, & æternas divitias, ad divinam in rebus providentiam declinat. Octavum caput concionis ſeu inſtructionis montanæ eſt, de non judicando temerario auſu, & de correptione fraternâ adhibendâ. Decima, de arcta via ad cœlum ducente tractat: & portâ anguſtâ intromittente ad Paradiſum. His expeditis concionis partibus, concluſionem ſubjungit, in qua graviſſimè monet de falſis Prophetis devitandis: & eorum γνώρισμα, unde dignoſcantur, *Fructus* ſtatuit, à quibus ad communes auditorum cœtus tranſit, qui plerunq; hypocriſi laborabant. *Factum eſt autem, cum conſummaſſet Ieſus verba iſta, admirabantur turbæ, ſuper doctrina ejus. Erat enim docens eos, ſicut habens poteſtatem, & non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi.* Nam in circuitu erant turbæ.

25 Deſcendit de monte, finitâ concione Dominus: & ad urbes iterum iter direxit. *cum autem eſſet in unâ Civitatum*, ait Lucas, cap. 5. vir plenus leprâ, obviam ei factus, procidit in faciem, inquiens, *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Quæ ipſiſſima verba ab illo prolata, tres Euangeliſtæ retulere. Poteſtatem profitetur, de voluntate, non dubitat. ſed Chriſti voluntati, ſuum ſummittit deſyderium. optimâ, & ſecundum rectum fidem, ratione. *Multiplex adeuntis Chriſtum leproſi, & prudentia*, inquit Chryſoſtomus, & *Fides.* Prudentiam docet, Quod cum adeſſet, curſum doctrinæ non interrupit, importunâ interceſſione de curandâ leprâ. οὐδὲ ἔτεμε τὸ θέατρον, ἀλλ' ἀνέμεινε τὸν προσήκοντα καιρόν. Fidem docet, Quod acceſſerit, οὐχ ὡς ἔτυχεν, ἀλλὰ μετὰ πολλῆς τῆς θερμότητος. & in genua procidens exoravit: cum verâ fide: & congruâ de ipſo perſuaſione. Non enim dixit, ſi Deum rogaveris, aut precibus contenderis: ſed, *ſi vis, potes me mundare.* Neque dixit, Domine, Munda Me, ſed rem integram ipſius permiſit beneplacito. Καὶ Κύριον ποιεῖται τῆς διορθώσεως, καὶ τὴν ἐξουσίαν αὐτῷ μαρτυρεῖ ἅπασαν. reſpondet ex animo: & pro Poteſtate, *Volo, Mundare, Tetigit eum.* Tria ſunt omnia; Pietatis Clementia; Majeſtatis Potentia; Legis obſervatio. Nam Sacerdotes curaturi, vel de eo judicaturi, inſpiciebant & tangebant. Quocirca & remittit illum ad Sacerdotes: *Vade, & oſtende Te Sacerdoti: & offer pro emundatione tua ſicut præcepit Moyſes, in Teſtimonium illis.* Id enim Lege ſanciebatur, Levit. 13. Quod verò addit, *in Teſtimonium ipſis*: vel pro me: vel contra ipſos. *Vt ſit in Teſtimonium*, inquit Tertullianus, *ſine dubio, quo teſtabatur, ſe Legem non diſſolvere, ſed adimplere. quo teſtabatur, ſe eſſe qui morbos & valetudines eorum, ſuſcepturus, annuntiabatur.* & Origenes. Oſtendere ſe Sacerdoti jubetur leproſus, ut ipſe Sacerdos intelligeret per Divinam gratiam illum fuiſſe ſanatum. In Teſtimonium, contra ipſos, nimirum Sacerdotes. Εἰς κατηγορίαν, καὶ εἰς ἔλεγχον, Chryſoſt. ait. Eſt enim Prædicatio etiam

Lib. 4. c. Marc. 9.

verbi

verbi εἰς κολάκευσιν, quò retulit illud, Matth. 24. 14. & certè convenit. nam nihil inde boni Sacerdotes traxere. Et tamen προσηκόντως ἀδιορθώτους μένοντας, εἰ δὲ καί πως ἀνέλειπτο, ἅπερ ποιεῖν ἐχρῆν. vel etiam in teſtimonium nobis: id eſt, ut inſinuaret, honorandos eſſe Sacerdotes. *Chriſtus enim*, inquit B. Cyprianus, Epiſt. 65. *uſque ad Paſſionis diem ſervavit honorem Pontificibus & Sacerdotibus, quamvis illi, nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſervarent. Nam cum leproſum emundaſſet, dixit illi, vade, & monſtra Te Sacerdoti, & Offer, &c.*

Hinc, de unâ nimirum, quæcunque illa fuerat civitatum digrediens Capernaum adiit, & ibidem Centurionis ſervum curat, paralyſi laborantem, pro quo inſtantius apud Jeſum Dominus intercеſſerat. Centurionem illum, Judæum fuiſſe Hilarius putavit. Et 26
certè nihil impedit quin in Romanorum caſtris Centuriones Judæi militarent. Sed hic obſtant Scripturæ, ne Judæum putemus. aiunt enim de illo Legati Judæorum ſeniores, *Diligit gentem noſtram.* non ita de indigenâ loquerentur. ait ipſe Chriſtus, *Amen dico vobis, nec in Iſrael talem fidem inveni.* Opponit ergo Centurionem Iſraelitæ. ſed narratio Matthæi & Lucæ videtur diſſentire. Lucas enim narrat, per Legatos ſeniores Judæorum interceſſiſſe, & ſecundâ vice per amicos ſalutaſſe. Matthæus narrat, acceſſiſſe ipſum. nec ſatisfacit Auguſtinus, Quod acceſſit, per internuntios, non ſemetipſum: nam diſertis verbis dicitur αὐτοπροσώπως illum adiiſſe. Rectiùs illi, qui imprimis ſeniores legaſſe putant. tum familiares & amicos. poſtremò, in occurſum veniſſe ipſum, & illa dixiſſe, quæ & laudat & admiratur Chriſtus.

Lucas poſt ſanatum Centurionis ſervum, digreſſum inde docet Jeſum, & peragrantem urbes Galileæ veniſſe ad civitatem vocatam Naim: idque factum poſtridiè docet, ἐν τῇ ἑξῆς poſt ſervum 27
ſanatum Centurionis. *Naim verò*, ait Hieronymus, in de locis Hebraicis, *oppidum uſque hodiè, in ſecundo milliario Tabor montis oſtenditur, contra meridiem, juxta Endor.* Brochardus docet fuiſſe vicinam Nazareth: *à Nazaret*, inquiens, *duabus leucis: à monte Thabor, plus unâ leucâ, contra Auſtrum, eſt mons Hermon, minor, in cujus latere Aquilonari eſt urbs Naim.* Cum autem appropinquaret portæ civitatis, Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ, & hæc vidua erat, & turba civitatis multa cum illâ. Hanc hiſtoriam fuſius explicat Nyſſenus, de Hominis opificio, cap. 25. pag. 111, 112. nuperæ editionis, ubi tres in vitam revocatos à Domino ait, diverſarum ætatum. nam Jairi filia penè infans erat. Viduæ filius ephœbus. Lazarus ætatis perfectæ. & hic quidem quatriduanus mortuus & ſepultus. ille ad ſepulturam elatus. illa recens defuncta. τὸ μὲν θαῦμα μεῖζον. τὸ δὲ πρᾶγμα ἴσον, in ſingulis. Eſt autem *efferre* vox ſepulchralis. Quia intra *urbes* olim ſepelire nefas, nedum *in Templis*, ut hodiè peſſimus mos invaluit. Erant ſepulchra extra urbes, juxta vias publicas, in ſuis fundis. Quæ loca ibi ſepulchris ſacrata, hæredes non ſequebantur: ſed de his aliàs.

28 Sequi videtur illa Hiſtoria, Matthæi 11, Lucæ 7 cap. relata, de Legatione à Johanne in vinculis detento ad Chriſtum: cujus occaſio commemoratur fuiſſe, quòd ipſius Diſcipuli, qui ad eum in carcerem conjectum adire non prohibebantur, magiſtro retulerant, illa magnalia quæ paſſim Dominus operabatur. Matthæus indefinitè ait Johannem in vinculis audiviſſe opera Chriſti. Lucas per quos auditum habebat, docet, *Nuntiaverunt Iohanni diſcipuli ejus, de omnibus his. Et Tum vocavit duos de diſcipulis Iohannes, & miſit ad Ieſum dicens, Tu es, qui venturus eſt, an alium expectamus?* Hæc Legatio, perplexos & dubios habuit olim patres, an Johannes revera ignoraverit, aut dubitaverit, an Jeſus Meſſias eſſet. Tertullianus, Lib. de Baptiſmo, cap. 10. Johannis Baptiſmum Chriſti ſubjiciens, inter cætera inquit. *Ergo non erat cæleſte, quod cæleſtia non exhibebat. quum ipſum, quod cæleſte in Iohanne fuerat, Prophetiæ ſpiritus, poſt totius ſpiritus in Dominum tranſlationem, uſque adeò defecerit, ut quem prædicaverat, quem advenientem deſignaverat, poſtmodum, an ipſe eſſet, miſerit ſciſcitatum.* Secundum ergo Tertullianum, verè, Ἐνδείη μάλα θυμός. &, contra Marcion. 4. cap. 18. *Sed ſcandalizatur Iohannes auditis virtutibus Chriſti, ut alterius. At ego rationem ſcandali prius expediam, quò facilius Hæretici ſcandalum explodam. Ipſo jam Domino virtutum ſermone & Spiritu Patris operante in terris & prædicante, neceſſe erat portionem Spiritus ſancti, quæ ex formâ Prophetici moduli in Iohanne egerat, præparaturam viarum Dominicarum, abſcedere jam ab Iohanne, redactam ſcilicet in Dominum, ut in Maſſalem ſuam ſummam.* Coarctat igitur Gratiam Spiritus ſancti effundendam, quaſi non poſſet & Chriſto & Johanni ſufficere, nec Chriſtum ſuperabundanter implere, niſi penitus Johanne evacuato. Ait enim præciſe, cap. 8. de Præſcript. *Iohannes de illo certus eſſe deſierat.* hoc ita perſequitur, loco quo ſupra, contra Mar. Itaque Johannes, communis jam homo & unus de turba, ſcandalizabatur quidem quà homo, ſed non, quà alium Chriſtum ſperans vel intelligens. Author Quæſtionum Juſtino aſcriptarum exiſtimat, Qu. 38. Johannem dubitaſſe, an quæ nuntiabantur miracula, à Chriſto facta eſſent, an ab alio Prophetâ. *Quoniam diverſi rumores,* inquit, *de miraculis Chriſti ſpargebantur, cum alii dicerent, Elias eſt, qui hæc facit: alii, Ieremias: quidam, Aliquis alius ex Prophetis. Audiens hos rumores Iohannes in carcere, mittit Diſcipulos ſuos, qui cognoſcerent, Num is, qui ſigna faciebat, is eſſet, cui ipſe Teſtimonium dixerat, an aliquis alius, qui à multis divulgaretur.* Gregorius, Hom. 6. in Euangel. putat Johannem dubitaſſe an Jeſus ad Inferos venturus eſſet. ſed erat Gregorio antiquior hæc ſententia. Nam Hieronymus, Ambroſius & alii in eâdem fuerunt. Chryſoſt. Hom. 36. in 11 Matth. meminit illius. Τί οὖν φασί τινες; ὅτι ἠγνόει Ἰωάννης; ἠγνόει δὲ, οὐ τὸ πᾶν, ἀλλ᾽ ὅτι μὲν αὐτὸς Χριςὸς ἦν ᾔδει, εἰ δὲ καὶ ὑπὲρ ἀνθρώπων ἔμελλε τελευτᾶν, οὐκ ᾔδει. Ideò interrogat, *Tune es qui venturus es?* hoc eſt, qui ad Inferos deſcenſurus es. ſed οὐκ ἂν ἔχοι τοῦτο λόγον, inquit. Nam nec iſtud Johannes ignorabat. Ideò enim *Agnum Dei* nominavit,

Legatio Iohannis ad Chriſtum.

navit, τὸν σταυρὸν ἀνακηρύττων. nam per Crucem tulit peccata mundi: probat Mortem non ignoraſſe, quia Reſurrectionem intelligebat. utrumque probat, Quia multi Prophetæ ſciebant utrumque: Johannes autem major omni Prophetâ fuit. Sed nec cum ſciret, profiteri audebat: Nam & hoc quoque allegabatur. οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνο ἂν ἔχοι τις εἰπεῖν, ὅτι ᾔδει μὲν σαφῶς· διὰ δὲ τὸ δυσπαράδεκτον δειλότερος γέγονε.

Communis ſententia, poſt Hilarium, Authorem operis imperfecti, Chryſoſtomum, & Cyrillum eſt, Johannem ipſum πεπληροφορημένον, Chriſtum agnoviſſe, & profeſſum eſſe: Diſcipulos verò ejus, uti ab initio invidos in Chriſti gloriam, ita tum quoque illi detrahentes, in dubio poſuiſſe, quiſnam eſſet Johannes: ut ſcrupulum omnem animis eximeret, ad ipſum Jeſum cum illa Quæſtione ablegavit, *Tu quis es?* quam olim ipſi baptizanti Scribæ propoſuerant & Sacerdotes. Chriſtus, qui ſcopum, mentem, & intentionem Johannis tenebat, ad illum collimando, non tam verbis quam factis reſpondet, *Renuntiate Iohanni, quæ audiſtis, & vidiſtis.* quaſi diceret, quod alibi apertè proferebat, *Operibus Credite.* Atque ita dimiſſos ad Johannem reverti jubet. Qui cum abiſſent, cœpit multa de Johanne prædicare: non coram diſcipulis: ne Laudatio, in ipſorum majus ſcandalum verteretur. 29

Subdit beatus Lucas præcedenti Narrationi, Hiſtoriam, de Chriſto domum ſuam invitato per Phariſæum quendam, & inſigni mulieris cujuſdam facto, inter epulas, quæ Chriſti pedes unguento pretioſo perluebat. Phariſæum illum Simonem nominatum conſtat. Ita enim compellat eum Jeſus. Cum verò in Hiſtoria Lazaritanâ apud B. Johannem, Chriſtus dicatur invitatus ad prandium per Simonem Leproſum, ut dicitur, ubi etiam mulier pari modo pedes ejus inunxerit, quæſitum eſt, an una & eadem narratio exiſtat; atque ita, an idem ubique ἑκατέρως Simon? an eadem Mulier: aut diverſa? Quâ de Quæſtione, planè Hiſtoricâ & Philologicâ, longum intertexit diſputationem Baronius, & quidem, acſi de fide ageretur, vehementiorem. Rectè illam Caſaubonus improbavit vehementiam. De re ipſâ, in utramque partem liberè ſentiendi facultatem aſtruit. Quanquam Cardinalis rem ipſam mitigare conatur, Sect. 17. eò quod, *Ex quo ſemel*, inquit, *polliciti ſumus Eccleſiaſticam tantum Hiſtoriam Annalibus noſtris intexere, ſed & omnes, quæ in iis reperiuntur difficultates pro viribus enodare, ex inſtituto cogimur, de antiqua quæſtione differere.* Et eſt certè quæſtio antiqua, olim agitata, & non ita pridem quoque redintegrata, de Mariâ, ſorore Lazari, Magdalenâ, an una eademque fœmina cenſenda. Perſtringit Baronius Jodocum Clictoveum, & Fabrum Stapulenſem, quaſi ἀπειρῶς in rebus Eccleſiaſticis authores: nam *Sixtos*, ſcilicet Empiricos, & *Pyrrhones* vocat. Meritò ſanè, ſi contra Eccleſiæ authoritatem ſtatuerint, aut contra fidem crediderint. Sacroſanctam enim Eccleſiæ, agnoſcimus, & fatemur authoritatem. ſed *Vniverſalis:* ſed ab ævo Apoſtolico. deindè, Authoritatem in Divinis, ac Fidem vel Mores Chriſtianorum, tangentibus. 30

De Mariâ inungente Christum, an Magdalenâ fuit.

Tertiò

Tertiò dogmaticè decernentis. Eccleſiam non nominat, quam deſignat Cardinalis. ſed patet quam intelligit, particularem Romanam. ſed & illa, hoc ipſum non determinavit, ſed hoc ſolum docet, laxè ſatis, quod in Feſto Mariæ Magdalenæ, ſentit ſororem Lazari fuiſſe Mariam Magdalenam peccatricem. ita ſenſit poſt Baronium & Jeſuita Barradas, qui & eam receptam nominavit. Diſputat autem Barradas ad hunc modum. niſi Maria Lazari fuiſſet illa Peccatrix Magdalena, non permitteret Sanctus Spiritus id ab Eccleſia propugnari. Non enim par erat, ut caſtiſſima fœmina, impudicitiæ notâ pollueretur. Ineptè, & imperitè. Quaſi non optimis & à Deo dilectiſſimis, maculæ multæ aſpergantur quas contraxere, in vita & conſuetudine Spiritu Sancto deſtituti, vel derelicti. Certè fœminam caſtitate inſignem, meretricis impudicitiis dehoneſtare, virum probum non decet, nedum αὐτοαλήθειαν Dei Spiritum. at τὴν σκάφην σκάφην appellare ejus eſt, qui vocat ea quæ ſunt, qualia ſunt, nec titulis ementitis gratiam conciliat immerentibus. Prædicat Eccleſia Davidem adulterio & homicidio commaculatum. cur non Eccleſia prædicet, caſtiſſimam fœminam, nimirum deinceps, impudicam interdum & meretricem fuiſſe?

31 Secundò, quam ille prædicat Eccleſiam, quis agnoſcet, qui vetuſtos Eccleſiæ proceres in contrariam ſententiam deſcendiſſe novit? Eccleſia oportet ut fuerit particularis: quæ nec eſt, nec erit columna veritatis. nec minus errare in iſtis Romana Eccleſia potuit, quàm Conſtantinopolitana, Antiochena, Anglicana. Eccleſiam venerebatur Baſilius Seleucienſis, inſignis ipſe olim in Eccleſia: Epiſcopus is tamen diſſentit ab Eccleſia Barradiana. οὐχ αὕτη ἦν, inquit, ἡ πόρνη, ἡ ἐν τῷ Ματθαίῳ, οὐδὲ ἡ ἐν τῷ Λουκᾷ. ἄλλη γὰρ αὕτη. ἐκεῖναι μὲν γὰρ πόρναι γυναῖκες ἦσαν, καὶ πολλῶν γέμουσαι κακῶν, αὕτη δὲ σεμνὴ καὶ σπουδαία. Chryſoſtomus, Homil. 80. in Matth. Lazari ſororem diſertim diſtinguit ab hac muliere: & tamen ille ſentiebat cum Eccleſia, ſaltem non contra Eccleſiam. Ἡ γυνὴ αὕτη δοκεῖ μὲν εἶναι μία καὶ ἡ αὐτὴ παρὰ τοῖς Εὐαγγελισταῖς ἅπασιν. οὐκ ἔστι δέ. ἀλλὰ παρὰ μὲν τοῖς τρισὶ, μία τις εἶναι μοι δοκεῖ καὶ ἡ αὐτή. παρὰ δὲ τῷ Ἰωάννῃ, οὐκ ἔτι, ἀλλ' ἑτέρα τις. ἡ θαυμαστὴ Λαζάρου ἀδελφή. *Mulier iſta videtur una & eadem eſſe, quæ apud omnes Evangeliſtas memoratur. At non eſt ita. Eadem quidem apud tres mihi videtur eſſe: at quæ apud Iohannem habetur, non eſt illa, ſed alia. nempè admirabilis illa Lazari ſoror.* Et Hom. 62. in Johannem, ad illud Joh. 11. 2. *Erat Maria quæ Chriſtum unguento proluebat*, ait, Πρῶτον μὲν ἐκεῖνο ἀναγκαῖον μαθεῖν, ὅτι οὐχ αὕτη ἐστὶν ἡ πόρνη, ἡ ἐν τῷ Ματθαίῳ, οὐδὲ ἡ ἐν τῷ Λουκᾷ. ἄλλη γὰρ αὕτη. ἐκεῖναι μὲν γὰρ πόρναι τινὲς ἦσαν, καὶ πολλῶν γέμουσαι κακῶν. αὕτη δὲ σεμνὴ καὶ σπουδαία. Hunc ſequuntur ſequiores Græci, Theophylactus & Euthymius: & anteriores viam monſtrarunt. Origenes, Tract. 35. in Matth. quem agnoſcit ita ſenſiſſe Cardinalis: ſed reſpondet, maturiori eum ætate & judicio, ſententiam retractaſſe. verum rectè occurrit Exercitator: falſum eſſe quod ponitur à Baronio. nam Commentarii in Matthæum, à ſene pro-

Patrum ea de re ſententia.

ſecta ſunt, illa *Homilia* celebris & ſingularis de Magdalenâ, à juvene habebatur, quod verum eſt. ſi ergo mutavit ſententiam, à Baronianâ defecit, eâ quam prius amplectebatur, & poſtquam roboraverat ætas, mentem animumque, adhæſit illi quam rejicit Baronius. Secundò reſpondet, & rectè etiam, Exercitator, Homiliam illam rhetoricantis & laſcivientis ingenii ἐκκύημα eſſe, Commentarios autem δογματικῶς & δεικτικῶς: quibus potius fidendum, quam tropologiis & figuris. Ante Origenem Clemens Diatactes, Lib. 3. cap. 6. ait, *Erant nobiſcum mater Domini, & ſorores ejus præterea Maria Magdalena, & Maria, Iacobi, & Martha, & Maria ſoror Lazari, & Salome.* Apertè diſtinguit, ſororem Lazari, à Maria Magdalena. Cujus teſtimonii preſſuram ut declinaret Cardinalis, in Hæreticorum quos appellare ſolet, & Novatorum caſtra confugit, & Clementem authorem negat. Librum Apocryphum, Titulum ψευδεπίγραφον, miſerum κρησφύγετον, & vanum. Quod nos alicubi, nempè in Hiſtoria decimali, difflamus. ſed collidantur inter ſe interim Baronius & ſocii: negantes & affirmantes, de eodem. Inter Latinos, Auguſtinus dubitat, Tract. 49. in Johan. *Ecce ipſa ſoror Lazari, ſi tamen ipſa eſt quæ pedes Domini unxit unguento, & terſit capillis ſuis, quos laverat lachrymis melius ſuſcitata eſt, quam frater ejus: de magnâ malæ conſuetudinis mole liberata.* Ambroſius item, fatente Cardinali. *Ambroſius non dubitat,* inquit Sect. 21. *quin eadem ſit quæ unxit pedes & caput in Bethaniâ, an verò eadem fuerit illa peccatrix affirmare non audet.* Itaque de præcipua quæſtione dubitat: nec cum Baronianâ Eccleſiâ facit. Hieronymus ad Chryſoſtomum accedit, contra quem Cardinalis ſtatuit. ait enim in 26 Matth. *Nemo putet eandem eſſe fœminam, quæ ſuper caput effudit unguentum, & quæ ſuper pedes. Illa enim & lachrymis lavat, & crine tergit, & manifeſtè meretrix appellatur. de hac autem nihil tale ſcriptum eſt.* Sed omnes omnium conjecturas, ipſa nomina, & ἀναφορᾶ ſuperant. Erat enim Judeæ Incola ſoror Lazari. Bethaniæ cum fratre habitabat: quæ proximè Hieroſolymas, in monte Oliveti locabatur. at altera illa, de Galilæâ erat, à Magdalo caſtello nominata. *Situm erat,* inquit Adrichomius, *in litore Maris Galileæ, & ab Aquilone ac Occidente magnam habet planitiem. vocatum autem Magdalum, à turribus & munitionibus, quibus magnifice erat munitum.* Hæc ille, in Tribu Zabulon.

Sed ἄλις δρυός. Bulengerus in hac Diatribâ, ſui ſimilis eſt. *Tædet,* 32
ait, *ſe in illis de unguentis immorari.* Et tamen quantus quantus eſt, totus eſt rapſodus & compilator. quid erat, ſi tædebat, cur homo leviſſimus in illam deſcenderet Provinciam *de unguentis,* ordinandam? Non erat opus omnino: cum nuſquam abeat Diatriba ab Exercitationibus. & quæ in illa proferuntur, omnia ſunt protrita, ut non ulla magis λεωφόρος pedibus ambulantium conculcata. Quod ſi Exercitationes pauca perſequuntur, perſequitur Diatriba adhuc pauciora. & quæ perſequitur, ut de *Nardo piſtico,* ab adverſario

ſubtecta

ſubtecta fateatur oportet. Quam illud puerile, nec ingerendum? *Multa ſunt in Annalibus laude digna.* Nam quis unquam vel invidus vel effrons, hoc negaverit? non diffitetur doctiſſimus Caſaubonus, ſed an ideò omnia, in *arce reponenda?* an nihil *ſcuticâ dignum*, vel Orbilio? At omittit adverſarius laude digna, εὐήθως, & hoc, nec non pueriliter. Nam quis paſſim Encomia aut Panegyres expectet à profeſſo adverſario? In genere laudaverat, nec illud parcè, in particulari quoque non unâ vice.

33 De *vaſe Alabaſtrino*, Bulengerus exſcriptor eſt Exercitatoris. Legantur enim apud illum omnia, quæ plagiarius transfudit in Diatribam. De vaſculo, quod Suidas habet, non eſt Quæſtio, ſed quid Baronius è Suidâ in Annales retulit. Verba Suidæ ſunt, de Conſtantino. Κάτωθεν τοῦ φόρου βίκιον μύρου, ᾧ ἠλείψατο ὁ Χριστὸς, καὶ πολλὰ ἕτερα σημειοφορικὰ, τεθέντα παρὰ μὲν Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου, ἀφανισθέντα δὲ ὑπὸ τοῦ μεγάλου Θεοδοσίου. In quibus Duo docet Suidas, Conſtantinum imprimis illud vaſculum, aut urceolum Alabaſtrinum repoſuiſſe: Theodoſium verò è medio ſuſtuliſſe. Vaſculum ait: non fragmentum vaſculi, non partem aliquam, ſed illud ipſum vas, quo fuerat uſa illa quæcunque fuit, mulier. At integrum fuiſſe non ſcribit, ais. Imò quis aliter Suidam interpretari poteſt? Nam niſi integrum volebat intelligi, non dixiſſet βίκιον, ſed κλάσμα, κέρμα, fruſtum potius aut fragmentum βικίου. Cum *crucem* profertis Chriſti: partem ne dicitis & ramentum? cum Pauli *Cingulum*: an ſciſſuram cinguli? Quid igitur opus ita λεπτολογεῖν, de Parte Crucis, de fragmine præſepis? Suidas vas integrum intelligebat opinor. Nam cum eſſet ſcriptor non magni judicii in coacervandis cumulatim undiquaque occupatior, quam in diſponendo coacervata exactior, oblitus erat Euangeliſtam dixiſſe vas à Muliere illâ contractum, ſed credidit, effuſo unguento integrum & illæſum, ad Conſtantini ætatem conſervatum, ſcilicet id alicubi apud fabularum rapſodum aliquem Suidas legerat. Suidam Baronius ſequutus eſt: & dum feſtinat, errans errantem, & incautior ex affectu præpoſtero in reliquias ſacras, & ſic turpiſſimè lapſus eſt, circa literam Euangelii. In ſecundo loco, forſitan non hallucinatur ex incogitantiâ, ſed deditâ operâ, & ſponte in errorem involavit, ut Lectores incautos ſimul ſecum involveret. Ait enim Theodoſium illud vaſculum in locum repoſuiſſe honeſtiorem. at hoc falſum, ait ἀφανισθέντα. Diatriptes, cum puderet in præjudicium Baronii, hoc pronunciare, diſſimulavit. fatetur ἀφανισθέντα ſignificare, quod dicebat Caſaubonus, è medio tollere. Vocem illam à Suidâ uſurpatam agnoſcit: neque tamen vult agnoſcere errare Cardinalem qui vocem interpretatur, *Sublatum inde, & in locum repoſitum honeſtiorem.*

34 *Nunc autem Euangelicam hiſtoriam*, inquit Cardinalis, *perſequamur*. eam autem intelligit, quam ſuggerit Marcus, cap. 3. *Et venit ad domum, & convenit iterum turba, ita ut non poſſent, neque panem manducare. Et cum audiſſent ſui, exierunt tenere eum. Dicebant enim quoniam in furorem verſus eſt.* Græcè habetur, οἱ παρ' αὐτοῦ. Qui erant apud

ipſum.

ipſum. Syricus Interpres, *Audierunt patrueles ejus :* id eſt, *affines*, & *conſanguinei illius :* abſentes nimirum : non præſentes Diſcipuli : veriti, ne quid ipſi è nimio labore, contentione, & defatigatione mali accideret. Nimirum, ex affectu, licet præpoſtero, nec intelligentes, in Chriſtum id curabant, veriti ne non ſuffecturus eſſet, ſed ſuccumberet Labori, cum viderent, non eſſe ſpatium ipſi conceſſum refocillandi ſe : aut, ut loquitur Scriptura, *panem comedendi*. Neque enim concedere poſſum in ſententiam Theophylacti, Eos exiſtimaſſe Chriſtum Dæmone agitari. *Audientes*, inquit, *quod Dæmonia ejiceret, & morbos ſanaret, præ invidiâ opinabantur, quod Dæmonium haberet, & furioſus eſſet : undè volebant comprehendere eum, ut eum tanquam Dæmoniacum ligarent.* Improbat hanc expoſitionem Barradius. & rectè. Euthymium ſequor, qui Compilator tantum eſt, non αὐτουργὸς. is commemorat ſibi Lectum alicubi, ne ſit novum, nuper natum, & inauditum, *Exierunt tenere*, id eſt, adjuvare. *Dicebant enim, quia diſſolutus eſt, à vigore ſui corporis; præ nimio labore.*

Quidam certè dicebant, Luc. 11. *Habuiſſe Dæmonium :* quando in Belzebub, Principe Dæmoniorum, ejiceret Dæmonia. ſed erant illi, non οἱ παρ' αὐτοῦ, ſed οἱ κατ' αὐτὸν Scribæ, quod docet Marcus, qui ab Hieroſolymis deſcenderant. Matthæus Phariſæos nominat : Utrique nimirum, Fratres in malo. Dicebant autem, non in os, aut publicè, ſed tacitis apud animum cogitationibus ; ait enim Matthæus : *Ieſus ſciens cogitationes eorum, dixit; Omne regnum diviſum, &c.* cui conſentit & Lucas. cui blaſphemiæ occaſionem dedit, quod Dæmonem mutum ex homine ejiciebat, quod multiplici admiratione, à circumſtante multitudine excipiebatur. Dæmonem porrò, non unum aliquem è trivio aut turba, ſed Belzebub, Principem omnium adſcribunt. Princeps autem dupliciter dici poteſt : vel quod inter homines Principatum teneat : unde Paulus, Archonta appellat, regnantem in aëre, & in filiis inobedientiæ. vel etiam quod inter Dæmonas exerceat Principatum, Poteſtatem, Tyrannidem. Nam & naturæ : & dotium : & affectionum, differentiæ, gradus, diverſitates inter Dæmonas poſt lapſum, ut inter Angelos, ante lapſum, obtinebant. Vulgo Luciferum Principem appellant : nimirum ab illo fulgore quo primigenio florebat : aut quo, dum caderet, Comitatus fuerat, Teſtimonium Servatore perhibente. Belzebub alio nomine dicitur, quaſi *Dominus Muſcarum.* Baal enim Dominus eſt : & Idolis, hoc eſt, Dæmonibus frequens nomen in Scripturis. *Zebub*, ſignificat Muſcam ; vel, quia, ne Moleſtæ eſſent Muſcæ, invocabatur ut eas abigeret : Unde Græcis, Jupiter eſt ἀπόμυιος, & μυίαγρος, & μυιώδης. quæ derivatio, ut obtineret apud Iſraelitas, nec Barradio placet, neque mihi. vel quod in Dæmonum aris, & victimis Muſcæ abundent. vel quod Dæmones ipſi, victimarum

35

Princeps Dæmoniorum.

ſanguini, imprimis hoſtiarum humanarum, inhiarent ut Muſcæ. vel quod ut Muſcæ imprudenter etiam abacti, ſubinde revolent. quod ipſe Chriſtus in ſequentibus indicat, ubi de Dæmone reduci ad domum mundatam, agit. vel propter libidinem & luxuriem: unde & meretrices *Muſcæ* vocabantur. *Zeb* enim, ſeminis profluvium ſignificare aiunt. vel poſtremò, quòd ſub formâ Muſcæ colebatur, unde unde illa opinio, de Dæmoniorum Principe Belzebubo, apud Judæos invaluerat, in ejus clientelam nequiſſimi mortalium Servatorem compingunt; dum in Principe Dæmoniorum, Dæmonas ejicere contendunt. Cui calumniator validiſſimam opponit ἀντίῤῥησιν. Imprimis fieri non poſſe, ut ita eſſet. Non enim in ſuam ipſius perniciem, ἐχ ὕτω τετύφωται αὐτὸς γε, ille tam inconſideratè prorueret: cum nimirum neceſſe ſit, quod & uſu & naturâ ita comparatur, ut omne regnum in ſe diviſum in ruinam tendat. Quod ſi Satan Satanam exturbat, proculdubiò diviſus eſt οἰκόθεν, οἴκαδε. Secundò, Non adeò mirum videri debere, ſi in digito Dei, hoc eſt, per Divinam potentiam ejiciat Dæmonas, cum id idem præſtent ipſorum filii, Exorciſtæ, vel alii eâ poteſtate utentes. Neque enim de Apoſtolis intellexiſſe putem. Tertiò per ſimilitudinem, de forte armato domum cuſtodiente, & illo fortiori ſubveniente. Et expellente, idem docet: ſe eſſe illum fortiorem, quia in digito Dei operabatur. id quod αὐτοκατάκριτοι, non poſſent diffiteri: inde in illam deſcendit diſſertationem *de peccato in Spiritum ſanctum irremiſſibili:* quo obſtrictos teneri ipſos docet: & ſimul inſinuat, peccatum illud, non aliud eſſe, quam quo Phariſæi & Scribæ, in hâc ipſâ blaſphemiâ, tenebantur. De qua multa, curioſè, & à propoſito aliena diſputantur.

36 Sequentia habentur apud beatum Lucam, cap. 11. de *quærentibus ſignum*. cujus occaſio narratur apud Matth. *Reſponderunt ei quidam de Scribis & Phariſæis dicentes, Magiſter, volumus à Te ſignum videre.* Importunè, & ridiculè. quaſi non jam plurima videntes, increduli, & poſtremò blaſphemi perſtarent. Opinantur petiiſſe ſignum de cœlo. & certè. ita beatus Lucas αὐτολεξεί. *Volebant*, inquit Hieronymus, *in morem Heliæ ignem de ſublimi venire. vel in ſimilitudinem Samuelis, tempore æſtivo, contra naturam loci, mugire tonitrua, coruſcare fulmina, imbres ruere.* Non ſatisfacit eorum præpoſteræ voluntati. nam Divina illa omnipotentia famulari non debet, aut obſecundari, humanæ curioſitati. Itaque ſignum non dat de cœlo. ſed nec toto tempore diſpenſationis ſuæ. Ita enim aſſeverat, *Signum non dabitur:* hoc eſt, quale petebant. alioquin enim, multa deinceps dabantur. unicum autem, ſed ἓν μέγα *de cœlo:* verum in fine συγκαταβάσεως, non intellectum, neglectum, contemptum ab iis, τὸ μεγαλεῖον illud Θεοῦ, à mortuis reſurrectionem: undè, ut Apoſtolus loquitur, Potenter declarabatur filius Dei. Hoc vocat *ſignum Ionæ Prophetæ*, & rationem reddit. Quia ſicut Jonas tres dies & tres noctes in *ventre Ceti* fuerat, ita & ipſe, Filius hominis, tam diu in corde terræ conſiſteret: & ſicut Propheta, expleto illo tempore vivus valenſque in terram projectus,

Digitized by Google

projectus, quaſi revixit, ad eundem modum & ipſe reſuſcitatus, ambularet corám Domino in terrà viventium. Hanc porrò Judæorum improbitatem, & incredulitatem acrius inſectatus, ἀνεκτότερον futurum ait Paganis in die judicii, quam ipſis. pluribus enim plagis lacerabitur, qui voluntatem Domini cum ſciret, non fecit tamen. Eoſque juſtiſſimè Diaboli poteſtati permiſſos ait, qui volentes ſe illi tradidere. quod parabolicè confirmat, de Dæmone ejecto, & iterum in antiquam habitationem recepto.

Factum eſt autem dum hæc diceret, ait Lucas, *extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi, Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.* Quaſi rapta in ectaſin, & extra ſe poſita, ut adimpleretur illud, *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.* Mirum eſt Cardinalem non retuliſſe, quam habet Lyra Traditionem, fuiſſe hanc mulierem Marcellam dictam Marthæ, ſororis Lazari famulam. Neoterici Tyriam origine faciunt. Adrichomius in Tribu Aſer, Num. 85. *Hoc loco, ab Orientali Tyri portà, quàm procul arcus bis jacere poteſt, magnus in medio arenæ, oſtenditur Lapis, ſuper quem, Chriſtum ſediſſe ac prædicaſſe aſſerunt; ubi mulier quædam extollens vocem de turbà, Domino dixit, Beatus venter &c. Qui quidem Lapis, in honorem Domini, nunquam arenâ ſeu pulvere aut nive tegi dicitur, quamvis aſſiduo quodam ventorum afflatu arena ibi agitetur.* Sed hæc antiquis incognita, ut ἀδέσποτα, incerta, fabuloſa habeantur per me. Mulieris autem εὐφημούσῃ reſpondet Jeſus, *Quinimo beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Non negat, quod pronunciavit illa: præfert autem quod majus erat. *Beatior enim fuit Maria percipiendo fidem Chriſti, quam concipiendo carnem Chriſti,* ait Auguſtinus. 37

Mulier fœlicem Chriſti Matrem prædicans.

Jam verò, coram quam nominabat illa mulier, adeſt. *Adhuc enim eo loquente*, ait Matthæus, ita ordinem annectit ἀναντιῤῥήτως, *Ecce mater ejus, & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei.* non aſſentior Chryſoſtomo, qui *Conſidera*, ait, *tam matris quam fratrum importunitatem.* Nam cum debuerint intrare, aut cum turbis ſimul audire, aut ſaltem expectare foris ſermonis finem, atque ita demum accedere, ambitione quâdam ac oſtentatione commoti, foris eum in præſentia omnium evocaverunt, ut viderentur facilè, ac magnâ cum poteſtate Chriſto imperare. Hoc ille pronunciat, quia Marcus ait, *Miſerunt ad eum, vocantes eum:* eundem cum illo errorem errat Theophylactus. Auctor imperfecti operis adhuc longius progreditur: *Videns*, inquit, *Diabolus quia perſuadebat populis Chriſtus ſe eſſe Filium Dei, dicens, Ecce, plus quàm Ionas hic, & plus quam Salomon, timuit, ne ſi Dei filius agnoſceretur, Ille, qui putabatur homo, ipſe derelinquatur ab omnibus: ad convincendos ſermones ejus, ſubintroduxit parentes ejus carnales, ut per illorum contemplationem Divinitatis ejus obſcuraret naturam.* Quaſi Dæmone impellente, veniſſet Mater. Audacter, & profanè. Accedere poterant ob multas cauſſas honeſtas, neceſſarias, cum pietate conjunctas. Una, & fortaſſis præcipua erat, quam ex Euangeliſtis attigimus, ex amore, ut parceret ſibi, 38

Beata virgo taxatur à Chryſoſtomo minus rectè.

nec continuo labore defatigatus, labaſceret, & deficeret. Ita humanitus quid paſſi ſunt: at nihil improbi. ut nec ille Nuntius, qui de adventu Illum fecit certiorem. Non omittendum, quod Tertullianus, Lib. de carne Chriſti, cap. 7. notat, *Synagogam hac hiſtoriâ repræſentatam.* Figura eſt Synagogæ, in Matre *abjunctâ*: & Judæorum, in *fratribus.* foris erat in illis Iſrael. Diſcipuli autem *novi*, intus audientes & credentes, & cohærentes Chriſto, Eccleſiam *delineabant.* Hunc ſequitur Hilarius, Can. 12. Quia Chriſtus in ſua venit, & ſui eum non receperunt; in Matre ejus ac fratribus, Synagoga & Iſraëlitæ præfigurantur, ingreſſu ejus atque aditu abſtinentes.

39 Ordinem conſequentiæ conſignat Matthæus, cap. 13. *In illo enim die*, quo nimirum præcedentia relata narrabantur, *exiens Ieſus de domo, ſedebat ſecus Mare: & congregatæ ſunt ad illum turbæ multæ:* quibus cum premeretur, in litore naviculam conſcendens eos docebat. Sed non ut ſolebat, verum in parabolis. in quibus multa locutus dicitur, juxta illud vatis regii, *Aperiam in parabolis os meum.* Plurimas autem colligunt Euangeliſtæ, *de ſeminatore, Zizaniis* ſuperſeminatis, *de grano ſinapis, fermento, theſauro, margarita, ſagena.* Harum explicationes perſequuntur interpretes, imprimis Salmeron, opere parabolis peculiariter deſtinato. Inter turbas, quæ illum ſequebantur, & quæ præſentes Concionibus interfuerant, Lucas nominatim quaſdam mulieres recenſet, qui Neceſſaria, ipſi de facultatibus miniſtrabant. *Erant autem Maria Magdalene, è qua ſeptem dæmonia ejecerat, & Ioanna, uxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ, curatæ à ſpiritibus malignis & variis infirmitatibus.*

40 Factum eſt autem, cum conſummaſſet Jeſus parabolas iſtas, tranſiit inde. ita Matthæus, ἐν τῷ βαδίζων. Marcus & Lucas, alio loco ſequentem hiſtoriam narrant de profectione in Nazaretham patriam ſuam: nimirum, ubi altus ſuccrevit, & educationem ſortiebatur, Bethleemi in lucem editus. Veniens Nazaretham, docebat eos in Synagogis, ſed non cum fructu, ſcandalizabantur enim in eo, & contemptim de eo loquuntur. *Nonne hic eſt Fabri filius? ipſe Faber? Nonne Mater ejus dicitur Maria? Vnde ergo hinc omnia iſta?* Ob hanc ipſorum incredulitatem, non poterat ibi ullam virtutem facere. abiit ergo relinquens eos. Lucas addit, ſed fortaſſis alio tempore geſtum, *Surrexerunt, & ejecerunt eum extra Civitatem:* nec illud tantum, ſed, duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem Civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat. *Eſt autem*, inquit Brochardus, *extra Nazareth, contra Auſtrum, quantum jacere poteſt arcus quater, locus dictus, Saltus Domini, ubi Iudæi tentaverunt Chriſtum præcipitare, ſed exiens de manibus eorum, ſtatim inventus eſt in latere montis oppoſiti ad jactum arcus, & oculo videntur clariſſimè corporis illius lineamenta ac veſtigia lapidi impreſſa.* Credat autem, qui non vult eò peregrinationem inſtituere: nam Lyra, quod & inſinuat Cardinalis, Bedam hujus fabulæ authorem mentitur.

41 Dum autem circuibat Civitates & Caſtella, animadvertit populum,

lum, & indoluit, tanquam Oves diſperſas ſine Paſtore. Quocircà convocatis duodecim Diſcipulis, quos ſpeciatim elegerat, ut cum ipſo eſſent, nam cæteri, qui in Diſcipulis numerabantur, interdum ad res ſuas inſpiciendas curandaſque domum commeabant: quod non faciebant duodecim poſt electionem, & ſeparationem, ſed perpetui comites ei adhærebant. Hoſce itaque *binos & binos*, mittendos ad prædicandum, convocat, præceptis informat, poteſtate inſtruit, & aptos idoneoſque ad munus injunctum obeundum emittit. Hiſtoriam fuſius enarrat Matthæus ipſe de eorum numero. Marcus & Lucas conſtringunt magis. Miſſionis τὰ κεφάλαια rectè conſummat Baronius, Sect. 31. Nulla rerum temporalium voluit eos ſollicitudine prægravari. Multa admonuit quæ ſervare debebant. Nonnulla, quæ ipſis obventura, prædixit. Et, ut inſignis belli Dux, ad fortitudinem excitat. Quæ omnia quidem, non ſecus ac magnanimi ac generoſi milites, illi abeuntes præſtiterunt. Atque ita ſecundum annum, ſed qua authoritate fultus, concludit. Ego perſequor, & Johannis Baptiſtæ cædem in hunc annum conjicio, paulò ante tempus Paſchale. Rectè autem colligit Barradius, Narratur enim Matth. 14. Chriſtum ubi accepiſſet nuntium de Baptiſtæ interitu, diſceſſiſſe in deſertum locum. Illum verò diſceſſum patet è 6. Johannis, paulò ante Paſcha contigiſſe.

Hiſtoriam Johannis decollati, Lucas & Marcus per occaſionem narrant. Matthæus, directè, & ex inſtituto. Cum ob cauſſam ſuperius memoratam, Johannem in vincula conjeciſſet Herodes, 42
utcunque libenter illum de medio ſuſtuliſſet, non audebat tamen, timuit enim populum, quia ſicut Prophetam illum habebant. Cum verò natalem diem celebraret Herodes ſuum, & convivium, de more, principibus, tribunis, & primis Galileæ invitatis, lautum exhiberet; Herodiadis, quam à fratre abduxerat, filia, ſaltavit, & adeò placuit Herodi, ut cum juramento proteſtaretur, daturum ſe quicquid illa peteret, quæ, conſultâ prius matre, caput Johannis Baptiſtæ diſco ſibi allatum donari petiit. Triſtabatur Herodes, veritus nimirum ſeditionem: quia tamen juraverat, dari juſſit: miſſoque carnifice, decollavit, & ſaltatrici puellæ dedit. Corpus Diſcipuli tumulo mandarunt.

Diem natalitium ſolebant ſollennem & feſtum imprimis celebrare, quo primum in haſce luminis oras prodierunt, τὰ γενέθλια 43 *Natalitia He-*
τοῦ Αὐγούστου ὁ Ἰουλ., ὁ Ἀντώνιος τοῖς στρατηγῶν, καὶ ἱπποδρομίᾳ, καὶ σφαγαῖς θηρίων ἑώρτασε. *rodis.*
Quæ autem per illam ſollennitatem peragi ſolebant, inſinuat beatus Maximus Taurinorum Epiſcopus Serm. in Vigil. Natalis Domini. *Lætitia quanta ſit, quantuſque concurſus, cum Imperatoris Mundi iſtius Natalis celebrandus ſit, bene noſtis: Quemadmodum Duces, ac Principes ejus omnes etiam militantes accurati ſericis veſtibus, operoſis cingulis accincti, auro fulgente pretioſis, ambiant ſolito nitidius in conſpectu Regis incedere.* Tum in ſequentibus & alia perſequitur, huc ſpectantia. *Quia in die Natalis ſui ſciunt eum largum futurum, ac donaturum plurima vel miniſtris ſuis, vel his, qui in domo ejus abjecti putantur &*

viles,

viles, tantâ prius theſauros ejus divitiarum varietate replere feſtinant, ut in quantum erogare voluerit, in tantum prærogatio copioſa, non deſit: & ante voluntas donandi deficiat, quàm ſubſtantia largiendi. Hæc autem ideò ſollicitè faciunt, quia majorem ſibi remunerationem pro hac ſollicitudine ſperant futuram. Tangit autem veram cauſſam gaudii iſtius publici, & ſollennitatis Natalitiorum, adulationem ſcilicet, inde ortam, quod favorem illius Megiſtanis, cui benè ſolent ominari, & precari fœliciter, ſoleant cauponando ad hunc modum aucupari. Conſuetudo frequentiſſima, in Hiſtoriis veterum, quâ tamen vix ulli è ſanctis inveniuntur uſi, in Scripturis. *Nemo, ex omnibus Sanctis invenitur*, ait Origenes peremptoriè, in cap. 12. Levit. *diem Feſtum vel convivium egiſſe magnum, in die Natalis ſui. Nemo invenitur habuiſſe lætitiam, in Natali filii vel filiæ ſuæ. Soli peccatores, ſuper hujuſmodi Nativitate lætantur. Invenimus enim Pharaonem, diem Natalis ſui cum feſtivitate celebrantem. invenimus & Herodem. ſancti autem tantum abſunt qui agant feſtivitatem, ut etiam illum* (nempè Natalem) *interdum execrentur. Nam dies Natalis, inducit infantes in turbulentum vitæ iſtius pelagus, ubi Draco latibulum ſuum poſuit.* unde apud Tragicum legimus.

Ἐχρῆν γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
Τὸν ζῶντα θρηνεῖν, εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά.

Invenimus celebraſſe Natalem diem Pharaonem Ethnicum & Dei neſcium, Herodem item ſemipaganum: qui præter externam Circumciſionem, nihil prorſus Judaïcum habebat, ſed omnia communia cum profanis, & cum gentibus à Deo alienis.

44 De Herode autem intelligi hæc debent Antipâ, qui in Galilæa obtinebat Tetrarchiam, & erat prioris illius Infanticidæ filius. Ipſe autem vivus, per ſe celebrabat Natalem illum diem, non autem eo mortuo aut relegato, in ipſius memoriam Judæi, vel Galilæi. *Herodis Natalitia.* Sed nec illius, quem Herodem in Scripturis ſacris, Act. 12. apud alios, proprio nomine Agrippam ſcimus nominatum, licet de illo, ſed perperam planè, hoc intellexerit Cardinalis. Ille Herodes cujus diem celebratum memorat Perſius, primus erat, Aſcalonita, Infanticida, Antipatri filius, Princeps illius nominis & familiæ: tum etiam longè cæteris omnibus Herodibus clarior & illuſtrior, quem, quod diximus, pro Meſſiâ quidam, & vivum & mortuum recolebant. cujus Natales quotannis, quaſi ſodalitate initâ celebrabant, de qua Perſius,

Herodis venere dies, unctaque feneſtræ
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Secundus autem ille, dictus Antipas, homo erat nullius rei, nullius bonæ frugis, nulli charus. Tertius, certè famâ celebris & nominatiſſimus, ſed nec erat ille ultimus in Judæa Rex, nec eſt ratio illa firma, apud Cardinalem, *Quo tempore Perſius claruit.* imò parum eſt, Non firma: falſiſſima eſt. Non enim claruit illo tempore Perſius, ſed erat puer, vix duodennis, cum Agrippa in vivis eſſe deſineret.

Obiit

Obiit enim anno quarto Claudii Cæſaris,quod notatum Euſebio in Chronicis. Natus erat Perſius Baronio recitante ex Euſebio, anno 21 Tiberiano,L. Vitellio Nepote,ac Q. Fabio Perſico Conſ. Atque ita certum eſt,poſt extinctum aliquandiu Agrippam, Satyras ne attigiſſe Perſium. Quod ſi autem cenſuit vir illuſtris,ob eam cauſſam Herodem illum Agrippam deſignari, quod vivo illi Principi, & cum Imperio conſtituto, Perſius hunc honorem habere voluit; errat certè errorem graviſſimum, & conſtringit arctius quam coarctari deſiderant, adulatorum & ſectatorum φιλοτιμίαν. Non erat autem Agrippa,ultimus Judæorum Rex,ſi Euſebium ſequamur. ait enim de hoc Agrippa, *Poſtquam filius ſuus Agrippa ſubſtituitur à Claudio in regnum.*

At non eſt ita verum de regno. Habebat certè in animo Claudius Cæſar regnum patris in filium conferre. πέμπειν μὲν δὴ εὐθέως ὥρμητο τὸν νεώτερον Ἀγρίππαν τὴν βασιλείαν διαδεξόμενον, ſed à præpotentibus Libertis ſuis, qui ad libitum Principi parum firmo, & prudenti, dominabantur, immutatâ ſententiâ, non dedit. Falſum ergo, ſtatim miſſum in regni poſſeſſionem. Falſum,ad annum Chriſti 8. Mortuo enim Chalcidis Rege, deſignatus erat ſucceſſor. & anno 13. ejuſdem Claudii acceſſit ad cumulum eidem Philippi tunc defuncti, Tetrarchia, Batanæa, Trachonitis, & Abylene. Hic cum tot obtineret Tetrarchias, licet minimè ſucceſſor paterni regni, aut Jeroſolymitarum Rex, non ineptè tamen dici poterat *Vltimus Iudæorum Rex.* potius ita dici,quàm Agrippa pater. Ultimus verò an non ultimus fuerit, parum refert: erratum eſt, & non leviter, ab erudito viro, qui ad alium aliquem Herodem Perſianum illud dictum referebat,quàm Infanticidam illum, qui Romanorum Beneficiarius, nominis illius, & familiæ Princeps, regnabat inter Judæos. 45

Sequitur in Baronio, Sect. 3. ἁμάρτημα μνημονικόν. quem lapſum non exagitamus: notamus tantum, ut famam & exiſtimationem integram & illibatam ſervaremus T. Quinctio Flaminino,viro ſanctiſſimo, & ſummo per ſua ſæcula civi Romano, cum nulla tempora virtutum eſſent feraciora. L. autem Flamininus fuit, T. Quinctii frater,quem etiam perperam Flaminium indigitat,qui Flamininus fuit,qui Placentiæ, cum Proconſul eſſet, captivum, in vinculis detentum,ad infamis ſcorti voluntatem, juſſit decollari. ob quod facinus immane, barbarum, & Romanis moribus indignum, ſenatu motus eſt,per Valerium Flaccum,& Porcium Catonem Cenſores. ſed & illud etiam Memoriæ lapſus eſt, quod ſequitur Sect. 4. ubi ait Baronius, Herodis Antipæ exercitum, fuſum à Parthis fugatumque dici per Joſephum. ſed falſum eſt. Nihil enim negotii cum Parthis, Antipæ fuit, ſed Herodi Infanticidæ. Antipæ negotium erat, cum Aretâ Rege Arabum, quem appellat Joſephus,non Παρθυαίων, ſed Πετραίων βασιλέα. Error fortè è vicinitate nominum. Addit autem ille, Rem adeo indignè tuliſſe Tiberium, Herodi bellum intuliſſe Aretam Arabem, ut ſcripſerit ad Syriæ 46 *Baronii memoriæ duplex lapſus.*

Præſidem

Digitized by Google

Præſidem Vitellium, Aretam, vel vivum, vel mortuum ad ſe tranſmitteret. Hoc non ſcriberet de Parthorum Rege Tiberius, niſi vellet ſe ridendum propinare. Verum eſt, Joſephum aliam attuliſſe cauſſam necis Baptiſtæ, ſed diverſam tamen, non contrariam illi ab Euangeliſtis recitatæ. interiorem & immediatam magis, cum beati ſcriptores ad illam intenderent, quæ tegendo timori Regio prætendebatur. *Cum ad Iohannem magni concurſus fierent*, loquitur Joſephus, Lib. 18. Antiq. cap. 10. *Herodes veritus, ne tanta hominis authoritas defectionem aliquam populi pararet, judicavit ſatius eſſe priuſquam novi aliquid appareret, illum tollere è medio.* Utraque cauſſa vera potuit eſſe. Quippini? cum de aliis facinoribus teſtante beato Lucâ, Johannes Herodem reprehenderet, præter illud, de nuptiis inceſtis, cum uxore fratris. Non exprimitur hæc cauſſa ab Euangeliſtâ. ſed Baronius inde nihil lucrabitur. Nam quoties illud legimus in Annalibus, *Non omnia fuiſſe ſcripta in Euangeliis.* Non legitur in Scripturis, Phariſæis cooperantibus; aut ex malitiâ Scribarum, & juriſperitorum Johannem ab Herode in carcerem conjectum, & capite poſtremo plexum. Multi tamen & magni nominis Interpretes, nec Hæretici vel Novatores, illam ſententiam approbarunt. Lyranus, putà aliquis Dionyſius è Carthuſia, Cajetanus, Janſenius.. Sed quæritur hic, ut ubique ferè, quod minimè decuit Annales, Joſephi calumniandi occaſio per Baronium: qui ſi narrationem illam ſuſpectam volebat reddere, & fidem Hiſtoriæ elevare, aliud objeciſſet, in quo calamum & linguam exerceret. Scribit enim Judæus Hiſtoricus, loco quo ſuprà, vel cap. 7. ut habet Græca editio, Καὶ ὁ μὲν ὑποψίᾳ τῇ Ἡρώδου δέσμιος εἰς τὸν Μαχαιροῦντα πεμφθεὶς, τὸ προειρημένον φρούριον, ταύτῃ κτίννυται. *Et ille quidem, propter Herodis ſuſpicionem in vincula conjectus mittitur Macharuntem, caſtrum cujus nuper mentionem feci, & ibidem interimitur.* Erat verò caſtrum illud, μεθόριον τῆς τε Ἀρέτα καὶ Ἡρώδου ἀρχῆς, In confinio ſitum, quaſi intermedium quoddam propugnaculum, imperii & ditionis Aretæ, & Herodis, non longè à mare mortuo ſemotum. cum tamen Johannes decollatus fuerit, quod ex Euangelio apparet, in Galilæâ, ubi convivium illud apparabat Herodes, & in quod, nondum diſſolutum, diſco impoſitum, ſacrum illud caput, per ſpiculatorem inferebatur. Non potuit autem carnifex è convivio mitti Machæruntem, & caput in convivio repræſentare. ſed fieri potuit ut eò primum miſſus, in propinquiora demum tranſlatus fuerit. utcunque, multo potiorem materiam hinc Baronius invehendi in Joſephum habuiſſet.

47 *Iohannis defuncti corpus.* De defuncti Johannis corpore, Quæſtio ventilatur inter Annales & Exercitationes. ſcilicet, an ſcripſerit Hieronymus, Baptiſtæ corpus ſublatum, ut dicitur, à diſcipulis, Sebaſtæ fuerit ſepultum. Verba ſunt Hieronymi citata Bulengero. *Atque inde divertens, vidit duodecim Patriarcharum ſepulchra, & Sebaſten, id eſt, Samariam, quæ in honorem Auguſti Græco ſermone, Sebaſte, Auguſta nominatur. ibi ſunt Helizæus & Abdias Prophetæ, & quo major inter natos mulierum non fuit, Iohannes Baptiſta.* Ait ibi eſſe, non Ibi ſepultum.

Ibi,

Digitized by Google

Ibi, per ætatem ſuam cum Paula illa, de qua loquitur, Terram ſanctam peragraret. non affirmat, ibi depoſitum per Diſcipulos, quod Hieronymo imponit Cardinalis. Ibi autem *eſſe*, & ibi *ſepeliri* non debent idem tinnire apud eos, ubi corpora defunctorum loco mota in alium ſubinde inſerri ſolent. Evincam pari modo Heliſæum Prophetam ibi ſepultum, per ſervum ſuum Gehezi: aut filium Shunamitidis, Jonam Prophetam, ut quidam volunt, quem in vitam reduxit. idque ab Hieronymi authoritate. Nam & illum ait *Ibi poſitum*. Ergo & per eoſdem aut alios Curatores, ibi erat poſitus. Aſt Diſcipuli, illum loco motum Sebaſten deinceps tranſtulerunt. fortaſſis. & tamen hoc non ponit Hieronymus. ſed hæc leviora. Illud fortaſſis non item, quod Sect. 8. habet Cardinalis ubi ſatis confidenter recenſet inter cauſſas ignorati Jeſu Chriſti per Herodem hanc, quod quo tempore fungeretur miniſterio ſuo Jeſus, miraculis celeberrimus: per Judæam (ſed & Galilæam etiam) Herodes domo abfuerat bello Arabico implicitus. Ubi inſignem quandam advertit Caſaubonus ἀνιστορησίαν cum conſtet, Arabicum illud bellum ne quidem inceptum ad annum Tiberii 18. quo tamen anno Jeſus Chriſtus in crucem actus, à Baronio commemoratur. addit ad πάρεργα inſigniendum Bulengerus, Herodem illud bellum, quandocunque geſtum, per Legatos abſentem geſſiſſe, itaque fateri debuit, Annaliſtam manifeſtè lapſum. ſed nec Bernardus vidit omnia. ſequitur in quo Caſaubonum excuſare non poſſum. Feſtinans credo, certè temerè & falſò, pronunciavit, poſuiſſe Baronium, veluti rem certam, Marcum ex iis unum fuiſſe, qui propter myſticum ſermonem de *carne comedendâ* offenſi, dicuntur à Chriſti contubernio receſſiſſe. Verum hoc non affirmat Cardinalis. tantum ait, *Tradi Marcum ex iis unum fuiſſe*. Tradi autem, per Epiphanium, & fortaſſis alios. Hoc πάρεργα, non advertit Bulengerus. ſi enim advertiſſet, quas non Tragœdias daret? ſed erat, opinor, in procinctu, accinctus, & equos expectans phaleratos, ad iter in Italiam conficiendum.

Baronii ἀνιστορησία.

Nicephoro cur fides adhibeatur, rationes video, cur detrahatur 48
nullas, de Capite Johannis minimè ſepulto cum corpore, id nimirum prohibente Herodiade. ita enim ſolent, occiſorum Capita, palis affixa, & longurionibus, in pontibus & arcibus, milvis & corvis eſcam, exponere. Ipſa, inquit, Johannis reprehenſionem verita, conjungere id rurſus reliquo corpore timens, apud ſe, remotis arbitris, in abſtruſiore Regiæ loco ſepeliendum duxit: nec abludit mulieris petulantia, ab hâc inurenda, ut putabat, defuncto calumniâ, cum referat Hieronymus, contra Rufinum, illam, ubi caput ad ipſam apportabatur, linguam illam qua ſe læſam arbitrabatur, extractam, acu diſcriminali, ut paulo prius, in Hiſtoriâ Romanâ, M. Antonii uxor Fulvia, Ciceronis linguam, abſciſſo item capite, perforaſſe. *Nec magnopere glorieris*, Hieronymus ait, *ſi facias, quod faciunt Scorpiones atque Cantharides. Fecerunt hoc, & Fulvia in Ciceronem: & Herodias in Iohannem, quia veritatem non poterant audire.*

Caput Baptiſtæ.

linguam veriloquam diſcriminali acu confoderunt. Iſta petulans, laſciva, & crudelis furia, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, orta de funeſta & impiâ Herodis Infanticidæ familiâ, quem vitæ exitum tandem habuerit, Herodem in exilium, quem deſerere nolebat, comitata, ex antiquioribus opinor Hiſtoricis fide dignis Nicephorus refert, Lib. 1. cap. 20. *Furibunda ſed enim, & adultera, inceſtaque adeo illa, quæ quidem Herodis habebatur, revera autem erat Philippi conjux, vitâ longius actâ, cum prius filiam ſaltatricem acerbo fato ſublatam vidiſſet, deinde ipſa quoque diſceſſit, futuri ſæculi judicio & ſupplicio reſervata, meras ibi quàm citiſſimè Divinæ iræ faces, intolerabiliſque indignationis Domini calicem hauſtura. Filiæ autem ejus, dignus qui memoriæ mandetur, talis erat obitus. Eundum ei quodam brumali tempore erat, & fluvius trajiciendus, qui cum glacie conſtrictus eſſet, pedes eum tranſire voluit. glacie autem ruptâ, idque non ſine Dei numine, demergitur illa ſtatim capite tenus, & inferioribus corporis partibus laſciviens, molliuſque ſe movens, ſaltat, non jam in terra ſed in undis. caput verò ſceleſtum, frigore & glacie concretum, deinde etiam convulneratum, & à reliquo corpore, non ferro, ſed glaciei cruſtis reſectum in glacie ipſa ſaltationem læthalem exhibet, ſpectaculoque ejus omnibus præbito, in memoriam, ea quæ fecerat, ſpectantibus revocat.* Ita ut rectè Poëta,

Herodiadis exitus.

Οξὺ δὲ πανδαμάτωρ λόξῳ ἴδεν οἷον ἔρηξαν
Ομματι, νηλείης ὀλοφώϊον ἔργον Ερινύς.

Apollon. Rhod. pag. 197.

49 Interfecto ad hunc modum Baptiſtâ, ſtimulis, ut videtur Conſcientiæ exagitabatur Herodes. Nam, *Prima eſt hæc ultio, quod ſe judice, nemo nocens abſolvitur.* Nam ubi famam de Domini Jeſu miraculis, & vitæ inſtituto accepit, dicebat, *Hic eſt Iohannes Baptiſta. Ipſe ſurrexit à mortuis: & ideo virtutes operantur in eo.* Quiſquis erat ille doctus interpres, apud Barradium, rectè reſpondebat, Johannem Baptiſtam, non ita diu, poſtquam Chriſtus cepit Galilæam peragrare, & miracula edere, in carcere fuiſſe decollatum. id enim, ex hâc Hiſtoriâ liquet. Nam fieri non poterat, ut tam ſero Herodes, niſi domo abſuerat, quod certè falſum eſt, de Chriſti miraculis, tot, tantis, tam propinquis, non niſi poſt annum & ſemeſtrem, fortè biennium inaudiret. Nec Chryſoſtomus perſuadet in contrarium, ῥητορεύων, quaſi id eſſet magnatibus familiare. Οὐκ ἐν προοιμίοις ἔμαθε τὰ κατ' αὐτὸν, ἀλλὰ μετὰ χρόνον ἄπειρον, inquit ille. τοιοῦτοι γὰρ οἱ ἐν δυναστείαις, καὶ πολὺν τὸν ὄγκον περιβεβλημένοι. ὀψὲ ταῦτα μανθάνουσι, διὰ τὸ μὴ πολὺν αὐτῶν ποιεῖσθαι λόγον. Fateor, ὀψὲ, & agnoſco ὄγκον, & τῦφον. ſed non tam ſero. non tantum, ut in vicino, tantum non, in ipſâ Regiâ tanta miracula quotidiè perpetrata, minimè per biennium ferè acceperit. Credat Judæus Apella. Citius ergo, quam vulgo opinantur, Johannes in carcere decollabatur. Nec tantum è conſcientia, de reſuſcitato Baptiſta ſibi ſomnia fingebat, verum etiam è communi Phariſæorum & ſemipaganorum diſciplinâ: qui μετεμψύχωσιν & μετενσωμάτωσιν, de qua re diximus in Apparatu, impiè fingebant. *Veriſimilius* illud

Iohannes quando decollatus.

Digitized by Google

illud Maldonati, quod Barradio videtur, mihi non ſic videtur, anteferendum ſententiæ Cajetani & Janſenii, qui ad tranſanimationis opinionem illam Herodis ſententiam rectè retulere.

Accepto de Baptiſtæ exitu nuntio, Matthæus ſolus addit quid egerit Jeſus, cap. 14. *Ceſſit inde per naviculam, in locum deſertum.* Cujus ſeceſſionis cauſſam, non metum Herodis, ſed aliam inſinuat Marcus: ut Apoſtoli, qui de legatione reverſi fuerant, interquieſcere poſſent, & apud ipſum, à turbis proſequentibus liberum, ſucceſſum itineris & prædicationis exponerent. *Venite*, inquit, *in deſertum locum, & requieſcite paululum.* Cæteras non moror, ut probabiles excogitatas, non ut certas. dicitur autem deſertus ille locus, in quem ſecedebat, apud Lucam, cap. 9. *Bethſaidæ:* hoc eſt, ad illam Civitatem ſpectaſſè, deſertum locum, quæ erat Patria Philippi, Petri, & Andreæ Apoſtolorum. In quod non una huc tantum vice dicitur ſecediſſe. Adrichomius, cap. 69. in deſcriptione Tribus Nepthalim: *Mons Chriſti, ſic dictus, quod in eò Chriſtus ſolitus ſit Orare, & Prædicare; abeſt à Capernaum Tribus milliaribus: non procul à mari Galilææ. Hic divinâ Oratione integras noctes Chriſtus traxit: hic duodecim Apoſtolos elegit: hic inſigni Sermone de Beatitudinibus & Euangelicis perfectionibus diſſeruit.* Sunt qui Chriſtum in hoc quoque monte, quinque panibus & duobus piſcibus quinque hominum millia ſatiaſſe ſentiunt: ideoque locum hunc, Chriſti & Apoſtolorum *menſam* vocant. Quod tamen ultra mare Galilææ factum eſſe, ex Matthæi, Marci, & Johannis Euangelio manifeſtè patet, qui ſcribunt, Dominum mare cum Apoſtolis trajeciſſe; atque peracto hoc miraculo, Apoſtolos rurſus idem mare tranſnavigaſſe. 50

Sed diu latere vel in ſecreto repoſitorio conſiſtere non potuit. Nam ſecutæ ſunt eum paſſim, etiam pedeſtres turbarum copiæ. Pontibus enim aliquibus in locis jungebatur Jordanis. Tiberiade fuiſſe pontem ponitur in confeſſo. at Joh. 6. dicitur, *Abiiſſe trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis.* Non ergo erat longè à Tiberiade, ubi per pontem turbæ pedeſtres tranſire poterant, quâ illum ſequebantur. Ubi congregatæ advenerant, docebat illos, & ſanabat. Veſpere autem facto, rogant Diſcipuli, ut dimitteret turbas, ut euntes in caſtella compararent ſibi Eſcas. Quibus reſpondet, imo vos potius date ut comedant. replicant Diſcipuli, ſibi non eſſe in peris panes quæ ſufficerent. Interrogat, quot eſſent: reſpondent *Quinque.* Sed hæc per Johannem explicatius narrantur: narrat is, Dominum de dimittendâ conventum multitudine, dixiſſe ad Philippum, qui erat Bethſaidenſis, & ei reſponderat, *unde ememus panes, ut manducent hi?* Date comedere. Quaſi diceret, Tu qui hanc urbem probè noſti, abi & compara nobis inde panes, reſpondet Philippus, non eſſe ſe emendo. Ducentorum enim denariorum panes, non ſufficient ut unuſquiſq; modicũ ſumat. aſtans Andreas ſuggerit, eſt puer unus hic, fortè aliquis eorum, qui ſolebat eſculenta afferre; qui habet panes quinq; hordeaceos, & duos piſces. hoc audito, juſſit ut facerent homines diſcumbere. Qui numero circiter 5000 diſcubuere. 51

diſcumbebant autem per cohortes: Quinquageni ſimul συνέστοι quaſi & ὁμοτράπεζοι. Quo obſervato ordine, panibus & piſcibus in manus acceptis, benedixit, & dedit Diſcipulis, ut apponerent. Multiplicatis autem panibus & piſcibus, abundè ſatisfactum eſt comedonibus, & duodecim cophini fragmentorum ſublati. Illuſtre miraculum. quodque ita in animis ipſorum operabatur, ut de Meſſiâ ſubierit cogitatio, & haberent in animo, eum in regem ſublevandi, quod cum ſciret ille καρδιογνώστης, abiit iterum in montem ſolitarius, ſed prius dimiſſâ turbâ, & præmiſſis per naviculam Diſcipulis in alteram ripam, cujus rei narratio hæc ſequitur.

52 Cum abiiſſent turbæ: non omnes, ſed plerique; Diſcipulos invitos juſſit navem aſcendere. *compulit* enim eos, inquit Matthæus, *ut præcederent*, trans fretum ad Bethſaïdam. Quibus, uti juſſerat, profectis, ſolus in montem Oraturus ſeceſſit: manſit autem uſque dum Diſcipuli qui navem conſcenderant, quaſi 25, aut 30 ſtadia curſu confecerant. cum ſubito magna ventorum vis fluctibus ita inſurgeret, ut jam jam aquis haurienda putaretur navis. Jeſus intereà, finitâ Oratione, ambulans ſuper aquas propè navem conſpectus, quaſi phantaſmatis ſpeciem præ ſe ferens, videbatur tranſire voluiſſe. Quo viſo magis perturbati & terrefacti exclamarunt. Ille autem bono eſſe animo jubet. *Ego enim*, & non ſpiritus, aut phantaſma, *ſum*. Quo audito, valdè gaviſi ſunt: & Petrus, ſemper ex amore & zelo in magiſtrum θερμῶς, quaſi extra ſe poſitus, dixit, *Domine, ſi tu ſis, jube me venire ad Te*, ſummè confidens. permiſit Dominus, & reſpondet, *veni*. Ille πληροφορηθεὶς deſcendit de navi, & ambulabat ſuper aquas, ſed paululum progreſſus, timere cepit, & continuò καταποντίζεται. Fide tamen, etſi labefactatâ, non excuſſâ, vel deficiente, ad Jeſum converſus, ait, Κύριε, σῶσόν με. Ita inter humanam fragilitatem, & Divinam confidentiam incedimus ἀμφοτερίζοντες. Extenta manu apprehendit eum Chriſtus & ſervat. Non enim deficit in dubiis Divina providentia. καθάπερ νεοττὸν περὶ χειρῶν, inquit Chryſoſtomus Hom. 50. in Matth. Τῆς καλιᾶς προελθόντα καὶ μέλλοντα καταπίπτειν, ἡ μήτηρ ταῖς πτέρυξι διαβαστάσασα πάλιν ἐπὶ τὴν καλιὰν ἄγει, οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς ἐποίησε.

53 Erat autem navis, & hoc etiam miraculoſè, ſtatim ad terram, in Geneſarethæ regione, ubi olim cum Dæmoniacum Legione Dæmonum liberaſſet rogabant, ut de gente recederet. Hoc loco, ſequenti die, turba, quos pridiè panibus paverat, eum adeunt. Rem & Hiſtoriam totam accuratè, ſoluſque ex Euangeliſtis Johannes refert, cap. 6. Antecedentia, concomitantia, conſequentia complexus: habitam illam ad turbas de pane vero, cœleſti, duraturo, concionem, quæ & ipſas, & etiam è Diſcipulis ipſius aliquos, ita offendit, ut animis in illum eſſent utrique exaſperatis: ut illi voluerint occidere: ex iſtis quidam retro abierint, nec ulterius cum eo verſarentur.

54 Pavit, ut expoſitum eſt apud Euangeliſtas, Dominus quinque panibus, & duobus piſcibus, hominum quinque millia, ultra mare Tiberiadis. Venit deinde in terram Geneſar, quæ cis mare Occiden-

tale

Digitized by Google

tale fuit. Allatis ad ſe undecunque ægrotis ſanitatem contulit, ſermonemque habuit illum Joh. 6. commemoratum. Poſthæc, ut ordinem diſponit Matthæus, Phariſæi & Scribæ qui deſcenderant Hieroſolymis, Diſcipulos, quod manibus illotis cibum ſumerent, taxant. Illis poſtquàm ſatisfeciſſet, & Diſcipulis pro, apologiam interpoſuiſſet, in partes ſeceſſit Tyri & Sidonis, ubi à filiâ Cananeæ fœminæ Dæmonem expulit. Cùm verò de finibus Tyri per Sidonem ad mare Galileæ veniſſet, inter medios terminos Decapoleos regionis, oblatum ſibi hominem mutum ſurdumque à Dæmone poſſeſſum liberat. Denique cum ad locum mari propinquum veniſſet, in montem conſcendit, hominumque quatuor millium turbam, ſeptem panibus paucíſque piſciculis ſatiavit. Ita ſequentes hiſtorias diſponit Auguſtinus, à quo cur recedamus cauſſam nullam videmus. Hiſce autem expeditis, hunc annum Servatoris terminabimus.

Qui calumniam ſtruunt de violata Traditione Seniorum, in non lavandis manibus ante cibum, dicuntur veniſſe in Galilæam ab Hieroſolymis. vel quod Galilæam incolerent, & Hieroſolymas, ad ſua munera obeunda ſtatis temporibus, irent: vel quod Hieroſolymitani ortu, in Galilæam, prout animus vel occaſiones ferebant, venerant. Erant ubi Cananeæ diſperſi Scribæ & Phariſæi. Illi ut docerent in Synagogis populum: Iſti quod hæreſis paſſim erat diffuſa & propagata. Præcipua autem ſedes erant Hieroſolymæ, urbs Metropolis: & qui verſabantur eâdem, honoratiores plerunque habebantur, & majorem obtinebant authoritatem. Loci enim dignitas plerunque incolentibus animos addit. Videri etiam volebant magis rigidi obſervatores Traditionum avitarum, & ſeveriores Cenſores violatarum, ideò involant in Chriſtum γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur Traditionem Seniorum? Non enim lavant manus, cum panem manducant.* Multum lotionibus utebantur Judæi. multum ſanctitatis adſcribebant lavacris: de quibus diximus in Apparatu. nec tantum antè cibum lavabant, ſed & inter comedendum repetitis utebantur. & hunc morem videtur Matthæus inſinuaſſe, qui rem effert, Non, *antequam panem comedunt*: ſed, *Cum panem manducant*: hoc eſt, inter comedendum. utrumque reprehendunt. iſtud potius: cum illud de conſuetudine & more gentis, hoc dimanaverit à Seniorum Traditione. Eóque magis, quod Marcus habet, Niſi crebro laverint manus, non manducant. repetito nimirum ſubinde lavacro. Græcè habetur πυγμῇ. Reſpondet Chriſtus per recriminationem. *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter Traditiones veſtras?* Quam accuſationem probat per inſtantiam de *Corban*, &c. qua de, Interpretes Conſulendi. ſecundò reſpondet ad oppoſitum. Nihil magni per illam Traditionem inſinuari; cum pollutæ manus, non polluant hominis conſcientiam. 55

Rejectis Scribis & Phariſæis, egreſſus inde ſeceſſit in fines Tyri ac Sidonis. urbes erant maritimæ: in ſorte quidem Tribus Nepthalim: 56

thalim: Sed non ſubactæ: Verum Gentibus perpetuò habitatæ. hic domum quandam ingreſſus ut ſe reficeret, ſtudioſè id agebat, ut lateret, ſed non potuit. Accedentes ergo non rejecit. ὥσπερ γὰρ τὸ μὴ δραμεῖν ἐπ' αὐτὰς περιϊόντας, τῆς ἀκολουθίας τῶν προσταγμάτων ἦν, οὕτω τὸ προσδραμούσας διώκειν ἀνάξιον αὐτοῦ τῆς φιλανθρωπίας. Hic ergo mulier, genere ἄνωθεν Cananæa, cum clamore & ejulatione illum adiit pro filia δαιμονιζομένῃ deprecatura. Eam porrò *negligere* videbatur. nam Clamantem non reſpexit. Imò *abigere*. nam intercedentes Diſcipulos, de importunitate, rejicit. *Non ſum miſſus*, inquiens, *niſi ad Ovem perditam*, Iſraelitas: illa autem Gentilis erat. inſtantem, contumeliis proſcindit. nam Canem appellat. Illa tamen perſtat: & hoc poſtremum, ſic eludit, ut Chriſtum in admirationem raperet. At enim dicebat, & catelli comedunt de micis puerorum. Vides, inquit Chryſoſtomus, Illius σύνεσιν. πῶς οὐκ ἀντεῖπεν, οὐδὲ ἐδυσχέρανε τοῖς ἑτέρων ἐπαίνοις, οὐδὲ ἠγανάκτησε τῇ ὕβρει. Vides εὐτονίαν. conſtantem & infractam animi intentionem. Vides animi humilitatem. quibus illud Elogium meruit, *O mulier, magna eſt fides tua*: illam Retributionem, *Fiat tibi, prout volueris*. ait enim diſertis verbis Chriſtus, *Propter hunc ſermonem vade*. ex intuitu fidei & conſtantiæ, qualem in Iſrael non invenit. Quocirca rectè Chryſoſtomus, οὐ μικρὸν, καὶ αὕτη εἰσήνεγκεν εἰς τὴν ἰατρείαν τῆς θυγατρός.

57 Marcus ſolus perſequitur τὰ ἀκόλουθα, *Exiens iterum de finibus Tyri*, quos tanquam ὁδοῦ πάρεργον ſalutarat, *venit per Sidonem ad mare Galilææ*. ita enim locorum diſtantia ferebat. Tyrus diſtabat à Cæſareâ Philippi viginti milliaribus. Sidon autem undecim. ita propinquior erat Paleſtinæ quam Tyrus: & Tyro diſcedens per Sidonem tranſire debebat, in Galilæam, & medios fines Decapoleos. *Decapolis*, inquit Adrichomius, id eſt, decem Civitatum Regio, *in Euangelicâ hiſtoriâ celebris, à decem principalibus urbibus quibus præter multas alias ea Regio maximè fulget, Græco vocabulo nomen accepit. Longitudo ejus triginta milliaribus: latitudo autem paullo minor cenſetur: à Septentrione Libanum montem & Damaſcum: ab Occidente, Sidonem urbem: à Meridie Civitatem Bethſan, quæ & Scythopolis appellatur, fines habet: ad Orientem verò trans Iordanem & mare Galilææ, ultra Gadaram, Hippum, & Pellem ſe extendit*. Porrò Civitates, à quibus Regio Decapolis dicitur, hæ cenſentur. Cæſarea Philippi, Aſor, Cedes Nepthali, Sepher, Coraſin, Capernaum, Bethſaida, Jotapata, Tiberias, & Bethſan. ſed in hujus Regionis ſitu, in urbium huic adſcriptarum numero, & nominibus variatum eſt: Plinius, Lib. 5. cap. 18. ita refert. *Decapolitana Regio, à numero oppidorum, in quo non omnes eadem obſervant. Plurimi tamen Damaſcum & Otopon irriguas amne Chryſorrhoâ: fertilem Philadelphiam; Rhaphanam. omnia in Arabiam recidentia. Scythopolin, Gadara, Hieromiace præterfluente, & jam dictum Hippon, Dium, Pellam aquis divitem, Galaſum, Canatham. Intercurſant cinguntque eas urbes Tetrarchiæ, Regionum inſtar, ſingulæ, & in regna contribuuntur, Trachonitis, Paneas, Abila, Arca, Ampeloeſſa, Gabe*. Huc cum veniſſet Jeſus, inter alios ſurdum & mutum curat: peculiari quodam modo. nam de turbâ ſeorſim

ducit.

Digitized by Google

ducit. Mittit digitos in aures. Expuens linguam tetigit. ſuſpiciens in cœlum, ingemuit. & poſt has omnes ceremonias ait, Ephphata. quod eſt, adaperire. Hoc apparatu, non alibi legitur uſus. rationem expediant, qui poſſunt.

Aſcendentem deinde in montem, turbæ multæ ſequebantur, adducentes mutos, cæcos, claudos, infirmos. quos curavit omnes. 58
Cumque jam triduum totum apud eum hæſiſſent, ἄσιτοι, ſeptem panibus, & paucis piſciculis, quos in promptu habebant diſcipuli, quatuor millia hominum ſatiavit, præter mulieres & parvulos: non multo fortaſſis minori numero. Cumque affatim comediſſent, ſuperfuerant ſeptem cophini fragmentorum. Dimiſſa poſt paſtionem turba, naviculam conſcendit, & venit in fines Magedan, Matthæus ait, Marcus habet, *venit in partes Dalmanutha*. Unde de diſſonantia inter Euangeliſtas concilianda ait. *ſed vox illa Dalmanutha videtur recentior, & corrupta. Hieronymus enim, nec legit, nec meminit, imo rejicit. nam in exemplaribus ſui temporis, ſaltem quibus ipſe uſus fuerat, ſcriptum fuiſſe, etiam apud Marcum, Magedan inſinuat. Magedan*, inquit, *ad cujus fines Matthæus ſcribit Dominum perveniſſe. ſed & Marcus ejuſdem nominis recordatur. nunc autem regio dicitur Magedena circa Geraſan.* Hæc ille. fuſius quam alii Adrichomius, quem aſcribo. Magedan, alias Magedon, aut, ut eſt in Græco, Magdalo locus eſt ad Orientem maris Galilææ, circa Geraſam, qui à Marco, Dalmanutha vocatur: in cujus fines ac partes, cum Chriſtus navi appulſus eſſet, Phariſæi & Sadducæi ab ipſo petierunt ſignum de cœlo dari. quibus indicavit ſignum Jonæ Prophetæ ſuæ ſepulturæ ac reſurrectionis eſſe figuram. Porrò quod Matthæus locum hunc Magedan, Marcus verò Dalmanutha appellat, nullam habet contrarietatem. Aut enim unus idemque locus, diverſis nuncupatus fuit nominibus, aut unum poteſt eſſe nomen Regionis generale: alterum verò civitatis vel vici, quod multo veroſimilius eſt. poteſt utrumque nomen diverſam civitatem ſive vicum ſignificare; in cujus utriuſque loci fines dicatur Dominus veniſſe: quia locus in quem venit, utrique loco vicinus erat. Quomodo ſupra dictus eſt veniſſe in Regionem Geraſenorum & Gadarenorum. & alibi, in partes Tyri & Sidonis. Quod ad ſitum loci attinet, hæc de eo D. Hieronymus, in libro de locis Hebraïcis. *Magedan, ad cujus fines Matthæus Euangeliſta ſcribit Dominum perveniſſe, ſed & Marcus ejuſdem nominis recordatur. nunc autem Regio dicitur Magedana circa Geraſam.* Ex quibus, ut doctiſſimus ſacrarum literarum interpres Cornelius Janſenius meminit, patet, primum, quod non rectè ſcribat Brocardus, qui Magedan & Dalmanutha eundem putat eſſe locum, quem Saraceni Medan vocant, hoc eſt, Aquas Dan. fontem nimirum illum, unde Jordanis primò oritur, quem Joſephus Phialam vocatum teſtatur. Nam vel inde ſatis liquet hoc veroſimile non eſſe, quod fons ille longiſſimè à mari Galilææ abſit, cui hunc locum propinquum fuiſſe ex adjunctis Euangeliſtarum verbis, quibus profectionem, ſeu iter Domini deſcribunt, manifeſtum eſt,

ſecundò,

ſecundò, & eos multum errare, manifeſtum hinc eſt, qui loca hæc Magedan & Dalmanutha cis mare Galilææ conſtituunt, inter idem mare & montem Thabor,ut paſſim nunc in chartis annotatur. Hieronymus enim ea circa Geraſam fuiſſe teſtatur: & proinde ultra mare Galilææ. Quod verum eſſe,& ex Marco in ſequentibus colligitur,qui ſcribit,Dominum cum in hoc loco,petentes ſignum confutaſſet,illis dimiſſis,conſcenſâ navi,trajeciſſe fretum,& veniſſe Bethſaïdam. Hæc ille Adrichomius.

59 Et verum eſt,de Transfretatione. non Marcus ſolus,ſed & Matthæus, meminit. veniſſe nimirum in terram Bethſaïdenſem, quæ erat è Regione Magedan. Accidit autem ut conſcenſâ naviculâ, Diſcipuli obliti fuerint panes ſecum ſumere. cùm ergo inter navigandum Chriſtus præmoneret, caverent à fermento Phariſæorum, illi, ſatis abſonè putarunt,Dominum taxaſse ipſorum negligentiam,de non aſsumptis panibus,& admonuiſse,ut,licet carerent,nec emerent, nec mutuo ſumerent à Phariſæis. hanc puerilem, ſed & ἀπιστίας γέμουσαν reſponſionem refellens Chriſtus, ait, Quid de defectu panum ſolliciti cogitatis, quaſi fame enecandi: cum jam me non una vice,ſed bis,multiplicaſſe panes videritis, tot hominum millibus ſufficiendis? repetitâ poſt increpationem admonitione, intellexerunt Diſcipuli,ait Matthæus,Quod non cavendum à fermento panum, ſed à fermento doctrinæ Phariſæorum & Sadducæorum. Chryſoſtomus obſervat non alibi tam acerbe Diſcipulos perſtrinxiſſe. qui non contentus retuliſſe,*Non cognoſcitis? non intelligitis?* Modicæ fidei μετὰ ἐπιπλήξεως vocat. Hinc,quod ad mores & diſciplinam attinet Eccleſiaſticam,notat. ὁ πανταχοῦ ἡ ἐπιείκεια καλόν. ὥσπερ γὰρ μεταδιδοὺς παῤῥησίας αὐτοῖς, οὕτω καὶ ἐπιτιμᾷ· τῇ ποικιλίᾳ ταύτῃ τὴν σωτηρίαν αὐτῶν οἰκονομῶν. Appulſus Bethſaïdam,cæco viſum reſtituit. Quod è multis miraculis ſolum refertur,propter ritus quoſdam & ceremonias, peculiariter,adhibitas,quas alibi non legitur adhibuiſſe.nam manu apprehenſum,extra vicum eduxit,& expuens in oculos ejus impoſitis manibus rogat,ſi quid videret. ille intuens, video ait homines, velut arbores ambulantes. Hoc audito,ſecundâ vice imponit manus ſuper oculos,& clarè vidit. Mandat autem & huic,ut Nemini dicat. Verum non ſimpliciter,ſed ἀποδιαστολῆς. ſi in vicum introïeris. Bethſaïdam nimirum. ubi licet multa miracula feciſſet, in eum non credebatur. Atque in hac Hiſtoria,annum hunc alterum terminabimus. Non quod certo ſic ſtatuamus. rerum enim geſtarum ſeries apud Euangeliſtas plerunq; obſcura eſt & imperveſtigabilis: ſed quia majora ſunt & illuſtriora,quæ deinceps narrantur,ſaltem quod πολιτείαν & Origenes Eccleſiaſticas tangit, ab illa διαβόητῳ Confeſſione initium ſumemus,quâ Chriſtus,Petri ore, per Diſcipulos & Eccleſiam Dei filius viventis pronunciatur.

Annus

Digitized by Google

Annus JESU CHRISTI *Triceſimus tertius, à Baptiſmo, ſed quartus currens.*

VEnit autem deinceps Jeſus in partes Cæſareæ Philippi, & in via interrogabat Diſcipulos ſuos dicens eis: *Quem dicunt homines, me Filium hominis eſſe?* Qui reſponderunt illi, Alii Johannem Baptiſtam, Alii autem Eliam, Alii verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Tunc dicit illis Jeſus, *Vos autem, Quem me eſſe dicitis?* Reſpondens Simon Petrus dixit, *Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi.* Reſpondens autem Jeſus dixit ei; *Beatus es, Simon Bar-Jona, Quia Caro & Sanguis, non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt. Et Ego dico Tibi, quia Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Et portæ Inferni non prævalebunt adverſus eam. Et Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Et quodcunq; ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Hæc autem, à Matthæo relata, ubi protulerat, interdixit iis per Comminationem, quod non publicè prædicarent, quod ipſe erat Chriſtus.

Cæſarea quam nominant Philippi, ad diſtinctionem alterius *Cæſarea Palæſtinæ.* Cæſarea nominatur. Duæ enim erant Civitates cognomines in terra Iſraël: una Cæſarea Paleſtinæ dicta, vel Cæſarea ſimpliciter; altera, hæc cum Epitheto Philippi. Nomen utrique novum, & illius ævi, in honorem & memoriam Cæſaris Auguſti. Illa Paleſtinæ, celeberrima fuit, & tantum non Metropolis Regionis. Nulla ejus mentio apud Euangeliſtas, ſed in Actibus Apoſtolicis frequens. unde patet, ſedem Præſidum Romanorum fuiſſe. Prius Stratonis turris dicebatur. Hanc Herodes ille primus, infanticida, ob metum ſeditionis & defectionis Judæorum, quibus invitis, Idumæus ortu atque ideò exoſus, per Romanos impoſitus, crudelitèr & barbarè imperabat, loco valdè opportuno ſitam, veluti arcem quandam Regioni impoſuit. κατιδὼν δὲ, πρὸς τῇ θαλάττῃ χωρίον, ἐπιτηδειότατον δέξασθαι πόλιν, loquitur Joſephus, Antiquit. 15. 13. ὃ πάλαι Στράτωνος ἐκαλεῖτο πύργος, τῇ τε διαγραφῇ μεγαλοπρεπῶς ἐπεβάλλετο, καὶ τοῖς οἰκοδομήμασιν ἀνέστησεν ἅπασιν, οὐ παρέργως, ἀλλ' ἐκ λευκῆς πέτρας, καὶ διακοσμῶν βασιλείαις τε πολυτελεστάταις, καὶ διαιτήμασι πολιτικοῖς. Et in α ἁλωσ. cap. 16. Ingenti ſtructura, & apparatu εὔορμον reddidiſſe narrat. Cum enim tota illa ora ἀλίμενος eſſet, ita ut in Ægyptum navigantes neceſſe haberent, σαλεύειν ἐν πελάγει, ob venti Libynoti violentiam. qui ſi vel leviter flaverit, fluctus tam immanes attollit alliſos ad cautes, ut vel fluctuum colliſio, ἐπὶ πλεῖστον ἐξαγριοῦν τὴν θάλασσαν. Herodes naturam ipſam ſuperare aggreſſus, ingenti ſumptu,

Digitized by Google

portum Cæſareæ condidit, capaciorem quàm Piræum Athenis: ita ut ὀχυρότης δομήσεως δυσάλωτος θαλάσσῃ eſſet. Ubi enim ſpatium dimenſus fuerat, ſaxa ingentia, ad 20 ulnarum profunditatem demiſit: quorum quodlibet longitudinem habebat pedum 50. craſſitudinem pedum 9. multis deinceps explicat, & ornatum, & fortitudinem, & cætera quæ eò ſpectabant, annis 12 ædificatam narrat. tum de nomine addit, Καίσαρι τὴν τιμὴν ἀνέθηκε τοῦ κτίσματος. Καισάρεια γὰρ ὠνόμασεν αὐτήν.

2 Altera Cæſarea non tam διαβόητος, illa fuit quam commemorat *Cæſarea Philippi.* Euangeliſta, Cæſaream Philippi nominatam. Civitas erat in ipſo extremo limite totius Paleſtinæ. Dan antiquitus, & prius Luz, denominata, vel Lais; cujus mentio habetur Judic. 18. Cum enim Danitæ quidam, ad 600 homines de ampliandis aut mutandis ſedibus cogitarent, miſſis quinque exploratoribus, hujus Civitatis incolas otio torpentes, divites, ſecuros renunciarunt. qua ſpe allecti, eò ἀνάβασιν inſtituunt, urbem capiunt, diripiunt, poſſident, & de nomine Patris ſui, Dan appellarunt. Eſt autem illa Civitas ad Septentrionem, ut Beerſabe ad Meridiem, terminus terræ Iſraëlis. hinc illa limitanea explicatio in Scripturis, *A Dan, uſque Beerſabe.* Sita erat porrò urbs ad radices Libani, ubi fontes Jor, & Dan, Jordanem fluvium profundunt, in agro compaſcuo & fœcundo. ſequutis temporibus, ubi illæ Regiones à Pompeio devictæ relliquias Mithridatici belli perſequente, in Romanorum poteſtatem ceſſerunt, urbem Danam, neſcio unde derivata denominatione, Paneada dixerunt. fortè à Paneade fonte, qui illam alluit. ſed unde & illud nomen fonti, qui Dan prius erat, niſi, quod facilè fieri potuit, Daneas emollito ſono, & deinceps Paneas, vocaretur? Hanc urbem, è qua orta fuiſſe dicitur, mulier ſanguinis profluvio liberata, Philippus, Herodis Infanticidæ filius, & Tetrarchæ frater, cum Itureæ, Trachonitidis, & Abilenes Tetrarcha eſſet, ſedem ſibi delegit & habitationem, ac ædificiis inſtauravit, & in honorem Imperatoris, Cæſaream appellavit. non à Tiberio Cæſare, ſed Auguſto, cui debebat Tetrarchiam. & falſus in illo eſt Adrichomius. Ἡρώδης δὲ καὶ Φίλιππος Τετραρχίαν ἑκάτερος τὴν ἑαυτοῦ παρειληφότες καθίσταντο, καὶ Ἡρώδης Σέπφωριν τειχίσας, πρόσχημα τοῦ Γαλιλαίου παντὸς (lege, τῆς Γαλιλαίας ἁπάσης) ἦγεν αὐτὴν αὐτοκρατορίδα, nempè voluit ſuæ Tetrarchiæ eſſe Dominam. nam Autocratorida nomen fuiſſe urbi, ridiculè cenſuit Adrichomius. ſequitur apud Joſephum, Φίλιππος δὲ Πανεάδα, τὴν πρὸς ταῖς πηγαῖς τοῦ Ἰορδάνου κατασκευάσας, ὀνομάζει Καισάρειαν. Sed Agrippa, qui beneficio Neronis, in Tetrarchiam illam deinceps ſucceſſit, iterum dilatata urbe, Neronianam nominavit. utrumque nomen abolevit ætas, nec illa diuturna. Nam ſub ætate Hieronymi Paneada, ut prius, appellabant.

3 In has partes, tanquam terræ Iſraëliticæ portionem, venit miſ- *De Q. quem me dicunt?* ſus ad ovem perditam domus Iſrael. Eò inter eundum celebrem illam proponit Quæſtionem, *Quem me dicunt homines eſſe?* Chryſoſtomus obſervat, primum, Chriſtum hanc propoſuiſſe, longè à

Jeruſalem,

Jeruſalem, Scribis, & Phariſæis, ſemotum. πόῤῥω τῶν Ἰουδαίων ἀπάγων, ὡς πάσης ἀπαλλαγέντας ἀγωνίας μετὰ παῤῥησίας εἰπεῖν τὰ κατὰ διάνοιαν ἅπαντα. Secundò, non ab initio propoſuiſſe hanc quæſtionem narrat, ἀλλ᾽ ὅτε σημεῖα πολλὰ ἐποίησε. καὶ περὶ πολλῶν αὐτοῖς διελέχθη καὶ ὑψηλῶν δογμάτων· καὶ τῆς αὐτοῦ θεότητος, καὶ τῆς πρὸς τὸν πατέρα ὁμονοίας, πολλὰς παρέσχε τὰς ἀποδείξεις. τότε τὴν πεῦσιν αὐτοῖς προσάγει ταύτην. Tertiò obſervat, non interrogaſſe de ſententiâ Phariſæorum, & Scribarum, licet illi frequentius apud ipſum verſati fuiſſent, ſed quem me dicunt homines? τὴν τῶν δήμων γνώμην τὴν ἀδέκαστον ἐξετάζων. Reſpondent diſcipuli, id quod ille dicebat,

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Prout enim errore opinionis ſibi ſomnia finxerant, ita ferebant illum, vel Baptiſtam redivivum, vel Heliam, Jeremiam, aut è Prophetis aliquem extitiſſe. Et hic etiam ad impium illud dogma Phariſaïcum, περὶ μετεμψυχώσεως reſpicientes. Rectè doctiſſimus Cardinalis. Admirandum eſt, quam egregie in Galilæâ fuerit illa Phariſæorum Hæreſis propagata, quâ defunctorum animas in alia corpora, pro meritis cujuſque perſonæ, commigrare docebant. Dum poſt tot ſigna à Domino edita, ea de Chriſto invaluit opinio, ipſum eſſe Johannem Baptiſtam, vel Jeremiam, aut quempiam alium ex prioribus illis Prophetis, quos quidem omnes, cum conſtet fuiſſe defunctos, ſic intellexiſſe certum eſt, quod anima alicujus ex his in Chriſtum migraſſet.

In hanc ſententiam Barradius ait ſe, non Ire, κεπφὸς ὡς. Fruatur igitur ſua opinione. ſed interim ridiculum eſt quod allegat, de Reſurrectione cogitaſſe, è Matth. 14. *Hic eſt Iohannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis.* Sed Reſurrectio apud Herodem & Phariſæos, nihil erat præter μεταγγισμὸν, ut de corpore in corpus tranſmigrarent animæ. Reſurrectionem autem, (quomodo eſt Articulus fidei Chriſtianæ) Judæi communiter omnes, Chryſoſtomo cenſente, non intelligebant. nec illius cognitio ab iis requirebatur. vidè Apparat. 1. nec Heliam à mortuis Reſurrecturum putabant. quippè quem haudquaquam mortuum credebant, ſed vivum valentemque in Cœlum ſublatum, undè reverſurum ſomniabant, ut Meſſiæ famularetur. Quam eandem opinionem de Jeremiâ fovebant, quem Arcam & Ignem abſcondiſſe fingunt, (quâ de re habetur in hiſtoriâ Maccabaïca) quem venturus ipſe erat revelaturus. Gorionides itaque Jeremiæ hunc λόγον appendit, *Non ſciet homo, neque cognoſcetur locus* (ubi Ignis & Arca reponebantur) *donec venero Ego & Elias Propheta, famulus Domini. Tunc reſtituemus Arcam in locum ſuum, intra Sancta Sanctorum, ſubter alas Cherubinorum.* Erant autem incerti Judæi, utrum Enoch, an Jeremias, cum Elia venirent. ideò indefinitè *alium Prophetam* nominant, hoc eſt, unum è Prophetis. nam inter Prophetas, Enochum habuiſſe illos patet, ex Epiſtolâ Judæ. Itaque fruſtra & imperitè Jeſuita Barradas contra doctiſſimi Baronii ſententiam, exceptionem interpoſuit. Nec minus ineptè quærit idem, Cur diſcipuli non addiderint,

4 **Barradii fruſtraneæ exceptiones contra Baronium**

 alios

Digitized by Google

alios dicere eum eſſe Meſſiam. cum aliqui id ῥητῶς dixerint. ait hanc non fuiſſe vulgarem, vel conſtantem opinionem. Stultè. an & illæ quas allegant erant tales? Eſt impoſſibile: quia alii hoc, alii illud, alii tertium ſtatuebant: & de Meſſiâ opinio non minus eſſet frequens, quam de Baptiſtâ, Jeremiâ, aut Prophetâ. Imo eadem erat opinio. Nam *Propheta ille*, & deſignabatur per Moyſen: & expectabatur, *Meſſias*. Tam Meſſiam, quàm merum hominem expectabant, Baptiſtam, Eliam, Jeremiam ſomniare poterant, & ſomniabant. Ita λεπτολογεῖ ille Jeſuita.

5 Sed poſt illa λεπτολογήματα, ad magis ſeria deveniendum. Confeſſionem Petri, & Retributionem Chriſti ob Confeſſionem. Auditis Apoſtolis, de variantibus populi ſententiis circa perſonam Chriſti, inſtat Servator inquiens, *Vos autem, quem me eſſe dicitis?* ἐκκαλούμενος αὐτοὺς διὰ τῆς δευτέρας ἐρωτήσεως εἰς τὸ μεῖζόν τι φαντασθῆναι περὶ αὐτοῦ. καὶ ἐνδεικνύμενος αὐτοῖς, ὅτι ἡ προτέρα ψῆφος, popularis nimirum, πόῤῥω ἐστιν ἀποδέουσα τῆς αὐτοῦ ἀξίας. Illi autem per Petrum reſpondent. erant enim σύμψηφοι, & de illius ore loquebantur: ad confuſionem tollendam, unus loquebatur & profitebatur, quod animitùs cæteri ſentiebant. Ille autem unus, erat Petrus, partim Naturali diſpoſitione, ſemper προπετής: in Chriſtum magiſtrum Zelotes: & Princeps conſeſſus Apoſtolici. Hæc ferè complexus eſt Chryſoſtomus. Τὸ στόμα τῶν ἀποστόλων ὁ Πέτρος, ὁ πανταχοῦ θερμός. ὁ τοῦ χόρου τῶν ἀποστόλων κορυφαῖος πάντων ἐρωτηθέντων, αὐτὸς ἀποκρίνεται. καὶ ὅτε μὲν τὴν τοῦ δήμου γνώμην ἠρώτα, πάντες εἶπον τὸ ἐρωτηθὲν, ὅτε δὲ τὴν αὐτῶν (ita lego, non αὐτοῦ, nam non Petrum, ſed Apoſtolos interrogat) Πέτρος προπηδᾷ καὶ προλαμβάνει τὴν ψῆφον. *Reſpondens Simon Petrus dixit, Tu es Chriſtus, filius Dei vivi.*

6 Hic pedem ſiſtat, Baronius profatur, atque paulum attendat diligens Lector. Caſauboni διάσυρμον, non probo: *Iam togas componamus, & audientiam faciamus. Magiſter adeſt: Adeſt inquam Cæſar Baronius, qui pedem ſiſtere nos jubet, & ad obſervationem quandam ſuam, animadverſione, ut ait digniſſimam, diligenter attendere.* Haud profectò, è dignitate, viri in literis eminentiſſimi, præclarè de Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ meriti, licet vel φιλοτιμίᾳ, vel εὐνοίᾳ, à ſeipſo deviavit. vult certè Baronius καινοτομικῶς, rem alias inauditam, in ſcenam producere, quæ, per ſe ipſa, ſine ſcommatis, auditoribus lubentiam commovebit. *Typum quendam*, ait, *Chriſtus exhibet, celebrandi Concilii.* Meritò hoc improbat Exercitator, ut novum, inauditum. Veteribus & recentioribus indictum, à Baronio excogitatum: probat autem; quia Chriſtus Magiſtri & Doctoris partes in illâ ſuâ συγκαταβάσει, conſtituerit adimplendas: non autem ψηφίσαντος, & Leges condentis. at hoc falſum eſſe docet, concio illa in monte, ubi toties repetitur, refixis Phariſæorum διατάξεσιν, *Ego autem dico vobis.* quod eſt, non nude *docentis*, ſed *magiſterium* exercentis. Illud magis facit ad propoſitum, quòd Conciliorum originem, non ex Euangelicâ Hiſtoriâ, ſed Actibus Apoſtolicis repetunt & fundant paſſim cùm antiqui, tum recentiores. Tertiò pronunciat, & verè doctiſſimus Caſaubonus, nihil ſimile Concilii

Baronii ſententia de Concilii typo celebrandi.

con-

convocandi,convocati, habiti, in hac narratione reperiri. Ideò niſi valdè incongruè, Concilium cenſeri à Baronio colloquium inſtitutum inter Diſcipulos,& informatorem ipſorum.

Hæſit hic ad *metas* Baronii judicium. Bulengeri ſtoliditas ultra & rotas & metas concitata,evolavit. *Quid Eccleſiæ Concilium eſſe putas*, affatur Exercitatorem. Tum præmanſam, ut nutrices alumnis infantibus ſolent, in os ingerit, reſponſionem, *Id, opinor, dices, in ſacro negotio, quod in politico conſeſſum Senatorum.* In quem non vilem plebeculam, non homines de circo, aut trivio, ſed viros graves, Reipub. proceres convocari neceſſe ſit. Vult ergo dicere, ubicunque hac notâ homines convenient, ibi planè repræſentatur Eccleſiaſticum Concilium. Concilium imprimis intelligi vult Eccleſiaſticum. nam & Civiles conſeſſus, qui nunc apud nos Parliamenta, veteribus Synodi dicebantur. Hoc Concilium componi cum Senatu patimur, quoad dignitatem rei, loci, perſonarum, cum non admittantur in Senatum, viles, βάναυσοι, σκυλοτόμοι, ἀποχειροβίωτοι: niſi forſan apud poſteros in quibuſdam Regionibus, quibus ἐδὲν ἀρχαῖον, πάντα δὲ καινά. Sutores, Textores, Potifices, Tonſores, aurigæ, & currum agitatores. In Concilium, niſi Principes non accedant, hoc eſt, ἀρχιερεῖς, ὑψίθρονοι, Præpoſiti, ἄρχοντες, ἀρχιποιμένες, Ἐπίσκοποι, qui veteribus dicebantur, præditi ampliſſimâ Eccleſiaſticâ perſonâ. non enim unus fortè Epiſcopus, pauci Sacerdotes, plurimi eruditi Concilium celebrant aut conficiunt Eccleſiaſticum. ſed Bulengerus, qui de Senatu politico loquebatur, haud arbitror, alium, quam Romanum intelligebat: & illum, liberâ adhuc Repub. non autem oppreſſâ per Imperatores, qui ſub nomine Principis, omnia invaſerant. Nam alioquin Imperatores, in conſeſſum illum ſacrum cooptabant ſæpè, ſervilia cognomina, vilia capita, libertinos, libertos, barbaros; de circo homines, de trivio, de arena, de tranſtris. honeſtatis carcinomata, & nobilitatis apocatharmata. Quos tamen titulis magnificos, & anguſticlavios, inſignibant. Imitatus hoc ἀνδραγάθημα, Julii Cæſaris alicujus aut Neronis, Romanus Pontifex, quod nollem factum, Epiſcopos titulares & etiamnum extrudit, ut nobis Samienſem, & Chalcedonenſem: & in Concilium Tridentinum, legavit non paucos, qui Numerum adimplerent: quos miror conſeſſum illum, ſanè ſplendidum & eruditum, potuiſſe tolerare. Inter illos autem capite-cenſos penè Senatores, Imperator erat, τὸ πᾶν, & Pontifex in Concilio talium, talis. Nomen erant nudum Senatores: Illius reſcripta, edicta, voluntas, δόξαι κυριώταται. In liberâ adhuc Civitate, conſeſſum illum ſummum, ſacrum, ſanctum, illibatum conſervabant. At fruſtra Bulengerus in conſeſſu tali, Caput Concilii requiret illud, αὐτοδεσποτικὸν, ubi nullius erat, ne quidem Principis Senatus, ſuffragium tanti, ut cæteris præſcriberet vel præponderaret. Erat ibi aliquis, ſed nec ſemper, ſententiæ Princeps. nemo Decreti authoritativi.

7

Concilium qui faciunt.

8 *Ad Concilium* ait, *oportet convenire multa.* Rectè, ut conveniant, & concludant ſecundum æquitatem. Materiam imprimis narrat, Con-

Controverſam in fide. Quæſtionem ideò decidendam, ut ab omnibus teneatur. ubicunque igitur quæſtio de Fide, vel proponitur, vel deciditur, Bulengero cenſente, Concilium agitur Eccleſiaſticum. ſed ut τὸν βατῆρα τῷ ποδὶ, Hic Te rogo, quam *materiam* ita controverſam in illo Concilio proponebat, differebat, concludebat Petrus? Concilio illo omnium ὁδηγῷ & ἀρχιτεκτονικωτάτῳ. Inter præſentes tum Apoſtolos, præſente Jeſu Chriſto, nulla quæſtio de Fide ventilabatur. ſed & in materiâ deſignandâ nimis es curtus. proponis tantum tractandam, Quæſtionem de Fide controverſam. Hic jam deeſt, ἥμισυ παντὸς, illa nimirum altera pars, de moribus Eccleſiæ reformandis, refingendis. Et eſt illa quidem Quæſtio, adeò neceſſaria viſa, ut diu, vehementius certatum fuerit in Concilio Tridentino, cui tanquam potiori, eſſent primæ partes deferendæ. Doctiſſimus Bellarminus extendit hanc, à te coactam & coarctatam materiam. Cauſſas Concilii convocandi alias aſſignat præter pullulantem aut gliſcentem hæreſim. ſchiſma nimirum in Eccleſiâ, debacchatum. Communem hoſtem Eccleſiæ oppugnandum, &c. ita in materiâ aut ὑποκειμένῳ Concilii peccatur. ſed non minus adhuc in ſecundis. Vocentur, ais, ii qui ſententias rogari, & debeant, & poſſint. Illi, non alii. Excluſivè ergo imprimis. Ubi ergo appendicula Conciliorum, Notarii, Actores, Curſores, Satellites, qui diſputent & enodent Doctores dubia? Nam Epiſcoporum partes, parata κυρεῖν. Imò ſecundum hanc initam rationem, penes quem reſidebit convocandi Concilii poteſtas? Non enim hoc Concilium, ſe moderabatur, & indicebat, Simon Petrus. Deinde & διάσκεψις erit, annon de Conciliis deturbandi ſint, Prælati minores, Cardinales non Epiſcopi, Abbates, Ordinum generales, Presbyteri quicunque & Diaconi, principum Legati & Civitatum. Nam in illo primo, principe, archetypico Concilio, novimus interfuiſſe ſolummodo Chriſtum cum Apoſtolis. Ita ineptè & ridiculè illa σκέψις. Videamus utrum forma Concilii congregandi obſervata ſit, Matth. 16. per Servatorem. Dixiſſet obliviosſus, per Simonem Petrum. ſed narro Tibi, non ſufficere ſi ſit obſervata. Nam Magiſtri noſtri congerrones tui, id docent. & ſecundò, certum eſt, non fuiſſe ſervatam. Proponitur Quæſtio: ſed non ut controverſa, diſputanda. Non rogat, ſed rogatur ſententiam, Simon Petrus. Ita, eſto Concilium, nihil habemus præjudicii. Præſidem enim habemus Jeſum Chriſtum. Petrum in conſeſſu, non excluſum. neque enim ſine Pontifice Romano σύστημα illud Eccleſiaſticum, habet roboris firmitatem ad ligandum Eccleſiam univerſalem. Petrum ergo habemus, & ante alios, ut Senatus olim Romanus Senatus Principem, non ſupra cæteros. ſi vis Romano Pontifici nihil aliud vindicare, quàm ut neceſſariò pars ſit Concilii: ut Primas obtineat in Concilio: primus ferat ſententiam, largior. ſed hæc, de Concilio ſententia Baronianam penitus ἀνιστᾶν tollit. viveret, ſcio, meritas ipſi, pœnas dares proditæ, vel nequiter, vel imperitè, cauſſæ Pontificiæ, ſub umbrâ & auſpiciis beati Petri.

Rogitas

Rogitas autem, *annon tibi legitimi Concilii forma expreſſa videtur?* reſponderat Caſaubonus: reſpondeo præſens, *non videri.* probat ille, & confirmo, non videri, quia ſummus Scholæ Dictator B. Thomas Concilium ſic definit, *Iudicum conventus eſt, ad deliberandum de re aliqua congregatorum.* reſpondetur, Chriſtum Apoſtolos, ut reliquorum judices elegiſſe. falſò. nondum enim conſederant ſuper duodecim Thronos, judicantes duodecim Tribus Iſrael. ſed & puériliter. Quaſi unquam in Eccleſia Dei, de Apoſtolorum munere & præeminentiâ eſſet dubitatum. Judices erant ordinati: ſcientiâ imbuti myſteriorum Dei. Authoritate præditi ſupremâ. ſed non tum hoc modo judices. neque dum illâ tantâ imbuti & tali ſcientiâ, per Spiritus S. magiſterium informati. Adhuc ἐν τάξει Audientium: vel ut noſtri barbarophoni loquuntur, Barriſtarum, aut Apprenticiorum: certè μαθητευομένων. Diſtingue tempora, & concordabis. Imo ſolus Petrus judex illi ad podium, in imis ſubſelliis. audi enim & ſubſcribe, *Solus Petrus ignorantibus cæteris intellexit, ſolus clavum fixit, quid de Fide ſentiendum eſſet.* Nondum iis dictum, ſed nec Petro: *Recipite Spiritum ſanctum.* Ita cum ſolus Petrus teneat Cathedram, & ſolus audiat Judex, è ſententiâ B. Thomæ, haud quaquam erit Concilium iſtud. ulterius, ait Lucas in hac ipſa re, Chriſtum oraſſe καταμόνας. quod difflat hoc figmentum de Concilio. Nam quid καταμόνας ad Concilium? An quia in Conciliis maxime invocandum eſt Divinum auxilium? Ita ais. Concilia enim ſemper incepta ſunt ab Oratione. Euge, & quis negat velim. Παντὸς γὰρ ἀρχομένης σπουδῆς καὶ λόγου καὶ πράγματος, ἐκ Θεοῦ τι δεῖ ἄρχεσθαι, καὶ εἰς Θεὸν ἀναπαύεσθαι. *Excellentioris eſt virtutis, ſacratioriſque actionis*, inquit beatus Leo, *cum in unum propoſitum piæ plebis corda conveniunt, ut ille, cui ſanctificatio noſtra eſt ſupplicium, hoc eſt Diabolus, non ſolum à parte, ſed & à ſoliditate ſuperetur.* At de Oratione auſpice Conciliorum, quis unquam illud, καταμόνας uſurparet? is qui erat καταμόνας in ſecreto, in cellâ, puta mihi Anachoreticâ, non præivit exemplum orandi in Conciliis. At non erat ita ſolus, quin ipſi adeſſent Diſcipuli. ſcilicet aderant in horto omnes præter Judam. aſſumpti καταμόνας tres, Petrus, Johannes, Jacobus. & tamen iſti non aderant; cum ſolus & ſolitarius oraret, *Tranſeat calyx.* de hac etiam actione ſcribit Lucas, συνῆσαν αὐτῷ ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν προσευχόμενον καταμόνας. Orabat tamen ſolus, & erat ſolus. Diſcipuli ἐν τῷ συνεῖναι; non τῷ εὔχεσθαι. Itaque non erat; non orabat, in Concilio, actione ſacrâ, ſed, ſi quæ eſt alia, communicatâ. Sed interrogat Diſcipulos. Et quid ſi autem? Interrogationes ſolent opinor, & extra Concilia adhiberi, in judiciis, in congreſſibus, in Scholis, in Conſiſtoriis. docendi gratia hic interrogat, non ſciſcitandi, aut examinandi. Concluſio ſtet, Nuſquam hic Concilii forma reſultat vel effigies. Cardinalis non perſuadet Novitates ſuas φιλαρχαίοις: nedum Bulengerus, qui ſuccedit. Vox eſt enim, prætereà nihil: ut apud neſcio quem, luſcinia. 9

In illo Concilio, ſcilicet Utopiano, pergit Cardinalis θρασύνειν. 10

Nam

Nam ad Practica illius deſcendens comminiſcitur, duo imprimis ſancita ibi Decreta. Prius Fidei; poſterius, Morum. Illius Petrum authorem fingit, Chriſtum acceſſorem. ſecundi, Chriſtum authorem concedit. Ita Petrus Apoſtolus *clavum figit*, ad *clavum ſedet*: Chriſtus Dominus inter eos numeratur qui per foros curſitant, malos ſcandunt, ſentinam exhauriunt in Eccleſiæ navicula Petri proprietaria: Dictatoris Barjonæ dicto obtemperans inter accenſos cenſebitur, aut apparitores. *Intolerabilis eſt Baronii, ad hunc locum Oratio*, Exercitator ait, *Petrus, cauſſam definit, decernit, fidei Canonem conſtituit; quid de Fide ſentiendum eſſet, ſolus Petrus clavum figit*. Et profectò, eſt Oratio intolerabilis. πᾶσαν ὑπερβολὴν ἀναισχυντίας ὑπερακοντίζουσι· ut quod capitis ſolius privilegium eſt, in membrum quodcunque tranſcribatur. & mirari ſubit, virum certè eruditum, in Talione, vanitatis iſtius & ἀβελτερείας patrocinium ſubiiſſe. Multa ille imprimis λεπτολογεῖ è Scholis Philologicis, & Lipſii diſciplinæ Literator, de pangendâ Clave per Romanos olim in peſte Dictatores, injicit imprimis mentionem. *Næ Tu, hic*, inquit, *extremæ ignorantiæ, jam non unum, ut Romanus olim Dictator, ſed treis novos Clavos, novus Dictator figis*. At mi homo, claviali cujus iſtiuſmodi pangendi cauſſâ, ſeu fuerit ignorantiæ, ſive ineptiarum Clavus, non eſt opus operâ illâ & tumultu, dicendi, per noctis ſilentium Dictatores. Clavos etenim hujuſce fabricæ, Annaliſticos & dogmaticos, ſtultitiæ foribus & vanitatis, in Foro Boario, Jeſuiticâ Regione, figet Magiſtratus reverendus Pater, ordinarius. Dixi, non opus eſſe dici Dictatorem. Dico, non licere Exercitatori Dictatorem dicere. ideò ineptire Talioniſtam. Romanus enim orbis non feret duos Dictatores, non magis quàm Erythacos binos arbuſtum unum alit. Clavi ſiquidem figendi cauſſâ Fidei. Dictatorem unicum Pontificem Romanum, eundem & perpetuum Petrum nimirum perſonatum, idq; ſine Magiſtro Equitum ἀνυπεύθυνον, παντοδύναμον, Conſules noſtri Ordinarii, ἄρχοντες ἐπώνυμοι, Reverendi Patres, & dixere, & dicunt, non jam ulterius, ſilentio noctis, ut moris erat, cum

Roſweydi incommodæ ſententiæ.

Οὔτε κυνῶν ὑλακὴ μὲν, ἀνὰ πτόλιν, οὐ θρόος ἦεν
Ἠχήεις, σιγὴ δὲ μελαινομένην ἔχεν ὄρφνην,

Sed jam clariſſimâ & fulgentiſſimâ luce Solis meridianâ,

———*ubi jam Tithonia nubes*
Diſcutit, & clarum reduci parat æthera Phœbo.

Neque Clavum figere opus aut par eſt, peſtilentiæ graſſantis averruncandæ cauſſâ, ſed, fortaſſis hominum mentibus invehendi peſtem, ſiquidem nova, inaudita, nec ferenda Fidei dogmata, in Concilio, Petrus, non Bethſaïdenſis, ſed aliquis alius Tarantaſius, aut Os porci, velit definire, decernere, & in Canonem Eccleſiæ univerſalis referre. Nam quid de Fide ſentiendum ſit, ſolus & ſolitarius Petrus Clavum figit: excluſis à partibus cæteris, qui tamen

Digitized by Google

ipſi per Jeſum Chriſtum communem Doctorem, ad Culmen Apoſtolatus vocati, non minus quam Petrus erant. Quaſi Fidei decreta, ad illos non ſpectarent. Quaſi non fuiſſent in Eccleſiæ fundamentis duodecim lapides pretioſi, ſed unus adamas, conſtituti. Imò, quaſi nec Chriſtus, ille lapis angularis, in Fidei ſubſiſteret Fundamento, ſed Capite imminutus, & loco motus, Petro ceſſiſſet. Nam Chriſto, præſente, vidente, audiente, obnuntiante figebat Fidei Clavum Petrus. Imò vel applaudente, ſponte viderint, an invitus illud, cum poſt ſic Fidei impactum Clavum, ſoli eidem, dictum ſit, *Tu es Petrus.* Hæc ſunt adeò obvia ſcilicet, in Antiquorum ſcriptis: adeò poſita in confeſſo apud omnes: ut Clavos ignorantiæ tres (parum eſt unum) Caſaubonus dicatur fixiſſe, cum ille ſolus à temporibus Apoſtolorum, & initâ Dictaturâ beati Petri, Dictatoris ἀνυπεύθυνον ignoraverit. Certè nunquam in Concilia congregabantur Epiſcopi, ne quidem ex Italia, Domini Papæ Feudatarii vel Mancipia, ne quidem poſtremis temporibus Tridenti, ut Legatos Pontificios, quanquam cum illâ clauſulâ *Proponentibus Legatis*, inſtructos, interrogantes, tanquam catechumenos, ante Cathedra docentes auditores inhiando ſuſpicerent: Qui plerunque rebus in Aula gerendis, quam tractandis in Congregatione quæſtionibus aſſueverant. Indignabatur Granatenſis Archiepiſcopus palam, Petro tantum poteſtatis appropriari. *Nos*, inquit, *illi damus quod ipſius eſt: reddat ille nobis, quod noſtrum eſt.*

Negas, ait Taliator; quaſi inſolens eſſet & inauditum negare. 11
Fidei hic illum Clavum figere non negat. Fidem profeſſum. Fidei articulum principalem, Chriſti ſcilicet Divinitatem. ſed non ſolum, hoc profeſſum: non pro imperio, credendum propoſuiſſe. non ut Authorem Fidei. ſed nec ita loquitur Cardinalis. Imò verò, ita, licet involutè. Quid opus doctiſſimum Cardinalem, acſi loqueretur, apud *cinctutos Cethegos:* aut, *pellitos, ruſtica corda, Patres* in Senatu Romano, de Clavo figendo, mentionem injicere, & ita ludere ſub umbraculis & integumentis ſyllabarum exoticarum. Modificata oratio eſt, *Clavum figere.* Innuit fortè, ſed non explicat, τὸ ζητούμενον. Evolvere debuerat involuta, non tenebras offundere magis majores, Taliator. Inſolens eſt enim, & metaphoræ metaphora inaudita, Dictatorem dici ignorantiæ Clavum figendi cauſſa. Et ut ita eſſet. Balbutit tamen reprehenſor. Negas, ait, non ignoras. quaſi ἀντιφερόμεναι adhiberentur voces. Qui *negat* rem aliquam, non is ſemper *ignorat.* Imò rem ignotam, Nemo negat. Affirmatio & Negatio, ſunt de cognitis. ſaltem de indicatis inſinuatiſve: non autem, de re penitus ignotâ vel ignoratâ. Negat unum Caſaubonus, negat alterum. Neutrum tamen ignorabat, ſciebat affirmari in Annalibus, Fidei Clavum fixiſſe Petrum, in conſeſſu Apoſtolorum, ipſo præſente Jeſu Chriſto. & refellit, ita pronunciatum. Fidei Baſin vocari B. Petrum. Fundamentum Fidei, & Firmamentum, tam benè novit, quam domum ſuam Exer-

citator. impugnat autem validè, audacius poſitum & affirmatum. Quomodo fixit igitur ignorantiæ Clavum? Quomodo treis Clavos ignorantiæ? Unum ſaltem fixit, id eſt, calumniæ. Ita enim pangit nobis alium Clavum, Nam calumniaris Baronium, inquit. Itaque quatuor fixit Clavos, Exercitator. Tres ignorantiæ: unum calumniæ. Certè enim calumnia, non eſt ignorantia. Ita loquendum eſt accuſatori, ut teneamus. Duo ſunt quæ ignorat: modo ſit ignorans. Figat ergò, duos modo Clavos, & non treis. Neutrum iſtorum vos affirmare ignorat. Ignorat, probare, probaſſe, probaturos aliquando, vel Fidei fundamentum ſolum, ſolitarium fuiſſe Petrum. vel Clavi figendi cauſſâ in Fide, fuiſſe dictum Dictatorem. Quocircà deleatur, τὸ, *Ignorantiæ*, reponatur, *Negationis*. Sanè enim negat: & conſtantiſſimè. Et rectè negant cum illo, quos dicitis, Novatores. qui quid Tibi, Tuis videatur, nec ignorant nec laborant.

12 Tu verò, vir politiſſimè & Juſti Lipſii illius delicatuli Muſarum corculi, θρέμμα, videris in hac cauſſa tui diſſimilis, & impolitè, atque imperitè garrire. qui diverſis actibus & diſparatis peragendis, unum ſolum dicis Dictatorem, cum Romani illi veteres, creandorum Dictatorum Principes, figendi Clavi cauſſâ, & rei gerendæ, unum & unicum non ſolerent dicere Dictatorem. Iccircò, duos diſtinctos oportet Crees. quod eſt ἀλλόκοτον apud Philologos. Ita bonum factum videas, ut te hinc expedias Literator. Quibus tamen cunque modis expedias, haud longè tamen aberint iſta à ſe invicem, cum frivola, frigida ſint, petita è Grammaticâ: ab illis tuis, *Argutari, Ineptire*. Sed nec affertur in ſequentibus aliquid arce dignum & acropoli, quod poſſit famam ſuſtinere & exiſtimationem, illius, qui depulſus à ſcamnis Philologorum, ad abſtruſiora, ſed ſenticeta, tranſiit. Quod niſi quædam de lautioribus Bellarmini epulis converreret analecta, Taliator, inedia fuiſſet ei & βουλιμίᾳ quâdam pereundum.

13 Sed Clavus ille Fidei, tanto conatu impactus, *Capitali ſaxo immobili*, exagitandus eſt, ut quam tenaciter inhæreat, videamus. Τὸ κυριώτατον ſic proponitur: *Ignorantibus cæteris, ſolus Petrus myſterium illud intellexit. Quid ergo mirum, ſi ſolus Petrus quid de Fide ſentiendum ſit Clavum figat?* Hoc pſephiſma vocemus primum ad examen. Pietatis illud magnum myſterium, quod vocat Paulus, 1 Tim. 3. 16. hoc negamus Tibi, ſolum inter Apoſtolos, aut Chriſti etiam φοιτητὰς, beatum Petrum agnoviſſe myſterium illud abſconditum olim, non revelatum ab initio: ἐφανερώθη τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ, Coloſſ. 1. 26. Omnibus nimirum ſanctis, non uni Petro. Aſt Paulus loquebatur de ſuo ſæculo, poſt Chriſti in cœlos Aſcenſionem. Petri verò agnitio & confeſſio, antevertit Paſſionem; cum adhuc inter paucos coarctata, nondum ſe diffuderat illa fides ad Gentium diſperſiones. Reſponſum accipio: & in eo acquieſco, quia τὸ νῦν affixit Paulus aſſertioni. Interim & illi laxius loquuntur, qui Petro ſoli arrogant hanc prærogativam: non enim adhibetur temporis

Solus Petrus non agnovit Ieſum Dei Filium.

Digitized by Google

poris aut loci diſtinctio. ſed tamen ampliandum eſt de *ſolo Petro*, ſeu ante paſſionem, ſive inter Apoſtolos. Thomas è duodecim unus, de Reſurrectione Domini πληροφορηθεὶς myſterium hoc agnoſcit, & non minus quam Petrus profitetur. *Dominus meus, ac Deus meus. Clariſſimum Divinitatis Teſtimonium*, ait Auguſtinus, *ab hoc maximè incredulo redditum: quod nec ipſi eludere poterint Ariani. videbat hominem, tangebatque: & confitebatur Deum, quem non videbat nec tangebat.* Sed ante Thomam diu, confeſſus hoc Petrus fuit. Agnoſco. ſed tamen ſi ob illam ſuam confeſſionem tempore tantum priorem, Petrus tam immenſam mercedem à Servatore recepit, cur nullam referebat Beatus Thomas, ſi non ὑπεραίρουσαν, at æqualem? præcipuè cum Petrus illud agnoverit, undique miraculis illuminatus, & μεγαλείοις Domini, quibus intererat: nondum Chriſto, in manus tradito impiorum: aut ſcandalum paſſis diſcipulis. Thomas autem ita profeſſus fuerat, poſt percuſſum Paſtorem, diſſipatos & offenſos Greges. ſed & ante Paſſionem Chriſti, & ante Petrum. nec à Petro ducti aut inducti quidam, eandem ediderunt confeſſionem. Martha ſoror Lazari Petrum non audierat confitentem: inquit tamen Joh. 11. 27: *Ego credidi, quia Tu es Filius Dei vivi.* Chriſtus ille. ναὶ Κύριε. Etiam ait, Domine, aſſeveranter, Tibi perſuaſum ſit, me ita credere. & Matth. 13. 25. Illi qui cum Chriſto ſimul navigabant, Apoſtoli Diſcipuli, ἐπιστάται, cum mare vehementius agitatum, derepente conſediſſe viderent: ventorum flatus & turbines, ad increpationem Chriſti conquieviſſe, ad genua ipſius provoluti dixerunt; *Verè Filius Dei, Tu es.* Et hi quidem omnes ante paſſionem: aliqui Petro anteriores, καλὴν τὴν μαρτυρίαν ἐμαρτυρήσαντο. Præter Petrum, non edocti à Petro, ſine Petro, eundem Dominum & Deum, Jeſum Filium Mariæ agnoverunt. & ante iſtos omnes, vel ipſum Petrum vocatum, ille ἀληθῶς Iſraëlita Nathanael Apoſtolus & ipſe, ut non nemini videtur, & mihi inter illos, Bartholomæus, de Chriſto ante prædicationem ſic pronunciat, *Rabbi, Tu es Filius Dei: Tu es Rex ille Iſrael.* Aut ergo de Fide plures Clavi ſunt pangendi; aut *ſolus* Petrus non figebat Clavum, cum non ille ſolus τοῦτο τὸ μυστήριον agnoverit. Martha autem adeò penitus illam πληροφορίαν imbiberat, *Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi*, ut quaſi mirata ſuam fidem fuiſſe in ſuſpicionem adductam, exiliret è veſtigio, & uſa vehementiori aſſeveratione, ſe jampridem, non tum primum, illud ipſum crediſiſſe profiteatur. Ναὶ Κύριε, ἐγὼ πεπίστευκα. Ita Maldonatus locum interpretatur.

At Filius dicitur multifariam. Chriſtum ergo agnoſcebat, fortaſſis non ut Nos profitemur, ὁμοούσιον, ἀεὶ γέννητον. Deum de Deo. ἀπείρως ἄχρονον ὥρη, ſed κατὰ προσθήκην, Adoptivum. Inter multos fratres Primogenitum: & modo quodam excellentiori, Filium. Ita certè non nemo ἐξ ἐναντίας. quos Maldonato remittimus caſtigandos, accuratioris judicii Jeſuitæ, & exquiſitè erudito. *Nihil amplius*, ait ille, *confeſſus erat Petrus, cum Chriſtus illum beatum appellavit: & ſuper ipſum, Eccleſiam ſuam ſe fundaturum eſſe promitteret.* 14 *Marthæ confeſſio.*

Ita cenſente Maldonato, Muliercula illa Martha, coryphæum & χορίδρον chori & conſeſſus Apoſtolici, Confeſſionis ſuæ gloriâ adæquavit. Quin & ad Petri confeſſionem, hoc addit illa, *Qui veniſti in hunc mundum.* quaſi & Θεάνθρωπον, quod non fecit Petrus, profiteretur. ſed nec adhuc calamo ſuo fibulam imponit Maldonatus; profitetur ſubiratus, *Injuriam huic fœminæ videntur illi facere, qui alio animo, aliâque quam Petrum Fide, eam hæc dixiſſe, interpretantur, Quia Tu es Filius Dei vivi.* Inter illos autem cenſetur imprimis ὁ χρυσοῤῥήμων qui Hom. 22. in Johan. diſertis verbis contrariam ſententiam tuetur Maldonato. Τὰ μὲν ῥήματα τὰ αὐτὰ, ἐν μετὰ δὲ τῆς αὐτῆς διανοίας, loquitur autem de Nathaneele. Controverſor Cardinalis, quo probaret Petri confeſſionem Fidei noſtræ ſumma continere Sacramenta, textum urget Græcum, in quo omnia cum articulis exprimuntur: ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ· *Ille Chriſtus, ille Filius, ipſius Dei.* Quam eandem rationem, è Cyrillo & Leontio mutuatam, urgere pro Marthâ & Nathaneele poterat Maldonatus. Hæc ille: ſed furtum opinor & plagium fecit, Calvini ſcrinia compilatus. ſed & oblitus fuerat, eorum quæ prius ſcripſerat, ad ver. 21. & 22. ſententia repugnante ἐκ διαμέτρου. Ita ab ſe diſſident, & inter ſe digladiantur Iſmaëlitæ. Nos, quidni arripiamus, in rem noſtram, quod vel per oblivionem intruſerant, vel quod Veritas, quæ quidem magna eſt & prævalet, ab invitis extorſit? *ſolum Petrum, ante Domini Paſſionem non intellexiſſe myſterium illud magnum,* de συγκαταβάσει & οἰκονομίᾳ Jeſu Chriſti, Dei veri, cum Martha muliercula, eandem per omnia, ſi non & expreſſiorem confeſſionem ediderit. Ut inde, juxta ineptas iſtorum rationes licuerit illi definire, determinare, canones Fidei condere, Clavum Fidei figere, & aliis præſcribere ea, quæ Credenda eſſent. Ita neque inter inſignes, eminentes, proprias, perſonales Petri prærogativas debuit numerari, quod ille myſterium illud intellexerit, & ideò quod intelligebat, Clavum Fidei fixerit, ut loquuntur Annales.

15 Aſt Petrus *omnium primus* hoc intellexit. quid tum? ideò Clavum fortè figere poterat *primus*, non *ſolus.* Sed hic nimia impingitur laxitate. Nam quid, an ſimpliciter primus, ante illos omnes, quotquot à jactis mundi fundamentis in Chriſtum promiſſum crediderunt? Ita fortaſſis ſi in eadem ſententiâ cum Arminio & Remonſtrantibus verſentur Romano-Catholici. Nos enim Credimus & profitemur, Quod Prophetæ de illo vaticinati ſint, θεοφορούμενοι & θεόπνευστοι. Nec fortaſſis luſimus hic operam, qui hac de re inſtituerimus tractationem. Nam memini legiſſe me apud Origenem, Judæos nunquam conceſſuros, hoc eſſe Chriſtianis, veterum Prophetarum aliquem prædixiſſe, *Venturum in Mundum Dei Filium Incarnatum,* ſed ſolummodo, *Venturum aliquando Meſſiam, Chriſtum Dei.* Ἰουδαῖος δὲ, οὐκ ἂν ὁμολογήσει, ὅτι προφήτης τις εἶπεν, ἥξειν Θεοῦ υἱόν. ὃ γὰρ λέγουσιν, τοῦτ' ἐστιν, ὅτι, ἥξει ὁ Χριστὸς Θεοῦ. Quod ipſum reperitur aliquoties apud Juſtinum. *Nam illud, quod à Te affirmatur,* ait Tryphon *hunc, de quo loquimini Chriſtum Deum ante ſæcula extitiſſe, & deinceps gene-*

Judæi Meſſiam non fatebantur Dei Filium.

generatum, factum hominem, non tantum paradoxum mihi videtur eſſe, ſed etiam fatuum. & paulò poſt. Καὶ ὁ Τρύφων, ἐμοὶ μὲν δοκοῦσιν, εἶπον, οἱ λέγοντες ἄνθρωπον γεγονέναι αὐτὸν, καὶ κατ' ἐκλογὴν κεχρῖσθαι, καὶ Χριστὸν γεγονέναι, πιθανώτερον ὑμῶν λέγειν τῶν ταῦτα ἃ φὴς, λεγόντων. Καὶ γὰρ πάντες ἡμεῖς τὸν Χριστὸν ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων προσδοκῶμεν, καὶ τὸν Ἠλίαν χρῖσαι αὐτὸν ἐλθόντα. Ἐὰν δὲ οὗτος φαίνηται ὢν ὁ Χριστὸς, ἄνθρωπον μὲν ἐξ ἀνθρώπων γενόμενον ἐκ παντὸς ἐπίστασθαι δεῖ. ἐκ δὲ τοῦ, μηδὲ Ἠλίαν ἐληλυθέναι, οὐδὲ τοῦτον ἀποφαίνομαι εἶναι. Imo verò, de communi Judæorum ſententiâ, nemo prorſus cogniturus erat quis foret Chriſtus, ante adventum & miniſterium Eliæ: non magis quàm ſciebat Samuel, nondum à Deo doctus, quem è Filiis Jeſſe Dominus elegerat in Regem. Imo οὐδὲ αὐτός πω ἑαυτὸν γινώσκει. Ipſe ſemet ipſum minimè novit, nec utrum erat ad Chriſti miniſterium deputatus. Hæc cum Judæi & olim delirarent, & nunc teneant de Meſſiâ ſuo, nec illi tantum, à Deo traditi εἰς ἀδόκιμον νοῦν, verum & Hæreticorum nonnulli hominem merum è meris hominibus extitiſſe blaſphement: erat omnino neceſſarium, iſta paulo exactius ad calculos vocare, & in nimiâ laxitate ludentes, ad ſtrictiora devocare. ſanè ipſemet Servator, rerum omnium præſentium, præteritarum, futurarum conſcius, καρδιογνώστης ſcrutator renum, & deſideriorum indagator, de Patriarchis, Prophetis, Regibus, Juſtis pronunciat, maximo quodam animi deſiderio flagraſſe, ut viderent, quæ videbant Apoſtoli: & audirent quæ illi audiebant: non autem vidiſſe aut audiviſſe. Eundem, eodem modo intelligebant, licet non eodem gradu aut menſurâ revelationis, Deum futurum eſſe, de ſemine natum mulieris, Deum profeſſi ſunt, & adoraverunt. hominem futurum, quem de ſemine Abraham, Filium Davidis expectabant. Omnia illis in figurâ. Sed figuræ ipſum archetypum per ſe & intuentibus repræſentabant. Non eſt ergo dicendum vel blaſphemandum potius, antiquis literis inſtitutos, in *vanam ſpem deveniſſe expectantes Chriſtum*, ut interpretes legunt & exponunt, ineptiſſimè apud beatum Ignatium, quod notamus alibi, quaſi Chriſtum Dei, & non Deum Chriſtum expectaſſent. Filium Dei: ſed κατ' ἀρετὴν πεποιημένον, ut loquuntur Judæi apud Originem, licet πολλῷ δὲ ἄλλων καὶ μακρῷ διαφέροντα, non tamen *naturâ* filium, aut ὁμοούσιον.

Dicendum eſt autem veteres illos Juſtos, Reges, Prophetas, 16
Patriarchas, per eandem Fidem, in eundem Redemptorem, in Spem nobiſcum communem, κοινὴν τὴν ἐλπίδα, deveniſſe: neque omnium mortalium primò, beato Apoſtolo Petro, myſterium illud fuiſſe revelatum. Nam, ſi ante ſæcula non pauca quam Chriſtus in Carne naſceretur, non invidebat, ſelectis quibuſdam ſervis ſuis, Zachariæ, puta, Malachiæ, Aggæo, Danieli, ne retrò ad anteriores aſcendendo progrediamur, cognitionem adeo revelatam & perfectam, de quibuſdam rebus ſpectantibus ad Meſſiam, non poteſt probabilis ratio reddi ulla cur illam aut invideret, aut negaret cognitionem, per illam ætatem Juſtis & Sapientibus, in quâ Dominus in Carne naſcebatur, *Collium æternorum deſyderium illud.* Eliſabetham & Zachariam quæ ratio ſuadet, iſtius myſterii ignaros fuiſſe? Illa virginem

Chriſtum fuiſſe agnitum Dei Filium ab aliis, ante Petrum.

virginem ſanctiſſimam, cognatam ſuam, matrem futuram Domini ſui, & intelligebat, & ita ſalutabat: *Cur venit ad me mater Domini mei?* Ille autem Zacharias in Cantico fatetur, ſe non neſciſſe, Filium ſuum, Baptiſtam præceſſurum fuiſſe ante faciem Domini ſui. Simeon ille Juſtus, Anna Propheti ſſa, Johannes ipſe præcurſor, haudquaquam ignorabant myſterium illud pietatis, in quo cognoſcendo B. Petrum volunt obtinere Principatum. Quid? An ipſa mater ſanctiſſima, ſe eſſe θεοτόκον ignorabat? Cui ſemel atque iterum, fortaſſe autem ſæpius, per Angelos, velut quoſdam paranymphos, edictum fuerat, *Quod ex Te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Nam niſi quem conceperat, & ſe concepiſſe cognoverat, è Spiritu Sancto, in animo tuliſſet, non minus quam in utero, nihil illi profuiſſet ad ſalutem, quod Domini mater compellaretur: quod veriſſimè dictum à Novatoribus, ingenuè fatetur Maldonatus. Nec injuriâ. Cum ſit apophthegma Auguſtini, *Credidit certè: ſed tacitis fortaſſis cogitationibus, apud ſe occultabat.* An verò ἐχέμυθον perpetuo ſanctam Deiparam perſtitiſſe credibile ſit, ut nemini, per triginta, & quod excurrit, annos animi ſui ſenſum, in re tali, tantâ, revelaret, Credant illi ſcilicet, qui non Credunt beatam Virginem, omnimodo Magnificaſſe Deum ſuum. Quocirca prioritas illa Confeſſionis Filii Dei, ſi in cauſſa fuit, *Clavi* illius *pangendi*, aut impacti, antevertet Petri & Confeſſionem, & Cognitionem Eliſabethæ, Zachariæ, Simeonis, Annæ, confeſſio: ſuperabit Johannis Baptiſtæ: ipſiuſque Deiparæ, agnitio: & quidem illa Matutina, ne de ſolâ ſomniemus, ut appellant, Veſpertinâ. Atque ita, non ſolus Petrus *contra* omnes: non Primus Petrus *ante* omnes, confeſſus eſt, ac intellexit, Jeſum, τὸν τῆς Μαρίας, Nazarethanum, fuiſſe illum Chriſtum, Unctum Domini, & Filium viventis Dei.

17 Poſtquam hanc communiorem multorum Confeſſionem eſſe docuerimus, non intra labia unius, ſolius Petri concluſam, ad tempus illud confugiunt, ante Paſſionem: quaſi non illi omnes nominati, ante Paſſionem id agnoverint: cum & ante Paſſionem, certum ſit Marthæ illius Lazari exhomologeſin factam fuiſſe, quam Petrinæ ſimilem, ſi non & ſuperiorem magni nominis ſcriptores docuerunt. Qua fronte ergo dicitur, Petri Confeſſionem, omnibus omnium aliorum fuiſſe antiquiorem, atque ita, per temporis prærogativam, ad prærogativam aſcendiſſe, *figendi clavi? Bis* enim *dat, qui citò dat*, eſt qui ineptè, & miſerè detortum hic uſurpat. Ut hoc vetus & veriberbium obtineat, Petrum Bethſaïdenſem, per ſæcula non pauca, Patriarchæ, Prophetæ, Juſti, Reges, anteverterunt. Quid οἱ ἐξ ἐναντίας hic objicient? Negabunt factum? Intelligentiam adiment? An Ante-natos cauſabuntur? Cum clavum figendi, in illâ re authoritas, ad Chriſtum jam exhibitum, & ſic agnitum pertineat, non autem ad illum exhibendum. At priores Petro, rem eandem, eundem Chriſtum, Dei Filium, pari modo agnoviſſe docemus. Quid ergò reſtat, ὦ σοφέ σύ, cum nec ſolus Petrus, nec primus Petrus,

Petrus, myſterium illud intellexiſſe demonſtretur, niſi fluidam eſſe & laxatam Conſequentiam illam, Ergo ſolus Fidei clavum fixit.

At inter Diſcipulos ac Apoſtolos ſolus, aut ſaltem primus poſt Baptiſma vocem illam Dei Patris de Cœlo intellexit, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt.* Ad quam declarationem acceſſit confeſſio, *Tu es Filius Dei vivi:* unde meruit Clavum figendi τὸ στερέωμα. Ita enim rem involutam & implicitam, ſe ſatis enodaſſe & extricaſſe putant, nimirum ſi reſtringant, ad Apoſtolos, quoad Perſonas: ad tempus incepti miniſterii, quoad καιρόν. Hic autem, non nimis honorificè, talia ſentientes, opinantur, de choro & conſeſſu Diſcipulorum & Apoſtolorum Chriſti. Buci, blenni, fungi, fatui tantum non, fuerint oportet, ut tamdiu ſecuti illum Doctorem, *Qui invenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Jacob, puero ſuo, ac Iſrael dilecto ſuo.* Illum ipſum quem ſequebantur: cui propius adhærebant: à cujus latere & contubernio, non recedebant: neſcii ne putatis, erant, Quis, Qualis, Unde domo eſſet, quibus aut veniſſet ab oris, Quove tenebat iter? Imo de Chriſto ipſo abſurdam fovent opinionem, inquit enim ipſe, *manifeſtavi ipſis,* hoc eſt, omnibus Diſcipulis, Voluntatem tuam. Totam ſcilicet: nihil reticendo. An verò ipſum eſſe Dei Filium, unum, unicum, non per adoptionem, προκοπὴν, aut excellentiam, aut κατ᾽ ἀρετῆς ὑπεροχὴν χρηματίζοντα, ſed οὐσιωδῶς, & naturæ participem Divinæ, inter Patris voluntates revelandas Diſcipulis & Eccleſiæ, non reponunt? An non illam eſſe, quæ ut Credi à nobis debet immediatem, & explicitâ fide, ita quoq; debuit cum primis explicatiſſimè revelari. Certè, ante multa revelata, & cuicunque auditori communicata, Hoc, Jeſum Nazarenum, natum de Mariâ eſſe Filium Omnipotentis Dei vivi, Baſis eſt, & θεμελιακὸν ἔρεισμα ſalutis, Credendorum ad ſalutem πρωτεῦον. Nihil credit, qui hoc non credit. Nihil docet, qui non docet iſtud. Qui è ſocietate catechizandis rudibus, juventuti erudiendæ inſerviunt Eccleſiæ, & palmam omnibus præreptum eunt, ἐν τῷ περὶ παιδῶν ἀγωγῆς καὶ νεοφύτων, ecquid Hoc prius inſtillant, abraſis eorum Tabulis, & ἀχαράκτοις;

Joh. 10. 34. Inimici Chriſti aiunt, *De bono opere Te non laudamus, ſed quia Tu, cum ſis homo, facis Teipſum Filium Dei.* at, ὅτε μὲν οὐκ εἶπε, Chryſoſtomus ait. Certè non tum: de præſenti: cum logos contra eum longos ederent. ὕστερον δὲ αὐτὸ κατασκευάσειν. verum eſt, ſed & prius quoque: ubi & palam profitebatur illud. ſatis certè apertè docet hoc in loco Euangeliſta, quid Chriſtus Apoſtolos, & alios etiam auditores exotericos doceret: quid animis ſuorum auditorum, frequenti prædicatione inſtillaret: eſſe ſe nimirum, Dei vivi Filium, id quod Petrus aliquando profitebatur. Nec docere volebat Magiſter ille & Doctor Veritatis, eſſe Dei Filium ſe adoptivum, communi quodammodo cum aliis, licet excellentiori gradu, ſed naturalem, ſed de Eſſentiâ Filium, ſed ipſum Deum. Ita enim inquiunt illi, *Facis, temetipſum, Deum.* Et profectò, ita Nicodemum inſtituerat,

inſtituerat, illum aliquando Lucifugam, Joh.3.16,17. *Sic Deus dilexit mundum, &c.* τὸν υἱὸν αὐτοῦ δέδωκε τὸν μονογενῆ, οὐ δοῦλον, οὐκ ἄγγελον, οὐκ ἀρχάγγελον. Ita Joh.5.25. de ſeipſo, futuro judice in fine mundi profeſſus erat, Omne judicium pater dedit Filio: Nec debuit hæc cælare Apoſtolos, acroamaticos ſuos auditores, quibus *datum erat, noſſe myſteria Regni Dei*, quæ in auribus omnium, etiam δήμῳ περιεστῶσι; ſine ullis allegoriarum integumentis proclamabat. Baptiſta quoque πρόδρομος, ad viam, ante faciem ejus præmuniendam miſſus, vocem illam, *Hic eſt Filius meus dilectus*, cœlo demiſſam audiebat. nec videtur obmutuiſſe, ut nulli Teſtimonium διαφορούμενον indicaret. ἄπαγε δὴ, Joh.1.34. Et vidit, & dedit Teſtimonium, ὅτι οὗτός ἐστιν υἱὸς Θεοῦ. Pædagogi vices ad Chriſtum, obibat Johannes: & in ſuâ prius Scholâ Diſcipulos innutritos, initiatoſque, Inceptores ibidem, futuros deinceps Profeſſores, Chriſto commendatos, in perfectiorem diſciplinam tranſmittebat. Teſtimonium *ille* perhibebat Dei Filio. Diſcipulos, à ſe tranſmiſit, non ad alium, ſed ad Filium Dei. Conſtat hoc de B. Andreâ. De Petro cum aliis, hoc myſterium intelligente, & ante alios profitente, non ambigo, non diffiteor: at ſolum Petrum intellexiſſe, quod aſſeritur, cæteros omnes ignoraſſe, non credo.

.20 *Patrum de hac re ſententia.*

Sed impetrent aſſenſum antiqui Patres: aut ſaltem imponant ſilentium calamo: ſi regulam Credendi, non poſſunt præſcribere, at tacendi modum deſignent tamen. Communem eorum conſenſum, &, velut uno ore loquentium ſententiam, ſi quis non revereatur, cenſeatur Βεαρεὺς, ὅτι δὴ λέγω. Aſt in re juris arbitratii, ſcripturâ in contrarium inclinante, de Facto, non Fide, ubi quæritur, ubi partes hac propendeant & illac, Patres Patribus opponi poſſunt, invidiam de conſenſu patrum conflatam quidni deprecemur? ſed imprimis Euthymium Zigubenum, ordine motum honoratiſſimo, ſatis eſt, ſi conſeſſum recipimus in *quatuordecim.* nam illo dignitate ſuperiorem, & iſtarum partium adſeſſorem, utcunque prætermiſſum in Talione, ad titulum Patris antiqui non patiemur aſpirare. Baſilius Seleuciæ ætatem benè fert. ille de Petro, quod urgetur, ait. nec de Hilarii verbis movemus litem. poſſumus tamen de ſenſu litigare & ſententia ejus, *Ignorantibus cæteris, primus reſpondet.* Quid autem *ignorantibus?* non veritatem Petro confeſſam: ſed utrum eſſet, & quomodo, reſpondendum ad Q. Chriſti, *Quem me eſſe dicitis?* Multa quidem veriſſimè poterunt in illâ cauſſâ reſponderi. *Semen mulieris*, Serpentis caput contriturum. antiquiſſimam Dei ſtipulationem. *Semen Abrahæ* benedictum, in quo omnes ubique gentes benedictionem aſſequerentur. *Lumen Gentium, Radicem Ieſſe, Leonem de Iudâ, Filium Davidis, Chriſtum Domini.* Ignorantibus quid hic eſſet è tot & pluribus reſpondendum, hæſitantibus cæteris, ἐν πᾶσι πάντοτε θερμὸς proſiliit Petrus, & pronunciat, *Tu es Filius Dei vivi.* nec aliter voluiſſe videtur Hilarius. *Pater enim dicendo, Tu es Filius meus dilectus, Petro revelavit, ut diceret, Tu es Filius Dei vivi. Quia, in eo quod dicitur,* Hic eſt, *revelantis in-*

dicium

Digitized by Google

dicium eſt. At indicium illud revelantis, audivit non ſolus Petrus, nec ſolus animo recoluerat: ſed primus, quod ſentiebant alii, efferebat. id voluit Chryſoſtomus, qui ait, Πέτρος ἐν ἀποστόλοις πρῶτος ἐκήρυξε τὸν Χριστόν; Petri Profeſſio, Prædicatio, Propalatio, cæterorum non arguit ignorantiam, Rei, an eſſet Filius Dei: licet ignorantiam fortè Modi, an ita ῥητῶς eſſet perferendum. Baſilium Seleucienſem ſcio ignorantiam Apoſtolis illam affingere, quâ Dei eſſe cum Filium, non intelligebant, ſed hominem quendam inſigniorem, & majoribus privilegiis à Deo excultum. Ἠγνόουν ἔτι τῆς οἰκονομίας τὸ βάθος· οὐκ ᾔδεσαν θεότητα κεκρυμμένην ἐν ἀνθρωπότητι, ἀλλ' ἄχρι τῶν φαινομένων τὸν νοῦν ἀνατείνοντες περαιτέρω βλέπειν οὐκ ἴσχυον, ἀλλ' ἦν αὐτοῖς ὅρος τῆς γνώσεως ἡ τῶν ὀμμάτων δύναμις. Incarnationis profunditatem adhuc ignorabant; *Neſciebant ſub humanâ formâ Divinitatem occultatam; verum, mente, ad res ſub aſpectu cadentes intentâ, ulterius deſpicere & contueri non poterant. oculorum autem vis & facultas, terminus ipſorum ſcientiæ & meta præſtituebatur.* Et iterum in eodem ſermone. Οὐδὲ τῶν ἀποστόλων χορὸς, ἀγνοίας ἐλεύθερος ἦν, concludere videtur, & Petrum ſub ignorantiâ. nam in illo choro, is cenſebatur. at de toto Choro profitetur ignorantiam. addit ergo, μετὰ τῶν ἄλλων μαθητῶν διδαχθεὶς ὁ Πέτρος, συνεξεβόησε τῷ διδασκάλῳ τὴν δόξαν. *Et unà cum aliis Diſcipulis* (ita enim vertendum fuit) *inſtitutus & eruditus Petrus, unà cum iis eructat Informatori gloriam.* Ita nuſquam ſolitarius, Baſilio cenſente, Petrus, in ignorantiâ, Informatione, profeſſione, ſocius annumeratur. ſed poſt hanc Confeſſionem editam: poſt agnitam Chriſti Deitatem: poſt vocem in Monte obauditam, *Hic eſt Filius meus dilectus*, tantâ laboraſſe ignorantiâ illum Baſilius cenſuit ſolum, è cæteris, & ſupra omnes, ut ὑποτίμησιν ἐνθεὶς τοῦ δέλεος τῷ δεσπότῃ, de tribus illis Tabernaculis ſomniaret. quam Petri ignorantiam, Lucas ὁ τοῦ Πέτρου μαθητὴς δημοσιεύει, ait Baſilius ille. Itaque non multum Seleucienſi illi Patri debetur, in cauſſâ prærogativæ, S. Petri. Spiritus Sanctus ἐναντίσθαι τὴν ἀπόκρισιν. ὁ γὰρ οὐκ εἶχεν ἡ γνῶσις, ἡ χάρις ἐφθέγγετο. Gratia ſonabat, quod cognitio non aſſequebatur.

Sed demus Baſilium, & Hilarium; addamus Chryſoſtomum, & 21
ejus exſcriptores Theophylactum & Euthymium: tamen opponimus ſecurè, Scripturarum Teſtimonia apertiſſima. Illuſtre illud de Nathaneele, de navigantibus cum Chriſto, ſedatâ tempeſtate, qui eum γονυπετοῦντες adorabant, *Verè Filius Dei es*, dicentibus, Confitentur, qui in naviculâ erant. Indiſtinctè ait Scriptura, non reſtrictim. ita omnes intelligit, nautas, vectores, Apoſtolos. Sin verò non illos omnes, ſed, quod Chryſoſtomo viſum, Apoſtolos tantum intelligebat, tum non illi, excepto Petro, ignorantiâ de Chriſto laborabant. Et certè, ſi tot & tantis miraculis illuſtrati, *nutu* & *imperio* editis, non *Invocatione* Divini nominis, ut virum tantum juſtum, & Prophetam venerabantur, nihil magni momenti animo conceperant, cum de tali & tanto viro, ne hoſtes profeſſi dubitarent, ſed profiterentur. Hic ſi nonnullorum, in Calvinum maledicentiam imitaremur, diceremus, Iſtos qui Catholicæ Ec-

cleſiæ tot locos de manibus excutiunt, in quibus Chriſtus paſſim, non à ſolo Petro, agnoſcitur Dei Filius, Arianis operam locare? Quocirca rectè Maldonatus, rejectâ illâ opinione, de aliorum ignorantiâ, Petri ſolius ſcientiâ, cum Abulenſi in contrarium pedibus ivit. Qui articulum illum, quem de Petro confitente urget Bellarminus, non minus de profeſſo Nathaneele urget, qui ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας, profeſſus eſt, Tu es, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Ille Filius Dei: non quivis: cum πολυώνυμος Deus ſit: Ille ſingularis, ἀληθῶς, κυρίως, quem Prophetæ prædixerunt, Patriarchæ expectabant. de quo dicebant, Ipſe veniet, & ſalvabit Nos.

22 Opponunt Hilarium, Seleucienſem, Chryſoſtomum: qui Chriſti ſcientiam, qua Filius Dei erat naturalis, ſoli Petro vindicant, ignorantibus cæteris Apoſtolis. nos opponimus Irenæum, Lib. 3. cap. 11. *Propter hoc, cognoſcunt eum hi, quibus revelaverit Filius.* & rurſus. *Pater per Filium, Filii ſui dat agnitionem, his qui diligunt eum: à quo, & Nathaneel diſcens cognovit, cui & Teſtimonium reddidit Dominus, quoniam verus Iſraëlita eſt, in quo dolus non eſt,* &c. addit τι πρὸς. *A quo & Petrus edoctus cognovit Chriſtum, Filium Dei vivi.* Opponimus item Tertull. contra Praxeam. cap. 21. *Certè Filius Dei ſemper: ſed non Ipſe cujus eſt Filius. Hoc cum Nathaneel ſtatim ſenſit, ſicut & alibi Petrus, Tu es Filius Dei. Hoc & Ipſe rectè eos ſenſiſſe confirmat, Nathaneeli quidem reſpondens, Quia vidi Te,* &c. Opponimus Cyrillum, in Commentario loci. *Noverat probe Nathaneel ſoli Deo, corda hominum patere. & illud Pſalmiſtæ infixum animo tenebat, ſcrutans corda & renes. Nulli namque alii, ſed Divinæ tantummodo Naturæ, hoc Propheta attribuit. Id cùm ineſſe Domino perſpiceret, & Magiſtrum, & Filium Dei, & Regem Iſraëlis profitetur.* Opponimus Auguſtinum. *Talem vocem protulit, Tu es Filius Dei, qualem tanto poſt Petrus, quando ei Dominus ait, Beatus es Simon Bar-Iona.* Et ſtatim, *Modo jam cognoviſti Chriſtum per Apoſtolos, quomodo Nathaneel cognovit per Philippum.* Falſum eſt ergo, quod obtrudunt ut certiſſimum, beatum Petrum excluſivè Myſterium illud magnum intellexiſſe. non eſt certum; ſed juris ſaltem controverſi. non Patrum, niſi paucorum calculo comprobatum: à Patribus aliis, authoritate præcipuis, ætate prioribus, repudiatum. Falſum ergo quod hinc obtrudunt, Petrum ſolum quid de Fide ſentiendum eſſet, fixiſſe Clavum. Certum nec eſt, nec de Fide eſſe poteſt, de quo Patres ita ampliarunt. Jeſuitarum etiam principes & eruditiſſimi contrarium ſtatuunt. Proximè congregandum Concilium Oecumenicum, poſtquam certam definivit eſſe & de Fide, Petri illam πληροφορίαν, aliorum omnium ignorantiam inferre, ad alia χρησφυγήλα nos conferemus. Interim acquieſcimus in negativâ.

23 Nec ad nos vel cauſſam noſtram ullo modo ſpectat, illa ſollicitè inſtituta diſquiſitio; quid tandem in cauſſâ fuerit, quod Petrum tunc confeſſum, *beatum* pronunciat Servator; Nathaneelem vero, illos συμπλέοντας, priores eandem rem confeſſos, non pronunciaverit perinde beatos: nec Martham, quæ poſteà idem vehementius, &

plus,

plus, fortè, profitebatur. Viderint ϛωικόποι quid Divino ſpiritui in cauſſâ fuerit, cur non ita pronunciaverit: illos, τῶν ὑποκρύφων urinatores magnalium μεγαπίλμους & μεγαλοπίβολους dictatores: ſua frui curioſitate patiemur. nobis ſatis eſt arripere in noſtras partes, quod rem ſpectat controverſam: & tamen poſſumus probabiliter dicere. Quod non Interrogati, ut Petrus, ſed ſponte confitentur. Quod tempus & ἀκμεία, omnibus rebus, nedum Divino conſilio conſtituatur, repoſitum in Patris poteſtate. Imprimis autem, quod illi ſoli & ſolitarii pro ſeipſis, de animi ſui ſententiâ loquebantur, publicam perſonam ſuſtinebat Petrus: & nec ſui ſolius animi cogitata, ſed nec pro ſe ſolo, profitebatur, ſed pro choro Apoſtolorum, universâ Eccleſiâ repræſentativâ; *Petrus*, inquit Hieronymus, *ex perſonâ omnium Apoſtolorum profitetur, Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi*. Erat ergo os omnium, ſic Chryſoſtomus. ὥσπερ τὸ ςόμα ἀντὶ πάντων τοῦ σώματΘ φθέγγεται· οὕτως ἡ γλῶσσα τῶν ἀποςόλων Πέτρος ἦν, καὶ ἀντὶ πάντων, αὐτὸς ἀπεκρίνατο. Itaque poſtremo, non Illum tantummodo perſonaliter Beatum prædicat, ſed in Illo, & per Illum, Eccleſiam, cujus ille tum πλήρωμα repræſentabat. Quod ſi perſonalis eſſet illa Petri confeſſio, putaverim haud conſtare, an Chriſti cognitionem habuerit Petrus majorem & explicatiorem, quam Nathaneel habuit, cùm Comprehenſivam, quam vocant, non haberet: & fortaſſis, non omnes illos gradus, qui apud Hugonem Victorinum Erudit. Theol. in Can. Miſſæ leguntur. Æternitatem nimirum apud Patrem. Æqualitatem cum Patre. Unitatem eſſentiæ. Identitatem exiſtendi. perſonalem diſtinctionem, & quæ aliæ ſpinoſius diſputantur proprietates. ſed de Confeſſione Petri ſatis; ſive, ut Baronio placet, Decreto per Petrum ſancito, in illo ſuo Concilio imaginario Utopiano.

Sequitur Decretum ἀντιπροΐεσμένον, quia per ſummum Eccleſiæ Monarcham, Jeſum Chriſtum, de ſubordinato, Vicariâ poteſtate, Monarcha Simone Petro, tractat. *Et Ego Tibi dico*, inquit Dominus; *Quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & Portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*. Illud, *Ego Tibi dico*, & authoritatem præ ſe fert, & firmitatem, ut nullo modo debeat, aut potuerit Petrus vacillare vel dubitare, cum Dei viventis Filium agnoverit, idem enim eſt, ac ſi diceret: Ego, quem Tu Deum confeſſus es, & ideò potentem & veracem agnoſcis, *Tibi dico*. Rectè ergo vocavit ἀξιωματικὴν illam ſententiam Exercitator. Nec ſugillanda Auguſtini expoſitio eſt, qui pronunciat, *Solus Petrus inter Apoſtolos meruit audire, Amen, Tibi Dico*. non enim excluſivè dicuntur illa, ſed Communicativè. Nam ut Petrus, pro cæteris Solus loquitur; ita Chriſtus Petrum pro cæteris Solum alloquitur. *Cæteri Apoſtoli*, Toſtatus inquit, *meruere Credendo, ſicut & Petrus: & præmium iis redditur. quia tamen Solus hic Petrus loquutus eſt: reſpondet ei Soli, Chriſtus, dirigendo verba ad eum. Et tamen verba quæ Petro dantur, pro hâc Fide, dantur etiam aliis, cum eadem eſſet Fides omnium*. Præmium ſequitur; *Tu es Petrus*. rectè Baronius cenſuit, in 24

 præ-

præſentiarum id Petrum eſſe hic jam fœliciter conſecutum, quod fuerat ante,ab initio ſcilicet,interventionis illi promiſſum. Dixerat, *Tu vocaberis Petrus.* dicit, *Tu es Petrus.* Quod Tibi dixi, dico Tibi. Non impoſuit ei nomen Cephas,ſed impoſiturum ſe ſtipulabatur. Quocircà nec eſt verior illa interpretatio, quam volunt, imo & Cavillus eſt, *Quomodo ſtabit promiſſionem factam à Chriſto Gratiam rependente, cum nullam Tunc fecerat Confeſſionem Petrus?* Quaſi Deus non vocaret ea quæ non ſunt,acſi eſſent. Quaſi non intuitivè, Confeſſionem illam fiendam prævideret, & ex intuitu diceret, *Tu vocaberis Petrus.* Hæc ſunt leviora, nec tam ferociter impetenda: illud gravius,de quo in ſuperioribus dicebamus,Petrum & Petram, ἀβασανίστως, pro una & eadem re,à Baronio habita. ſed & illud etiam leviuſculum, quod nominis attinet ſive Notationem, ſive Impoſitionem, τὸ ὑποκείμενον, vel potiùs τὸ ἐπιβαλλόμενον. plus eſt quod de Fundamento, Baſi, Monarchia,& neſcio quibus phantaſmatibus, ſomniant,qui *Tu es Petrus*,non modo τοῦ ἰσχυροῦ, ſed & τοῦ πάντων πέραν, extulere, & à Clavo,Foribus Eccleſiæ,per Petrum Dictatorem à Bethſaida, impacto,nec Clavium ponderi ſuffecturo(quas eidem appenderunt, qui Clavigeri velint eſſe ipſi,poſtquam & gladius accederet Pauli δίστομος) eunt properanter ad Lapidem, aliquo modo σεισοκόμματος factum, quia tantum non ἀκρογωνιαῖον, in fundo Eccleſiaſtico, ſeu Fundamento Eccleſiæ, beatum Petrum ſtatuunt.

25 *Quia ſolus credidit & intellexit, ita ſolus Fidei Clavum fixit, Fidei noſtræ, ſeu Eccleſiæ, Fundus, ſeu Fundamentum, Baſis ſeu Crepido dici poteſt.* ita Taliator Μικρολόγως, κατὰ Μικώνιον. diceret enim,ſolus Fundus, ſolus Fundamentum,ſolus Baſis,ſolus Crepido,eſt. Ita enim conſequi deberent illa, ſolus intellexit, ſolus Clavum fixit, non quod parciùs relatum eſt in Tabulam,Baſis,Fundus,Crepido. Infra Petri Dignitatem & Prærogativas ſubſident, illa ἀπλάστως, & ideò dilutius prolata in cauſſâ tam tranſcendenti. At enim ſolus,ſolitarium Fundamentum,non fuit Petrus. Ego quidem ita ſentio. Chriſtus enim ipſe ſaltem, honoris illius particeps erat, ſi non & Apoſtoli ſocii. Imo Chriſtus ſolus Fundus & Fundamentum, non Petrus. Siquidem verum ſit, *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, Ieſum Chriſtum*, 1 Cor. 10. Sed Chriſtus Fundamentum Fundamentorum, Petrus Fundamentum erat in Fundamento poſitum. *Cum igitur ego ſim inviolabilis Petra, Ego Lapis angularis, Ego Fundamentum*, ait Leo, Serm. 3. de Aſſumpt. ſua, *tamen Tu quoque Petra es, qui meâ virtute ſolidaris: ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint Tibi mecum communicatione communia.* Sed nec ſolus Petrus erat hoc modo Fundamentum in Fundamento: baſis ſuper baſin in Eccleſia locatus. Murus enim ille Civitatis illius quæ Apocal. 21. deſcribitur, habebat duodecim Fundamenta, non unicum: & in ipſis, Nomina duodecim Apoſtolorum deſcripta fuerant: ſed & Apoſtolus Paulus, eximium ipſe Fundamentum, Epheſ. 2. *Superædificatos* ait, *Epheſios ſuper Fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari Lapide Ieſu Chriſto. Quomodo autem*

Apoſtoli omnes cum Petro, Fundamenta.

Funda-

Fundamenta Prophetæ & Apoſtoli, inquit Auguſtinus? *& quomodo Fundamentum Chriſtus Ieſus, quo ulterius nihil eſt? quomodo putamus? niſi quemadmodum apertè dicitur ſanctus ſanctorum, ſic figuratè, Fundamentum Fundamentorum. Si ergò ſacramenta cogites, Chriſtus, ſanctus ſanctorum: ſi Gregem ſubditum, Paſtor Paſtorum; ſi fabricam cogites, Chriſtus Fundamentum Fundamentorum.* Rectè autem Chriſtus Fundamentum ſtatuitur Civitatis ſanctæ: Ædificationis ſpiritualis. Apoſtoli Fundamenta ſunt cum Fundamento, in Fundamento, ejuſdem Civitatis: & Petrus, inter Apoſtolos eminentiori quodam modo: non tamen ut ſeparatum ab aliis, ſine aliis, ſuper illos, Fundamentum reliquorum, & ideò Fundamentum Fundamentorum. hoc nullus è Patribus dixit, cogitavit, ſomniavit. Chriſti enim ſolius Privilegium eſt Fundamentum eſſe Fundamentorum. *Sunt Fundamenta Prophetæ & Apoſtoli*, inquit Auguſtinus, ubi ſupra, *Quia eorum authoritas portat infirmitatem noſtram. Quarè ſunt portæ? Quia per ipſos intramus in regnum cœlorum. Prædicant enim nobis, & cum per ipſos intramus, per Chriſtum intramus. Prædicavit Iohannes, prædicavit Iacobus, prædicavit ſupra omnes B. Paulus. Ergo per Iohannem, Iacobum, præcipuè Paulum, introitum habemus in regnum cœlorum.* Non per ſolum ergo B. Petrum, quaſi Cœleſtis clavigerum Aulæ. Ita Jacobus, Johannes, Paulus *portæ* ſunt, non ſolus Petrus. Jacobi authoritas, Johannis authoritas, Thomæ, Matthæi, aliorum authoritas, præcipuè autem beati Pauli, portavit *noſtram infirmitatem*. Ita quidni & illi, æque atque Petrus (niſi quod neceſſe eſt, ut ordo aliquis ſervetur, in progreſſivâ multiplicatione) ſint Eccleſiæ ædificandæ Fundamenta? Quod ſi Petrus, à primo, principali, & ἀκρογωνιαίῳ Chriſto, proximè locatus in ædificatione ſpirituali Lapis, baſis ſit & ſuſtentaculum proximi, Andreæ puta, Johannis, Jacobi, (nam in catalogo variant Euangeliſtæ) quidni Andreas, proximus Petro, Johannis fuerit, & ille Jacobi ſuſtentaculum & ſufflamen? Matthias ita, vel Paulus potius ille *Abortivus*, nullius fuerit in hoc ordine, & ſcalâ Climactericâ Fundamentum. ſic Simon ille Barjonæ, Erit Gallinæ Filius albæ, *Hi viles pulli & nati infælicibus ovis*, abſurdè.

At Patres ferè omnes: certè non pauci, neſcio quid eximium & [illegible] B. Petro paſſim adſcribunt. Magnum appellant Eccleſiæ Fundamentum. Solidiſſimam Petram, ſuper quam Eccleſiam fundavit Chriſtus: Lapidem ad Fundamentum, Columnam ad ſuſtentamentum, Clavem ad Regnum, Caput Eccleſiæ, Membrorum verticem, immobile Fundamentum & Crepidinem. Ἔξαρχον κεφαλὴν τῶν Ἀποστόλων, βάσιν πίστεως, θεμέλιον τῆς Καθολικῆς Ἐκκλησίας, Πέτραν, κορυφαῖον, κρηπῖδα. Vocant agnoſco; nec detrahimus titulis, aut invidemus nos quos vocant Novatores. Sed non ita vocant, in damnum & præjudicium reliquorum Apoſtolorum. non quaſi ſolum & ſolitarium illis titulis honorandum. Rem minimè dubiam, ad ravim ingerunt advocati. ſed quam piſcis magis muti & ἀφωνότεροι, de ſolo Petro, tali & ſolitario. Poſſum ego è meo paupere penu plura hujus generis

In Pſal. 86.

26 Petri Tituli.

neris ſuggerere. Nam cui non è Patribus, hic *Clamatus Hylas?* Et ob B. Petri reverentiam, quædam repræſento. ἔρεισμα Ἐκκλησίας, audit apud Nazianzenum in Apologia. aliis πρῶτος, κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων. & Chryſoſt. To. 6. pag. 472. Πέτρος ἐν ἀποστόλοις πρῶτος ἐκήρυξε τὸν Χριστόν. Erat Petra, & claves habuit, Nazianz. pag. 51. *Petrus in Primatu Apoſtolorum, Martyrii gloriâ coronatur*, Aug. de Bapt. c. Donat. 7. 1. Τὸ στόμα τῶν μαθητῶν κορυφαῖος. Iſidor. Peluſ. 1. 142. Ἀπαρχὴ τῶν ἀποστόλων, Modeſtus Hieroſoly. Epiſcopus. Petrus, διὰ πίστεως ὑπεροχὴν, ἐφ' ἑαυτὸν τὴν τῆς Ἐκκλησίας οἰκοδομὴν δεξάμενος. Baſil. Tom. 2. p. 141. *Ædificandæ Eccleſiæ, Petra*, Tertull. p. 238. Chryſoſt. in Matth. 356. Τὰ ἐξαίρετα Πέτρου ἐγκώμια commemorat. & in particulari Principatum, κορυφαῖον χόρου πρωτότοκον, θεμέλιον Ἐκκλησίας. Ei primas concedit Johannes, τὸ στόμα τῶν ἀποστόλων. Epiphanius, p. 500. hæc de eo. ἅγιος Πέτρος ὁ καὶ κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων. ὃς γέγονεν ἡμῖν ἀληθῶς στερεὰ Πέτρα, θεμελιοῦσα τὴν πίστιν τοῦ Κυρίου.

27 *Iohannis encomia.* Sed hæc ſunt λεπτολογήματα τῆς πίστεως, dicebat ille. Nihil planè operantur. nam non minus honorificè de aliis, imprimis Johanne, loquuntur Patres. Ὁ γὰρ τῆς βροντῆς υἱὸς, inquit Chryſoſtomus, ὁ ἀγαπητὸς τοῦ Χριστοῦ. ὁ στῦλος τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην Ἐκκλησιῶν, ὁ τὰς κλεῖς ἔχων τῶν οὐρανῶν. In præjudicium proculdubio beati Petri, & ſucceſſorum, ait, *Illum Columnam extitiſſe Eccleſiarum, per terrarum orbem, & Claves geſtare regni Cælorum.* Quid reſtat Johanni ad τὰ ἴσα πρεσβεῖα; aut Epiſcopo Epheſino, ad ἀυτοκρατορείαν Romanam? dormitis hic judices Expurgatorii? neque tantum Etonenſes noſtri (quorum tamen Editio Chryſoſtomiana, miſſa per Clariſſimum Savilium, approbatore Reverendiſſimo Bellarmino, in Bibliotheca reponitur Vaticanâ) ſed & Fronto quoque vir Græcè doctiſſimus, & Chryſoſtomi editor fideliſſimus, è ſocietate, non noſtrâ Confeſſione, ita ſcriptum in ſuis codicibus reperit. an lapſus eſt humanus, in Chryſoſtomo, ut erat alius in Auguſtino, cenſore Stapletono, quo Petrum ipſum, illam Petram non agnoſcit? Certè Johannes, Jacobus, & Cephas, ab ipſo Paulo vocantur στῦλοι. & præter illos, Andreas, Philippus, ipſe imprimis Paulus, στῦλοι τῆς Ἐκκλησίας jure merito nominantur. Ὅταν Παῦλον εἴπω, τὸν Χριστὸν λέγω, ait Chryſoſt. Ubi Paulum dixero, Chriſtum dixero, Tom. 6. p. 381. Rationem reddit alibi. Χριστὸς γὰρ τὴν μακαρίαν ἐκείνην ἐκίνει ψυχήν. Neque ſolum apud Chriſtianos Paulus, ſed apud Judæos & Gentiles, μάλιστα πάντων ἀποστόλων θαυμάζεται, & veluti, τεῖχος ἐξ ἀδάμαντος κατασκευασθὲν, ſic, τὰς πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης Ἐκκλησίας τειχίζει. Neque

Pauli. hiſce contentus elogiis Chryſoſtomus Petro, multis quidem gradibus antetulit. Nam pag. 99. οὐδεὶς ἐκείνου μείζων ἀλλ' οὐδεὶς ἴσος. Idem tamen Chryſoſtomus alibi de Petro tam honorificè loquitur, ut nullum, ne à Jeſuitâ, decantatum Elogium, ad Chryſoſtomiana præconia aſcendat. Non enim contentus dixiſſe, τῶν ἀποστόλων κορυφαῖον, Tom. 6. pag. 8. ait, Ἐκείνῳ καὶ τοῖς μετ' αὐτὸν τὰ πρόβατα ὁ Χριστὸς ἐνεχείρισεν. Et ne quis πρόβατα fortaſſis coarctaret, ad caulas Antiochenas, vel Mapalia Romana; ubi volunt Petrum præfuiſſe cum Epiſcopatu, pag. 357. latiſſimas hiſce ovibus regiones aſſignat, quas regendas acceperat B. Petrus. ὅπως ἄρτι ἀπηλλάγη, ὡς καὶ πρῶτος τῶν ἀποστόλων

Digitized by Google

ἐπέθηκαν περὶ τῆς οἰκουμένης ἅπασαν ἐγχειρισθῆναι. In his plus aliquantum reponitur, quam in Fundo, Fundamento, Crepidine, Baſi, Columna. Verum non ita Petrum efferre volebat, ut Pauli præjudicaret authoritati: illum enim ita admirabatur, ut in ejus præjudicium nunquam Petri cauſſam tueretur. Cujus tanta erat, ait, apud omnes Chriſtianos admiratio, ut nemo illi ſuppar, ne Petrus quidem ipſe, haberetur. Et fortaſſis hinc factum, ut Romanæ potentiæ immoderatæ Architecti, Paulum in partes cum Petro aſſumerent, veriti, ne per ſolum Petrum, ad tam immane faſtigium non aſpirarent. Idem certè Chryſoſtomus, qui adeò μεγαληγόρως de Petro loquebatur, ut πᾶσαν illi [illegible] ἐγχειρισθῆναι diceret, ἀλλὰ μέτριον alibi de eodem dicitur loquutus, καὶ γὰρ ὁ μακάριος Παῦλος, αὐτὴν μετεχείριζε τὸν λόγον, καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ λόγου βοήθειαν, καὶ τοί γε ἀπὸ τῶν σημείων πανταχοῦ θαυμαζόμενος· καὶ ἕτερός τις τῶν ἐκ τοῦ χοροῦ παραινεῖ ταύτης ἐπιμελεῖσθαι τῆς δυνάμεως. *Etenim beatus Paulus, dicendi illam facultatem uſurpavit, utcunque eſſet ubivis locorum admirationi propter miracula. Et alius quidam ex illo ſodalitio, hortatur, uti illius facultatis habeatur cura.* quam magnificè de Paulo? quam jejunè & tenuiter de Petro? nam Petrus eſt ille ἀνήρ quem intelligebat: apud quem leguntur illa quæ recitantur Epiſtolæ prioris cap. 3. 15. Infra faſtigium illud ὑπερήφανον quod à quibuſdam extruitur: Alius quidam, ſubſiſtit parum honorificè aut è dignitate.

Priſci primitivæ Eccleſiæ μυστικοί, interdum de *primo, principe,*
Corypheo, Apoſtolici chori ita ſcribunt, ita loquuntur; nec Caput 28
Fidei, Fundamentum, Baſin, Crepidinem, aut Columnam, Petro,
vel Petri ſucceſſoribus κοινολογουμένως adſcribunt. Primatum Petro
largiuntur, Principem locum aſſignant, velut Fundamentum Ecclesiæ recipiunt, Coryphæum agnoſcunt Apoſtolorum. Quos omnes & ſingulos; etiam plures titulos, agnoſcit, & confert ei Eccleſia Anglicana. Primatum ordinis, & Canonicæ Poteſtatis, Principatum ſententiæ, vel rogandæ, vel ferendæ non inficiamur, ſed non Legum αὐθεντικῶν ſcribendarum: non reſcribendorum edictorum αὐτοκρατορικῶν. Fundamentum erat Eccleſiæ, ſed non primarium. Fundamentum in Fundamento non Fundamentorum Fundamentum. Ultra terminos antiquos ſi non egredimini, terminos antiquos non movemus. Primatum damus. Fatemur Principem: Ante cæteros, non Supra omnes. Eccleſiam damus ædificatam, non tantum ſuper Illam, hoc eſt, Fidem: ſed ſuper Illum, Petri perſonam; ſuper Petri imprimis Confeſſionem. Fidem Petri ore promulgatam: Fidei objectum Jeſum Chriſtum. Super Te: ſed poſt, Super Me. Nec hic ἰὼ Triumphe, concinatis. Hæc Conceſſio, hæc Confeſſio, Nihil facit ad Monarchiam, vel Temporalem, vel Spiritualem. Talis Principatus, Primatus talis, Gregorius aliquis, Innocentius tertius, Alexander ſextus, Julius, Sixtus ſecundus, Quintus, alii quidam Imperioſiſſimi homines, & turbines terrarum arrogaverint, de quibus illud Dionis Chryſoſtomi uſurpes, ἐπεὶ ἄγαν πολὺ ὑπὸ δόξης διεφθαρμένοι τὰς ψυχάς, οὐδὲ μᾶλλον ἐπιθυμοῦσιν διαβοήτοι γενέσθαι τῆς μεγάλης ἀπηλλάχθαι, ἢ μηδὲν κακὸν ἐργάσασθαι ἐγκλήματος. At non opinor

animitus,

animitus, eum imbibere ambitionis τυφὸν: Adrianus aliquis ſextus, Marcellus ſecundus, Pius quartus, Clemens octavus, aut cum paucis memorandus, Urbanus octavus, illa morum & eruditionis celebritate. Ὁ τρισμακαριώτατος καὶ πανεύφημος Πέτρος ἀπόστολος, ὅς ἐστι Πέτρα, καὶ κρηπὶς τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας, καὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ὁ θεμέλιος, ad aliquorum ὑπεροχὴν ὑψαυχένα, & ἀλαζονείαν intolerabilem non aſpiraret. humilis diſcipulus, illius τοῦ ἐν μορφῇ δούλου exinaniti. & εἴ τις αἴσθησις ἐκεῖ, ut cum Nazianzeno loquar, beata illius anima deteſtatur, tam inauditam olim, ὀφρυώδη δεσποτείαν.

29 Sed fortaſſis, ſalva res eſt, quia reverſi ſunt ad Corſuum emanſores. Legimus enim in Talione, *Divus Petrus, dum Chriſtum pronunciat Filium Dei, non ille nunc primum, Rem illam veram & Fidei in ſe, eſſe facit, ſed profeſſione ſuâ nobis præit, ut eidem Credulitatem adjungamus.* Rectè. Ita enim Vincentius Lirinenſis in Commonitorio. *Quid aliud Conciliorum Decretis enisa eſt Eccleſia, niſi ut quod anteà ſimpliciter Credebatur, hoc poſteà diligentius Crederetur? Quod anteà lentius prædicabatur, hoc poſteà inſtantius prædicaretur? Quod anteà ſecurius colebatur, hoc poſteà ſollicitiùs excoleretur?* Cardinalis autem Baronius, ſi νεκρῶν κευθμῶνα, καὶ σκότου πύλας λιπών, in dias Luminis oras reverteretur, tam exilem & fere nullam poteſtatem, ad Greges, aut Haras relegaret. Nam ad annum 337. Sect. 21. ita habet. *Ut planè appareat, ex arbitrio pependiſſe Romani Pontificis, Fidei Decreta ſancire: & ſancita mutare, atque decernere quibuſcum à reliquâ Eccleſiâ communicandum eſſet.* Plus hoc eſt quam, *profeſſione ſuâ nobis præire, ut eidem Credulitatem adjungamus.* Ita incerti ſunt, ut videtur, ubi pedem figant. Certè nemo negaverit quod ulterius urgetur. *Unus & idem*, nempè Petrus, *diſcipulus eſſe poteſt reſpectu Dei & Chriſti, & Doctor reſpectu Eccleſiæ, & Collegarum.* non magis hoc ignoramus, quam Jacobum, Iſaaco genitum, potuiſſe dici, & fuiſſe Joſephi genitorem. Non erat ergo opus, ut ab Hippolyto aliquo neſcio quo, admoneremur, διδάσκαλον illum τῆς Ἐκκλησίας, πρῶτον μαθητὴν fuiſſe Servatoris. Non hoc, ut comminiſcuntur ſomniavit, nedum ſerio ſentiebat Exercitator. Non negavit Petrum Magiſtrum fuiſſe nonnullorum, quoniam erat in diſcipulis Jeſu Chriſti: ſed in eo toto Colloquio quod transformat Baronius in Concilium, ubi partes Diſcentis ſuſtinebat, non ſimul, ſervatis Oppoſitorum legibus, & Docentis partes ſuſtinuiſſe. Qui diſcipulus eſt, quà diſcipulus, non poteſt eſſe Magiſter & Informator eorundem ſcilicet. Caſaubonus abſurditatem illam perſtrinxerat: & meritò, quâ volebat Baronius, in eo Concilio cui Chriſtus ipſe interfuit, præſens, Confeſſorum aliquem, B. Petrum, ferre Leges de Fide. Ita enim, ſi Dominus Chriſtus Cœlo redux, αὐτοπροσώπως intereſſe vellet Concilio alicui Oecumenico, in ſecundis conſideret, & inter ferentes ſuffragia numeraretur, P. R. primas, præcipuas, totales partes obtinente. Nam ſi Chriſtus ipſe præſens, in Concilio *primo*, & ideò omnium Conciliorum *archetypo*, Petro auditori loco ceſſit, & prærogativâ, ut conderet Fidei Canones, quos ipſe ſubſcribendo,

Digitized by Google

ſubſcribendo, poſt Præſidem, haberet ratos: ecqua erit deinceps diſceptatio ad quem debeat pertinere, Fidei Clavum figere? Ita ſuper hanc Petram, id eſt, Petri perſonam, ſucceſſorem, ejus Beneplacitum Credenda omnia de Fide, figenda & refigenda ſunt. Concluſio ergo ſtet, Nuſquam Concilii forma, vel effigies, reſultat, in illo Chriſti colloquio cum Apoſtolis. Cardinalis non perſuadet novitatem ſuam.

Δὶς κράμβη θάνατος. at nos oporteat, nauſeantes, eandem ducenties recoctam, de Petri principatu devorare. Ideoque poſt aliorum hac de re altercationes, nobis cum Bulengero Diatripta res tranſigetur, quem κατὰ πόδα conſectamur. Non invitus conceſſit Caſaubonus, Petrum inter Apoſtolos Principem locum obtinuiſſe. Petrus, Jacobus, Johannes, πρὸ τῶν ἄλλων ὄντες καὶ ἀειδυμένοι. Itaque φέρεσι τὴν προτίμησιν etiam οἱ ἄλλοι. ſed rectè negat Petrum ita πρῶτον, velut Caput: aut ita cæteris præſtitiſſe, ut cæteri ad nutum famularentur Condiſcipulatus: cæteros æquabat, & tamen πάντων ἄκρον ὑψηλῶν καὶ ἄξιον ἐκλογῆ, ὁ μὲν Πέτρα καλεῖται, Tu es Petrus. Qui porro primum locum κατ᾽ εὐταξίαν tribuit Petro, is etiam aliquam inter Apoſtolos, & ſupra Apoſtolos dignitatem jubet. At illa aliqua, non eſt omnimoda, ſed limitata. quæ reſtrictio, non inducit, quod retur, ἀταξίαν. Nam Tu Taxiarcha, qui ut ille in Poëta, κλιτὸς ὡς ἐπιπωλεῖς στίχας ἀνδρῶν, quem poſtremo loco ſtatuis Apoſtolorum, ut ſic βαθμηδὸν deſcendat principatus? Vertex erit Petrus omnino omnium, citrà controverſiam de Andrea, Johanne, Jacobo, ob Euangeliſtis mutatum ordinem, lis erit conteſtata. Judas & merito, ob proditionem fortè, ſed extra proditionem, quæ cauſſa capitis imminuti, ἔστι δωδέκατος, οὐδ᾽ ἐν λόγῳ, οὐδ᾽ ἐν ἀριθμῷ; Matthias, allectus Judæ, Optio, tanquam ἱεραγὸς nulli præerit, ſubjicietur omnibus. O quanta ſenſus tui levitas! & quanta judiciorum inconſtantia! ut tuum tibi regeram *apophthegma*. ſciendum verò, ubi aliquid primum eſt propter εὐταξίαν, aliquid ultimum ob eandem cauſſam, non eſſe Dignitatem illam advocandam, qua *Reges Gentium dominantur iis*. Sed B. Dionyſius Areopagita Petrum vocat κορυφαίαν, καὶ πρεσβυτάτην θεολόγων ἀκρότητα. ſcriptorem agnoſco eruditum, elegantem, & antiquum. ſed vix illum quem exiſtimant. Quiſquis fuerit, nihil dicit. Nam eſto πρεσβύτατον, ἐντιμότατον tamen θεολόγων erat, non μοναρχούντων, κράτιστος. nec Romana Eccleſia per illum magis quam erat Antiochena, lemniſcata. ſiquidem Baſilius ὁ μέγας, de Antiochiâ ait. Τί δ᾽ ἂν γένοιτο ταῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην ἐκκλησίαις τῆς Ἀντιοχείας καιριώτερον; ἣν εἰ συνέβη πρὸς τὴν ὁμόνοιαν ἐπανελθεῖν, οὐδὲν ἐκώλυεν, ὥσπερ κεφαλὴν ἐῤῥωμένην, παντὶ τῷ σώματι ἐπιχορηγεῖν τὴν ὑγίειαν. In præjudicium nimirum, Romanæ Eccleſiæ. 30

De Eccleſiæ Monarchia, Trita ſunt omnia, etiam Tonſorum pueris. Inter πολιτειῶν formas, Monarchia ſimpliciter optima: non autem ſemper & ἀπολύτως. ſecundò, non ſemper, licet plurimum, Eccleſia ſequitur ſtatum Civilem: ut quod optimum in uno, & in altero ſit. Nec quod Monarchia deſcendit à Cœleſtibus ad Terrena, ideò à Terrenis ad Cœleſtia traduci poteſt. In Cœlo, ſed & 31

 in

in univerſo, unus eſt Monarcha, Optimus, Maximus. At nec eſt, nec Erit, nec Fuit in terris. Non poteſt revolutis omnium ætatum Annalibus in terra talis Monarcha reperiri, qualis in Cœlo dominatur: qui ſimpliciter omnibus & abſoluto imperet imperio. Nec planè negatur in Eccleſia Monarchia. Nam Epiſcopi interdum ita appellantur. ſed Monarchia Capitis abſoluti, Vicarii viſibilis, ut unus in terris Militanti Eccleſiæ præſit, quomodo & Militanti, Triumphanti, unus præeſt in Cœlis. Probare vult hoc Cardinalis per illud, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* ſed ut omnia concedantur quæ non dantur, nihil planè probatur, niſi accedat excluſiva, *Te ſolo.* Mirabile argumentum ad hoc probandum, quòd Oravit pro eo, ne deficeret Fides ejus. Quaſi Principum Fides, adeò eſſet vel in Lubrico, vel ὑπεροχῇ conſtituta, ut oratio pro Fide ne deficiat, conſervet inexpoliabilem principatum. Faceſſat Principatus, ubi agitur de defectu Fidei. Orabatur pro Uno, actu ut aiunt, primo. Intentione & Actu ſecundo, pro cæteris. Ideò pro Illo uno, quod ex omnibus ille per Abnegationem Chriſti, erat incurſurus periculum deficiendi à Fide. *Chriſtus*, profitemur, cum Gregorio, *Caput Eccleſiæ univerſalis, Petrus primum membrum ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ.* Barlaam Heracleenſis, rectè ſcripſit, πλῆθος τῶν ἀρχῶν, καὶ ἀναρχία τῆς ἀταξίας ἐστὶν ἀρχή· ἐξ ἀταξίας λύσις. ἡ δὲ λύσις ἀλλότριον θεοῦ. Ex alio Barlaamo, non minus rectè citatur, Hæc tam laxè prolata, Ἀναγαγεῖν oportere, ἐπὶ τὰς κοινῇ ὁμολογημένας ἀρχάς, Monarchiæ autem, ſecundum illa principia, partes ſunt multæ. Totum Monarchicum, ex aggregatione illarum conſtituitur. Simplex eſt, & abſolutum, omnino Dominium. Independens planè, & ἀνυπεύθυνον. Monarchia imprimis, Dei eſt & dicitur, attributum. Chriſti hominis ſolius in Eccleſia. Cum à Deo receſſeris, & à Chriſto, nuſquam reperitur Monarchia ſimplex. Eſt ab illâ, altera, Mixta & modificata. ſed non una, nec univoca. Iſtius pars eſt, Prærogativa ſententiæ primæ. executionis authoritas, pars. Ordo, εὐταξία, conſeſſus primus, pars. Propter Bonum Totius, eſt Ordo inter partes. Ratione Finium Monarchia agnoſcitur. Ita Oculi μοναρχοῦσιν in videndo. Manus μοναρχοῦσιν in agendo. Hic obtinet illud, ut in multis aliis, πλῆθος τῶν ἀρχῶν, ἀταξίαν & λύσιν operatur. quod ante Barlaam, dicebat D. Paulus, ubi differit de membrorum in corpore uſibus, & εὐταξία. Hanc Eccleſiæ praxin Nos Novatores & Ante probavimus, & nunc laudamus, & omnibus proponimus ambiendam. Nec unquam obtinuit, per Eccleſiam, Monarchia illa abſoluta, quam ſunt qui tuentur in Eccleſia. Chriſtus enim arbitrio ſuo (tanquam ſolus Monarcha abſolutus) nutu, & præſentiâ ſuis, *Præpoſitos ipſos, & Eccleſiam gubernat cum Præpoſitis*, inquit Cyprianus, Epiſt. *69.*

32 Citaverat Joſephi Teſtimonium Caſaubonus, de populi Judaïci politiâ Ariſtocraticâ. Bulengerus negat, utri credetis de rebus Judaïcis Joſepho, an Bulengero? Ἀριστοκρατία μὲν οὖν κράτιστον, Joſephus ait, Lib. 4. cap. 8. καὶ μὴ λάβοι πόθος ὑμᾶς ἄλλης πολιτείας, ἀλλὰ ταύτην στέργοιτε.

Joſephus

Joſephus ſtatum Judaïci populi ſub Moyſe, Joſua, & Judicibus ait fuiſſe Ariſtocraticum. & rectè. nam aliàs in Saule Rege, non Formam Regiminis, tantum perſonam mutaſſent. Inſanire didicit Bulengerus, à Controverſiarum magno Magiſtro: cujus hic oſcitantia ad Philoſophorum Scholas, & Politicorum dictamina relegetur. Quærit ille ſatis importunè ubi legerit Calvinus Judæorum Remp. fuiſſe Ariſtocraticam. Legit illo in loco, legit & alibi apud Joſephum, Antiq. 11.4. Κατῴκησαν ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις πολιτείᾳ χρώμενοι ἀριστοκρατικῇ μετ᾽ ὀλιγαρχίας. Legit apud Baſilium in Epiſt. p. 1170. Ἐπανελθόντες δὲ οἱ περὶ τὸν Ζαλαθιὴλ καὶ Ζοροβάβελ, δημοτικώτερον καθηγοῦντο τοῦ λαοῦ, τῆς ἀρχῆς λοιπὸν, ἐπὶ τὴν ἱερωσύνην μεταπεσούσης. Nec minus ineptum & alterum ὑπόφθεγμα, potuiſſe Deum, Eccleſiam ſuam, ſive ſub Monarchico, ſeu Ariſtocratio, ſeu Democratico Imperio cuſtodire. Quaſi aliquis Chriſtianus hac de re dubitaverit. ſed quid hoc ad Iphicli boves? Magis ſapere videtur è Cypriano, *Epiſcopatus unus*. ſed ſequentia ſenſum explicant. *Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus*. Item, *Exordium ab Vnitate proficiſcitur.* Exordium non eſt ὑπεροχὴ, ſed βαθμὸς ad illam, & Aſcenſionis gradus. licet Infimus, & Terræ propinquiſſimus. & *Primatus Petro datur:* ſcilicet, Unitatis, aut Exordii. *Vt Chriſti una monſtretur Eccleſia & una Cathedra.* Nempè non ſchiſmate diviſa, & diſpertita, ſed Fide verâ, charitate vivâ, ἀδιασπάστως colligata. *Vnitatis originem*, dicebat Cyprianus, *ab uno incipientem, ſuâ authoritate diſpoſuit.* hoc eſt, quod prius Exordium dicebat, *Nam erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus: pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis.* Itaquè Epiſcopatum unum & indiviſum, non autem Epiſcopum unum dicebat. Hilarius igitur, Ro. ipſe Pontifex, Epiſcopalem πολιτείαν Monarchiam appellat, cum per ſingulas παροικίας ſinguli Epiſcopi conſtituantur, ſed infra Romanum Epiſcopum tamen. Aio. & *ſub eo*, etiam: utpote Patriarcharum primo. ut infra Cantuarienſem, & ſub eo Metropolitano, ſunt Epiſcopi Londinenſis, Wintonienſis, Ciſſaceſtrenſis, alii per Angliam: cui & Canonicam jurant Obedientiã. Hoc eſt quod Caſaubono, ridiculè oggerit Diatriptes: per Eccleſiam primitivam, Epiſcopos cæteros Pontifici primas conceſſiſſe. rectè. Primas, non Principatum; Pontifici, non Monarchæ. Beati Petri ſucceſſori: non ViceDeo. Limitatam, ut inductam per Canones poteſtatem, non Omnipotentiam θεομαχοῦσαν. Magna potentia, non eſt maxima. Ordinis conſervandi cauſſâ inſtituta, non eſt Tyrannidis exercendæ: Eccleſiaſtica, non eſt ſæcularis. Rebelles aut transfugæ à Catholica fide, legitimis ſuppliciis coerceri poſſunt ſine illâ Imaginariâ, ſummâ, abſolutâ poteſtate. Ita coercebantur per Heroïca prima Apoſtolica tempora. itaque fugatur, ut ſæpè, Bulengerus, qui immenſam illam poteſtatem advocat, ad hominum impudentiam conſtringendam.

Quæſitum eſt autem cur Petrus, ut primus, ita ſolus ad Chriſti 33
illud ζήτημα, *Quem me dicunt Filium hominis eſſe*, reſponderit. Multa ſunt à Patribus hic reſponſa, ait Exercitator. Baronius ad unicum

adhæreſcit, *Quia Princeps erat Petrus*,& Monarcha Apoſtolorum: at hoc eſt, αἰτιᾶσθαι τὸ ἐν ἀρχῇ. Alii,ut dictum eſt,ad ignorantiam aliorum diſcipulorum referunt. ſed quid Tum Fides & Poteſtas ἐξ ἀντιστρέφονται; Is qui Fide cæteros antecellit,non ſemper antiſtat Authoritate. De abundanti *ſcientia* Petri,accedit ad partes Euſebius, ſed non ἐν τῷ νῦν, poſt Reſurrectionem. Nam è Clementis Hypotypoſibus ait, Lib. 2. cap. 1. Ἰακώβῳ τῷ δικαίῳ,καὶ Ἰωάννῃ,καὶ Πέτρῳ,μετὰ τὴν ἀνάστασιν παρέδωκε τὴν γνῶσιν ὁ Κύριος· οὗτοι τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις παρέδωκαν. Non probo, τὸ ῥητόν· ſed eſt nihil ad rem,quia poſt ἀνάστασιν. Deinde non reſpondet Quæſtioni. Alii ἀρετὴν allegant,ut Euſebius etiam, & poſt eum Chryſoſtomus, τοῦ ἀνδρός. ſed ἀρετὴ multiplex eſt. Et in quibuſdam, Johannes: alii, in aliis Petro antecedebant. Chryſoſtomus ipſe ex animi ſui ſententiâ, triplicem aſſignat rationem, τὸ θερμόν. quod ἐμπεπιστευθεὶς Gregem Chriſti, quod πρῶτος χοροῦ Apoſtolici. Non ergo cum Baronio conſentiebat. Multo minus in eo ubi ait, πάσης κενοδοξίας ἐκτὸς ἦν, καὶ πρὸς ἓν ἑώρα μόνον. Nam qui Petro vindicant τὰ πρωτεύοντα, ventoſiſſimâ ab ambitione feruntur. Erat ille alienus ab ambitione. Quocirca nihil αὐθεντικῶς, nihil ἀρχοντικῶς faciebat. ſed Modeſtiæ illud,ait, adſcribendum. Utinam hanc Modeſtiam imitarentur, οἱ μελαγχολῶντες. Sed τότε ἐπισκοπή ἦν, ἢ τιμή, nimirum Epiſcopatus. agnoſco, exóſculor, & cum Chryſoſtomo voveo, τοιαύτας βούλομαι τὰς ἐκκλησίας καὶ νῦν εἶναι. Et eſſent, modo voluiſſent, Petri exemplum, Petri ſucceſſores omnes imitaturi. Sed tamen de Modeſtia Chryſoſtomum minus rectè interpretatur. Johannis erat illa, & non Petri Modeſtia, quam prædicat, ὁ χρυσοῤῥήμων. Ὅρα τὴν τοῦ Ἰωάννου ἐπιείκειαν. quorſum vero commendat? Quia erat Ἱεροσολύμων Ἐπίσκοπος, ubi Petrus διαλέγεται, de Judæ ſucceſſore eligendo: cui nihil erat juredictionis in alienâ provinciâ. Ait ſecundò, Ὅρα καὶ τῶν ἄλλων μαθητῶν, τὴν ταπεινοφροσύνην. Quare vero? πῶς αὐτῷ συγχωροῦσι τοῦ θρόνου; Quid ais, Os aureum? συγχωροῦσι. Debebatur illi Thronus quilibet jure ſuo, optimè. Laudaſſet Obedientiam, non Humilitatem. Pergit ineptire. Paſtor Ovibus, Credo, major Eſt, & Ovilibus, In quantum Oves; Sacerdotes anteeunt Regibus. ſed illud ἀλλόκοτον, Paſtorem Petrum, cæteros Apoſtolos tantum Oves. Errones μελαγχολῶντες ſic interdum balbutiunt. Nullus νῦν ἰσχῦον, apud ſæculum prius. Quid in loco motos, capite cenſos, cum Celſo impuro nebulone apud Originem? Ἐπιῤῥήτους ἀνθρώπους, τελώνας, καὶ ναύτας, τῇδε, κἀκεῖσε ἀποδεδρακέναι blaſphemas, αἰσχρῶς καὶ γλισχρῶς τροφὰς συνάγοντας. Apoſtolorum munus eſſe Paſcere, & non Paſci, norunt Theologaſtri. Eos cum illo, hoc eſt Petro, nos ſuſcipimus omnes, ait Ambroſius; Qui parem poteſtatem Apoſtolis datam, Qui pari præditos conſortio & honoris & poteſtatis, is niſi Paſtores agnoverit & non Oves, mittendus in paſcua, Anticyras. Os erat Petrus Apoſtolorum. rectè: & Aron Moſis os: Non tamen imperabat; potius ut Os, ad nutum animi imperantis loquebatur.

34 Ad tua παιδικὰ paulisper deveniendum eſt, Literator, κορυφὴ, τὸ μεσόκρανον, ut è Grammaticâ nos docet, qui moleſtè tulerat Grammaticam

ticam Caſaubonianam. Attollit fortaſſis eum ultra Os & linguam κορυφαῖος & ἔξαρχος Apoſtolorum, ſed quò? ad aliquam poteſtatem. & quis hoc negat? non ad immenſum illum principatum. *Hic Rhodus, hic ſaltus.* Tu declinas tamen, & ad nugas deſcendis Grammaticales, in quibus vel frontem planè nullam, vel inſcitiam declaras ſingularem. Ab orcheſtra deſumpta eſt vox κορυφαῖος, & in choreâ deſignat præſultorem. Imo non eſt, ſed Coryphæus, eſt Caput, Princeps in vertice conſtitutus, à κορυφῆ denominatus. Hoc verè. ſed annon præſultor quoque? Eſt. Nam Julius Pollux ait, χόρου ἡγεμὼν, κορυφαῖος. Et hoc non negatur. Non nego accipi pro Præcentore. Sed ſæpè κορυφαῖοι, vocantur Principes, Proceres. Certè. & quia Proceres, ideò non Monarchæ tantum ſunt κορυφαῖοι. Ariſtophanis Scholiaſtes, ad Plutum. Κορυφαῖος, ὁ ἐν ἀρχῇ ἑστώς. Cumque Chryſoſtomus ſic loquatur, καθάπερ χόρος τὸν κορυφαῖον ἐκζητεῖ, Hom. in Calend. Jan. & Theophylactus adhibeat vocem κορυφαῖα, quis fidem faciet, Patres illos in cauſſâ Petri, vocem illam πολύσημον, pro Principe potius quam Præcentore, adhibuiſſe? Cavillatur item de voce ἔξαρχος, è Grammaticâ. *Tu malè exiſtimas, ἔξαρχον, nihil aliud ſignificare quam Præcentorem.* At Tu malè exiſtimas de hac exiſtimatione. non hoc exiſtimat, Nihil aliud ſignificare. ſufficiebat, Illud ſignificare. Tu ſi illud neges, reſponde authoritatibus. ſi non neges, proba apud Patres potius pro Exarcho & Præfecto, quam pro Præcentore uſurpari. Et cum probaveris, reſtat quod probatu eſt difficilius, pro ſummo rerum omnium Monarchâ uſurpari. Sylvas dein acervat Bulengerus Synonymorum: quaſi Lexicon aut Gloſſarium conderet. ἀρχηγὸς, inquit, ἀρχὴν ἄγων. *Agmen ducens, Initium ducens, Imperium ducens, Princeps, Rex.* ita Agmine nos obruit verborum. ſed tamen cum Agmen ducat ἀρχηγὸς, Te ipſo ſcholiaſte, non minus quam adminiſtrat imperium, cur apud Theophylactum, ô Grammaticorum primipete, Agmen ducit, hoc eſt, Choragus chorum, ut præſultor, Petrus, quàm Dux vel Rex populum ſibi ſubjectum ἄγει ἢ φέρει; τίς ἀποπληρώσεις; dicebat Origenes contra Celſum. Nam quod *Principem*, apud Hieronymum in Catalogo, Sophronius, ἀρχηγὸν transferebat, elumbe eſt, & frigidum. Princeps enim, primus eſt Ordine, non Authoritate. ſed rem conficiet Cyrillus. *Per unum, qui præerat, reſpondent omnes:* & iterum, *Vt Princeps, caputque cæterorum, exclamat primus.* Gloſſa ad textum. Si præerat, non tantum ordine aliis, ſed & poteſtate ſuperior fuit: ſed Gloſſa maledicta, nam corrumpit Textum. Nego tibi iſtam Conſequentiam; προϊστάμενος potius Ordinem quam Dignitatem notat. & Præſunt ita, qui præcedunt, ac præſultant, 1 Tim. 5. 17. Presbyteri *præeſſe* dicuntur. Non tamen ſunt Monarchæ ſpirituales, nedum cum Imperio temporali. Προΐστασθαι interdum ultra exemplum non progreditur. Tit. 3. 8. καλῶν ἔργων προΐστασθαι. Ita Petrus præfuit, bonis operibus; principem viæ & Ducem ſe præſtans. Interrogat, cur Principem apud Cyrillum interpretamur, *loco primum*? Reſpondeo, Si & *primum dignitate* interpretemur, nihil ad Bacchum veſtrum,

quo

quo Caleſcitis plus ſatis agitante. Sed authorem ſuæ Interpretationis habet, qui ſic interpretatur, Authorem ipſum. Docet enim, non omnes confuſè aut proſilientes audaciter, quaſi raptâ oratione uti, ſed cedere iis, *qui & conſilio & ordine præpoſiti ſunt*. Petri en audis principatum, de quo Cyrillus cogitabat. Ordinis & Conſilii, non Dignitatis. Ita paſſim Linguæ Princeps, Princeps ſententiæ, Princeps Senatus, &c. uſurpantur. ſic Petro προστασίαν, τιμὴν, κηδεμονίαν, προεδρείαν, ἀρχὴν, κορυφαιότητα, κεφαλὴν, &c. cum Patribus aſcribimus. ſunt, qui neſciunt, quid velint, quid debeant illi vindicare.

35 Sequitur de *merito* B. Petri : unde præmium collatum illud ei ſingulare. *ſolus meruit* audire, Tu es Petrus. & quia ſolus meruit, ſoli merces data fuit, ut eſſet Fundamentum. Imò neque ſolus meruit : nec accepit ſolus. ſed unus pro omnibus reſpondebat, unus pro omnibus meruit, & unus pro omnibus accipiebat. *Reſpondet Petrus, Unus pro omnibus*, ait Auguſtinus, *in Apoſtolis cum eſſet ipſe etiam numerus duodenarius, id eſt, in ternos quadripartitus, & omnes eſſent Interrogati, ſolus Petrus reſpondet, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, & ei dicitur, Tibi dabo claves regni Cœlorum : tanquam ligandi & ſolvendi, ſolus acceperit poteſtatem, cum & illud, unus pro omnibus dixerit : & hoc cum omnibus, tanquam perſonam gerens ipſius univerſitatis acceperit. ideò autem unus pro omnibus, quia unitas eſt in omnibus.* Tract. 118. in Johan. & Tract. 50. de eadem re, *Si hoc in Petro tantum dictum ſit, non facit hoc Eccleſia. ſi autem, & in Eccleſiâ fit, ut in terrâ quæ ligantur, ligentur & in cœlo; & quæ ſolvuntur in terrâ, ſolvantur in Cœlo : quia cum excommunicat Eccleſia, in Cœlo ligatur excommunicatus : cum reconciliatur ab Eccleſia, in Cœlo ſolvitur excommunicatus. Si ergò hoc in Eccleſia fit, Petrus quando accepit Claves, Eccleſiam ſanctam ſignificavit. Beatus Petrus, & Beatus Paulus, eminent inter univerſos Apoſtolos, & peculiari quâdam prærogativâ excellunt. Verum, inter ipſos, Quis, Cui præponitur, incertum eſt. Puto autem illos æquales eſſe meritis, qui fuerant æquales Paſſione.* Sic Ambroſius. Petrum in hoc, quis negat, Servator ἀμείβεται pro Confeſſione : & dona ſua, in illo, & in Eccleſia, coronat. Confitetur Eccleſia Jeſum Chriſtum Dei Filium, declaratum Dei Filium per Reſurrectionem : Confeſſus fuit Petrus, in, & pro, Eccleſia, nondum à mortuis redivivum. Illum in ipſo. Apoſtolos in illo : in cœtu Apoſtolorum, & in ipſo, Eccleſiam Χριστὸς ἀμείβεται, μισθὸν διδοὺς τὸν μέγιστον, ut in Petrâ, Ipſe, Illi, eæ ædificentur : nec Infernales portæ prævaleant contra ipſos. Tertullianum quod attinet, imprimis correctius citandum aio. Non enim *Aliquem*, ſed *aliquid*, legendum. Negat ibi Tertullianus, latuiſſe quicquam (nam de Clave Scientiæ, non Poteſtatis loquitur) in rebus, ad ſalutem aut officium pertinentibus paſtorale. Nam Apoſtolos Jeſu affirmabant quidam, non omnia ad officium pertinentia edoctos intellexiſſe. Itane verò, ait ille Africanus ſcriptor, *Illum aliquid latuit, ædificandæ Eccleſiæ Petrum dictum? Claves regni cœlorum conſecutum : ac ſolvendi, & ſolvendi in cœlo, ac in terris poteſtatem?* Agnoſcimus, Petrum ab illo agnitum Fundamentum Eccleſiæ

De verbis Apoſtoli, Serm. 31.

ædificandæ:

ædificandæ. Clavigerum cœli, ligatorem terræ, & ad regnum Cœlorum, doctum Scribam. Eximia quidem omnia. ſed nec ſolitaria: nec tranſcendentia illius prærogativas. Habemus apud eundem Africanum ſcriptorem, & dilecti illius diſcipuli prærogativas, *Pectori Ieſu, ſemoto longius Petro, incumbentis. Cui ſoli Dominus,* inquit Tertullianus, *Iudam præmonſtravit proditorem. Quem, loco ſuo, Filium Mariæ demandavit.* ait Cui ſoli: quæ eſt Formalis ratio Prærogativæ, At Petro non dixit de, *Cui ſoli claves,* ſed tantum, *Cui:* utpote ſocios aſſociandos. Ita cenſuit Tertullianus contra Gnoſticos. *Memento claves cœli: hic Dominum Petro, & per Eum, Eccleſiæ reliquiſſe:* non, *& Eccleſiæ,* quod Pamelius ſubleſtâ fide ſuggerit: quia nimirum in Confeſſione Fidei fundamentalis Eccleſiæ, Os, Lingua, & κορυφαῖος omnium extiterat. ita Tertul. 4. c. Marc. In Libro autem de Pudicitiâ, intentionem Dei fuiſſe vult, ut perſonalis illa eſſet prærogativa, & non derivanda. ſed non erat tum, qui prius, Tertullianus, verum Montani ὑποφήτης. Hic tamen, cum refellat Pſychicos, quos appellat, hoc eſt, Orthodoxos, Teſtis omni exceptione major docet, Eccleſiam ita, ut ille olim ſuaſerat, credidiſſe: nimirum quæ Dominus Petro dixerat, μεγάλα μεγάλως, eſſe τῆς Ἐκκλησίας communes, non Petri peculiares Prærogativas. Ita olim opinabatur, nondum transfuga. Quicquid ſolveris, per Petrum, ad Eccleſiam Petro propinquam, tranſtuliſſe. Rationem quoque optimam adhibebat aliquando; quod illi nihil ignorabant eorum, quæ beatus Petrus reſciſcebat: itaque conclamatum eſt de Orthodoxo Tertulliano.

Minus proderit Origenes, ait agnoſco, *Petro ſumma rerum de paſcendis ovibus, cum traderetur: & Super ipſum, veluti ſuper Petrum, Eccleſia fundaretur.* ſed benè habet, quod *ſumma rerum,* ſit in *paſcendis ovibus,* non in orbe regendo. & ſumma rerum Subjectivè, reſpectu rei: non Objectivè, reſpectu perſonæ, dicebatur. Oves enim Chriſti paſcendi ratio ἀρχὴ eſt, hoc eſt, ſumma rerum. Τί γάρ ἐστιν Ἐπίσκοπος, inquit beatus Ignatius, ἢ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα, πάντων κρατῶν, ὡς οἷόν τε ἄνθρωπον κρατεῖν. Jam in ſummâ rei perſonaliter acceptâ, admittendi ſunt ſocii ex Origene. *Nam ſi nobis diceretur,* ait ille, *ut dictum eſt Petro, & nos locuti eſſemus, quod locutus eſt Petrus, Tu es Filius Dei vivi, Efficeremur, quod Petrus: & nobis diceretur, quod hunc ſermonem ſequitur, Tu es Petrus, &c. Petra eſt enim, quiſquis Chriſti diſcipulus eſt, ex quo biberunt de ſpirituali ſequenti Petra.* Intonabo adhuc de Boanerge ex eodem Origene: *Si ſuper illum unum Petrum exiſtimas totam Eccleſiam ædificari, quid dicturus es de Iohanne filio Tonitrui, & Apoſtolorum unoquoque? Quin alioqui non audebimus dicere, quod adverſus Petrum unum non prævalituræ ſunt portæ Inferorum, adverſus autem cæteros Apoſtolos & Præfectos ſunt prævalituræ: ac non potius in omnibus & ſingulis eorum de quibus dictum eſt, ſit illud quod dictum eſt, Et portæ, &c.* Satin' tibi aures tinniunt Bulengere? ſin minus, ingeram. An ſoli Petro, dantur à Chriſto claves regni cœlorum, nec aliis beatorum accepturus eſt? Reſpondes, ita; inſtat Origenes, *Quod ſi hoc dictum, Tibi dabo claves regni cœlorum,* cæteris quoque commune ſit, cur non ſimul omnia, & quæ prius dicta ſunt, & quæ ſequuntur, velut ad Petrum dicta, ſint omnium communia?

ſunt

Digitized by Google

ſunt in peſſimo illo Tractatu in Matthæum, plura adhuc, ab illo Adamantio, in hanc ſententiam diſputata, quæ Petri illas prærogativas conficiunt. de Hilario jam vidimus. apud Hieronymum, *Apoſtolorum Princeps*, leviculum eſt. non erat aliter, Apoſtolorum Princeps ille, quam Plato Philoſophorum. Author mihi Hieronymus ipſe; *ſicut ille Princeps Philoſophorum, ita hic fuit Apoſtolorum. Sicut. Ita* ipſiſſima eſt Novatorum Confeſſio. At fundata eſt Eccleſia ſuper illum Principem. Ita. & ſuper Platonem, Academia. Ais, *ſuper unum Montium* Chriſtus fundat Eccleſiam. at Pſalmiſta ait, *Fundamenta ejus in Montibus ſanctis.* Fundat Romulus Romam in Palatino monte, auguratò. An hæc fundatio Aventinum excludit, Quirinalem &c. ut non ſit ἑπτάλοφος illa πόλις; Verum audi Hieronymum, & obmuteſce. *At dicis, ſuper Petrum fundatur Eccleſia. Id ipſum alio in loco ſuper omnes Apoſtolos ſit, & cuncti accipiunt Claves regni Cœlorum: & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidatur. Tamen propterea, inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto, occaſio ſchiſmatis tolleretur.* Baſilium, ad Quod damnum, ut noſtri loquuntur, adducis? ὅτι Πέτρα εἶ, audivit. ſed addit quomodo? οὐ γὰρ Πέτρα, ἀλλ' ἐχ ὡς Χριστὸς Πέτρα. ſed de Petra, è Baſilio, Gregorio, Chryſoſtomo dictum eſt. ſine arte, ſine ordine confundit omnia, & nobis miſcet κυκεῶνα. Nam, adhuc, de Clavibus & Commiſſa Gregis curâ, ut ſolam injecerat mentionem, iterum dilabitur, ad ſatis vexata in præcedentibus, ad κορυφὴν, ἔξαρχον, κεφαλὴν, κορυφαῖον, ἔκκριτον στόμα, προστάτην. Reſpondeo κατὰ σύνοψιν. Petro non negatur πρωτεῖα. Primus, Princeps, Caput, os, exarchus, &c. agnoſcitur. Tempore, Ætate, Ordine, Executione, Dignitate. nuſquam Eccleſiæ, vel Apoſtolorum Monarcha dicitur, aut dici debet. Hoc, τὸ πᾶν. cætera, titivillitia ſunt.

37 Nec vel Exercitator, vel Eccleſia Anglicana, cui ille aggregabatur, Poteſtatem, Propoſituram, vel Authoritatem à Petro tollunt, ne quidem Perſonalem, aut Cathedralicam, multo minus Eccleſiaſticam vel participatam; hoc eſt, Epiſcopalem. de hac beatus Leo, *Tranſivit quidem etiam in alios Apoſtolos vis iſtius poteſtatis, & ad omnes Eccleſiæ principes Decreti hujus conſtitutio commeavit. ſed non fruſtrà uni commendatur, id quod omnibus intimatur. Petro enim ideò ſingulariter hoc creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma præponitur.* Ideò unus, inquiunt Cyprianus, & Hieronymus, ut in uno, πολυαρχία, quæ eſt ἀναρχία, tollatur. Ut habeant Fideles in quo conſiſtant: ad quod ſe conferant, Hæreſium fluctibus exagitati. Hinc ſunt illa, & huc ſpectant, ſexcenties ab Ignatio, in omnibus Epiſtolis inculcata, de præſtandâ Epiſcopis Obedientiâ, de conſilio Epiſcoporum & ductu ſequendo, recurrendo ad Epiſcopos, ſi quid novi ingruat. Μηδὲν πράττετε χωρὶς Ἐπισκόπου τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν Ἐκκλησίαν. & Ἐπισκόπῳ ὑποτάσσεσθε ὡς τῷ Κυρίῳ. & ὥσπερ ὁ Κύριος ἄνευ τοῦ Πατρὸς οὐδὲν ποιεῖ, οὕτω καὶ ὑμεῖς οὐδὲν ἄνευ Ἐπισκόπου. Habet enim rationem τοῦ Πατρὸς τῶν ὅλων. &, Οἱ Διάκονοι τοῖς Πρεσβυτέροις ὑποτάσσεσθε, ἀρχιερεῦσιν οἱ Πρεσβύτεροι, ὁ Ἐπίσκοπος τῷ Χριστῷ, ὁ Χριστὸς τῷ Πατρί. Hæc à Chriſto inſtituta, in Petri perſona, εὐταξία, *Forma*, eſt illa, *Beati Petri*, cujus meminit Leo, qui appoſitè habet & illud. *Et ſicut permanet, quod in Chriſto Petrus credidit: ita quoque permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit: Audite*, inquit Auguſtinus, *quid commendavit. Ego ſum Paſtor ille bonus. Dixi,*

Dixi, quia omnes cæteri, omnes paſtores boni, membra mea ſunt. Unum Caput, unum Corpus, unus Chriſtus. Ergo & Paſtor ipſe eſt Paſtorum, & Paſtores multi, ſunt unius Paſtoris: & Oves, cum Paſtoribus, ſunt ſub Paſtore. Hæc unio, conjunctio, Hierarchia, (mentiris nequiter quia ſciens) non exulat ab Eccleſia Anglicanâ. ſacerdotibus Epiſcopi præſunt. Epiſcopis antiſtant Metropolitæ. Metropolitis Patriarchæ. Non pari hæc conſiſtunt neceſſitate. Epiſcopus Deo immediate, quicquid olim deſipuit Hieronymus, ſuam debet τάξιν ἱεραρχικὴν, diſtinctam à presbytero. At non ita diſtinguuntur, Epiſcopus, Metropolita, Patriarcha. quocirca gradum Epiſcopalem, cum nulli adhuc eſſent, vel Metropolitæ, vel Patriarchæ, ὑψίθρονον Ignatius appellabat. Inter ipſos Patriarchas ſupremum aliquem cenſeri non eſt abſurdum: & hunc non alium eſſe quàm Pontificem Romanum, libens merito profiteor, agnoſco. Primum, ſupremum ea poteſtate præditum, quam à principio, per ſanctiones & conſenſum Eccleſiæ, non Chriſti aliquam immediatam actionem, Patriarchæ obtinuère. Habeat poteſtatem Ordinis, directionis, conſilii, conſultationis, concluſionis, executionis delegatam. ſubſit autem illa poteſtas Eccleſiæ: auferibilis ſit, per Eccleſiam: cum non ſit in Divinis ſcripturis inſtituta, non Petro perſonaliter addicta. Itaque τάξις κἀν ταῖς ἐκκλησίαις τὸ μὲν εἶναι τὶ ποιμνίον, τὸ δὲ ποιμένας. nec ſimpliciter. ſed τὸ μὲν ἄρχειν, τὸ δὲ ἄρχεσθαι, ait Nazianzenus. ἐπεὶ ἴσον κακὸν καὶ ὁμοίως ἄτακτον, πάντας τε ἄρχειν ἐθέλειν, καὶ μηδένα. Quocirca cum Ignatio profitemur. καλοὶ μὲν οἱ ἱερεῖς, καὶ οἱ τοῦ λόγου διάκονοι, κρεῖσσον δὲ ὁ ἀρχιερεὺς, ὁ πεπιστευμένος τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. Nec ultra hanc εὐταξίαν progrediemur in illo, *Tu es Petrus.*

Poteſtatem ligandi & ſolvendi toti ſacerdotum nationi, ille ἀρχιερέων ἀρχιερεὺς, in cœlum ad patrem abituriens, concedebat. 38.
hanc quaſi peculiariter limitatam Petro hic adſcribit, *Tibi dabo.* Ita ſpectat hæc poteſtas ad πλήρωμα Diſcipulorum, quod uni Petro videtur indulta, in *Tibi dabo.* In ſacerdotio autem duo ſunt. Illa nimirum quæ ſunt Ordinis, Eſſentialia: & illa quæ pertinent ad jurediċtionem. Priora, nulli ſunt Epiſcopo peculiaria. Cuivis è turbâ ſacerdoti, non minus competunt, quam Pontifici Romano. Et hæc ſunt utrinque in confeſſo. ſi quid Claves huic rei interveniant, clavigeri ſunt omnes ἐντὸς θυσιαστηρίου, cum beato Petro. de jurediċtione, Platonis annus erit, priuſquam conveniat inter partes. Nam *Magnus noſter vult regnare ſolus.* Et ſunt qui flammam ſubdunt ambitioni. Epiſcopi enim inquiunt, à Pontifice, quaſi capite, ita pendent, ut jurediċtionem ab eo omnem mutuentur. παῖ, παῖ, τὴν ἀμίδα φέρε. Viliſſima illa capita, qui cum liberi nati ſunt, non ſolum ob timorem, ſed etiam κατὰ διδασκαλίαν δουλεύουσι. Quis autem Epiſcopos, auguſtiſſima nomina; quis Eccleſiæ proceres & προεστῶτας, à nutu Patriarchæ Pontificis ſic ſuſpendit, ὥστε τοιαύταις λιτείαις ἐγκυλινδούμενοι, inconſulto Domino, ac Hero, ἀμύντας ἡμιβρώτους ne attingere audeant. In *ovium* numero (& tamen ſunt Paſtores) recenſentur. nempè & ipſe Pontifex archipœmen, μεγαλοποίμην

μῶν illius inter Oves eſt, ſi modo vocem illius audiat, & dicto fuerit obſecutus, inter Oves, ad ſua mulctra venit, non ab Ove tranſit, in Paſtorem. *Paſce autem Oves*, & reliquis Apoſtolis cum Petro dicebatur, niſi velint illos conſidere otioſos, Petrum ſolum animarum curam gerere, quod parum eſſet è dignitate, Monarchiali: & quidni etiam, *Tibi dabo claves*, ad cæteros ſpectet, ut regni cœleſtis janitores? ſed de Poteſtate clavium, quoad Oves paſcendas, recurret demum ἔνστασις à Reſurrectione. Pono, quod magiſtri docent. Clavis triplex eſt. Authoritatis: illa ad Deum ſpectat. Excellentiæ, ad Chriſtum hominem. Miniſterii, ad ſacerdotes. Imperium, non pertinet ad Miniſterium. propriè ſpectat ad Authoritatem. Ita Cœlum claudere, & reſerare, Omnipotentiæ eſt, ut Terras fundare ſuper aquas. Remittere peccata ad Eccleſiam ſpectat: non unam, unicam, ſingularem: ſed omnes æquali præditas poteſtate. Ordinis cauſa & εὐταξίας poſſunt convenire de Caſibus reſervatis, aut omiſſis. ſed niſi eſſet illud, *Tibi dabo claves*, ampliandum, de iſtiuſmodi caſibus non convenirent. concludam cum Theophylacto, εἰ γὰρ καὶ πρὸς Πέτρον μόνον εἴρηται τὸ, Δώσω σοι, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς Ἀποστόλοις δέδοται. πότε; ὅτε εἶπεν, ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται. καὶ γὰρ τὸ, δώσω, μέλλοντα χρόνον σημαίνει, τουτέστι, τὸν μετὰ τὴν ἀνάστασιν. Et Hieronymi, *Habent eandem judiciariam poteſtatem alii Apoſtoli, quibus poſt Reſurrectionem dictum eſt, Accipite ſpiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata*, &c. *Habet etiam omnis Eccleſia in Presbyteris & Epiſcopis: ſed ideo Petrus ſpecialiter accepit, ut omnes intelligant, quod quicunque ab unitate Fidei & ſocietatis ejus ſeparaverint ſe, nec à Peccatis ſolvi, nec cœlum ingredi poſſe.*

21. Exinde cepit Jeſus oſtendere Diſcipulis ſuis, quia oportet eum ire Hieroſolymam, & multa pati à ſenioribus, & ſcribis, & principibus ſacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere. Omnino animadvertendum eſt, quod Matthæus habet, *Exinde*. Temporis deſignatio, non eſt otioſa. ἀπὸ τότε. ἀπὸ πότε, inquit Chryſoſtomus. ὅτε ἐπῆξεν, ἐν αὐτοῖς τὸ δόγμα. Ita enim opus fuit, Nam non ὀλιγόπιστοι tuliſſent hoc acroama. non magis quam nauſeantes ſtomachi τὸ στερρὸν τῆς βρώσεως. ſed & è conditione rerum humanarum, quibus ἐνανθρωπήσεις penitus ſe addixerat: *Nulla eſt ſincera voluptas, ſollicitumque aliquid lætis intervenit*. ἐμεγαλοφρόνουν Apoſtoli ob illam Confeſſionem, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. ut Paulo σκόλοψ ἐν τῇ σαρκὶ dabatur; Ita & Apoſtolis, ne plus ſaperent, quam oportuit. Prædixit autem, quod paſſim notant Interpretes, ne non præmoniti non eſſent præmuniti, & inexpectatis δυσκόλοις offenderentur: qui hic edocti non intellexerunt. Itaque ἦν κεκαλυμμένος ὁ λόγος ἀπ' αὐτῶν. Nam non percipiebant, quid illud, *Reſurgere de mortuis*, ſibi vellet. Διὰ τοῦτο, inquit Chryſoſtomus, τῶν ἄλλων θορυβουμένων, καὶ διαπορούντων, πάλιν ὁ Πέτρος θερμὸς ὤν, μόνος τολμᾷ περὶ τούτων διαλεχθῆναι. Quem acerbius increpatum rejicit à ſe, inquiens, *Vade poſt me Sathana*. λεπτολογεῖ etiam ex antiquis non nemo, qui κατὰ διαίρεσιν locum ita legunt, ut *vade poſt me*, ad Petrum dicatur: *ſatana*, ſequentibus adjuncta vox, *ſcandalum*

lum es mihi, ad Diabolum pertineant, non Petrum. Rectè Hieronymus excuſat peccatum ab Amore. *Mihi hic error, de pietatis affectu veniens*, ſed quod addit non multum, ab Hilario recedit. *Non convenit exiſtimare*, Hilarius ait, *Petro ſatanæ nomen, & offenſionem ſcandali deputari, poſt illa indultæ & beatitudinis, & poteſtatis tanta præconia*. & Hieronym. *Nunquam incentivum Diaboli videbitur*. Certè, non jure ſatanam appellaſſet eum, niſi ſatanæ fuiſſet incentivum. at ſatanam appellat: & ita rectius alibi Hilarius, in pſalm. 131. Petrum ſatanæ convicio nuncupavit. ἐπετίμησε τῷ Πέτρῳ, καὶ Σατανᾶν ἐκάλεσε, & ὁ κορυφαῖος, Σατανᾶς ἐκλήθη τοῦτο παθών. Malè enim ſuadentes, ait Gregorius, appellatione Angeli Apoſtatæ cenſentur, qui verbis blandis, ad illicita quaſi diligentes trahunt.

Baronius negat, Petrum appellatum ſathan: notat Caſaubo- 40.
nus, & tantum notat Baronii opinionem. Bulengerus, ſine mente, debacchatur, ſtringis inquiens, aculeum in Illuſtriſſimum Baronium: ille, Linguam petulantem in mendacium. Diſſentire, ſententiam improbare: ſine illa acu aut aculeo, eſt ſtringere calamum. Quam pupilla oculi? quam Chriſti Domini? quam plus & pluris ſunt Domini Cardinales? Negat Petrum ἀναμάρτητον, cum Chriſto crucem diſſuaderet: hic eſt *aculeus*, non alius. Negat ille, quod affirmat Baronius: ita diſſentit, & hæc nuda diſſenſio, *contumelia* eſt. Omne peccatum, à Diabolo. Annon hoc peccatum? licet ex amore vehementiori. Peccatum autem fuit. Divino propoſito, deſtinato, & revelato Conſilio per Crucem ſubeundæ mortis, adverſabatur. Quod ſi ſatan is dicatur qui eſt ἐξ ἐναντίας, uti patet ex hiſtoria 2 Sam. 19.22. quidni quod Chriſti conſilio repugnabat, et voluntati, è ſatanæ procedebat ſuggeſtione? Non dixit ſervator, ſatanas loquutus eſt per Te: ſed quod plus eſt, dixit, *vade poſt me ſatan*. Ἐγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι τὸ μὴ παθεῖν με, τῆς τοῦ Διαβόλου γνώμης ἦν. Ita loquitur Chryſoſtomus. Et hoc quid eſt, quam à Diabolo profectum? Quid ergo ille ut hoc diceret, ſuggeſſerit? quo Te rogo, ſpiritu agebatur, qui dixit? Nec excuſat vel alleviat quod ait Theophylactus: Durius ille loquitur quam Chryſoſtomus. ὕπαγε ὀπίσω μου. τουτέστι, μὴ ἀνθίστασο, ἀλλ' ἀκολούθει τῷ θελήματί μου. Καλεῖ δὲ οὕτω τὸν Πέτρον, ἐπεὶ καὶ τῷ Σατανᾶ, ἀθέλητον ἦν τὸ παθεῖν τὸν χριστόν. Vocat lapſum σφαλῆναι, utcunque profectum ab affectione. Nec enim affectus tollit peccati rationem. Per ætatem Nazianzeni erant aliqui, οἱ πλέον ἀγαπῶντες τὸν θεὸν ἢ συμφέρει, Qui Deum plus diligebant, quam oportuit. Et quidni ſanctiſſimi, eo interdum ἐξωκείλασι; ſed nec lapſus eſt levis recedere à bono in ὑπεροχῇ, quanquam plerunque gravior ἐν τῇ ἐλλείψει. nam ἄθεοι pejores quam κακόθεοι, hoc eſt Athei, quam ſuperſtitioſi. Loci iſtius ſenſum & ſententiam, optimè explicat Ineditus meus ſcholiaſtes. Μάρκος δέ φησιν, ὅτι ἐπιστραφεὶς, καὶ ἰδὼν τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, ἐπετίμησεν αὐτῷ τῷ Πέτρῳ, ἤγουν ἐπέπληξεν, ὥστε καὶ σωφρονισθῆναι πάντας ὅσον ὁ Πέτρος. Σατανᾶν δὲ αὐτὸν ὠνόμασεν, ὡς μιμούμενον τὸν Σατανᾶν, ἐν τῷ μὴ θέλειν ἀναιρεθῆναι τὸν χριστόν. Καὶ γὰρ οὐδ' ὁ Σατανᾶς ἤθελεν ἀναιρεθῆναι αὐτὸν, ἵνα φανῶσι ψευδεῖς αἱ περὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ προφητεῖαι, καὶ ἵνα μὴ ὁ θάνατος τῆς τούτου

σαρκὸς, θάνατος γίνεται τῆς αὐτοῦ δυνάμεως. εἰ καὶ αὐτοὺς τοὺς Ἰουδαίους, εἰς τὸν κατὰ τοῦ σωτῆρος φόνον παρώθησεν, ὑπὸ τῆς αὐτοῦ κακίας νικωμένους. *Marcus ait, quod converſus vidit diſcipulos ſuos, & Petrum increpavit*, id eſt, *acerbius reprehendit, in finem ut prudentiores eſſent Petro, in eo quod deliquit. Appellat autem eum Satanam, utpote Satanam imitantem, in eo quod Chriſtum occidi noluit. Nam & Sathan haud illum interfici volebat, ut falſæ viderentur de morte ipſius Propheticæ prædictiones: & ne carnis Jeſu mors, ipſius Diabolicæ poteſtatis mors eſſet, licet ipſoſmet Judæos, ad mortem ſervatori inferendam excitaverat, quos ſua nequitia dementatos ſubegerat.* Tum addit, ἔστι δὲ καὶ ἑτέρως εἰπεῖν, ὅτι δὴ ἐστὶ Σατανᾶς μὲν ὁ ἀντικείμενος ἑρμηνεύεται· Πέτρος δὲ κωλύων τὸν Χριστὸν ἀποθανεῖν οὐκ ἠκολούθει τῷ θελήματι αὐτοῦ, ἀλλ' ἀντέκειτο· φησὶ πρὸς αὐτὸν ὁ σωτήρ, ὕπαγε ὀπίσω μου Σατανᾶ, τοῦτ' ἔστιν, ἀκολούθει μοὶ ἀντικείμενε. Ita patrum veſtigiis omni modo inſiſtunt Novatores quos vocant. ad Novitates verò nuper natas Maldonatus, Annaliſta, Bulengerus abeunt.

41. Per occaſionem iſtius intempeſtivæ charitatis beati Petri, & increpationis ejuſdem haud rectè incedentis, è defectu Intelligentiæ, conſiliorum Dei, & fortaſſis ex affectu ad præſentem ἐυπραγίαν & ἐυημερίαν, Servator, aliquid de perſecutione, & Cruce tollendâ interſerit, hoc eſt, genuino ipſius Diſciplinatu. Tunc enim Jeſus dixit Diſcipulis ſuis, *Si quis vult poſt me venire*, cui videntur illa Lucæ, idem repetentis, contradicere. Dicebat ad omnes, *ſi quis vult poſt me venire*, &c. ſed Marcus reconciliat. *Et convocatâ turbâ cum Diſcipulis ſuis dixit.* utroſque affatur: ſed imprimis Diſcipulos, quos habebat comites ſe ſequentes: & quos in Petro reprehenderat, non ſapientes quæ Dei, ſed quæ hominum. *Veni poſt me Satana*, dixit, Hoc eſt, Tu, & illi qui propoſito meo adverſamini, agite, converſi retro ſequimini me, me autem ſequi nemo poterit, niſi abneget ſemetipſum, ſua, ſuos, ſe, vitam ipſam, ſi opus ſit, & Martyrium obeat pro nominis mei Confeſſione. ἵνα γὰρ μὴ νομίσῃς ὅτι μέχρι ῥημάτων, καὶ ὕβρεων, καὶ ὀνειδισμῶν, δεῖ τὸ παρνήσασθαι ἑαυτὸν, λέγει καὶ μέχρι πόσου ἀπαρνεῖσθαι ἑαυτὸν δεῖ. τοῦτ' ἔστι, μέχρι θανάτου, καὶ θανάτου ἐπονειδίστου. Crux enim non hujus vitæ affectiones propriè, ſed mortem, & eam quidem viliſſimam, ſignificat. Quam tamen actu ſubeundam cuicunque Diſcipulo, non injunxit Dominus, οὐ γὰρ εἶπε, κἂν θέλητε, κἂν μὴ θέλητε, δεῖ τοῦτο ὑμᾶς παθεῖν. Chryſoſtomus inquit, ἀλλὰ πῶς; εἴ τις θέλει. οὐ βιάζομαι, οὐκ ἀναγκάζω, ἀλλ' ἕκαστον κύριον τῆς αὐτοῦ προαιρέσεως ποιῶ. Quocirca & annectit, *Quid proderit homini, ſi lucretur mundum, & perdat animam?* οὐκ ἀφειδῶν, ἀλλὰ σφόδρα φειδόμενος ἐπιτάττει. ſimul & ad Crucem tollendam præparat, ipſis deſtinatam. id enim exceptio illa indicat, *ſunt aliqui hic ſtantes, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei*, Johannem innuens, quod è cap. 21. Joh. patet. Is enim cladi Hieroſolymitanæ ſupervixit ſolus.

42. Ita potius quam quod ſentiebat Hilarius. *Poſt dies ſex, quod verbo pollicitus erat, re præſtat. Apoſtolis tribus, ſeipſum oſtendit, in regno ſuo venientem, nempè cum poſt ſex dies aſſumit Jeſus Petrum, Jacobum, & Johannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excel-*

ſum

ſum ſeorſim, & transfiguratus eſt, ante ipſos. Matthæus & Marcus terminum fixerunt ſex dierum. Ἕτερος δὲ, μετὰ ὀκτὼ φησίν. Is Lucas eſt, Factum eſt inquit is, *poſt hæc verba fere dies octo, intercederent.* ἐκ ἐναντιοῦται, Chryſoſtomus inquit, ἀλλὰ καὶ σφόδρα συνᾴδει. Lucas enim, diem illum includit, in quo Ita dixit, & Illum, in quo, Eo deduxit Matthæus dies ſolum interjectos memorat. Sed non ſcribunt Diaria Euangeliſtæ: nec Hiſtoricè loqui ſolent, niſi ἐπὶ τό. Non ſtatim: ſed nec longo interjecto tempore, ab illa præmonitione de tollendâ Cruce, ut ex intuïtu præparati præmii, ad tollendam Crucem redderet alacriores. Aſſumpſit Tres: ut nimirum, & prius & poſtea ſolebat, ad ſecretiora. Cur autem illos ſolos? Chryſoſtomus ait, ὅτι οὗτοι τῶν ἄλλων ἦσαν ὑπερέχοντες. Cur autem ὑπερέχοντες; Petrus inquit, in eo quòd Jeſum tantopere amabat. Johannem: quod à Jeſu tantopere amaretur. Jacobum, quod aſſeveranter dixit, ſe poſſe poculum Chriſti exhaurire. Sed hæc ſunt dilatiora. Nondum enim illud Jacobus dixerat. & quidem dixit cum Johanne fratre, non ſolus. potius putaverim Tres, quam quatuor, quia Tres ſunt omnes: & in tribus omnes: ut in unâ Deïtate, beata Trinitas. Iſtos Tres quam alios, quia Petrus petra deſignatus, & claves regni cœlorum accepturus erat, & Eccleſia ſuper Illum ædificanda. Jacobus, quia primus illud poculum ebibebat, princeps inter Apoſtolos Martyrio glorificatus. Johannes, non tantum quod ἀγάπητος, ſed quod diutiſſime victurus, vivo vocis præconio, hoc ipſum, & alia ſacroſancta myſteria erat inter homines diſſeminaturus. Nam quod meritum fingunt virginitatis, frivolum eſt, cum non minus alii ex Apoſtolis fuerint, virgines. Locum Transfigurationis omnes Euangeliſtæ *montem* appellant: aſcendit in Montem: de more enim, celebriora in montibus celebrabat. Matthæus, & Marcus addunt *Excelſum.* ex Hiſtoricâ veritate. τὸ γὰρ ὕψος ἐστὶ τριάκοντα σταδίους Joſephus ſcribit ἀνίσχων, cui potius aſſentior quam Polybio, qui non ultra quindecim ſtadia aſſignat. etiamſi intelligatur, κατὰ κάθετον. Rectè autem Cardinalis montem illum fuiſſe *Tabor*, ait, et in confeſſo ita poſitum, apud omnes, quod verum eſt, præter Maldonatum, et quoſdam forte Novatores, quibus τὰ ἀρχαῖα non ſunt αἰδέσιμα. *Tabor*, inquit Adrichomius, *quem 70. Interpretes Itabyrium, alii Tabyrium vocant, mons eſt pulcherrimus in medio Galileæ campo, mira rotunditate, ex omni parte æqualiter finitus: cujus altitudo, triginta ſtadiis conſurgens, quæ in mari navigantibus, procul ſe ſpectandam exhibet. Aſcenſu difficilis, & ſeptentrionali parte inacceſſus. in vertice autem, viginti ſex ſtadiorum planities patet. eſt cœli temperie ſaluberrimus: vineis, olivis, variiſque arbuſtis, & fructiferis arboribus, totus undique conſitus, rore perpetuo uvidus, arborum frondibus, verſicoloribuſque herbis ſemper viridis, atque ſuavi omnigenum florum odore fragrantiſſimus. Hinc magna ferarum, maximeque ovium hic eſt frequentia, quarum & grato concentu amœniſſimus eſt, & venatu celebris. Ut paucis dicam totus hic mons,*

paſcendis

Digitized by Google

paſcendis oculis, reficiendiſque animis dicatus eſt: ideoque eum, Chriſtus Dominus merito delegit tum Orationi, tum Transfigurationi ſuæ: quo ſol lucidior, & nive candidior, refulgens coram Moyſe & Heliâ, cœleſtis gloriæ, æternæque beatitudinis, aliquod ſpecimen Diſcipulis ſuis, Petro, Jacobo, Johanni exhibuit.

43. *Et transfiguratus eſt coram ipſis.* μετεμορφώθη. Non erat cauſſa, cur ab Antiquo Interprete recederent, qui *Transformatus eſt*, repoſuerunt: eſt hæc odioſa περιλογία. nec cur eam tantopere lancinaret Maldonatus: vox Græca utramque ſignificationem admittit. nec Hieronymi veriberbium, magis ab una voce quam alia, refigitur, qua docet, Chriſtum, non corporis ſui naturam, ſed externam tantum ſpeciem figuramque mutaſſe. reſplenduit enim facies ejus ſicut ſol: et facta ſunt veſtimenta, ſicut nix. Fulgebunt enim juſti in regno patris, ſicut Sol: et inter dotes glorificandorum corporum, radians, et tralucidus ſplendor annumeratur. Transfiguratus autem ad hunc modum viſus eſt. *Ut de cordibus Diſcipulorum*, ait ſanctus Leo, *Crucis ſcandalum tolleretur, nec conturbaret eorum fidem voluntaria humilitas paſſionis, quibus revelata eſſet abſconditæ dignitatis excellentia.* Erat enim actualis hæc propoſitio præmii paſſionibus præparati: ſed nec ὡς ἔτυχεν: aut ſtatim, ut aſcendit, μετεμορφώθη, ſed, quod habet Lucas, dum oraret. δεῖ γὰρ ἰδιάζοντας ἡμᾶς, καὶ ἀναβαίνοντας, καὶ μετὰ τῶν γνησίων ἐγκύπτοντας, προσεύχεσθαι. Apparuere porrò in Monte Moyſes & Elias. de quorum apparitione multa curioſè diſputari, & poſſunt, & ſolent. Imprimis utrum, verè, realiter, & ὄντως, an autem per phantaſiam, Imaginationem, aut Angelicum miniſterium apparuerunt. Strabus gloſſator, nec Moyſen, nec Eliam hic veros apparuïſſe ſentit, ſed illorum tantummodo Imagines. *Notandum* ait, *non corpora vel animus Eliæ vel Moyſis apparuiſſe, ſed ex aliquâ ſubjectâ Creaturâ illa Corpora formata fuiſſe.* Vult ergo non animâ ſed Angelo aſſeſſore mota. neque enim animâ informabantur. nec abhorret Abulenſis ab hac ſententiâ, qui Eliam voluit cum vero ſuo corpore affuiſſe, quippè non mortuum, ſed aſſumptum in Paradiſum: Moyſen verò, quod jam mortuus foret et ſepultus, non cum vero corpore apparuïſſe. *Non ſurrexit Moyſes*, inquit, *ſed corpus accepit de aere.* et hanc, ait, communem fuiſſe ſententiam. et eſt quidem principis ſcholaſticæ Theologiæ D. Thomæ in commentariis ad locum, et 3. pag. q. 45. ſed ulterius adhuc de Moyſe ingeritur. An ſurrexerit corpore tenus, et animâ redierit in corpus. Quod ſi ita, an iterum mortuus ſit, et redierit in pulverem ſuum: an potius cum Eliâ tranſlatus in Paradiſum? Et certè ſi is ſit unus è duobus illis teſtibus, de quibus Apoc. 11. 3. 45. non minus *candidatus æternitatis* in cœlum aſſumptus, quam Elias, ſi ille alter futurus eſt Propheta. nam ſunt, qui Enochum hic ſubſtituunt. Ita Cœlum ipſum petimus ſtultitia, & de Divinis arcanis curioſè ſatagentes, audacter & ſtultè decernere audemus. Verè, veros, utrumque

Serm. de Tranſ.

cùm

cùm Moyſen tum Eliam apparuiſſe ſentio. ſed quomodo, unde, non determino: neſcire velle, quæ magiſter maximus Docere non vult, erudita eſt Inſitia. Erat conveniens, rectè ait Maldonatus, ut quemadmodum Chriſtus, non falſam & adumbratam, ſed veram et expreſſam gloriam oſtendebat, ſic non falſis ea, & Imaginariis, ſed veris confirmaretur Teſtibus. Nec enim veritas mendacio debuit conformari. Moyſen putaverim reſuſcitatum, in fidem Reſurrectionis: nec deinde mortuum, ſed cum Eliâ tranſlatum in Paradiſum, aut ſinum Abrahæ, quemadmodum & ſancti illi, Matth. 27. Reſucitati, in fidem Reſurrectionis Chriſti, in pulveres ſuos non rediere. Cur vero hoſce duos ante alios adeſſe voluït Chriſtus, hanc cauſſam reddunt non improbabilem, quod Moyſes & Elias, Legem & Prophetas inſinuabant. at Chryſoſtomus, multas ait reddi rationes poſſe. Imprimis, quod populi de illo crederent, quod Apoſtoli docent, Eliam ipſum, Jeremiam, vel aliquem de prophetis fuiſſe. Secundò, quod non ſemel cum de Lege violata incuſarent, Legiſlatore, & Legiszelatore Teſtibus fide dignis eos confutare volebat. addit & alias, ſed remotiores quas videſis.

Quærunt etiam ulterius quomodo cognoverunt Apoſtoli Moyſen fuiſſe, & Eliam qui apparuere. Nam ita cognoviſſe certum eſt, è Petri propoſitione, de Tribus Tabernaculis faciendis. ubi nominat Moyſen, & Eliam. & hoc dixiſſe eum patet, ante finitam viſionem: ut non deïnceps à Chriſto id edocti agnoverint. Putant aliqui, è ſermonibus auditis, id Apoſtolos cognoviſſe. alii advocant ſpiritus internam inſtructionem. alii, cognitos habuïſſe è picturis, alii alia allegant. unde autem cunque agnoverint, nec decipiebantur, nec videntur tamen conſcii, fuiſſe colloquii. Nam quod dicitur, Loquutus de Exceſſu, non hoc Apoſtoli, ſed ſcriptor ille ſanctus de ſuo addidit: nam Apoſtoli, dum Chriſtus cum illis colloqueretur, quod videtur fuiſſe diuturnius, ſomno gravati obdormiſcebant. & experrecti, viderunt illos duos qui ſtatim diſceſſerunt, nube circumfuſi, diſparentes: unde vox paterna ſtatim inſonuit, *Hic eſt filius meus dilectus in quo complacui.* Tantis attonitus & tam ſtupendis Petrus, ὁ πανταχοῦ θερμὸς, de Tabernaculis ſuggerit ædificandis, ut in loco delitioſo: *neſciens*, ait Euangeliſta, id quod ſatis patet, *quid loquebatur. Nec laudaſſe contentus*, (in effato illo, *Bonum eſt nobis hic eſſe*) *non ſolum affectu, ſed etiam factorum devotione præſtantior, ad exædificanda Tabernacula tria, impiger operarius communis obſequii miniſterium pollicetur. Et quamvis neſciret, quid diceret, tamen pollicebatur officium, In quo non inconſulta petulantia* (ut aliqui nugantur) *ſed præmatura devotio fructum pietatis accumulat: Nam quod ignorabat, conditionis fuit* (humanæ,) *quod promittebat, devotionis.* hæc Ambroſius, in locum. Juſſit porro ut tacerent, & nemini hoc Myſterium edicerent, neque dum à Mortuis reſurgeret. Quod mandatum, conſtat è Lucâ, ſtudioſè illos obſervaſſe.

ita

ita ut neque condiſcipulis illa quæ viderant, patefacerent. Poſtea tamen propalarunt. Meminit enim in Epiſtolis αὐτόπτης beatus Petrus. In memoriam magni iſtius Myſterii,piiſſima Princeps, D.Helena, Conſtantini mater, his tribus Apoſtolis, Petro, Jacobo, Johanni, pulcherimum in monte Tabor extruxit templum, Multamque reliquit pecuniam, in ſubſidium iis qui ibi manerent, locumque excolerent. Cui templo acceſſerunt poſtea duo Monaſteria, ut hic eſſent, quaſi *tria*, è Divi Petri deſiderio, *tabernacula*. Hæc, & plura, Adrichomius.

Sequenti die, inquit Baronius, cum jam deſcendiſſet de monte, Dæmoniacum curat, quem Diſcipuli curare non poterant.
45. Illud de tempore, adjecit ex Lucâ, qui ſolus docet, Chriſtum cum tribus Diſcipulis pernoctaſſe in monte Tabor, cæteris novem, ad radices montis expectantibus regreſſum. Itaque poſt apparitionem abſolutam, ſatis intervenit temporis, ad illam de tribus Tabernaculis diſſertationem. Nec uſitatum eſt illud quod ſolus habet in hac hiſtoria Marcus, ad deſcenſum è monte, *Omnis populus videns Jeſum, ſtupefactus eſt, & expaverunt, & accurrentes ſalutabant eum.* Hoc nuſquam alibi legitur factum, in aliquo alio acceſſu Servatoris. Τινὲς δέ φασιν, ὅτι καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ ὡραιοτέρα γενομένη ἀπὸ τοῦ φωτὸς τῆς μεταμορφώσεως, ἐφείλκετο τοὺς ὄχλους πρὸς τὸ ἀσπάζεσθαι. Hæc Theophylactus. nec improbabiliter, cum de vultu Moyſis idem referatur, adeò reſplenduiſſe à congreſſu Divino in monte, ut populus in eum intuëri nequiverit. Ubi turbis immiſcebatur, acceſſit ad eum homo quidam γονυπετῶν, & pro filio Lunatico intercedit, quem Dæmon miris modis & periculoſis vexatum exagitabat. Lunaticum fuiſſe ſolus Matthæus inſinuat. Non quod Luna eſſet vexationis cauſſa, quaſi influeret in corpus, quod opinantur fanatici quidam, ſed quod per quædam intervalla temporis, Dæmon, obſervatis ſtatis Lunæ diebus, & Incrementis, vel decrèmentis, eum impeteret, ut opera Dei præclara, quaſi malefica improbarentur, aut ſydera cœli quaſi θεοποιηθέντα colerentur. ita multipliciter uno eodemque actu graſſari ſolet in humanam perniciem ille πονηρὸς: Hunc filiolum pater, τηλύγετον καὶ μόνον ὄντα, vehementiorem in modum commendat Servatori: eóque magis, quòd, ut profitetur, rogaverat Diſcipulos, illos nempè novem ad montis radices relictos, ut ejicerent, & non potuëre. Cur non poſſent ejicere, ipſi ſtatim interrogant, & cauſſam docet Chriſtus: Hoc genus non ejicitur niſi in jejunio & oratione: quorum Illi neutrum tum adhibuerant: ejiciebantur autem imperio: ſed extraordinarie. & ad hoc opus fuit majori Fide, quàm qua præditi tum Diſcipuli fuerant. Dixit enim illis Jeſus, interrogantibus cur ejicere non poſſent? propter Incredulitatem veſtram. quod idem prius, ſed magis ἐπιπλήττων, & patri, & Judæis imputaverat. *O Generatio Incredula & perverſa, quo uſque vobiſcum ero*, &c. ſed & illud etiam adjici debet, Quod inveteratum valde erat hoc malum. Nam rogat Chriſtus, Quantum temporis eſt,

Digitized by Google

eſt, ex quo hoc ei accidit; Pater reſpondet, ab Infantia. Difficilia autem ſunt παλαιωθέντα, *Cum mala per longas convaluere moras.* πολυχρόνιον ἦθος, ἀμήχανον θεραπευθῆναι. His non obſtantibus; motus ad miſericordiam puerum ſanat: idque non vulgari modo. Notatu digna ſunt illa, *Comminatus eſt Dæmoni.* conceptis verbis imperat. *Surde & mute ſpiritus, Ego præcipio Tibi, exi.* nec hoc tantum, ſed, *Et amplius ne introeas*, quæ eſt perfectiſſima curatio, cum tollitur omnis recidivatio. His geſtis, inde digreſſus, Galilæam peragrabat. Converſantibus eis in Galilæa, ſcilicet antequam aſcenderet Hieroſolymam, Dixit Diſcipulis, inquit Matthæus. Docebat illos ait Marcus, quaſi ex inſtituto: in eum finem, quem expreſſit Lucas, ut ponerent in cordibus ſermones illos, quos habebat cum iis, nimirum, de Cruce, & Paſſione. Quam rem cum non intelligerent, & tamen jam pridem de eadem inſtituerat Doctrinam, timebant illum interrogare.

Venit deinceps Capernaum, & acceſſerunt qui *Didrachma* accipiebant, & dixerunt Petro, *Magiſter veſter non ſolvit Didrachma?* ait ille *etiam ſolvit*, nam ludunt illi, qui negative dictum volunt, πρὸς τὸ νομιζόμενον. Quaſi Cenſitores illi immunem pronunciaſſent Servatorem à Tributo: cui ipſorum negationi ſubſcribit Petrus. ridiculè. ναὶ eſt affirmantis, ad quæſtionem directè reſpondentis. Quæritur hoc in loco, Quid ſit Didrachma? & ſecundò, Quid hoc Didrachma? Baronius definit *Dimidium Sicli.* Duo autem *Didrachmata*, conficere *ſtateram*, duos autem *ſtateras* unam *unciam.* Et citat Epiphanium, è Libro de Ponderibus & Menſuris. *Libra*, inquit, *habet* 12. *uncias. uncia habet ſtateres duos. ſtater quidem eſt dimidium unciæ: habet autem duo Didrachmata Siclus, qui & quadrans dicitur, quarta pars eſt unciæ. Dimidium ſtateris, habens duas Drachmas: uncia enim erant octo Drachmæ.* Eſt origine Græca vox, & Græcorum pondus. ſcholiaſtes Theocriti, ἀπὸ τοῦ δράττομαι derivat, hoc eſt, arripio, apprehendo. Polluci dicitur quaſi δραγμὴ; hoc eſt, manipulus. nam tot *obolos* æneos continebat, quot manu quis poſſet comprehendere. conſtabat autem *ſex obolis.* nam erant largiores, ferrei vel plerunque ærei; quanquam poſtea argenteæ & etiam aureæ Drachmæ cudebantur, habitâ ratione ponderis ad unciam. nam *uncia ſit drachmis, bis quatuor*, inquit Fannius. à Græcis ad Romanos tranſiit nomen & nummus. atque etiam, ſaltem poſt Seleucidarum tempora, ad Judæos. ſed & paullò ſaltem prius. nam ex Ezè. 2. cap. 7. citant, ſecundum vires ſuas dederunt impenſas operis, auri ſolidos. *darcemonim*, 70. reddunt, χρυσίου δράχμην aut δράχμας. ab hac voce, per compoſitionem, fit δίδραχμα, vel δίδραχμος, nummus qui duas Drachmas valebat. & τετράδραχμος, qui valebat quatuor Drachmis, quem *ſtaterem* vocabant; ita enim habet Euangeliſta, *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit, Tolle: & aperto ore ejus invenies ſtaterem: illum ſumens, da iis pro me & te:* hoc eſt 4. Drachmas Da. nam in ſingulos capitatio erat

46. *De ſoluto Didrachmate.*

Cc Didrachma:

Didrachma: in [illegible]uos. Tetradrachma: quem nummum, ſic pro duobus datum, ſtaterem vocat. ut omnino ſtater ſit Tetradrachma, Porrò etiam Drachme, ὁλκὴ Galeno, Suidæ, aliis dicitur.

47. Erat itaque Cenſus ſolutio, & quidem per Capitationem, ut appellant. Cui autem uſui, aut cui poteſtati ſolvebatur hoc Tributi genus Didrachmæ, quæri poteſt. Cardinalis ad annum 33. ſect. 30. ſic decidit. *Quod cum didrachma ſit dictum, non aliud eſſe videtur quam illud, quod à Domino eſt Imperatum, Filiis Iſrael,* Exod. 30. *nimirum, ut viri omnes à vigeſimo anno, & ſupra, pro Redemptione & Propitiatione ſua, darent in uſum Tabernaculi, dimidium ſicli, quod eſt didrachma.* hæc ille. verſatur itaque in ea opinione, Tributi genus quoddam eſſe Didrachma, penſitari ſolitum à Judæïs olim in uſum Tabernaculi, Exo. 30. 12. & Templi deinceps extructi miniſterium, ab iis qui viginti exceſſerant annum ætatis, in Redemptionem animæ ſuæ. Probat hanc ſententiam Cardinalis Exercitator, quàm affirmat eruditorum multorum calculis comprobatam: neque quicquam in Annalibus reprehendit, præter Grammaticalem anomaliam, quod frigidum & frivolum eſt. Ego ἀπέχω, nec tam facile deſcendam in hanc ſententiam. Locus ſacræ ſcripturæ, ſe ita habet. *Quando tuleris ſummam Filiorum Iſrael, juxta numerum eorum, dabunt unuſquiſque pretium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in iis, cum fuerint numerati. Hoc autem dabit omnis, qui tranſit ad Nomen, dimidium ſicli; juxta ſiclum ſanctuarii: conſtat autem Siclus viginti Geralis; aut, viginti obolos habet ſiclus. Omnis autem qui tranſit numeratus, à viceſimo ætatis anno, & ultra dabit Domino oblationem. Locupletes plus non dabunt: nec minus dabit pauper: quiſque dabit dimidiam ſicli, oblationem Domino pro Peccatis; ad expiandum ſuper animas ſuas. Tolles autem expiationis pretium à filiis Iſrael, & impendes illud in miniſterium Tabernaculi Congregationis. Erit autem Filiis Iſrael, memoriale coram Domino, ad propitiandum ſuper animas ipſorum.* Capitationem hic à Deo Inſtitutam certum eſt, & quidem perpetuis temporibus duraturam. nimirum erat Memoriale, antiquiſſimus omnium populorum cenſus. Cenſus autem ille, non Temporalis alicujus aut politici Tributi ſolutio, quale et prius, et poſtea, pro Imperio, Reges Gentium ſuis ſubditis imponebant: ſed Eccleſiaſticum, ſacrum, ad actionem ſacram, loco ſancto, Tabernaculi, et Templi Miniſterium. Cum vero Multiplex Tributum in Iſrael ſolveretur, non unum: idque etiam è Divina Inſtitutione, variatum eſt in ſententiâ iſtius loci: cum apud antiquos, tum et recentiores. Sunt autem qui putant ſolutum hoc vectigal in Redemptionem primogenitorum Jſraëlis, cum interimeret Ægyptiorum primogenitos, Angelus ille ἀπολλύων. Et quia numerus primogenitorum Iſraëlis, cæterarum tribuum, numerum filiorum Levi, qui pro Primogenitis in Domini partem aſſumebantur, excedebat: Dominus, qui illam tribum, velut

ἀντίποινον

ἀντίποινον ſeparaverat, et vice lutri primogenitorum in capita ſingula, reſidua, ad mandatum Domini, Num. 3. 39. 43. Siclus argenti pendebatur. Primogenitus erat Chriſtus matris ſuæ, et quidem Unigenitus. Quid tum? hinc Exæquatores Capernaumi, penſionem illam, ubi habitabat, flagitant. Hæc eſt ſententia Euthymii et Theophylacti, qui quemadmodum ſolent, Chryſoſtomum authorem præeuntem ſequuntur. illius autem in Commentariis, ita ſe habet ſententia. *Quænam porrò ſunt hæc didrachmata? Cum Deus Ægyptiorum primogenitos interficeret, tribum tunc Leviticum loco primogenitorum ſibi allegit. Et quandoquidem tribus illius capita numerum Primogenitorum Iſraelis non æquaret, in ſingula capita, quæ non ſufficiebant, Siclum pendi præcepit. Ab eo tempore uſus obtinuit, ut iſtud vectigal penderent Primogeniti. Quocircà, cum Chriſtus Primogenitus eſſet, Petrus autem videretur Diſcipulorum primus, Illi eum adeunt Exactores.* Hæc ille, ἀπροσδιονύσως; et valde abhorrenter à veritate.

Imprimis, licet Chriſtus Primogenitus eſſet, non conſtat tamen Petrum fuiſſe Primogenitum. Quid ergo capitationem ſolvebat? Imò conſtat pene, Primogenitum non fuiſſe; ſed Andream ætate provectiorem. conſtat Jacobum Primogenitum fuiſſe. Cur autem illo exempto, dicit ſervator, Dato iis pro me, & Te? ſecundò, Non *Didrachma* illo nomine ſolvebatur, ſed in ſingula capita *quinque Sicli*, juxta rationem & pondus *ſicli ſanctuarii*, hoc eſt geminato, communi Siclo. quanquam hoc neget Villalpandus, in Ezechielem, Sicli vero Hebræorum quum præcisè, & ad ζύγιον, ut ita dicam, ſtateri Attico æquivolerent: & ſtater, ut oſtendimus ex Euangeliſtâ, duo Didrachmata contineret, decem omnino Didrachmis, non Didrachmo, in ſingula capita cenſus ille neceſſario æſtimabatur. Imo vero viginti Didrachmis, eo quod per *ſiclum ſanctuarii* æſtimatio fiebat, qui ſinguli, communes Siclos de communi ſententiâ, geminabant. Tertiò vectigal illud Redemptionis Primogenitorum, ſemel tantummodò ſolvebatur: non quotannis, non repetitis vicibus, aut redintegratis occaſionibus: nempè cum populi numerus, de Ægypto nuper reducis in ſingulis capitibus iniretur; cum recens adhuc eſſet memoria liberationis, & in vivis illi omnes Primogeniti Conſtituti, qui in clade illâ Ægyptiacâ per divinam miſericordiam fuerant conſervati. Nec Cenſiti illi omnes, ſed tantum ſupernumeratii, ultra numerum & capita, de cæteris tribubus Iſraëlitarum. è quibus vel eorum poſteris, non erant, eſſe non poterant ſervator & Beatus Petrus, ut ob eam cauſſam ſolverent Didrachma, Primogenitorum ἀπολύτρωσιν. Quis autem aſſeverare poteſt, inter ſanctiſſimos Apoſtolos, nullum alium præter beatum Petrum (qui nec ipſe erat) fuiſſe parentem primogenitum: quod ſi alii fuerint, cur non eorum etiam nominibus ſolutus Cenſus æque atque Petri? Quartò ille Cenſus ſacer, quinque ſiclorum, hoc eſt, duorum didrachmatum, & quod ſupereſt, 48.

 erat

erat in Templo, & non alibi ſolvendus. Hieroſolymis in Judæâ, non Capernaumi, in Galilæa. Nec ſolebat ſolutio vel exactio illius deferri ad annos 20. aut plures, à nativitate, ſed ſtatim à menſe decurſo, & exigebatur, & ſolvebatur. Quocirca hanc Chryſoſtomi ſententiam, ut incommodam & falſam, viri utrinque doctiſſimi, exploſerunt: ſed multo magis opinio illius authoris explodenda, qui Quæſtiones è novo Teſtamento edidit, apud Auguſtinum. Qu. 75. *Didrachma,* ait ille, *ab iis exigenda erat, qui aliquid negotii gerebant, aut operam artibus dabant. ſalvator autem, quia nihil horum curabat, neque Diſcipuli ejus,* (quod tamen falſum eſt) *exigenda utique ab iis non erat.* Sed *Diabolus exactorum animos occupavit, ut accedentes ad Petrum, ſolvi debere dicerent Didrachma. Ridicule.*

49. Hilarius can. 17. aliam invexit opinionem. Tributum hoc didrachmæ illud eſſe, quod Exo. 30. Tabernaculo, & poſteà Templo pendebatur: cujus loci et tributi ſolvendi, jam fecimus mentionem. In hanc ſententiam Caſaubonus, et Annales abeunt, nec diſſentit Bulengerus. ſed hæc minimè nobis probatur, ut verba adhibeam, alibi Baroniana. Nec illud, affirmo, ſoli pendebatur Tabernaculo in deſerto, non autem Templo Hieroſolymitano; quaſi ſemel omnino penderetur, nempè in illa recenſione Iſraëlis Exo. 30. Rectè putant Rabbini Mandatum hoc æternum, et edictum perpetuum extitiſſe. Rectè ſentiunt, quotannis penderi ſolitum, idque in Feſto expiationis per menſem noſtrum Septembrem. Nec obſtat quòd non legantur Moyſes, Joſua, Samuel, David, Salomon, Ezechias, alii hoc Tributi genus repetiiſſe. Multa enim in moribus Judæorum poſita, ſcriptis mandata non leguntur: Multa ſemel conſtituta, non ſubinde quotannis repetita. Et falſum eſt, quod affingunt, non eſſe affixum huic ordinationi quod Edictis manſuris affigi ſolitum, *In perpetuum.* nam ver. 16. præciſe additur, *ut ſit in Memoriale.* Cenſent Rabbini è pecuniâ hac Collatitiâ, parata fuiſſe holocauſta quotidiana, et ſacrificia quædam per dies feſtos, extra ordinem. ſed tamen non aſſentior hoc Tributum iſto loco intelligi. Objicit Cardinalis Joſephum ita commemorare, et hoc vectigal referre uſque ad Veſpaſiani Tempora penſitari ſolitum: cum autem, deſtructo Templo ac ſubactis Judæis, illud ipſum didrachma, ab omnibus Judæis, ubique Gentium habitantibus, in Capitolium ferri, & exolvi juſſiſſe. Citat autem Libri 7. cap. 26. de bello Judaïco. Falſo. Nam in illo Libro non ſunt tot capita. & cap. 10. nihil aliud affirmat, quam remiſiſſe Agrippam, vectigal illud, quod δι' ἔτους ſolvebatur. deinde adduntur quædam in Annalibus, quæ non comparent apud Joſephum. Ad Veſpaſiani uſque tempora perſeveraſſe hujuſmodi Tributi ſolutionem: ut ſinguli ſuas drachmas, offerrent, in Templo; verba enim Joſephi, hæc ſunt, non alia: φόρον δὲ τοῖς ὅπου δή ποτ' οὖσιν Ἰουδαίοις ἐπίβαλε δύο δραχμὰς, ἕκαστον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὸ καπιτώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις ναὸν συνετέλουν. ſed hæc non efficiunt

efficiunt hoc in loco, hoc Tributum ſubintelligi. id tantum efficitur, quod verum eſt, Didrachma, pro Templo in Capitatione Inſtitutum. Hoc divino mandato introductum, uſque ad Judaïcæ politiæ deſolationem perduraſſe. Tum vero ſublatum, non Tributum, ſed Tributi ſoluti uſum, & pro Templo, Capitolium, ſubſtitutum. Hæc non efficiunt, quò minus hoc in loco, Didrachma ſolutum, politicum fuerit Tributum à Romanis impoſitum ad exemplum illius, in ſacrâ Politiâ, per Deum inſtituti: Ita putarunt nonnulli, Baronius ait. rectè. & verè putarunt meo animo. Neque enim novum eſt, ut Principes terreni, in ſæcularibus, Deo obſervata in ſacris imitentur. Nam & Decimas plerunque exigere ſolent, vectigalis nomine, cum ab initio Deus, è cujuſque facultatibus, honeſtè acquiſitis ratione Dominii, Curæ, procurationis, beneficii irrogati impoſuerit, ut in noſtris Decateuticis docemus. Secundò, Tributum quod authore Joſepho, Agrippa remiſerat, κατ' οἴκους pendebatur, non viritim, & κατὰ κεφαλάς. ſed nec tuliſſet Populus, Legis per ea tempora uſque ad ſuperſtitionem obſervantiſſimus divinum Inſtitutum antiquantem: non magis quam holocautomata, aut juge ſacrificium auferentem: vel Imagines in urbem, aut etiam σημεῖα inferentem. Deinde, multo minus Jeſus Chriſtus, qui factus homo venit, ut Legem impleret, & ſic refigeret Ceremonialem, & Temporalem, hoc eſt, quod ait, ut faceret omnem juſtitiam, ſe exemptum à ſolutione illa, quia Filius, prædicaſſet, ſed ſine ſcrupulo injecto, aut exceptione ſolviſſet, nec aliquam immunitatem præ ſe ferret. Poſtremò, illud ζήτημα, de Regibus gentium, extra omnem controverſiæ aleam ſtatuit, didrachmam illam Capernaumi exactam, *politicum* fuiſſe, vel Herodi, vel quod potius arbitror, Romanis ſolutam: & vel ab Auguſto Cæſare, vel Pompeio gentis Triumphatore, impoſitam: qui ὑποτελεῖς Romanis Judæos faciebat. & ita videtur opinatus Barradius. Petrus autem & Chriſtus ſoli hic ὑπόφοροι commemorantur, quia ſoli habitabant Capernaumi: cæteros Apoſtolos, in ſuis quemlibet Civitatibus idem penſitaſſe, licet non commemoretur, Credibile eſt. Et Certè, niſi de Civili, & non de ſacro Tributo, locus iſte intelligatur, non video, quomodo Libertatem ut vocant Eccleſiaſticam, aut Clericorum, à Taxis, Tributis, & ſubſidiis immunitates hinc conſtruere, aut perſuadere poterint, nec in Novatores invehere, quod fecit ſect. 32. Cardinalis, Qui ex iſtis verbis perperam Intellectis, novam inferunt ſententiam, ſacerdotes ac Clericos, non eſſe Immunes à Principum vectigalibus. Nam certè Deo obſtringebantur, & Tributum ſolvebant etiam Levitæ & ſacerdotes: licet nec idem, nec eodem modo, nec in eum finem, quo populus, & ut nos loquimur, Laïci tenebantur. Quocirca doctiſſimus Baronius, ac cæteri qui hinc immunitatem illam Clericorum conſtruunt, parum fuit, & fuerunt in rem attenti, qui de alio quam civili & ſæculari tributo, hoc in loco agi putant. Nam ſi hic exemptio ulla inſinuatur, omnino eſt neceſſe, ut

principi

principi temporali Tributum Civile ſolverit Jeſus Chriſtus, à quo ſe immunem, ſi uti voluïſſet immunitate ſuâ ſciebat, & quod ſolvit, ne ſcandalum iis exhiberet. non enim Deo & Divinæ ſanctioni ὑποτεταγμένοι, edictis illis ſe minime ſubjacere, affirmare poſſunt. Ipſe Jeſus Chriſtus γνήσιος, non ποιητὸς Dei Filius, factus homo, factus erat ſub Lege. Nec alias de implendâ Lege, legitur interpoſuïſſe exceptionem, quam hic non interpoſuïſſet, ſi Divina & non humana in quæſtione verſaretur. Agebatur autem planè de humanâ. atque ideò vocibus non ſacratis, non Hebraïcis, non in Templo Tributis ſolvendis accommodatis utitur, qui *Didrachmam* appellat & *ſtaterem*: quæ ſunt voces apud exteros in re nummariâ, non in ſacris ſcripturis uſurpatæ pro Templo. ſed nec illis contenti Divini Hiſtorici, ſtatim τέλη, & κῆνσον etiam adhibent, quaſi digitum intenderent ad Tributum Civile Domino ſolvendum ſæculari, per Cenſitores.

50. Leve & futile eſt, quod excipitur. Ideò, quaſi precariò exigatur hoc Didrachma, non ſuperbè, & cum violentiâ, ſicut ſolent exigi per Exæquatores Tributa à Principibus ſæculi impoſita. Nam falſum eſt, ſi non impium, quod ſupponitur, rogando & perſuadendo, Deo debita ſemper exigenda, & non cum imperio. Imprimis autem Edicta trium Statuum cœleſtis aulæ, Patris, Filii, Spiritus ſancti, ut ſunt indiſpenſabilia, ita quoque cum regio Imperio imponi ſolent, *Animadverte, Dicto pare; Præter rogitatum, ne loquare.* Item, *Si te ſecundo Lumine hic offendero, moriere*: Hoc enim ſibi vult ἐπιφώνημα illud adjectum, *Hoc fac & vives.* ſecundò falſum eſt, precario exactum. Interrogant Petrum ἐρωτῶντες, Nam non ſolvit. Quæ poſſunt eſſe verba, & exigentium, & flagitantium, & cum imperio expoſtulantium, ſi non & cum ſarcaſmo irridentium: acſi dicerent, Quis eſt veſter Magiſter? quo munitus privilegio, qui non ut cæteri omnes, Didrachma ſolvit! Deindè, fieri poterat, ut non admodum experti, aut periti iſtarum rerum fuerint: parum in artificio quæſtuoſiſſimo exercitati, utpote nuper intromiſſi, acceſſerint. vel publicanorum miniſtri, vel etiam Publicani. Adhuc, licet ignari non fuerint Jeſu ſolvendum Tributum, neſcire tamen poterant, & ſine culpâ, an qui ὑποτελὴς debebat eſſe, eo in loco ſolvere deberet, vel alibi, ἐν πόλει, nimirum ἐλλειπτικῶς. ut ſubintelligatur, ὧδε. Poterant etiam id innuere, an non jam ſolverat, vel alibi locorum: vel in illâ urbe aliis: nam plures erant ubivis, & publicani, & vicarii, vel deputati. Neque verum eſt, per vim, ac violentiam flagitatum ſemper fuiſſe, aut exactum Tributum. Rapaciſſimi erant, etiam per illa tempora, & ubique milites. ſcimus tamen Cornelium: & illum Evangeliſtis laudatum Centurionem, ab iſtis moribus abhorruiſſe. Quidni iſti Exactores, humanitatem exercuerint, in illum præſertim, quem ſuſpiciebant, & admirabâtur omnes à vitâ & Doctrinâ: quem & ſciebant, & habebant adeò commendatum. Quem ut magnum Prophetam, populi venerabantur? Scribæ

certe,

Digitized by Google

certè, ſacerdotes, Phariſæi, hoſtes capitaliſſimi, eum propter metum populi reverebantur, nec manus audebant inferre violentas. Nec Baronii exceptio aliquid ponderis habet aut probabilitatis, de ἐνστάσει per Reges Gentium, qui non ſolebant à Filiis tributum exigere, ſed repetere ab externis. *Non erat Chriſtus*, inquit, *Regis alicujus terreni filius, ut ſolutum ſe & liberum hinc contenderet*. Non erat certè: ſed illius Regis, per quem ſolum alii Reges & Monarchæ, qualeſcunque quantive populis ſubjectis dominabantur. ſciebat hoc Petrus, quem affatur, & jam confeſſus fuerat palam; Ignorabant Cenſitores, etſi ſe exemptum prædicaſſet, eo quod erat Filius Dei, ſcandalum fuiſſent paſſi, ut Judæi alias paſſi ſunt, qui Blaſphemum, eo nomine indigitarunt. ἀπόδειξις πρῶτον, ait meus ſcholiaſtes, ὅτι οὐ δεῖ τελεῖν, διὰ τὴν θεότητα· κελεύει δοῦναι, διὰ τὴν ἀνθρωπότητα, ne ſcandaliſet. Nondum enim tempus fuit, ut palam, & evolutè Dei Filius agnoſceretur, necdum conſummatâ Paſſione. Quocircà cum doctiſſimis utriuſque partis Theologis & Interpretibus, ad illam ſententiam deſcenderim lubens merito, quam & vetuſtiſſimi quiq; patres, contra Chryſoſtomum & Hilarium amplexi ſunt, Tributum illud, in ſacris Euangeliſtis διδραχμαῖον, non fuiſſe aliquod Lege Divinâ ſancitum: Templo addictum, vel rebus ſacris: ſed Civile, Temporale, annuum, Cæſareum. Origines exiſtimat *ſtaterem*, qui nominatur, habuiſſe Imaginem Cæſaris inſculptam: et Tributum fuiſſe à Cæſare indictum, et inſtitutum. *Quoniam Jeſus*, inquit, *non habuit Imaginem Cæſaris:* (Princeps enim ſæculi iſtius nihil habebat in Illo,) *propterea, non ex proprio, ſed ex convenienti loco maris accepit Imaginem Cæſaris eam, ut det Regibus Terræ; pro ſe, & pro Diſcipulo ſuo.* Eleganti luſit, ut ſolet allegoriâ. ſed de Regibus terræ, non Deo cœli, hoc in loco Tributum exactum, & ſolutum. ſic & Irenæus 5. cap. 24. *Propter hoc, & Tributum præſtatis. Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum inſervientes. Hoc autem & Dominus confirmavit: non faciens quidem quod à Diabolo ſuadebatur, Tributorum Exactoribus jubens, pro Se, & pro Petro Tributum dare.* Ita & Peluſiotes Iſidorus Lib. 1. Ep. 206. minimè ſecutus magiſtri ſui Chryſoſtomi expoſitionem. Ἀνθ' ἑαυτοῦ δὲ τοῦτο δοθῆναι προσέταξεν, ὡς γεγονὼς ἄνθρωπος, τοῖς ἡμῖν ἅπασιν (forte legendum, πάθεσιν) ὑποκείμενος ὅτι βασιλεῖ συγχωρῶν ἀντιτάσσεσθαι ἀβλαβῶς ἐπιτάττοντι, καὶ τῆς θεϊκῆς δυνάμεως τὰς ἐνεργείας ἐπιδεικνύμενος. De rege ſæculi, non Domino cœli, locum Matthæi interpretatur: quem & Beda, & alii ſunt ſecuti. A quorum ſententiâ, Multo communiori, cur recedere debeamus, cum Baronio, Caſaubono, & aliis quibuſdam, nihil video, qui manifeſtè tenent, accurateque defendunt, Tributum aliquod fuiſſe iſtud didrachma, Magiſtratui Civili, Herodi vel Romanis, (neque enim definimus) debitum. Inter Romanos vana fuit vectigalium, & Tributorum ratio, repub. adhuc ſtante: ſub Principibus: in Provincias, in Capita, ex Cenſu, Temerarium, ex eo olim tributum pendebatur, quod in capita irrogari ſolebat: Quale illud Indictum unicuique qui in Numerum aſcendebat, in Tabernaculi, Iſraëlitici uſum. Quod Romæ in uſu fuit, temporibus antiquiſſimis, ante Cenſum inſtitutum à Servio Tullo: & poſt illum, ſub

ſub Tarquinio Superbo Rege. ſed à quo, vel quando Inſtitutum in Judæâ, hoc Tributi genus fuerat, neque ſacroſancti Euangelii ſcriptor deſignavit, & libenter nos poſſumus, Deo ita diſponente, ignorare.

Admodum acutum, & εὑρητικὸν oportet eſſe doctiſſimum Cardina-
51. lem Annaliſtam, qui in unico, neque magni ponderis, aut pretii *numiſmate*, mirificam adeò invenit poteſtatem, & poteſtatis tam immenſæ executionem, *Petri Primatum Pontificium*, & exemptos ab omni aliâ poteſtate, quæcunque tandem fuerat illa, Petri Domeſticos, Clericos, & ſacerdotes. Interrogant Petrum, de Tributo ſolvendo, Publicani. Petrus ergo Princeps Apoſtolorum, & Petri ſucceſſores in Eccleſia, Principes terræ, & Domini noſtri. Quod eum adierint Publicani, rogat, Quid aliud, niſi Petri principatum inſinuat? Certè, ſi conſtaret ideò illum Publicanos adiiſſe, concluſum eſſet de Monarchiâ forſan Pontificali: ſed non conſtat: quippè minime divinitus erat revelatum. Licet tamen, ut in dubiis, cur illum adierat conjectari. Quod vel primus, vel ſolus iis obviam venerat. Quod de facie, & forſan familiaritate notus. Quod ædes Capernaumi, ut non nemo opinatus eſt, haberet, & familiam ibi aleret, in illâ maritimâ Civitate piſcator, licet ortu Bethſaidenſis. Quod princeps & προστάτης, rebus omnibus, & rationibus Chriſti, ſe Petrus inſinuaret. Quod eſſet πρωτότοκος, &c. ſed ut aliquid myſticum, hac Interrogatione inſinuetur, Philippum tamen non minus potuiſſe ſibi Principatum arrogare par et æquum fuerat, quem Græci aliquando homines, ad Chriſtum inviſendum adeuntes, de illo convenerunt: vel etiam Andream, qui cum Philippo, eoſdem deduxit, ad Servatorem. ſed honorabat eum Dominus. & hoc quis negat? Agnoſcit hoc, in honore poſitum, ὁ χρυσοῤῥήμων: & quis hoc non agnoverit cum Chryſoſtomo? Honor autem nec eximius, nedum ſupremus erat, Reges & Monarchas ὑπερακοντίζων, ut de piſcis ore Tributum eximeretur, quod pro Capitibus, ſuo, et Magiſtri, ſolveretur. Nec hoc evincit, fuiſſe Petrum Jeſu Chriſto, à Conciliis ſecretioribus, et animi ejus ſenſus noviſſe interiores. Eſto. Non tamen ille ita ut ὀφθαλμὸς βασιλέως apud Perſarum Reges. aut ut M. Agrippa, et Cilnius Mecænas apud Auguſtum. aut ut Favoritæ apud modernos Reges. velut Laurentius aliquando Puccius, ne à Petri cathedrâ longius abeamus, apud Leonem decimum: cujus, hominis nequam, et ad omnia improba anteſignani, conſilium ſequutus Papa, Indulgentiarum Nundinas ſubintroduxit, unde Princeps Lutherus in Papatum claſſicum cecinit, apud Germanos. verum conſtat certo è ſcripturis ſacris, non ſolummodo Petrum admiſſum ad Interiora, ſed cum duobus aliis Filiis, ſc. Zebedæi. Atque ita admiſſos eoſdem, ut inter illos tres, intimiores, in amicitiâ, et familiaritate Chriſti, primas tulerit Johannes Zebedæi, non Simon Barjonæ, licet Petrus, Cephas, claves cœlorum, et Eccleſiæ ſuſceperit, peculiari aliquo modo ſuperædificatum fundamentum. virum graviſſimum et doctiſſimum, tam frivolis pugnare, non argumentis, ſed umbris, ſimulacris, aut ſceletis quibuſdam argumentorum puderet, in quibus λῆρος πολὺς καὶ φλυαρία.

Nugæ

Digitized by Google

Nugæ ſunt & reliqua etiam, verborum quodam cum ſtrepitu repræſentata, nec ultra jocoſeria aſſurgunt, quæ huic Primatui ſuffulciendo ſubſternuntur, de curâ, Tributi publicanis repræſentandi Petro commiſsâ & demandatâ. de Petro piſcatum miſſo, de piſce capto & ſtatere invento: unde juſſus erat, pro *Me*, & *Te*, numerare. Hæc tam fortiter tuentur Pontificias partes: tam conſpicuè Petrum attollunt, ὑπὸ βαθυῶν. tam nervosè, quæ contra diſputantur, diſſipant, & diſpellunt, ut neceſſe ſit, illum eſſe fungum & ſtipitem merum, qui non ſtatim ſenſerit cum Annalibus. Quid aliud niſi Petri principatum inſinuant? Imò ſunt ægrorum, & amantium ſomnia. Utraque, ut illæ umbræ Infernales, *Simulachra modis volitantia miris.* Quæ non ſunt: quæ nihil ſunt, quæ Chimeræ, & Scindapſi ſunt: illa, ὡς ὄντα, & in oculis omnium ubique relucentia, repræſentant. Petro cura mandatur ſolvendi tributi. Erat enim is quem de eo convenerant Publicani: qui retulerat ad magiſtrum: nec alii tam commodè demandari poterat. Erat ergo Petrus, Fidelis ſervus in domo Domini ſui. erat expeditus rerum diſpenſator, non ipſe Dominus ſuper fratres conſtitutus. Mittitur ad piſcandum Petrus: ſed νέποδας, non μέροπας. Non ad Reges deponendos, aut diſponenda Regum regna. non ad orbem terrarum ſubvertendum: aut verſandum, ſuſq; deque. Piſcator erat profeſſione: piſcatui à puero aſſuetus. 52.

Ἔθνεα τοι πόντοιο, πολυαστερέας τε φάλαγγας
Παντοίων νεπόδων, πλωτὸν γένος ἀμφιτρίτης.

Noverat optimè, & cum primis. ut, ad artem illam, quam noverat exercendam, illum Dominus, qui diſponit omnia ſuaviter, tranſmitteret. Jam quid mihi piſcationem cum principatu? mare Galilæum, cum mundi Monarchiis, ἀσύστατα penitus, & ἀσύμβολα, componuntur. Et non niſi ridiculè, in argumentum aliquod αὐτοκρατορείας, ſtateris & Tributi ſolutio ducitur. Quidni, βαναύσους & ἀποχειροβιώτους propter opera, & communi vitæ utilia, & ad victum comparandum neceſſaria, tanquam rerum Dominos, & fœlicitatis noſtræ auctores amplectamur: & eoſdem, cùm ſint ὑποτελεῖς mundi quoque monarchas φαντασιάζωμεν; Pythagorei Philoſophi, quæ fuit illorum ἀβελτερία de numeris meris exædificabant τὸ πᾶν, & in ſingulis rerum individuis harmonicum illum Numerorum concentum, ita liquidò videre ſe, et audire arbitrabantur, ut nemo magis ſolem meridie lucere, aut noctem aëri incubare putet, *per amica ſilentia Lunæ*. In quo tamen effato, erant alii omnes, non Pythagorei, quavis talpâ cæciores, nec audiverant aliquando, mundum hunc, *canere ad concentum*. Ratio enim illa numeralis errore quodam præconcepto, mentem adeò dementaverat, ut contra ſenſum communem inſanirent: Hoc ipſum Baronio contigiſſe opinor: ſomnia ſibi fingit Pontificis amator, ab ipſis Infantiæ Incunabulis ita ſomniare aſſuëtus: Antiqui olim Patres, in iſtis Petri πρωτερήμασιν ejus vidiſſent Principatum, perinde atque ego, in Lunari orbe, Luciani colonias eò deductas: aut in ſole

maculas neſcio quas, quas vidit tamen clariſſimè pluſquam ullus Lynceus, aut Aquila ἀσκαρδάμυκτος Galilæus. Staterem ſolvit Petrus: qui quem ceperat piſcem, exenteravit. Extraxit autem piſcem, piſcatum à Chriſto miſſus. gnarus artificii, et à Publicanis poſtulatus de Tributo.

53. Ultra hanc prærogativam beati iſtius Apoſtoli, nemo unquam aſcendit Antiquorum: nedum eo uſque inſanivit, ut in hoc *ſtatere* ſic ſoluto, Chriſti, Petri, Filiorum omnium et ſervorum, hoc eſt, Cleri totius exemtio et immunitas omnimoda fundaretur. Ita enim vir doctiſsimus, inauditâ quâdam tranſactione, Clericorum omnium immunitatem ſtabilivit. Cum Reges, non à Filiis ſolere Tributum exigere, Dominus reſpondiſſet, inde, neq; ſe, neque ſuos, Tributi ſolvendi lege teneri, perſpicuè inferre voluit, ſi affirmanti habeamus Fidem. *Fide*, ait vetus verbum; *ſed Cui*, *vide*. Multa enim Cretes olim mentiebantur. ἀεὶ ψεῦσται cum audirent vulgò. *Inferre*, inquit, *voluit*. at quî novit, voluiſſe? Non enim palam hoc edixit: ſed nec alicubi inſinuat voluiſſe. At quid impediebat; quo minùs clarè proferret, cùm vel unico verbo poſſet illud expedire? Certè, nolebat hoc perſpicuè, ſi omnino volebat Credo noluiſſe. ſcio, nequaquam perſpicuè diſſeruiſſe, quod facile poterat indicaſſe. Neque enim de ſenſu iſto verborum & ſententia adeò inter omnes eſſet controverſum. Locus enim obſcurus eſt, ut judicioſè, ſicut & omnia, doctiſſimus & reverendiſſimus D. Roffenſis ὁ μακαρίτης obſervat. Obſcuræ ſunt, vel dubiæ ſaltem Interpretationis, quæ vocantur à multis in diſquiſitionem. Quæ τυφλοὶ τά τ' ὦτα, τόν τε νοῦν, τά τ' ὄμματα, non vident. Quocirca Baronius, ſi nuper è ſomno, aut veterno quodam ἀναβλέψας, ut ille Cæcus apud Mar. 8. 24. homines, tanquam arbores ambulantes videret, de, *Perſpicuè inferre voluit*, tacuiſſet. Imò, de *Inferre*, ſemoto hoc *perſpicuè*. Quid enim Regum Filii, ad τὸ ζητούμενον; de Immunitate, ſatis immuni, quorumcunque Clericorum. Regum Filios, immunes à vectigalibus, nec parentibus pendere tributum ſolitos, ſcilicet de praxi ordinariâ, monſtrat Dominus. Nec Petrus ergo pendere debuit, aut Petri ſucceſſores. Imò, ne famulitium, appendices, vel umbræ eorum. Hæc enim omnia ſimul concluduntur, ſubjiciuntur, ſubjici debent exactoribus Tributorum, aut Dominis eorum Temporalibus: ita verbo dicitur expeditè, quod magno molimine non probatur. Illuſtria ſanè ſunt hæc privilegia, ſed tantâ facilitate contemnuntur, quantâ audaciâ prædicantur. Imprimis autem, non affirmat poſitivè, immunes eſſe liberos, quaſi non omninò parentibus obligatos: nedum ut ipſis minimè ſubjiciantur, quaſi vel de facto immunes eſſent aliqui, vel de jure deberent omninò eximi. Abſit enim ut edicta ſua refigat Dominus, æternitati olim conſecrata. Honora patrem, & matrem tuam. Quod pronunciat, hoc eſt, Non ſolere Reges parentes Tributum à liberis exigere. Aliud autem eſt, Immunem

munem eſſe: aliud non exigere. Immunes ſunt, vel debent eſſe, ad *jus* ſpectat: & hoc quidem, Naturale vel Divinum. Utrumque illud, obſervari debet conſtantiſſimè, & fundamento innititur ſtabilitum immutabili, quod eſt, Dei illa voluntas ἀμεταμέλητ☉. Exigi non ſolere, non de Jure, ſed de Facto loquitur: & ad diſpenſationis, vel conſuetudinis indulgentiam pertinet: Et non ſolùm apud Perſas, in uſu quondam fuit: ſed per omnes penè obtinuit Monarchias, ut in partem principatus, vel Dominii admiſſi Regum Filii, parentibus quotannis tanquam Dominis ſupremis, vectigal quoddam annuum numerarent. Præſcribebant illi Liberis liberè has conditiones: erant etenim rerum & poſſeſſionum, de jure, Domini. ſolvebant Liberi, non illibenter cùm de gratiâ, non jure ſe *admiſſos* intelligerent & faterentur, ad hæc privilegia, non de jure immunes. Ita vanum eſt Commentum de Immunitate indultâ, non debitâ, ubi nihil Principum indulgentiæ aſcribunt, per ingratiſſimos bipedum Hildebrandiſtas, qui ubique αὐτόνομοι, αὐταρκεῖς, αὐτοδέσποτοι, ἀνυπεύθυνοι volunt eſſe, velint nolint Principes, poſtquam

ἂψ ἐνεχλοίης Ἀγαμέμνονα δῖοι Ἀχαιοί,

ut ingratiis, capitibus Regum inſultent, & omni nexu ſoluto inſidientur.

Sed tamen ut Filii fuerint immunes, & privilegiis ornati contra parentes, de jure Naturali vel Divino, non ullâ autem poſitivâ conſtitutione, ſervi tamen οἰκέται, atque δοῦλοι, neceſſitati ſolvendi ſubdantur, cum ad jus liberorum non aſcendant, ad Immunitates non poſſint aſpirare. Ne quidem apud Perſas olim, ubi Rex, omnes omninò mortales ſibi ſervos reputabat, & mancipia, exceptâ uxore ſuâ. ſed neque hodiè apud Turcas, ubi non exceptâ uxore Sultanus omnes ſervili conditione habet: Eſto igitur, ut Reges Gentium, filios ſuos liberos natos; omni modo exemptos & Immunes vellent, ita ut ne deberent φορολογεῖσθαι. Eſto, pari modo fuerit, imò multo majori modo, immunis Jeſus Chriſtus, ille μόν☉ & ἀγάπητ☉ Regis Cœlorum filius: quæ tamen ἀποκλήρωσις, aut convenientia inter partes, Filios ſcilicet Servos, Chriſtum Apoſtolos: & in Apoſtolis, illos omnes, qui ſecutis temporibus, ſacris altaribus admoti miniſtrant? ſunt illi Dei Filii. ſed θέσει, non φύσει, et præter naturalem, ἐκ παιδὸς & ὁμόσιον, adoptivos habet Filios, ὁμοειδεῖς, Deus Pater, πολύπαις, quem Patrem noſtrum in Cœlis, omnes quotidiè interpellamus orantes. Filii enim Dei ſunt illi omnes, quos *evocatos*, in gremio Eccleſiæ collocavit, quos in Jeſu Chriſto, Filio ſubſtantiali, per gratiam præventos reconciliantem, de naturâ generante ſibimet appropriavit. *In Filiis Dei, nemo ſimilis Filio Dei*, ſcitè & verè dicebat Auguſtinus, ab illo cùm receſſeris, non eſt liber, & ſervus inter Filios Dei. Filii hominum ſunt, qui Filii Dei ſunt: inter iſtos, quà tales, liber eſt 54.

et ſervus. Cùm è Filiis hominum, fiunt Filii Dei, non eſt adhuc ſervitus, ita ut hic, vel omninò non ſit Filius; vel, quàm alius eſt, ſit minus Filius, qui eſt ὁμοπάτειος, ὁμομήτειος, & ἀμφιθαλὴς, ut ille alter, iis Filiorum privilegiis, quibus ille eſt donatus. Clericum quemlibet agnoſco nominatum jure merito, qui conſtitutus eſt in κλήρῳ, hoc eſt, ſorte Domini, & peculiari quâdam poſſeſſione, mancipatus. ſed per ſortem Miniſterii, quâ Matthias aſſumebatur: non per Adoptionis beneficium, in quâ, non eſt liber ſervus: Pauper, Dives: Græcus, Barbarus: Doctus, Idiota: Sacerdos aut è vulgo quivis, vel ſi lubet, de imâ populi fæce & colluvie, Eximantur itaque eo modo qui proponitur, Regum Filii, ubi tum erit, τὸ ἄρχον, καὶ τὸ ἀρχόμενον, quod tantoperè laudat Nazianzenus, ut ἴσον τὸ καλὸν rectè arbitratus fuerit, nullum eſſe in humanis Imperatorem, qui regat: & nullos, qui parere velint Imperium exercenti. Si erunt omnes filii, erunt utique & liberi omnes. Liberi autem, quia Liberati. Nec Apoſtolus, prudenter, aut è re noſtrâ effatur, Poteſtatibus ſublimioribus eſto ſubjecta omnis anima. Nec ſecundùm rectam rationem præcepit Tributum, cui Tributum. Voluit ergo Dominus hoc in loco inferre, ſe liberum eſſe. Nolebat eſſe liberos, quotquot per ipſum, ad illam dignitatem υἱοθεσίας, aſcendebant; aſſerti in libertatem filiorum Dei. Imbecillum ergo illud, *quod filios dixit*, ideò Immunitatem ad multos pertinere. Loquutus eſt numero multitudinis neceſſario, qui rationem facti, non in unâ quâdam Gente vel Familiâ quæſivit, ſed in uſu & conſuetudine univerſali. ſolent hoc omnes. Iccircò, à multis exigi vel debet, vel non debet, cùm tamen τὸ πταιόμενον, ſit ſingulare. ſunt ergo ſcopæ diſſolutæ, ὡς τὰ συμπεφερμένα, Cardinalis. Hinc videas, quàm perperam ex iſtis, Novatores novam inferant ſententiam, Sacerdotes & Clericos, non eſſe Immunes à Principum vectigalibus. Certè perperam, ſi modò novam inferant ſententiam. Optima ſunt etenim antiquiſſima, peſſima plerunque de novo ſubintroducta. Perperam, ſi hinc novam ſententiam inferant, quia hac ratione Bonum, malum dixerint: malum Bonum: & Jeſu ipſius Chriſti manifeſtiſſimam ἀπόφασιν, vel omninò tollunt, quod impium eſt: vel in alia transformant, & transfundunt, quod ſacrilegum eſt. At vir doctiſſimus, omninò perperam, qui ſcitum illudet ψήφισμα, vel certè, non niſi paucorum ſententiam, de Clericorum omnibus immunitatibus, & exemplorum privilegiis, Antiquo illi dierum, ut Authori tranſcribit, à quâ rogandâ, vel ferendâ cum primis abhorrere illum eſt neceſſe, qui cùm ſit ſui ſemper ſimilis, ſeipſum negare neutiquam poteſt, aut ſua edicta, æternitati conſecrata, vel per temporum occaſiones refigere, aut humanis voluntatibus accommodare.

55. Nolebat ille Clericos quoſlibet, & Sacerdotes, à tributis quibuſlibet ſolvendis, omni modo liberos & immunes eſſe: ſolvebat enim ipſe Clericorum primus, Princeps, fundus, apex, & πρόσλημμα pro ſeipſo, & per ſuos. Solvere nequaquam oportebat ipſum, ſi de-

de jure fuiſſet naturali divino, ſcripto, tradito, inſito peremptoriè, ut non ſolverent: ſi volebat eſſe immunes perpetuis futuris temporibus ſuos: cùm legem veniret, non *tollere*, ſed *adimplere*: cùm non neſciret, quantâ cum contentione & ſtudio partium de hoc ipſo privilegio, hac immunitate eſſet decertandum. Noluiſſe exemptos eo modo, eo jure, argumento poteſt eſſe vetuſtiſſimæ Eccleſiæ, praxis & Traditio, per quam nunquam, vel leviſſimè inſinuatum eſt, Immunitate iſtâ tam laxâ, & dilatatâ gaudere debere quoſlibet Sacerdotes Chriſtianos. *Quid de his dicam*, ais? Quid niſi ἐνθέσμως omnia? ad regulam Euangelicam amuſſitata; Cæſari quæ Cæſaris ſunt, Euangelium ubique contendit dandum: hoc eſt, Tributum Regibus atque Cenſum. Dicas etiam, illos æqui, bonique fuiſſe rigidos obſervatores, qui non factioſo animi præjudicio ineſcati, non adulandi tetrâ prurigine abrepti; non ſpe, rem ſuam amplificandi, à vetuſtâ Traditione receſſerunt: quam omninò omnes ab ἐνσαρκώσει & συγκαταβάσει Jeſu Chriſti, ad annos DCC. & quod fortè excurrit, propugnarunt, eïdemque Traditioni, tanquam ſacræ cuïdam anchoræ, adhæſerunt, nullo ſalo, nec fluctibus excutiendi. At Reges Gentium tantum detulerunt Sacerdotibus ſuis, ut abſque ſoluto vel ſolvendo Tributo, liberos eſſe vellent & immunes. Detulerunt, ſcio: agnoſco, & indignor, Chriſtianos Principes, pietate in Deum, multis paraſangis ab illis ſuperari. Nec eſt quod dicam, quàm pudere poterit, Chriſtum profeſſos, ejus ſanguine redemptos, tantis beneficiis cumulatos, in Chriſti Sacerdotes, διακόνους τοῦ λόγου, non tam acerbos ſolùm & duros, ſed interdum crudeles, barbaros, ſacrilegas exiſtere: niſi quod dicebat Servator, *Tolerabilius erit Sodomis & Gomorrhæ in die Judicii*, quàm illis. Certè, ſi non dediſſe, veſtiiſſe, viſitaſſe Chriſti membra, formidoloſiſſimum illud ψήφισμα, in Omittentes intorquet, *Ite maledicti in æternum ignem*. Rapuiſſe, ejeciſſe, ſpoliaſſe, enecaſſe, quæ non horrenda judicia in Committentes procurabant, ut vel infra inferos, ſi fieri poſſet, amandentur. ſcio de Gratiâ ſpeciali indultâ: ſed quoad modum & menſuram, conditionem, circumſtantias: ut tamen debitum & obligatio, etiamſi non de Neceſſitate abſolutâ, quia non de Imperio peremptorio, tamen de convenientiâ & congruo, obtinere: ex intuitu Domini Dei cui famulantur. ſervitii impenſi, quo occupantur. perſonarum, functioni ſacræ deſtinatarum, & per votum ſollenne, & [illegible] à profanis miniſteriis excluſarum. ſed confundit iſta vir doctiſſimus, & permiſcet, de privilegiis & immunitatibus: nos partibus evoluta, & explicata, à Mæandris diſponamus. Non tamen ut, quaſi vela ventis permittentes, in vaſtum illud Pelagus deferamur, de Clericorum omnium exemptionibus ſingularibus, & omnimodis prærogativis, indultis, habitis, gaviſis, ut loquuntur, non eſt enim hoc noſtri Inſtituti, aut hujus loci, ſed ut quaſi littus legentes, brevia quædam & Syrteis declinemus.

Eximendi prædicantur, à quocunque Tributo & ſervitio ſæcu- 56.
lari,

lari, illi omnes ἐν τῷ πλάτει, qui ſunt ἐντὸς τοῦ βήματος τοῦ θυσιαστηρίου, in ſacris quibuſcunque ordinibus conſtituti. Hoc intelligi poteſt, & debet, dupliciter, Quoad *perſonas*: Quoad *res*. Perſonas, non attingit D. Annaliſta. Inter *res* verſatur *& poſſeſſiones*, immunitatem illiſce vindicans à Tributorum & Vectigalium ſolutione. Vult ergo, Bona quorumcunque Clericorum, tam ſpiritualia, quàm temporalia: tam Laïca quàm Eccleſiaſtica, quamvis diſpar omninò ratio ſit utrorumque, eſſe, quaſi ἱερὰν ὀργάδα quandam, nec poſſe, vel debere, niſi admodum ſacrilegè violetur jus Divinum, brachio, ut loquuntur, ſubjici uel attingi ſæculari. Probat hoc exemplo Ægyptiacorum Sacerdotum, quos immunes eſſe jubebat Joſephus, cùm terras & poſſeſſiones Ægyptiorum ſub annuum cenſum redigeret, Regi ſolvendum. quos ante illa tempora quod apparet è ſacrâ Hiſtoriâ, Pharaones exemptos habuerant. ſed hæc *factum* probant: & non *jus*. Regum munificentiam, & pietatem: non Sacerdotum *debitum*, de jure Naturali ac infuſo. Aut ſi *jus*: non tamen quale: cum non primam originem deſignent, aut intentionem. Ægyptii, fame & neceſſitate preſſi & coacti, terras ſuas Joſepho & poſſeſſiones avitas, pro frumento, quod providè repoſuerat, vendiderant. Ille terras eaſdem, Dominis reſtituit & Colonis, ſub conditione illâ, ut quinta pars fructuum & redituum Regi & Succeſſoribus quotannis repræſentaretur: Terras Sacerdotum (habebant enim proprietarias, ut ubique Gentium, & addictas) nec venditas accepit, nec acceptas reddidit, eò quòd è publicis regni horreis, aut Regiis Apothecis, dimenſum ipſis diurnum, ſatis lautum ad victum & veſtitum ſuppeditaretur. Nihil hic de Sacerdotum exemptione & immunitate dicitur, à Lege aliquâ vel humanâ vel Divinâ: de honore habito, de honeſtâ ipſorum procuratione tractatur. Non vendebatur terra Sacerdotum. Non erat quippe opus ut venderetur, cum fame nullâ, ut cæteri, premerentur. Sed Terra illa non vendita, nec tranſlata Sacerdotum (quæ quidem erat Hæreditaria, cùm Sacerdotes, ut in Iſrael, de Tribu Levi & Famiiiâ Aaronis, eſſent apud Ægyptios πατροπαράδοτοι, & ſucceſſione, à majoribus) haud dicitur ita Immunis ab omni tributo, aut ſervitio, ut nullâ unquam neceſſitate, quantumvis urgentiſſimâ, inſtante. At hoc, τοῦ κεῖται; τῇ δ' ἀνάγκῃ οὐ Θεὸς μάχεται, dixit ille quidem impiè, in Tragœdiâ: nos piè adhibemus, Qui Deum multa indulgere, & ignoſcere ſcimus, exigente neceſsitate. *Durum* ſemper *telum neceſſitas*. Patriæ calamitas. Regum attritæ facultates. Reipublicæ exciſæ vel exhauſtæ opes: dilapidati theſauri: hoſtes ad muros. Hannibal in portis. etiam perſonas ſacras, nedum res ſacratas, ad auxilium devocant, & accurrendum. Excuſantur quædam per neceſsitatem ἀδήριτον, & ejus ϑῖνος, quæ aliàs, extra illam neceſſitatem, illicita & plena ſunt ſacrilegii. *An non legiſtis*, ait Servator, *quid David fecerit tempore Pontificis Abimelechi*? Panes

nes comedebat τῆς προθέσεως, non quidem arreptos: aut invitis extortos: aut ne malâ morte mulctarentur, connivente Pontifice & Sacerdotibus traditos, ſed concedente, & porrigente, tantùm ut mundis, Pontifice ipſo, commilitonibus, & toti famulitio, ne nimirum fame conciderent & enecarentur. Et tamen illicitum erat & piaculum Laïcis comedere, vel attingere. Romanorum Sacerdotio multa & multiplicia erant, in Civitate illâ religionibus ad ſuperſtitionem uſque obnoxia. Honos illis multipliciter habitus. ampliſſimis gaudebant & fruebantur immunitatibus, *Non per Comitia popularia eligebantur*, ait Cicero in Rullum. ut nec Levitæ olim, nec hodiè, λόγῳ διάκονοι, apud Eccleſiam. et hoc à temporibus antiquiſſimis, ex ipſius Romuli inſtituto. Απαντας ἱερεῖς τε καὶ θεῶν λειτουργοὺς, ἐνομοθέτησεν ἀποδείκνυσθαι μὲν ὑπὸ τῶν φρατριῶν· ἐπικυροῦσθαι δὲ, ὑπὸ τῶν ἐξηγουμένων τὰ θεῖα. Sacrorum Miniſtros omnes & Sacerdotes, lege ſancivit nominandos pertribules, confirmandos autem ab iis, qui Divina populis interpretabantur, hoc eſt, per Augures, ut Dionyſius prodidit. Et erant iſti Sacerdotes, cum ſacro illo magiſtratu, non εἰς ὡρισμένον χρόνον, ad tempus certum & definitum, ut cæteri magiſtratus, putà Dictatores ad Sex menſes: Conſules ad annum: Cenſores in quinquennium: ſed ad terminum vitæ. *Vacationem habebant*, inquit Cicero, in 2. Academ. Q. ſed quam? docet Halicarnaſſeus, στρατειῶν, nimirum à militiâ. Non ſolùm διὰ τὴν ἡλικίαν, cùm ad Sacerdotium olim nemo niſi quinquagenarius aſcenderet: ut deinceps in Eccleſiâ, nemo ad Epiſcopatum: ſed ob honorem Sacerdotii, ut Divinis vacarent: Ideò utcunque honorifica iis permiſſa, ut Conſulatus, & Provincias adminiſtrare, quod primum conceſſum Licinio Craſſo Pontifici narrat Livius; tamen, omnino omnes ἀπὸ τῆς πόλεως τῶν ὀχλήσεων eximebantur. Idque διὰ τὸν νόμον. Lege fuit cautum, ne moleſtiis Civilibus inquietarentur. ſed erat hoc ex *Indulgentiâ*, quia honorificum, non ex *debito* naturæ indiſpenſabili. Verum illâ latâ lege, de privilegiis, nihil de Cenſu, aut Tributo, Nempè, ab illis Ordinariis & Extraordinariis non erant immunes, cum in ſuis quique tribubus deſcriberentur, comparerent, cenſum ſolverent.

At Chriſtus Jeſus ille Pontifex in æternum, author & princeps ſacerdotii Euangelici, declaratus eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, ὑψωθεὶς, & omnem poſſidet, in Cœlo & in Terra poteſtatem. Ita ait ipſe Matth. 28. *ſed, Olle, quid ad Te*, aut tuam dignitatem Temporalem, ὑψώσεως; Exaltatio Capitis haudquaquam invexit in Eccleſiam ἀταξίαν Corporis. Dominia mundi non ſuſtulit: non refugit civilem πολιτείαν. Paulum hic appello, Divinæ voluntatis ὑποφήτην. *Omnis*, inquit, *anima poteſtatibus ſit ſubjecta ſublimioribus*. Chryſoſtomus interpretatur Paulum. κἂν Απόστολος ᾖς. κἂν Ευαγγελιστής. κἂν προφήτης. Nec eſt aliquis inter Chriſtianos, aut eſſe poteſt magis illuſtris, quam Propheta, 57.

Euan-

Euangeliſta, Apoſtolus. ſi autem eſſet aliquis, non tamen eum donat Immunitate. ait enim, κἂν ὅστις ᾖ. *At Chriſtus jam in Cœlis ſedet*, ait Baronius. Verum. atque inde ὡς ἐν ἐφορείᾳ, quæ hic aguntur, ſpeculatur. Et ob hanc Inſpectionem, eo magis obſervandum eſt Paulinum præceptum: quia poſt Aſcenſionem illam Chriſti in Cœlos, illud Apoſtolus dedit in mandatis. ſed accipe rationem. οὐ γὰρ ἀνατρέπει τὴν εὐσέβειαν αὕτη ἡ ὑποταγή. Rectè, nec ταύτην τὴν ὑποταγὴν ſubvertit ἡ εὐσέβεια. Nam οὐκ ἐπ' ἀνατροπῇ τῆς κοινῆς πολιτείας ὁ Χριστὸς, τοὺς παρ' αὐτοῦ νόμους εἰσήγαγεν· ἀλλ' ἐπὶ διορθώσει βελτίονι. *Leges ſuas Chriſtus non ſubinvexit, ad ſubvertendum reipub. ſtatum, ſed ad refingendum eundem in melius.* Non enim venit Legem ſolvere, ſed implère: Nec Naturam gratia deſtruit, ſed perficit & conſummat: Ut impii ſint, non ſolum vani, qui conatu magno contendunt, homines impios, vel ut loquuntur reprobos, rerum dominia, non jure aliquo, ſed injuriâ uſurpare. Nec contentus Apoſtolus *omnem animam* ſubjeciſſe *Poteſtatibus*, Docet inſuper quatenus id & quouſque fieri debeat, nec ipſos excipiens, tum in vivis exiſtentes Apoſtolos. Ait autem, ἀπόδοτε οὖν. *Reddite ergo* cunctis, quod debetur iis: cui Tributum, Tributum. Vectigal cui debetur Vectigal. Urget autem & voces Apoſtolo uſurpatas Chryſoſtomus, οὐ γὰρ εἶπε, ſic inquiens, δότε, ἀλλ' ἀπόδοτε. καὶ τὰς ὀφειλὰς προσέθηκεν, οὐδὲ γὰρ χαρίζῃ τοῦτο ποιῶν. ὀφειλὴ γάρ ἐστι τὸ πρᾶγμα. Cur debitum? Οτι ὀφείλει παρ' αὐτῶν· adeò ut, καὶ τελῶν ἀγνώμον@ δίκην ὑποσχήσεις. Non eſt hæc Novitas, à beato Paulo, & à Patribus ita commendata. Novitas, eſt illa ad oppoſitum doctrina, quâ γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, Mendacii arguuntur vetuſti illi Fidei Chriſtianæ Proceres, & Euangelicæ ſubjectionis Præcones. Ὁ Θεὸς γὰρ οὕτω βούλεται, ἵνα ὁ ἄρχων ὁ παρ' αὐτοῦ τυπωθεὶς, τὴν οἰκείαν ἰσχὺν ἔχῃ. Hæc eſt enim voluntas Dei, ut Princeps ad ipſius Imaginem inſtitutus, propriam quoque obtineat vim & poteſtatem. Fruſtra igitur Chriſtum declaratum jam Regem, acceptis etiam Gentibus in hæreditatem ſuam: Fruſtra manifeſtatum Regum Regem inſinuat cum Gratiâ Naturam, non ut ſubvertat: cum legem adimpleturus Chriſtus venerit: & πᾶσαν etiam δικαιοσύνην. Poſtremò, cum Apoſtolus Interpres acceſſerit voluntatis Divinæ, ab Aſcenſione ſuâ Chriſto jam glorificato: Levia ſunt iſta, & indigna Baronii exaſciato judicio: illud verò ſcuticâ prorſus dignum, quod Regale Sacerdotium Chriſtus inſtituiſſe dicitur, atque ideò αὐτόνομον & αὐτοκρατόρικον, ut nullis Legibus, cancellis nullis circumſcribatur. Ubi alluſum eſt opinor, ad Beati Apoſtoli Petri dictum illud. 1 Pet. 2.9. ubi vocat Chriſtianos ἱεράτευμα βασίλειον: quaſi de ſolis ibi ageret, per χειροθεσίαν Sacerdotibus, & totâ Clericorum natione pernicioſâ quâdam vafricie, ſi non impoſturâ: id quod eſt τοῦ καθόλου, & Redemptorum in genere ἀπευκόνισμα, parti cuidam addicere, & quaſi appropriare contra Juſtitiam. Non enim Sacerdotibus, per Pontum, Galathiam, Aſiam, Cappadociam, Bithyniam ſcripſit Sanctus Petrus, nec per Epiſtolam affatur

affatur illos ſolos, ſed ἐκλέκτους paſſim omnes, & vocatos ad Chriſtum. παρεπιδήμους paſſim ſingulos γευσαμένους quàm Bonus eſſet Deus. ad omnes ſcribebat, qui in ædificio ſpirituali λίθοι eſſent ζῶντες: ἔθνος ἅγιον: λαὸν εἰς περιποίησιν, ut ſe per opera virtutis, erga Illum tales declarent, quales ipſe requirebat; qui è tenebris, in lucem adeò admirabilem vocaverat eos. De iſtis omnibus, hoc eſt, Nomini, ac ſacris Jeſu Chriſti Initiatis ait, verſ. 5. eſſe eos ἱεράτευμα ἅγιον: ἀνενέγκαι αὐτοὺς τῷ Θεῷ ἡμῶν, βασιλεῖς, καὶ ἱερεῖς; καὶ βασιλευομένους ἐπὶ τῆς γῆς.

Sacrilegium ergo profanum eſt, Domini hæreditatem depeculari, & partem tam lautam, tam eximiam, Divinæ in omnes & ſingulos munificentiæ, in uſus quorundam privatos interverſam tranſcribere. Reges ſunt omnes, Chriſto inſerti: ſanguine abluti Jeſu Chriſti: et non ſoli ſacris Altaribus admoti; Sed Reges, nec in hoc mundo, nec de hoc mundo. uti neque Ille ipſe fuit olim humano generi ἐπιδημήσας, qui fecit illos Reges, *Filius hominis.* Regna mundi; δυναστεῖαι, Principatus, & παντοκρατορικὴ Petri, aut Chriſti hominis Poteſtas, ſomnia ſunt ſuaviter delirantium, nihil habent commune cum doctrinâ, aut diſciplinâ *mitis* illius, *humilis*, & ἐπιεικοῦς Jeſu Chriſti. *Chriſtus aliter juſſit, ac geſſit,* Ait ille Bonus Bernardus, *Reddite, inquiens, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Id quod ore locutus eſt, implevit opere: Conditor Cæſaris non eſt cunctatus cenſum reddere Cæſari. Exemplum enim dedit vobis* (alloquitur unum è regio Sacerdotio Baroniano, Archiepiſcopum Senonenſem in Galliâ) *ut & vos ita faciatis.* Neque aliter ab omni ævo docuerunt ſancti Viri, non ſpiritu afflati factioſo. Nec diſſentiebat olim Hieronymus, qui cùm immunes eſſe dicat, ſuo tempore, Sacerdotes, non Ille, ut ingrati ſolent Majoribus obnuntiare, jus Divinum obtendit ſcriptum, vel Naturale, ſed in Gratiâ Principum, & Munificentiâ, ſitum eſſe, ſicut erat, profitetur. 58.

Verum autem eſt, Chriſtiani nominis & honoris verè ſtudioſos Principes Eccleſiam Chriſti, ab omni retro Antiquitate immunitatum maximarum indulgentiis cohoneſtaſſe Perſonas, Divino cultui ſacratas: ἀπὸ τῶν ὀχληρῶν & λειτουργιῶν vitæ communis ſpeciali quodam Patrocinio exemiſſe. Nec ab ullâ memoriâ, poſt innoteſcens mundo Euangelium Jeſu Chriſti, apud ullos ullarum Gentium Monarchas, tanto affectu, tam ardenti & inflammato zelo, ad promovendam pietatem acceſſerunt Principes, & ἐν τέλει conſtituti, qui cum Saxonibus noſtris poſſent, vel centeſimâ ex parte, comparari: Quorum eo major, haud dubito, futura eſt merces, in illâ juſtorum retributione, quo minorem nominis celebritatem, qui vel maximam meruerant, obtinuerunt, per infœlicem illorum, in quibus vixerunt, temporum barbariem, & paucorum, qui fuerant cum aliqua politiori literaturâ, vel ſtuporem, vel ſuperſtitionem, 59.

Digitized by Google

vel incuriam, Bedæ imprimis, quem nemo excuſaverit, qui piis fraudibus,hoc eſt, ſpecioſis miraculis,& infícetis fabulis enarrandis bonas horas malè collocavit, in illâ, nihil minus quàm Eccleſiaſticâ ſuâ hiſtoriâ. A Conqueſtu ut vocant, refrixit illa pietas, amor, munificentia. et præter admodum paucos, è familiâ præſertim Lancaſtrenſi, Principes, Wilhelmi, Henrici, Johannis, Edwardi, nec Dei cultum, nec pietatem, nec Eccleſiam nimis impotenter promoverunt. ſed κείσθω. Abſurdum videbatur piis, & religioſis Principibus, Idolorum ſacrificulis, hæc indulta privilegia apud Paganos recolere: & veri, ſolius, Opt. Max. Dei Creatoris, Gubernatoris, Redemptoris ἱεραρχαῖς, non Concedi, pares ſaltem, ſi non majores Immunitates. Certè enim vix eſt ut amet, aut vereatur ille Deum, qui Divina miniſteria, non procurat, promovet, veneratur. Ex hoc affectu perſonas, & bona ſæcularia à Cenſu, ἀπογραφῇ, exactionibus, miniſteriis, & ut Saxonici Principes loquebantur in Diplomatibus ſuis, *ab omni ſervitio ſæculari, & vexatione temporali libera*, quieta, eſſe ſtatuerunt: præterquam interdum, & ni aliquis, à Tribus, quæ non laxabantur.

60. Sed cùm bona Eccleſiarum & reditus ſacri in duplici diſcrimine ſtatuantur, ut vel φυσικῶς Eccleſiæ accedant, ab ipſo Deo Domino, ſuo jure ſibi aſſerta & vindicata, quæ multorum Principum, procerum, &c. munificentiæ, aut pietati accepta referuntur. Hujus generis ſunt Decimæ, aut Primitiæ de quibus ipſe Dominus, Levit. 27.30. ſancivit, Decimæ Domini ſunt. ſacræ & ſanctæ Domino. ſunt alia, quæ vocantur ἑκούσια, quia voluntariè & ſponte donata, divinis miniſteriis addicta ſunt, & ſollenni quâdam oblatione conſecrata: Decimæ, Cenſus & peculium Divinum, quas nulli hominum, ſed ſoli Deo acceptas refert Eccleſia, nullis prophanis uſibus addici, nulli taxationi, aut capitationi ſubjacere poſſunt, aut debent, per quamcunque terrenam poteſtatem de uſu aſſignato, transferri non poſſunt, ut cedant miniſtris Altaris, pro miniſterio ad Altare. et eſt hæc non mea privata opinio, tuetur eam vir doctus & nobilis, Divus Jacobus Semple, in tractatu pereruditc & religioſo, de ſacrilegio, Anglicè cum authoritate edito. Cætera Donaria quæ ἑκούσια dixi, vel ſub conditione, vel ἀπολύτως conſecrantur. ſi cum conditione, obſervari illa, & poteſt & debet, nempè ut in hunc vel illum uſum communem pars cedat. ſi nulla intercedat, ſed quicquid donatur, Deo in ſolidū cōſecratur, Deo, & Divinis uſibus tantummodò debet inſervire, niſi maximâ urgente neceſſitate. Idque ita ut non niſi poſt exhauſtas, aut non ſufficientes Laicorum opes, ad Cleri portionem accedatur. ſed de totâ hac ratione plenius & accuratius, idque ſuo loco diximus, in noſtris; quæ ſcripſimus & edidimus nos Anglicà dialecto, commentariis, quos noſtræ Eccleſiæ, noſtris hominibus

Digitized by Google

bus peculiariter addiximus. Interim, Conſtantinum, Theodoſium, alios τοὺ πάνυ, religioſiſſimos Principum imitentur οἱ ἐν τέλει. de Conſtantino hæc Sozomen. Lib. 1. 9. περὶ πάντων ἐυβουλεύεσθαι εἰώθει, εἰς ἔργον ἀεὶ τὸ θεῖον θεραπεύειν, καὶ τὸ φιλοσοφίαν ἀσκεῖν. τεκμήριον δὲ καὶ τοῦτο μέγιστον τῆς τοῦ βασιλέως περὶ τὴν θρησκείαν αἰδοῦς πρὸ μὲν γὰρ ἱκανῶς τοῦ κλήρου, δέοντα νόμων ἀτελεῖς ἀφῆκε. A cujus veſtigiis longè receſſit, impurâ muliere, conjuge de Scena & Orcheſtrâ inſtigante, Juſtinianus: Vir, nullius rei, nullius pretii per ſe: quod apertè demonſtrat in Arcanâ hiſtoriâ Procopius. Interim negari non poteſt, vehementius exacerbatos Principes Clericorum quorundam, inſolentiâ, proterviâ, αὐθαδείᾳ, ingratitudine. ad illa acceſſiſſe interdum remedia, quæ eſſent cum ſacrilegio conjuncta. Ἔφαγεν enim Ἰακώβ, καὶ ἐνεπλήσθη, καὶ ἐλιπάνθη, καὶ ἀπελάκτισεν. Quibus gradibus olim Iſraelitæ Deum, iiſdem & è Clero non nemo, Principes viros, Dei ſupremos in rebus agentes, ad extremam devenientes ἀχαριστίαν, in ſe, & ſua concitarunt, dum, ut pueri olim, quod habetur apud Plutarchum, ad fontem, impletis aquâ hydriis, ἀναπνεόμενοι προσπταίουσι. Atq; hactenus de Didrachmæ ſolutione. jam pergamus.

Ordinem ſequentis hiſtoriæ, è tribus Euangeliſtis concinnant iſtum. Venerat Dominus in Capernaum, ubi Petrum de Cenſu ſolvendo conveniunt Exæquatores, undè miſſus piſcatum Petrus, ſtaterem ſolvit pro Capitatione. poſt reditum, Interrogat Quid erat, de quo inter ambulandum diſceptabant? Illi autem pudore ſuffuſi, conticuere. altercati enim fuerant, de Primatu, Quis ex ipſis major eſſet in regno ipſius, quod appellant, regnum Cœlorum. Hieronymi conjectura vix eſt ut admittatur, de occaſione motæ diſceptationis, Quia inquit, viderant Apoſtoli, pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretii arbitrati ſunt, Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatum, qui in redditione tributi, Domino fuerat comparatus: ideò interrogant quis major eſſet in regno cœlorum. ſed non conveniunt hæc narrationi. Nam illa diſceptatio, ſolutionem tributi præcedebat. non ergo Quia viderant tributum ita ſolutum, vel Quærunt, vel Diſceptant de Majoritate. Ad quæſtionem non tam verbis, quam factis reſpondet Dominus, puerum enim ἀγκαλισάμενος, ulnis fotum & amplexatum, ſtatuit in medio eorum, & ex illa occaſione egregiam de *humilitate* orationem habuit, & docet omnino oportere, ut puerum, humiliari, qui velit intrare in regnum Cœlorum. Hoc appellat Hilarius, *Non niſi reverſos in Naturam puerorum*; & quanto humilius ſe gerant, tanto illuſtriores futuros. olim Baſilius ἐπάνοδον rectius ad primævam Innocentiæ conditionem, quam Gloriæ προοίμιον appellat, è Proverb. Hinc Auguſtini apophthegma, *Humilitas, claritatis initium eſt. Claritas humilitatis præmium.* Hunc autem puerum ſic à Domino ſinu acceptum, Ignatium fuiſſe, ex antiquis aliqui prodiderunt, illum Antio- 61.

 chenæ

chenæ Eccleſiæ Epiſcopum tertium, ἐκ Πέτρου διαδοχῆς: ideò θεόληπτον, & θεόφορον nominatum. Niceph. Lib. 2. cap. 35. id à vetuſtioribus mutuatur. *Ignatium*, inquiens, *tenellum, etiamnum, tanquam ſimplicem & integrum, manibus ſuis ſublatum Chriſtus exhibuit; atque ſimplicitatem integritatemque oſtendere volens ac commendare:* niſi ei ipſi ſimiles fierent, nequaquam illos in regnum, quod tum prædicabatur, perventuros eſſe dicit. Et certè, qui vixit cum Apoſtolis & familiariter cum iis verſatus eſt, quidni tenellus adhuc hoc honoris genere à Chriſto cohoneſtari potuit, cum præſcius ſciret, eum inſigni aliquando Martyrio coronandum, & eſſet Proſelyti alicujus Antiochenſis filius. Certè ipſemet in Epiſtola ad Smyrnenſes, ſe Dominum in carne, oculis ſuis vidiſſe affirmat. Ἐγὼ γὰρ οὐκ ἐν τῇ γεννήσει καὶ σταυρώσει γινώσκω αὐτὸν, ἐν σώματι γεγονέναι μόνον, ἀλλὰ καὶ, μετὰ τὴν ἀνάστασιν, ἐν σαρκὶ αὐτὸν εἶδον καὶ πιστεύω ὄντα. Ubi illud μετὰ τὴν ἀνάστασιν, licet apud Euſebium Lib. 3. cap. 30. habeatur, & apud Hieronymum in Catalogo, poteſt tamen eſſe è margine gloſſema, adjectum ab aliquo, qui tempus voluit circumſcribere τῆς συνηθείας, & fortaſſis inter illos quingentos reponeret, quos Paulus, 1 ad Cor. 15. ſimul in carne viderunt Dominum, à Reſurrectione, quorum plerique etiam tum in vivis erant. ſed quicunque tandem fuerat, erat Innocens, & ἀφελὴς, ſimplicitate puerili, & columbinâ, quam appellat alibi, ad quam ſe conformare volebat Apoſtolos ſuos de præeminentiis, neſcio quid moventes, ſi modò velint regnum cœleſte intrare, cùm per portam anguſtam & coarctatam τεθλιμμένης introire, non minus ſit difficile, quàm Camelum per foramen acus. Et importunè hoc in loco excuſant Apoſtolos, ab οἰήσεως vel etiam ſuperbiæ crimine, quaſi humani nihil pati poſſent, cùm tamen Spiritus ſancti virtutem non induerant. et frigidum eſt, quod ſuggeſſit Barradas, *Niſi vos convertatis in pueros:* nam quid illud eſt, niſi, ut efficiamini ſicut pueri, hoc eſt, à Faſtu & Elatione alieni? à quâ elatione converſionem, rectè intelligebat Abulenſis.

62. Quod ſequitur, *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, in me Credentibus, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & in mari demergatur*, videntur dicta per [illegible] ad conſolandos Apoſtolos, de contemptu & [illegible] ſi ad eum modum humilientur qui certè pro Chriſti cauſſâ extrema omnia pati deberent, quod & alibi prædixit futurum: de molâ aſinariâ Hieronymi obſervatio eſt. Quod autem dixit, *Expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus*, ſecundum ritum provinciæ loquitur, quo majorum criminum iſta apud veteres Judæos pœna fuit, ut in profundum, ligato ſaxo demergerentur. Erat autem καταποντισμὸς grave ſupplicium, in maximè ſceleſtos conſtitutum. φονεῦσι, πατραλοίαις, Patriæ proditores. Non erat ergo leve crimen Scandalo offendere fratrem: cujus rationem reddit in ſequentibus, quia *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris qui eſt in cœlis.* Ex

63. Ex hoc loco, ait Maldonatus, & aliis ſimilibus communis opinio, de Angelis cuſtodibus nata eſt. Rectè communem opinionem vocat: neque enim diſſentiunt, quos Baronius vocare ſolet Novatores. tantum de modo cuſtodiæ differunt. Hoc eſt, quando aſſignatur hæc cuſtodia: quamdiu durat: quibus apponitur: ſingulisne indiſcriminatim, an quibuſdam ἐκλελεγμένοις. Certè conſtat aſſignatos Angelos ex hoc textu, ſi aſſignentur, non omnibus, ὡς ἔτυχε, ſed per reſtrictionem, Parvulis. at omnes haudquaquam parvuli ſunt. Parvulos ætate vel ſtaturâ non dixit: ſed hominum opinione. ſuâ ipſorum οἰήσει in conſpectu ſuo parvulos. mundo parvulos: magnos Deo. vita, probitate, Innocentia tales, quales ſolent eſſe νηπιάζοντες. In Chriſtum Credentes: Chriſto per Baptiſmum initiatos. Proponitur vulgo credenda hæc theſis, unuſquiſque particulatim aſſignatum habet Cuſtodem Angelum ſuum, & inter cætera Divinæ Scripturæ teſtimonia, hoc dictum allegatur Servatoris, ſed profectò non ſtringit. Neque enim legimus, *Angeli Cuſtodes eorum*: ſed tantùm *Angeli eorum*. Angeli ἀπολύτως, & Cuſtodes Angeli, non dicuntur ἀντιστρόφως. ſunt enim titulis diſtincti: muneribus & officiis diſtingui poſſunt. Quapropter ſi nulli ſint alii, niſi Cuſtodes (quod vulgò non datur ita eſſe, cùm ſupremas excipiant hierarchias: & apparet de Gabriele, aliter eum diſtentum;) hinc clarè deduci quod volunt, non poteſt, Angelos Cuſtodes hic intendi. ſecundò, ſi tam clarè, quàm communiter diſputent, hinc hoc aſſeritur, malè de Temeritate poſtulantur, qui poſitioni non ſubſcribunt, de Angelo Cuſtode: manifeſtæ tenentur impietatis. Neque enim negatur ſine impietate, id quod expreſsè habetur in Scripturis. Neque illa relatio, *ipſorum Angeli*, refertur neceſſariò ad Cuſtodiam. Proprietas enim, Amor, Affectio, aliorſum, & multis modis diſpertitur. Patroni, Amici eſſe poſſunt, qui tamen ideò non ſunt Cuſtodes; ſed & ſi Cuſtodes, non uno modo, ut perpetuò affixi, intendant ei. *Extra ordinem* poſſunt id curare interdum, quod nequaquam *Ordinariè*, & nonintercisim procurant. *Angeli cuſtodes.*

64. Hæc non improbabiliter allegari fortè poterint: ſed me quod attinet, non ita declino τὸ κρινόμενον. Libenter agnoſco, cùm Eccleſia Anglicana, cuſtodiam Angelorum aſſignatorum etiam ſpecialius. de Objecto, vel ſubjecto cuſtodiæ eorum, non ita facilè res expeditur. Determinatè καὶ ὡρισμένως, Parvuli ſunt, qui habent. Non ſunt illi Omnes, quà terra patet: non ubique quivis indiſtinctim. ſunt enim Magni his oppoſiti parvulis: diverſi ſaltem, quorum reſpectu dicuntur parvuli. de illis non dicitur, ſed de parvulis διῃρημένως; *Angeli eorum*. Magni excluduntur ab hoc Comitatu: Patronatu: Protectione. Magni mundo, in mundo, mundanis modis: ſuâ menſurâ magni, & aliorum. hoc eſt, Illuſtres, & ἐπίσημοι. qui fortè rejicerent, ut minimè egentes, Cuſtodiam ullam, Ipſi fabri fati ſui: Omnia

ſua

Digitized by Google

ſua ſecum portantes, nulli futuri debitores. Non ergo includuntur parvulorum albo, Omnes ab Adamo deſcendentes, Judæi, Gentes, Pagani, Turcæ, Epicureï, Athei, etiam Antichriſtus. Non ab ortu primo, ad exceſſum vitæ. quod tamen, ut certum, ἀβαπτίστως ſtatuunt. *Verba non cogunt*, ait Catherinus. et à Cajetano hæc profecta ſunt. *Nota, quod non dicit, Angeli ſinguli eorum, ſed dicit, Angeli eorum. Ex hoc enim textu non habetur, ſingulos homines, aut etiam ſingulos puſillos, Credentes in Chriſtum, de quibus loquitur textus ad literam, habere ſingulos Angelos, ſed ſolùm eos habere Angelos beatos: ad quorum verificationem non exigitur ſingulos ſingulorum eſſe Angelos, ſed ſufficit multos eſſe Angelos eorum.* Nec aliter opinabatur Calvinus. haud enim ulterius progreditur quam ad hoc, *Pro certo aſſerere non auſim.* Ita Fidei non eſt, ſed Credibilitatis: quoad rem: plus aliquantulum certius de Objecto: Eſſe hanc Cuſtodiam tantummodo inter Caulas Iſraëlis, hoc eſt, in Eccleſia Dei. non in Gentium ſolitudine aut Deſerto ferarum. à tempore, non tam Generationis, quam Regenerationis, hoc eſt à Baptiſmo, ad finem vitæ. *Eſt homo, in tempore Infidelitatis ſuæ, & peccatorum ſuorum ex Infidelitate naſcentium ſub Angelis Sathanæ, & ſpiritibus malignis, & immundis Dæmoniis. Cum autem ſuſceperit Fidem, tunc Chriſtus, qui eſt Redemptor, qui pretio ſui ſanguinis eum redemit, à malignis ſpiritibus & Dominis, ſic Credentem in Deum, tradit Angelo ſancto, & propter munditiem ſemper videnti faciem patris.* Origen. in 5. Matth. ſed de Cuſtodia Angelorum, ex ſententia veterum Eccleſiæ patrum, alibi fuſiùs.

65. Doctrinam de *ſcandalis* ſequitur vicina, de *correctione fraterna*, & *remiſſione* offenſionum adhibenda. Correptionis modus & proceſſus inſtituitur. Imprimis ut ſecreto conveniatur, qui læſerit, vel verbo, vel facto: ſciens aut imprudens: & de injuriâ certior factus admoneatur. hic ſi agnoverit, finis eſto. Sin minus, coram teſtibus quibuſdam aſſumptis repetatur expoſtulatio: moneatur, & corripiatur de admiſſo. Quos ſi contemnens ſpreverit, *Dic Eccleſiæ.* Non tantum τῷ συστήματι τῆς Ἐκκλησίας, multitudini Credentium: ſed & in Eccleſia, Loco ſancto, actione ſacra. Ibi enim caſtigationes, exhortationes, & Cenſuræ Divinæ, ait Tertullianus. *Nam & judicatur, magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu: Summumque futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut à Communicatione Orationis, & Conventus, & omnis ſancti commercii relegetur.* (In Apol. cap 39.) Diſciplinam ita fundat Eccleſiaſticam, per quam Excommunicati & Abſtenti erant, qui gravius & publicitus deliquerant: Nomen, Fidem, Dignitatem profeſſionis Chriſtianæ violantes. Quodſi contumax Eccleſiam audire, & eidem pœnitendo, & ſatisfaciendo ſubjicere ſe noluerit, habeatur deinceps ut Publicanus & Ethnicus alienus à Chriſto, Chriſti politiâ & regno, cum in hâc, tum in futurâ vitâ. vi enim poteſtatis

Digitized by Google

tis conceſſæ Clavium, quicquid ſolverit vel ligaverit in Terris Eccleſia, ſolutum & ligatum in Cœlis erit.

Arreptâ hinc occaſione Petrus, ὁ πανταχοῦ πρῶτος: de Indulgentiâ & ὁμονοίας quæſtionem movet, Quoties peccanti in me fratri dimittam? nam de vicibus repetitis, aut nullis, ne verbum addiderat Dominus. Rogat ergo, an *ſepties* dimittet. ſive in die, ſive ſimpliciter, & per totam vitam, ita ut ultra ſeptenas vices, non progrediatur reconciliatio. Erat autem hic numerus apud Judæos ſacer, multiplici ratione. ſed fortaſſis à Doctrinâ illâ vetuſtâ, de pœnis ſepties ingerendis: niſi aliqua Phariſaica Traditio interceſſerit. Ad quæſtionem porro reſpondet, negativè. Haud tantum ſepties. tum affirmativè, ſeptuagies ſepties. hoc eſt toties quoties, ignoſcendum. nempè, ut ipſis remittantur debita, à Cœleſti Creditore. quod parabola appoſitiſſime docet, De ſervo ingenti debitore condonato, & exiguum conſervi debitum inhumaniſſimè exigente. Cujus Epiphonema adjungit formidoloſum. *Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratribus ſuis.* 66.

Poſt finitos ſermones iſtos, migravit è Galilæa, & venit in fines Judeæ, trans Jordanem. Matth. 19. Mar. 10. Hic cum Phariſæis de matrimonii ſolubilitate et inſolubilitate diſputat. 67.
Tentantes enim interrogant an liceat homini uxorem à ſe dimittere, id eſt, libellum divortii dare, quo ſolenni formâ apud Judæos matrimonia diſſolvebantur. Chriſtus duo imprimis reponit, originale, ut vocant, Dei inſtitutum; & inferius ſuperinductam diſpenſationem. Imprimis Deus, quod è Geneſi conſtat, qui creaturas multiplicandas, ἀνὰ δύο produxerat, hominem ſolitarium [illegible] eſſe relinquere videbat. Fecit itaque, non è terrâ, aut limo, mulierem, quam vocavit, ſed os ex oſſibus Adami, in ſignum & ſymbolum [illegible], ut tam inſeparabiliter cohærerent copulati, quam ipſi prius Adamo os illud inhæſerat. *Et erant*, inquit, *duo in carnem unam*. Quod ἄνωθεν in Adamo, generis radice & protopatore inſtitutum, ad omnem deinceps derivandam & diſſeminandam poſteritatem, de jure inviolabili, quam Naturæ Legem dicimus, tranſmeavit. Atque ita ab initio fuit, inquit ſervator. Verum Deus, cujus Naturæ Bonitas, in multis de jure ſuo cedens, & hominibus συγκαταβαίνων, per Moyſen, Judæis propter σκληροκαρδίαν, quandoque dimittere uxores permiſit, atque dimiſſæ ſuperinducere aliam: non autem aliis nationibus pro libito laxavit. Naturale illud vinculum: ſed & in cauſâ divortii de Adulterio quæſitum eſt; An illud ita è diametro matrimonio opponatur, ut commiſſum, ſtatim diſſolvat vinculum Matrimonii, non tantum convivendi neceſſitatem. ſunt qui utrumque ſtatuunt: atque ideò indultam ulterius Iſraëlitis, dimiſſionem ob quamcunque cauſſam. Alii opinantur, non eam eſſe Adulterii vim, ſed eò progredi, ut *actum* reſecet matrimonii, non autem *nexum*. hoc eſt, ut loquuntur, à

thoro

Digitized by Google

thoro & *menſâ* ſeparationem inducere, non autem à *vinculo*, quod eſt inſolubile. *Omnes*, inquit Hieronymus epiſtola 147. *cauſationes Apoſtolus amputans, apertiſſimè definivit, vivente viro, adulteram eſſe mulierem, ſi alteri nupſerit. Quamdiu vivit vir, licet adulter ſit, licet Sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc ſcelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet.* Intelligit autem locum illum è 7. ad Roman. *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt Legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt à Lege viri.* Igitur vivente viro, vocabitur Adultera ſi fuerit cum alio viro. ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à Lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro. Ad quem locum velut commentator Auguſtinus ait, *Hæc verba Apoſtoli, toties inculcata, vera ſunt, viva ſunt, plana ſunt. Nullius viri poſterioris mulier eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit. Eſſe autẽ deſinet uxor prioris, ſi moriatur vir ejus, non ſi fornicetur. Licitè dimittitur conjux ob cauſam fornicationis, ſed manet vinculum prioris. Propter quod fit reus adulterii, qui dimiſſam duxerit, etiam ob cauſſam fornicationis.* Hæc antiquiores. Quid recentiores ſtatuant Novatores ὑμῶν ἡ κάλλει. nam: Quod antiquiſſimum, illud optimum.

De Adulter. Conjug. Lib. 2. c. 4.

68. Et ex hac mente Chriſtum intellexere Diſcipuli: patet è reſponſo. *Si ita eſt cauſa viri cum uxore*, non expedit nubere. nempè, ut nulla de cauſa priore repudiatâ, liceat alteram ſuperinducere. Ingentes enim moleſtiæ ab hac lege conſequentur. reſpondet Chriſtus. *Non omnes capiunt verbum iſtud*, nimirum, Non expedit nubere. ſed quibus datum eſt, ſcilicet donum à Deo continentiæ, ut cœlibem, ſine conjugio, vitam tranſigant. hoc eſt quod ſequitur, non omnes ſunt Eunuchi. Nomen derivant, vel ab εὐνὴν ἔχειν, quaſi lecti cuſtodes & propoſiti, ab officio injuncto apud Auſtrales, maximè Zelotypos, vel παρὰ τὸ τὸν νοῦν ἔχειν, quaſi ſanâ & rectâ mente uterentur. Nam res venereas vocabant veteres τὰ ἀνόητα. ut Scaliger Exercitat. 277. citat ex Ariſtophane ὕπνου τ' ἀπέχεσθαι καὶ ἀνοήτων πάντων. ſed errat Scaliger. Locus Ariſtoph. in Nubibus ita legitur, Οἴνου τ' ἀπέχει, καὶ γυμνασίων, καὶ τῶν ἄλλων ἀνοήτων. ſchol. exponit, τῶν ἀφροδισίων. τὸ γὰρ ἀνοηταίνειν, μωραίνειν, διὰ τὸ ἀφροδισιάζειν ἔλεγον. Et huc alluſit Juvenalis.

De Eunuchis.

Certè ſanus eras, uxorem Poſthume ducis,
Dic qua Tiſiphone, quibus exagitare colubris.

Tatianus Inventricem Cybelen matrem deorum facit. Ῥέαν μὲν γὰρ, ἣν οἱ ἀπὸ τῶν Φρυγίων ὀρῶν Κυβέλην φασὶν ἀποτμήσεις αἰδοίων νενομοθετηκέναι λέγεται, διὰ τὸν ἐρώμενον αὐτῆς Ἄττιν. Claudianus ad Armenios retulit. De Eutropio —— *rapitur caſtrandus ab ipſo:*

Ubere. Et. *Advolat Armenius certo mucrone reciſos*
Edoctus mollire Mares, damnoq; nefandum
Auctu rus pretium, fœcundum corporis ignem
Sedibus exhaurit geminis, unoq; ſub ictu
Eripit officium patris, nomenque mariti.

Cyprianus

Cyprianus de eodem ſcelere. *Eviramur mares. honor omnis & vigor ſexus enervati: corpus dedecore mollitur: pluſque illi placet, quiſquis virum in fœminam magis fregerit.* Epiſtola 1. Erant Eunuchorum quatuor ſpecies. Βελόμιαι, Spadones, Thlibiæ, Thladiæ. poſtrema hac ſpecie male omiſſa Balſamon tres facit, Εἰς τρία διαιροῦνται οἱ Εὐνοῦχοι. εἰς θλιβίας τοὺς νήπιοθεν ἀποβάλλοντας τὰ παιδάγωγα μορία ὑπὸ τῶν γονέων θλιβόντα, καὶ ἀχρηστευθέντα εἰς Σπάδωνας, τοὺς ἐκ γενετῆς διδύμους μὴ ἔχοντας. εἰς καστρατοὺς, τοὺς διὰ σιδήρου ἀκρωτηριασθέντας. ſed nullo iſtorum genere comprehendunur ii quos Dominus ab utero materno Eunuchos facit. ſunt enim illi qui frigidi vocantur, & ad generationem inepti. ἀναίτιοι τῆς αὐτῶν ἀτυχίας. Hi ſunt ἄμισθοι, quoad regnum cœlorum. Nec his comprehenduntur ii qui ſe caſtraverunt ob regnum Cœlorum. Neque enim corporibus eam vim inferentes, ἔμμισθοι, ſed Aſcetæ ſunt & σπλαγχνοι, viri, mulieres, virgines, τῇ ἰδίᾳ καρδίᾳ ἀγωνιζόμενοι, ut Chriſto facilius, & expeditius inſerviant: carnem macerant: affectus edomant: vim quaſi Naturæ inferunt. Hoc eſt ἀγώνισμα, & ἀνδραγάθημα Perfectorum: non cujuſvis ἐπιτήδευμα. Et qui poteſt capere capiat. De Conſilio, non Præcepto. bonâ voluntate, non aliquâ injunctâ neceſſitate. Hujus κατορθώματος dignitas & gloria, apud veteres quoſdam tantum invaluit, non intellectâ mente & ſententiâ Chriſti, ut, ſeipſos execuerint pro Cœlorum, ut opinabantur, regno. Valeſii Hæretici apud Epiphanium, erant omnes caſtrati, vel ſponte, vel vi: Nam & alios execabant, ut ſic ſecum introducerent in Cœlorum regnum. Et propter hunc errorem invaleſcentem, in Concilio Niceno primo, ſtatutum eſt Can. 1. *Si quis in morbo, à medicis exciſus, vel à barbaris (per vim) exectus eſt, is maneat in Clero. Si quis autem ſanus ſeipſum abſcidit, hunc & in Clero conſtitutum abſtinere convenit, & deinceps nullum talem promovere oportet.* tum ſequitur. ὥσπερ δὲ τοῦτο πρόδηλον, ὅτι περὶ τῶν ἐπιτηδευόντων τὸ πρᾶγμα, καὶ τολμώντων ἑαυτοὺς ἐκτέμνειν εἴρηται, οὕτως, εἴ τινες ὑπὸ βαρβάρων δεσποτῶν εὐνουχίσθησαν, εὑρίσκοιντο δὲ καὶ ἄλλως ἄξιοι, τοὺς τοιούτους εἰς κλῆρον προσίεται ὁ κανών. Hic canon Eunuchorum duo genera recenſet. exectorum à ſeipſis. à Barbaris, hoc eſt, quibuſcunque. cum Barbaros deceat hæc Conſuetudo ſolos. Illi autem ab aliis execti, duplices ſunt. ὑπ' Ιατρῶν, propter morbum, & violenter. ubi de exectis tantum, non Thladiis, aut Thlibiis loquitur, itaque ultra ἐκτέμνειν & χειρουργεῖν non progreditur. nec parentes, vel alios θλίβοντας nominat. et Can. 22. & 23. Apoſtol. ad eundem modum quos Nicæni patres ſequebantur. ubi actio ἀκρωτηριασμὸς vocatur. & ratio redditur, excluſionis, ac depoſitionis, quod ſit αὐτοφονευτὴς ἑαυτοῦ, & Ἐχθρὸς τῆς τοῦ θεοῦ δημιουργίας. Addi poteſt, quia res eſt odioſa. Nam Eunuchus eſt δυσοιώνιστον, & δυσάντητον θέαμα. ſacris & ἀπὸ κοινῶν συλλόγων ἀποκλεισθείς: ut ait Lucianus, ἀμφίβιόν τι ζῶον, & κορωναῖς ſimile. αἳ μήτε περιστεραῖς μήτε κόραξιν ἐναριθμέονται. unde *viros non viros*, in gripho vocat Athenæus. Balſamon ad Can. Apoſt. ſuperius allegatus errat, qui eos Clero movendos vult, qui cum eſſent τοῦ καταλόγου ob morbum execti ſunt.

ſunt. quod refellitur per Nicænum Canonem. & in ſequentibus errat ejus Interpres qui vertit, *ſimiliter & eos, qui ante Sacerdotium abſque morbo genitalia execti ſunt.* Nimis laxè. contra enim ſtatuït Canon de exectis per barbaros, aut Dominos. Balſamon rectè loquutus eſt, ἀκτέμνοντας. Interpres ergo vertere debuit, *qui à ſeipſis execti ſunt.* Notatu autem digna eſt Balſamonis annotatio ad illum Canonem Apoſt. πλείους τῶν ἀνθρώπων ἀκρωτηριασθέντας, διὰ νόσον μέλλοντες εὐνουχίζειν παῖδας ἑαυτῶν, Eccleſiam adire juſſerunt, & ἐκκοπὴν illam ſuam notam facere, ne ab Ordinibus deinde ſacris fortaſſis excluderentur.

69. Iturus Jeroſolymam ad feſtum, ut volunt, Encæniorum, neceſſe habuït è Galilæâ aſcenſurus, per Samariam tranſire. miſit ergo è Diſcipulis qui appararent ipſi. Samaritani, ex innato in Judæos odio, illum non admiſerunt in Civitates; *Quia facies ejus erat, euntis ad Hieruſalem.* Indignati ex Apoſtolis duo filii Tonitrus Johannes & Jacobus, irati de Cœlo ignem volebant devocandum, ut inhoſpitales illos cum urbe conſumeret. cujus furorem placando repreſſit inquiens, ſe non eo fine veniſſe ut quenquam perderet, ſed ut omnes ſervaret. illinc ergo digreſſi, in aliud caſtellum, abierunt, &, quod videtur, hoſpitio recepti ſunt. Hic an alibi incertum eſt, nam Matth. ait, *Cum ingrederetur quoddam caſtellum,* indefinite: occurrerunt ei decem leproſi, qui quod eo morbo tenerentur, nec lege permittebantur cum hominibus verſari, ſteterunt à longe, & elatâ voce mundationem à leprâ rogavere. Quibus inclamantibus ait, Ite, oſtendite vos ſacerdotibus. nempè ut de ſanatâ leprâ judicarent, quod in Lege ſanciebatur. Obtemperant dicto, & inter eundum ſanati ſunt: Quo viſo, Samaritanus, è leproſis decem unus, non rectà ad ſacerdotes pergit, quod cæteri novem faciunt, cum eſſent Judæi, ſed repetito itinere, ad ἀπολυτρωτὴν, ut ipſi de accepto beneficio, gratias ageret. Quod ab illo rectè factum laudat Dominus, & *Fides,* inquit, *tua, te ſalvum fecit.* Non jam corpore ſanum, ſed animo ſalvum. Hoc ῥητὸν ſervatoris omnino ſtatuït extra controverſiam, illum non ideo non oſtendiſſe ſe ſacerdotibus, quod Samaritanus erat, & ſchiſmaticus, ſed quod antiquius habuit Obedientiam præſtare, quam ſacrificium. Cæteri, qui Judæi ortu erant, & Legalibus addicti, quia innutriti, ſacrificium prætulerunt Obedientiæ. Ita verum eſt nec una vice, *Haud inveni talem Fidem in Iſrael.* Ita demum proficiſcitur Hieroſolymam ad *ſcenopægiam,* aut Feſtum *Tabernaculorum.* de quo Levit 23. *Menſe ſeptimo feſta celebrabis, & habitabis in umbraculis ſeptem diebus.* Menſis ſeptimus, qui partim Septembri, partim Octobri reſpondebat, huic ſollennitati deſtinabatur, vel quod tunc convectis in horrea, & repoſitis fructibus Deo erant agendæ gratiæ: vel in memoriam habitationis per annos quadraginta in Tabernaculis: atque inductionis in terram omnibus abundantem, unde ramos palmarum geſtantes *Hoſhanna* paſſim acclamabant. Tenebantur autem Iſraelitæ,

Iſraelitæ, ad hoc feſtum aſcendere, Deuter. 16. ſed non tam antè quam ad Paſcha. Quocirca Joh. 7. Fratres ipſius qui adhuc in eum non credebant ver. 5. unde nec in Apoſtolos electi, dicunt ad Illum, *Tranſi huc: vade in Judæam*, &c. quibus reſpondet negativè, Non aſcendo. id eſt, Nondum, ut voluntatem adimpleam veſtram, nam eâ ſuppoſitâ, aſcendit. & Judæi, Joh. 7. 12. Quærebant eum in feſto & dicebant, ubi eſt Ille? acſi violati divini præcepti teneretur reus, qui ſecundum legem, non aſcenderat. Aſcendit autem mediante Feſto: hoc eſt, expletis quatuor diebus, nam ad octo perdurabat. Hic dum verſatur, parabolam proponit de denario Diurno, Matth. 20. Adultera Chriſto ſiſtitur Joh. 8. & vehemens illa & longa contentio cum incredulis & rixantibus Judæis habetur. Mittuntur apparitores ad ſiſtendum cum judicio. cauſſam ejus Nicodemus tuetur in conſilio. unde in utroſq; tanquam deceptos & πεπλανημένους invehuntur. Finis diſceptationis multiplicis cum Judæis, erat, *Quod tulerunt lapides ut jacerent in eum. ſed ille, ſe abſcondit, & exivit de Templo.*

Poſt egreſſum ambulans, cæcum à Nativitate curavit, non 70.
immediatè, ſed luto oculos inungens, & jubens ut in Silo lacu lavaret. Hinc novæ à Phariſæis & Scribis concertationes: et tandem curati ἀποσυνάγωγή. Nam propter confeſſionem, & Jeſum agnitum, foras illum ejecerunt, quem inventum, conſolatur Jeſus, & ſe Meſſiam ipſi manifeſtat. Poſt ſequuntur illa de bono paſtore, & mercenario Johan. 10. atque ita demum, deſignatio 70. diſcipulorum. de maximo in regno cœlorum. de maximo præcepto: & quis proximus, per parabolam de incidente in latrones. cujus multiplicem ſenſum myſticum, latiſſimè perſequuntur ſancti Patres. Invitatus deinde à Phariſæo quodam, acrius in illorum hypocriſin invehitur. Varii deinde ſermones habentur. de non timendâ corporis morte. de divitiarum ſollicitudine abjiciendâ, Luc. 12. de pœnitentiâ agendâ. de regno cœlorum cum grano ſinapis comparato, Luc. 13. Poſt hæc venit ultimò in Galilæam, ſed non niſi poſt Encænia finita per menſem Novembrem. de quo Feſto, & per illud actis, Joh. 10. habetur mentio. *Facta ſunt autem Encænia in Jeruſalem, & hyems erat.* Quod ita adjectum ſatis docet quemnam ἐγκαινισμὸν intendebat. Erant enim tria Encænia. Templi per Salomonem *Encænia tria.*
conditi. per Zorobabelem reſtaurati. per Judam Macchabæum repurgati. per menſem Tiſri primum celebrabant. Menſe Adar, ſecundum. Et menſe Caſleu Novembri, tertium. de quo feſto, 1 Macch. 4. ſtatuit Judas, & fratres ejus, & univerſa Eccleſia Iſrael, ut agatur dies dedicationis Altaris, in temporibus ſuis, ab anno in annum, per dies octo, à viceſimo quinto menſis Caſleu cum lætitiâ & gaudio. per hoc Feſtum, ambulabat, ait ſacra hiſtoria, Jeſus in porticu Salomonis. ſive, ut plerique putant, quibus ego aſſentior, in atrio Gentium. Joſephi teſtimonium, id docere videtur, quod è Lib. 20. Antiquit. cap. 8. cita-

tur à Barradio, qui diſſentit tamen, in hæc verba. *Jam abſolutum erat Templi ædificium. Populus igitur, cum videret eſſe in otio, circiter octodecim Opificum millia ſolitorum hactenus in templo, ex operarum mercibus victum quærere; nolenſque ſacram pecuniam repoſitam habere, ne quando præda Romanis fieret, ſimulque opificibus inde proviſum cupiens, quod vel unâ horâ operato ſtatim merces repræſentaretur, ſuaſit Regi Agrippæ, ut Orientalem inſtauraret porticum. Ea Templi extima claudebat, profundæ valli & anguſtæ imminens, ac proinde ſubnixa muro, quadringentos cubitos alto, ſaxis conſtructa quadratis, valdè candidis. eratque cujuſque ſaxi longitudo cubitorum 20. Sex verò altitudo. Opus Salomonis Regis, qui primus integrum templum condidit. Rex autem reputans, quodcunque opus demoliri facile, reparare difficile; maximè talem porticum, egentem & tempore longo, & pecuniis plurimis, non conſenſit populi precibus.* Erat autem locus ambulando licitus, nam ambulabat Jeſus in porticu Salomonis: quod in atrio mundorum non licebat: ubi precibus, &c. vacabant. In hoc atrio ambulanti acciderunt illa quæ Joh. 10. à verſ. 22 ad verſ. 42. memorantur. Nec ulterius in Templo, aut Hieroſolymis manſit.

71. Priuſquam rediret in Galilæam è Judæâ, nunciatum eſt illi de Galilæis, quorum ſanguinem miſcuerat Pilatus cum ſacrificiis ipſorum. Multa hic quæri ſolent quæ non ſunt alicujus magni momenti. Recens oportet fuiſſe factum, & poſt Chriſti egreſſum Hieroſolymis. nunciatum eſt enim tanquam τὸ καινόν. Oportet fuiſſe Hieroſolymis factum. Quia nullibi præterea ſacrificare licuit. Galilæi quidam, non ergo Samaritani qui obtruditur, aſcenderant Hieroſolymas ad Deum per ſacrificia venerandum. dum per Sacerdotes offerrentur victimæ, aderant de more in proximo atrio mundorum, qui ſacrificia obtulerant: quos immiſſis militibus Pilatus interemit. Et ita ſanguinem offerentium, cum ſanguine victimarum miſcuit: id eſt, non minus iſtorum fudit, quàm Sacerdotes beſtiarum. Factum eſt ergo ſacrilegè in Templo homicidium: atq; ita Templum profanatum ab homine impio. ſed cur factum, haud liquet. Inter multas multorum conjecturas, maximè probabilis eſt, de reliquiis Judæ Gaulonitæ, qui in diebus Cenſus abduxit multos: ſed cùm ille Cenſus deportato ſtatim Archelao, ante plures annos, alio præſide exigeretur; non poteſt ad præſentem occaſionem accommodari: nedum quod vult Barradas, ad Cenſum exactum ſub Cyrenio, naſcente Chriſto. Nam, quod docuimus, nullus tum Cenſus exigebatur. ſunt ergo ἄδηλα pleraque, ἀσύστατα & ἀσύμβολα omnia. Factum conſtat, miſcuit ſanguinem. Locus, tempus, occaſio, perſonæ, prorſus ſunt ἐν ἀμφιβόλοις. Joſephus, ut in multis quæ Scriptura commemorat, ſilet. Ita & in adjecto per Servatorem exemplo, de 18. illis ſuper quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos. Hinc occaſionem nactus, de juſtâ, licet ſecretiore divinâ vindictâ in Peccatores, hortatur ad pœnitentiam, adductâ de ficu ſterili parabolâ; quam ab extirpatione,

Digitized by Google

tione, per Interceſſionem hortulanus, peritâ unius, hoc eſt, quarti anni expectatione, exemit per ficum hanc cùm certum ſit populum Judaicum intelligi, & hortulanum Chriſtum ipſum, illum *bonum Agricolam*: qui quatuor annos ferendo fructum, ficui obtinuerat, plus opinor, quàm inſinuatur, hanc Parabolam, ad annum quartum ipſius culturæ, ſive prædicationis inter docendum prolatam: eo anno, quemadmodum ſtatuimus, ſecundùm veriorem Chronologiam, Jam ad finem vergente: & quinto à proximis Calendis Januariis, poſt Baptiſmum inchoante, quo in Crucem agebatur.

Poſtquam redierat in Galilæam, erat, de more ſuo, docens in Synagogis eorum, Sabbatis: uno die Sabbato, aderat, ut aliàs, mulier infirmata graviorem in modum. Incurvabatur enim corpore, quaſi terræ alligata [illegible]. Nec à naturali cauſsâ procedebat, è Diaboli malitiâ & operatione: ait enim ipſe ſervator, *Sathanas alligavit*, diuturnam in illam tyrannidem decem & octo annorum exercens. at Synagogæ princeps indignatus, quaſi de violato Sabbato, populum caſtigat, Jeſum non impingit, qui de Sabbatis curandi venirent: quem ſeverius & merito Chriſtus corripit, de Hypocriſi convictum manifeſtâ. nec hiſcere in contrarium audebat homo nequam. Hinc conciones de regno Cœlorum, variis ſimilitudinibus expreſſo, grano ſinapis. Fermento. Quæ cum differeret in ipſo die, quod habet Lucas 13. 31. Acceſſerunt quidam de Phariſæis ad eum, quaſi [illegible] niſi fortè etiam ut territum deſiſtere à prædicatione facerent, Dicentes, *Exi, & vade hinc, quia vult te Herodes occidere.* Quod an verum fuerit neſcitur. probabilius duxerim de cæde cogitaſſe: conſilium agitaſſe: ejuſmodi ſententiam protuliſſe. metuebat enim regno ſuo. ſciebat Jeſum apud populum gratioſum: & cum finem ipſius miſſionis ignoraret, opinabatur poſſe, & fortaſsè velle, populum ad ſeditionem concitare. Nec obſtat quod objicitur, è Luc. 23. Herodem ex multo tempore cupiviſſe eum videre. Non erat illud benevolentiæ: ſed curioſitatis: ſed rebus ſuis conſulentis. Quod ad Phariſæorum ſuggeſtionem ſpectat, reſpondet, Non eſſe metuendum in Galilæâ ab Herode mortem. Fieri enim non poſſe, ut Propheta quiſpiam, qualis ipſe fuit, extra Jeruſalem interiret, unde illa deploratio, *O Jeruſalem*, &c. ſecundò, Herodem ſe non metuere quem, à moribus dignè, *vulpem* nominat. Fortaſſis ex illis Phariſæis aliquis, primæ notæ, quem appellat ἀρχόντα, Domum ſuam ipſum invitavit. Nam ſequitur apud Lucam 14. 1. *Factum eſt, cum intraret Jeſus, in domum cujuſdam principis Phariſæorum Sabbato manducare panem, obſervabant Eum*, nimirum, an Curare aliquem volebat in Sabbato, ut anſam captarent calumniandi. Non enim ut amici, benevolique, ſed ut inſidiatores & [illegible], cum domum invitaverant. Qui cum animum non ignoraret, *ſub vulpe latentem*, ivit cum iis nihilominus. Erat in procinctu, hydrope laborans. Quo viſo,

viſo, Phariſæos rogat, an liceret in Sabbato curare hominem. Illis tacentibus ſanat, & dimittit. tum facti apologiam parans, De *bove*, aut *aſino* in puteum lapſis, & educendis vel Sabbato, os obſtruït malevolis obtrectatoribus. ſequitur duplex è re nata eruditio, ad Invitatos, de modeſtia, humilitateque conſervandâ. non de primo accubitu captando. ad Invitantem, & quoſcunque κτ. πλάτος ἑστιάτορας. Docens quos & quales invitare debeant. Has παραινέσεις ubi quidam de diſcumbentibus audiſſet, palam ait, *Beatus qui panem manducabit in regno Dei.* Unde in illam parabolam deſcendit Dominus, ubi, *Cœnæ paratura,* ut Tertullianus loquitur, *vitæ æternæ ſaturitatem figurat.* de cœnâ magnâ præparatâ: invitatis multis: illis recuſantibus: ſubintroductis aliis: quibus illud præſtructum, quod Act. 13. adimpletum, *Vobis oportuit primò verbum Dei annunciari; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos facitis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.*

73. Digreſſum è domo Phariſæi, ſequuntur eum turbæ multæ: ita enim annectitur apud Lucam 14. 25. quos de modo, menſurâ, & animo ſequendi inſtruït, nimirum præponendum amorem Dei, cuicunque rei carnali, licet conjunctiſſimæ, licet dilectiſſimæ. Parentes, Liberos, Uxorem, Animam, hoc eſt, vitam, in ſecundis habenda omnia, ſi ita ferant tempora & neceſſitas urgeat, ut vel Deus, vel illi abnegandi. itaque non cuivis obvium: non εἰς ἐπιχ. profeſſionem ſecundum Chriſtum jucundam, ſed ſubductis prius calculis, accepti, expenſi, impendendi: id quod duplici parabolâ adductâ docet, de turre ædificandâ. de hoſte propulſando. atque hæc continuatâ ſerie, beatus Lucas. Sequuntur autem, vel ſtatim, vel non multis interjectis, quæ narrantur ab eodem cap. 15. 1. Ἦσαν ἐγγίζοντες πάντες οἱ τελῶναι, de more ſuo familiari: eſt enim verbum frequentativum. quo offenſi Phariſæi etiam de more ſuo, murmurabant, Quod peccatoribus (ſic vocabant vulgo Publicanos) receptis familiariter uteretur. Quos duplici parabolâ, de Ove perditâ, quæſitâ, reductâ. de argenteo ibidem nummo ad eundem modum: quam hoc concludit Epiphonemate. Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore (Publicano) pœnitentiam agente: quam ſuper nonaginta novem juſtis Phariſæïs (qui, ſua ipſorum οἰόμενοι) non indigent pœnitentia. Idem ulterius docet per parabolam inſignem de filio prodigo. Atque hæc ad turbas: ſequitur deïnceps privatim Inſtructio Diſcipulorum; eodem tempore, vel non multum disjuncta tempore, nam præcedentibus illam annectit Lucas cap. 16. qui ſolus, & illa: & hanc & alia narrat, de *villico,* ut volunt, *iniquitatis.* cujus doctrinæ ſigillum conſignatur in iſtis, *Facite vobis amicos de Mammona Iniquitatis, ut tum defeceritis, recipiant vos, in æterna tabernacula.*

74. *De Epulone & Lazaro.* De charitate, opibus rectè impendendis, eleemoſynæ laudibus & prærogativis ſermones ubi tractarat Deus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quia appoſitione exemplorum fortius, imprimuntur νουθεσίαι, exemplo illuſtrat, vel Hiſtorico, vel Parabolico, quod docue-

Digitized by Google

docuerat, de divite Epulone, & Mendico Lazaro. ἀναφορᾷ & καταστροφῇ utriuſque, cum in iſtâ, tum in futurâ vitâ. Multos incertos certare hanc rem video, an Narratio apud B. Lucam iſta, de divite Epulone, et mendico Lazaro, Hiſtoriam habeat rei veræ, aliquando geſtæ: an potius per parabolam et ſimilitudinem, res gerendas, ab egreſſu animæ repræſentent ad me quod attinet, in hanc vel illam partem, certo ſtatuere nec poſſum nec debeo.

Ἐνθὲν μάλα θῦμος, ἐπεὶ γένος ἀμφίεσον.

Tres ſententias doctiſſimorum virorum de præſenti quæſtione diſcrepantes inter ſe, fuiſſe intelligo. Alii parabolam profitentur. Quidam rem verè geſtam & Hiſtoriam fuiſſe contendunt. Nonnulli, nec Hiſtoriam ſimplicem, nec ſolam Parabolam, ſed mixtam ex utrâq; narrationem. Cardinalis Baronius pedibus in Hiſtoriam ſeceſſit, & in illâ ſolâ acquieſcit. Antiquiores enim ita refert, velut veram Hiſtoriam citare illam ſolent, de pœnis damnatorum, apud Infernum. de citatione pro pœnis damnatorum nemo reluctatur. Nam gehennæ Ignis, immitem, crudelem, immiſericordem illum divitem adurebat: et à flammis Infernalibus reverà torquebatur. Non tamen de pœnis damnatorum ita recipimus, ut certum, tanquam rem ita geſtam in Ninenſe neſcio quo, Herode & Lazaro; quiſquis ille fuit: Tertullianum appellat Baronius, Libri de Carnis Reſurrectione, cap. 17. Docet eo loco Tertullianus, de *pœnis*, quas profitemur, damnatorum apud Inferos. non docet, quod probare Cardinalis & volebat, & debebat, Hiſtoriam eſſe veram, & non ſimilitudinem parabolicam. *Exemplum* vocat. ſed Exemplum non eſt Hiſtoria, nec convertitur cum Hiſtoriâ. Parabolæ exempla ſunt, & nominari poſſunt, quæ fugiendorum vel appetendorum repræſentant ὑποθέσεις. Parabola de quinque fatuis virginibus exemplum eſt, & ὑπόδειγμα, ſecuritatis, ſocordiæ, imprudentiæ, in ſalute procurandâ. ideò propoſitum ab eximio Doctore, ut exemplum nobis eſſet Vigilantiæ & bonorum Operum. Tertullianus igitur, qui Exemplum non prætergreditur, de Hiſtoriâ nec affirmat, nec expreſsè negat: ſed ad Parabolam videtur magis inclinare. Tertulliani voto & ſententiâ contentus Baronius, de cæteris Antiquioribus, non eſt admodum omninò ſollicitus, ad hiſtoriam inclinantibus multis qui commentarios non tam pondere quàm numero, ab aliorum ſportulis converrunt.

Tertulliano parem aſſignant Clementem in 2. Pædag. & utroq; priorem Irenæum. 4.4. quaſi aſtrueret Servatorem rem geſtam narraſſe, non autem fictam aliquam ſimilitudinem rei geſtæ. ſed quid ſenſerit ille, verba docent. *Non autem fabulam retulit nobis pauperis & divitis.* Agnoſco, non fabulam, ſed veram narrationem, ratione ſcilicet generali veriſſimam, de Pœnâ & Præmio. ſtatu fœlici & miſerrimo, poſt exitum animæ, ad operum cōditionem & merita accommodato. ſunt enim qui æternâ fruuntur pace: ſunt qui flammis Infernalibus aduruntur, æternùm illis ignibus 75.

Digitized by Google

nibus cruciandi. Fabula ergo non eſt, non figmentum quod generali doctrina traditur. *Sunt aliquid manes, lethum non omnia finit.* Ninenſin nomine, vel Herodem fuiſſe. Divitem illum, Lazarum mendicum, tunc omnibus bene de nomine, ſtatu, & conditione notum; hoc nec dicitur, nec colligitur ab Irenæo. Ac Hiſtoriam non fuiſſe, ſed Parabolam ſentiebat, ſive ipſe Irenæus, quod non opinor, ſeu quis alius, qui capitibus præfixit argumenta. Hinc enim illud lemma affingebat, *Expoſitio Parabolæ Divitis & Lazari mendici.* quam Inſcriptionem, cùm quidam editores ſuſtuliſſent, rectè reduxit Feuardentius. Non fuit hæc Irenæo magis hiſtorica narratio, quàm Eſaiæ alia. 5. 12. ubi loquitur, cum cytharis, & tympanis, & pſalteriis, & tibiis, vinum bibunt: opera autem Dei non intuentur: et opera manuum ejus non conſiderant. Multò minus Irenæus Lib. 2. cap. 62. inter Hiſtorias reponebat. Verba audis. *Pleniſſimè autem Dominus docuit, non ſolùm perſeverare: non de corpore in corpus transgredientes animas: ſed & Characterem corporis, in quo etiam adaptantur, cuſtodire eandem: et meminiſſe eas operum quæ egerunt hic, & à quibus ceſſaverunt, in eâ narratione, quæ ſcribitur de Divite & Lazaro, eo, qui refrigebatur in ſinu Abrahæ.* Narrationem vocat: nec prætereà quicquam explicationis cauſâ, addit. ſunt autem aliæ ab Hiſtoriis narrationes. Quæritur an Narratio Lucæ de Divite & Lazaro Hiſtoria fuerit, an Parabola? Non quæreretur autem iſto modo, ſi Hiſtoria foret, quæ eſt narratio, cùm Parabolæ etiam ipſæ ſint narrationes. Clemens autem Alexandrinus aliorſum abit, quod ſtatim manifeſtum faciemus: nec majore illum fide appellavit Salmeron, è ſecundo Pædagogo, quàm Origenem, ipſe & Maldonatus, diverſis ſcilicet in locis, qui uno tantùm loco, *Exemplum* appellat, cæteris planè tacet, nuſquam Hiſtoriã eſſe docuit; quàm Cyp. Ep. 18. Feuardentius: quàm Baſilium in regulis fuſius diſputatis: & hom. de Jejunio idem Feuardentius; quàm Salmerõ & Feuardẽtius, Hieronymũ & Hilarium. hunc, in Pſ. 122. illum in ep. ad Marcel. de obitu Lætæ; & ad Paulam de exceſſu Bleſillæ. Frontem verò iſtorum! qui & hos, & alios recitant, qui vel nihil, vel non idem, vel contrarium affirmant: Præclarè autem Salmeron inſtar omnium, Abdiam refert, qui didicerat, à Juvene illo de urbe Naim, quem in vitam Servator revocavit elatum, veram eſſe hiſtoriam, & rem ita geſtam. ſe enim apud Inferos, id cognoviſſe. Bene & Euthymium advocavit, qui Divitem de nomine Ninenſin appellat, à Traditione quâdam doctus Hebræorum. Euthymium autem, quem tanti facit Cardinalis, ut à Tertulliano ſtatim, dimiſſis aliis omnibus ad eum devolvatur, ubi narrationem illam de Ninenſi, amplectitur, exoſculatur, & tanquam rem ratam firmamq; debere docet recipi, & communibus ſuffragiis comprobari: licèt Salmeron, Maldonatus, aliiq; magnæ eruditionis & judicii viri, vel non admittant fabulam, & γραώδη μῦθον, excludant. Indignandum virum, vel ut Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritum, toties per Annales

βαλανοτραγεῖν,

Digitized by Google

βαλανοφαγεῖν. Euthymius ſcriptor Græcus, nuperus, nuper natus, fabu-
lam viro erudito perſuaſit Judaicam, ridiculam, nullis veterum te-
ſtimoniis ſuffultam, aut leviſſimè commendatam à Rabbinis ſtoli-
dis, impiis, blaſphemis, in Chriſti opprobrium excogitatam.

Credat Cardinalis, non impedio, Hiſtoriam eſſe, & non Parabo- 76.
lam. At planè deſipit dum Hiſtoriam eſſe vult probare è Judæorum
inſomniis. eſſe hiſtoriam, verum eſt quoſdam è Patribus, eo incli-
nare ut putent. dixi hanc eſſe nonnullorum tertiam opinionem. ut
fidem liberem, quam non liberavit Cardinalis, dabo locum manife-
ſtum Tertulliani. *Dolet apud Inferos anima cujuſdam, & punitur in
flammâ, & cruciatur in linguâ, & de digito animæ fœlicioris implorat
roris ſolatium. Imaginem exiſtimas exitum illum pauperis lætantis, &
divitis mœrentis? et quid illis Lazari nomen, ſi non in veritate res eſt?*
Hæc probant directè Tertulliani mentem. non per ambages incer-
tam relinquunt. addo Ambroſium, ſed non tam peremptorium.
*Narratio potius quam Parabola videtur, quando etiam nomen Lazari
exprimitur.* Apage Ninenſins & baſilicas in memoriam Lazari ere-
ctas, quo etiam Maldonatus uſus eſt argumento, fictitius fortè. Nam
cur non adjicitur, ubi gentium Baſilicæ, in ejus memoriam excitan-
tur, ubi ſollennibus anniverſariis celebrentur? In nullo adhuc rep-
peri calendario, in nullâ Litaniâ, *Sancte Lazare mendice, ora pro me.*
Nam de Marthæ germano aliter ſe res habet. Eſſent autem in illius
memoriam Baſilicæ erectæ, non tamen hinc docetur per ἀπόδειξιν, ta-
lem qualem fingunt illum extitiſſe. Particulares quippe Eccleſiæ
quæcunque falli, errare, decipi poſſunt, in rebus, præſertim Facti, ſi
non Fidei; ſcimus Chriſtophorum, Catherinam, alios fortaſſis, in Di-
vos relatos, qui quales fuerint, ubi vixerint, an unquam extiterint,
ne illi qui recolunt, probare poſſunt.

Rectius ergo alii quàm doctiſſimus Baronius, hiſtoricam ſuadent 77.
veritatem, à naturâ Parabolæ, in quâ nuſquam aiunt, nomen aliquod
deſignatur, ut hic, ubi Lazarus, quod certiſſimè ſcimus viri nomẽ eſſe
ῥητῶς de nomine compellatur. At imprimis hoc videtur eſſe commen-
titium. ſatis enim eſt, ſi quædam, & non omnia ficta ſint & ὑποθετικὰ in
ſimilitudine. deinde in Parabolâ illâ per Jothamum prolatâ, Judic.
7. eſt Ficus, Carduus, Vitis, Mons Libani, Cedrus. Tertio, non con-
ſtat an hoc in loco nomen illud Lazari, ſit proprium, an epitheton,
præſertim cum Dives de nomine non compelletur. Et certè, ſi ut vo-
lunt, hiſtoria fuiſſet de Lazaro mẽdico, multis noto, quid opus retice-
re nomen epulonis? apud cujus ædes tam inhumaniter exceptus erat.
Nec obtendi poteſt: ideò nomen ejus non fuiſſe proditum, ne triſta-
ri poſſent vel offendi familiaritate vel ſanguine juncti, cùm facilè
foret è dictis cuivis intelligere, licèt ἀνονύμως, quis ille foret, ad cujus
fores mendicus ille jacebat. ſunt itaque & inter recentiores aliqui,
& inter veteres plurimi antiquiſſimique qui potius inclinant ad Pa-
rabolam quàm hiſtoriam: rem in ſimilitudine geſtam, & non actu,
aut reipsâ. Theophilus Antiochenus, qui circa annum Chriſti 160.
vixit, Tatiani æqualis & Irenæi, ſed antiquior Irenæo, appellat Pa-

rabolam,

Digitized by Google

rabolam, diſertis verbis. Clemens Alexandrinus in 2. Pædag. huc inclinat. at in 4. ſtrom. διαῤῥήδην ait, ἡ τοῦ Λαζάρου παραβολή. Nazianzenus in carminibus, titulo de Parabolis apud Lucam: et Parabolis apud quatuor Euangeliſtas, iſtam de Lazaro utrobique inter Parabolas recenſet. Chryſoſtomus in quatuor illis de Divite & Lazaro homiliis, nunquam hiſtoriam, ſemper Parabolam appellat. ſic Titus Boſtrenſis. Theophylactus, qui ἀνοήτους planè illos pronunciat eſſe, qui putarant eſſe hiſtoriam, & non parabolam. Et velit nolit Baronius, quædam hic videntur Janſenio & Maldonato nullo modo ad literam vel hiſtoriam explicanda. de linguâ, de digito, de ſinu Abrahæ, de aquâ, ſermone. Nec Cardinalis reſponſio ſatisfacit eodem modo, de Deo quædam enunciata eſſe ἀνθρωποπαθῶς, cùm tamen nullam habeant in Deo conſiſtentiam. Nam hiſtoricè de Deo, non dicuntur, ſed tantùm ſecundùm rationem Analogiæ; ubi omnia ſunt ab homine & humanis remotiſſima. ſed ſive ſit hiſtoria, ſeu Parabola, non evincit quod contendit Cardinalis. Illi qui hiſtoriam profitentur, efficacioribus quibuſdam argumentis, innituntur. Poſtremò, ſunt qui utrunque affirmant: & hiſtoriam eſſe, & parabolam, cum Authore Quæſt. ad Orthod. quanquam ille potius arbitratur, eſſe ὑποτυπωτικὸν λόγον διδασκαλίαν ἔχοντα, τὸ μὴ δύνασθαι μετὰ τὴν ἐκ τοῦ σώματος ἔξοδον τῆς ψυχῆς, κατὰ μετάνοιαν τινὰ, ἢ σπουδὴν ὠφελείας τινὸς τυχεῖν τοὺς ἀνθρώπους. Ideoque diſſentit à ſuperioribus. τὸ κατὰ τὸν Λάζαρον καὶ τὸν πλούσιον διήγημα, οὔτε παραβολή ἐστιν, οὔτε ἱστορία. Quod omninò verum arbitror. ut ἁπλῶς neutrum ſit. utrumq; autem κατὰ μέρος. ſunt quædam, quæ hiſtorica nec ſunt, nec poſſunt eſſe διηγήματα. ſunt quæ poſſunt eſſe hiſtorica. nempè de perſonis, & in hac vita geſtis. An verò ſint, ut videntur eſſe hiſtorica, non perſuadent adducta in Annalibus. Nihil ſtatuere licitum eſt, ſed ἀπέχειν, ubi ſine periculo ignoratur veritas.

78. Sequitur concio ad diſcipulos ex occaſione petitionis ipſorum, de augenda ipſis fide. & tum reſponſio ad Phariſæos de adventu regni Dei. deinde ſequitur inſtructio, quod oporteat ſemper orare, nec deficere, parabolico exemplo de judice injuſto, per importunitatem tamen, eo adducto, ut mulierem pauperem quæ dando non erat, de adverſario ſuo vindicaret. Unde Deum infert minimè rejecturum multorum preces. *Oratio*, inquit Syrac. c. 35 *humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propinquet, non conſolabitur. & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat. Et Dominus non elongabit, ſed judicabit juſtos, & faciet judiciũ. & fortiſſimus non habebit in illis patientiam, ut contribulet dorſum ipſorum, & Gẽtibus reddet vindictã, donec tollat plenitudinem ſuperbiũ, & ſceptra contribulet iniquorum.* Sequitur apud Lucam parabolica hiſtoria de duobus in templo Orantibus, non tamen continuo ordine. non eodem loco: non apud eoſdem, aut de iiſdem. Nam de Oratione jugi Apoſtolos & ſuos inſtituebat: hoc apud alios, qui in ſe confidebant, tanquam juſtis, hoc eſt, Scribas & Phariſæos proferebat. habet autem καθ᾽ ὑποκείμενον connexionem cum præcedenti. Nam utrobique ſubjectum eſt Oratio. ſed ibi *Jugis*: iſthic, *humilis*. talis erat enim Publicani. in utroque geſtus idem & habitus, ſtabat

enim

enim uterq; inter orandum, neuter orabat genibus flexis; ita Cor, non Corpus reſpicit Deus. et ita ſæpius veteres Chriſtiani. ſemper per Dominicos dies. et ſingulis diebus per Pentecoſten. Phariſæi oratio εὐχαριστική. publicani deprecatoria. uterq; actionem ſacram, in loco ſacro, & hoc præclarè, peragebat. Aſcendebant in templum, ut orarent. Domus enim Dei, domus orationis erat, omni populo. Atque hactenus annus à baptiſmo triceſimus quartus completus. ſequitur quintus & ultimus τῆς οἰκονομίας, quo currente Hieroſolymis in crucem agebatur. cujus portionem non magnam, magnis & multiplicibus rebus geſtis illuſtravit, quas frequentiores quam ſolebant alias, Euangeliſtæ memorant.

Annus Ieſu Chriſti Quintus currens à Calendis Ianuarii.

IBat per Civitates & Caſtella, ait Lucas 13. 22. docens, & iter faciens in Jeruſalem. Non quòd Herodem metueret, de quo dixerant, Quæret te occidere: ſed quia tempus revertendi ad patrem appropinquabat, & conſummādi miniſterii. Inter eundum, proponitur ei quæſtio à quodam, non nominato, ſed bono ut videtur animo. An pauci futuri eſſent, qui ſalvabuntur? Hanc alibi directè quæſtionem ſolvit. ſed & hoc in loco etiam affirmativè, licèt paulò obſcuriùs. Contendite intrare per anguſtam portam, ἀγωνίζεσθε, quâ voce utitur. eſt ſummo ſtudio, totis viribus, tanquam in agone, anniti. porta autem anguſta, paucis recipiendis ſufficiens & deſtinata, apertè docet, paucos eſſe omnino qui ſalutem conſequentur. Matth. 7. ait Paucos eſſe qui viam arctam, & portam anguſtam inveniunt. Verum obſtare videtur quod ſtatim objicitur, *Multi venient ab Oriente & Occidente, & accumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob, in regno cœlorum*. Multi autem ſi ſint, Pauci eſſe non poſſunt. reſpondet Auguſtinus, *Multi ſunt, & Pauci. ipſi tamen Pauci, qui Multi. Pauci in comparatione Multorum perditorum. Multi, in ſocietate Angelorum.* Quot verò definitè, Deo notum ſoli: in cujus cum præſcientiâ, tum prædeſtinatione ſunt in numerato, nec minuī aut augeri, ullo pacto queunt. Inter eundum, quod refertur à tribus Euangeliſtis, offeruntur illi parvuli, ut manus eis imponeret & benediceret. quod & fecit: licet Diſcipuli increparent adducentes, ſive parentes, ſeu amicos. Nam non per Angelos, adducebantur, quod velle videtur Origenes, homil. 19. in Matth. Viderant ſæpenumero Dominum per manuum impoſitionem, ſanitatem & aliam gratiam multiplicem impertiiſſe: & ideo, pueros ſuos, non quod ſanitate indigerent, ſed ut gratiam aliquam ſpiritualem conſequerentur, per χειροθεσίαν, adducebant ad eum. 1.

Sed & in frequenti uſu apud Judæos erat χειροθεσία. Levit. 1. præcipiebatur, *ponet manum ſuper caput hoſtiæ*. & Levit 16. *ſuper caput hirci emittendi*, manus imponuntur. vel ut ſignificetur, voluntaria victi- 2. *Manuum impoſitionis uſus.*

Gg 2 mæ

mæ conſecratio. vel onus peccatorum in victimam (Jeſum ſcilicet Chriſtum) imponendum. Ananias ut Paulus viſum reciperet, manus ei imponebat. atque ita Paulus ipſe, per impoſitionem manuum curabat Publium, Act. 28. Impii illi teſtes, Dan. 13. antequam teſtimonium dicerent in Suſannam, manus illius capiti imponebant, quaſi victimam morti illam devoverent. In dedicatione hominis & velut inauguratione, manum imponebant, Num. 17. *Tolle Joſue filium Nun, virum in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum.* cujus actionis effectus declaratur. Deuter. 34. *Joſuæ filius Nun repletus eſt ſpiritu ſapientiæ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas.* Et ab hac Judæorum conſuetudine, Chriſtiana Schola *manuum impoſitionem* admiſit, præcipuè in duabus ſacris & ſacramentalibus actionibus, Ordinatione & Confirmatione, de quibus aliàs. Hinc, etſi forſitan non immediatè cõſequentia annectuntur, quæ ſunt in parabolâ, apud Matth. 20. de conductis in vineam mercenariis, qui recipebant ſinguli, in fine diei poſt occaſum ſolis, *denarium*, diurnam mercedem, cum obmurmuratione eorum, qui imprimis conducti, quia pondus & æſtum diei tulerant, plus expectabant. Cum in regno cœlorum, ſive Gratiæ, ſeu Gloriæ, diverſæ ſint diſpenſationes, unus tantum finis. habet ergo parabola & æqualitatem & diſparitatem. Quocircà rectè Tertullianus, *Licet merces varia, licet multæ manſiones penes patrem eundem, uno denario ejuſdem mercedis operati, vitæ æternæ. Qui enim cum Deo erimus, ſimul erimus: dum omnes apud Deum unum.*

3. Aſcendens autem Jeſus Hieroſolymas, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò, & ait eis, Ecce aſcendimus Hieroſolymam, &c. Matt. 20. 17. Marc. addit hoc fuiſſe in viâ. ſæpius, paſſionem prædixerat, quandoque apertius, aliquando obſcurius. Hic palam & enucleatè ſingula ferè enumerans quæ paſſurus erat. Tradetur principibus Sacerdotum. Condemnabunt eum morte. tradent eum Gentibus ad illudendum, flagellandum, crucifigendum. Hæc prædicit, ait Chryſoſtomus, ut cum triſtia veniſſe viderint, certiore ſpe Reſurrectionem expectarent. *Prædicit eventura*, ait Theophylactus, *ut mentes præparet, quo prius audita facilius ferant, & non repentè percellantur animo.* ſed illud etiam intendebat, ut intelligerent, quod ſponte hæc patiebatur. ſed illi nihil horum intelligebant. Omnia enim ſplendida & magnifica de Domino ſomniabant: ideò quod ſequitur, de petitione matris filiorum Zededei, rectè & appoſitè conſentit cum præſentibus. Rogat illa pro filiis ſuis: et ſuam etiam ἔντευξιν maternis precibus adjungunt fratres, Jacobus & Johannes: quod Marcus habet, ut unus à dextris, alter à ſiniſtris in regno, quod de hoc mundo ſomniabant, conſiderent. Petitionis origo fortè, quod ſpecialius cum Petro deligerentur: & multis, ante cæteros, honorati erant privilegiis. addo, quod alibi declaratum eſt, quod affinitate Chriſtum contingebant, et quod bonam de ſe opinionem conceperant. Nam cùm rogaret Chriſtus, poteſtiſne calicem meum bibere ὁ μεγαλόψυχοι reſpondent, poſſumus. Voluntatem quaſi laudans

regerit Chriſtus. Ita eſt. Bibetis. quod & eventu confirmatum eſt, Jacobus enim primus inter Apoſtolos Chriſti calicem bibit, ab Herode Agrippâ gladio interfectus. An Johannes biberit, & quomodo biberit, quæritur. ſunt qui adhuc vivere putant, atque olim in perſecutione Antichriſti, cum Enoch & Eliâ occidendum. ita ut poſtremus bibat calicem Chriſti, quemadmodum princeps bibebat frater. ſed hæc ſunt anilia. Chriſti calix non eſt unicus, nec ebibitur uno modo. bibit Johannes multipliciter, licèt non eodem modo quo frater Jacobus. Hanc petitionem, palam factam, intelligebant cæteri Apoſtoli, et, humanum paſſi, indignabantur.

Factum eſt autem, poſt tranſitum Jordanem, ut appropinquaret Jericho: quæ civitas, euntibus Jeruſalem, tranſeunda fuit. priuſquam urbem ingrederetur, incidit in cæcum quendam, qui ſedebat mendicans ſecus viam. qui turbam multam prætereuntem audiens, rogabat quid rei novæ eſſet? cui reſponſum. Quod Jeſus Nazarenus tranſiret. Quo audito inclamat τορῶς, *Jeſu fili David, miſerere mei*. Qui in comitatu aderant, offenſi, ut videtur, illo *titulo*, hominem objurgant: qui tamen eo intentiore clamore proſequitur, *Miſerere mei*. Et recepto viſu, ſequebatur eum. qui Jerichuntem ingreſſus, perambulabat eam. cujus ſitum deſcribit Joſephus, in 5. ἁλωσ. diſtat ab Hieroſolymis centum & quinquaginta ſtadiis, & à Jordane, ſtadiis ſexaginta: totumq; habet ab Hieroſolymis ſpatium deſertum atque ſaxoſum. Et huc videtur alludere parabola, de deſcendente Hieroſolymis Jerichuntem, & in latrones incidente. Erat in ſorte tribus Benjamini, ut idem author refert: de cujus excidio & reſtauratione narrat vetus Teſtamentum. Egreſſus urbem, ubi minimè manſit, incidit in Zachæum publicanum, qui cum deſiderio flagraret videndi Jeſum, nec poſſet ad illum propius accedere præ turbâ, quippe parvus ſtaturâ, præcurrens arborem conſcendit Sycomorum, ut inde eum intueretur. Non habitabat ille Jerichunte: quippe urbem Jeſus tum præterierat: & animadverſo in arbore Zachæo, ait ſe pranſurum apud eum: erant ergo in itinere, aut non procul deflectendo ab itinere, ædes ſitæ, ubi Chriſtum convivio hilaris excepit: nec domo tantum, ſed & animo, factus, quod teſtatur Servator, *Filius Abraham*. Non ſecundum *carnem*: ita enim prius fuit (neque enim aſſentior Gentilem extitiſſe, non magis quam Matthæus, qui & Publicanus fuerat) ſed ſecundùm *fidem*, cum Abrahamo inſeſſurus regnum cœlorum. male habuit Judæos ſemper invidos, ingreſſus ad hominem, ut vocant peccatorem. hoc eſt, Publicanum, Exactorem, injuſtum, odio apud omnes laborantem. ſed ſatisfacit Chriſtus, à fine miſſionis: filius hominis venit quærere & ſalvare, quod perierat. hoc eſt, vocare peccatores, non juſtos, ad pœnitentiam. 4.

Dum in iſtis locis verſaretur iturus ſuo tempore Hieroſolymas, contigit illa memorabilis in Lazarum mortuum quatriduanum θαυματουργία: cujus hiſtoriæ ſeries apud Johannem, qui ſolus meminit, habetur, cap. 11. *Erat quidam languens, Lazarus a Bethania, de caſtello Mariæ & Marthæ ſororis ejus.* Mariam & Martham cum fratre La- 5. *Hiſtoria Lazari.*

zaro,

zaro, caſtelli illius Dominos extitiſſe in Bethaniâ ſiti, non credit Baronius. alii credunt, veterem Interpretem ſecuti, cujus dicendi formam, non ſatis cognitam habebāt, verba Euangeliſtæ, transferentis. Ἦν δέ τις ἀσθενῶν Λάζαρος ἀπὸ Βηθανίας, ἐκ τῆς κώμης Μαρίας καὶ Μάρθας τῆς ἀδελφῆς. *Erat quiſpiam infirmus Lazarus, de Bethaniâ, vico Mariæ & Marthæ ſororis ejus.* Nempè ubi habitabant. vetus Interpres. *caſtellum* vertit κώμην. non quod opinaretur ſorores illas binas cum fratre ſuo Lazaro ἔρυμα quoddam, aut φρούριον, aut ἐπιτείχισμα inhabitaſſe. quaſi Bethania, nihil aliud eſſet præter Caſtrum, qualia ſunt quæ Reges & Magnates inſident, et qualia erant in Cilicia, Homonadenſium caſtella, quæ Cyrenius evertit apud Tacitum, quod non omiſit Cardinalis dicere, inhabitabant. qualia memorantur maximo Poetarum in 5. Divini operis, *Aut montana ſedes circum caſtella ſub armis.* quaſi in illo caſtro, vel hæreditario, vel conductitio habitarent. Caſtellum vocat κώμην, voce ſuo ſæculo uſurpatâ, quâ vici, pagi dicebantur: κωμηδὸν habitata loca, præſertim montana, munitione quadam loci & naturæ, non autem artis & induſtriæ, τετειχισμένα. Caſtellum propriè eſt φρούριον, ſed uſu factum, ut etiam villulæ quædam ἐρυμνώδεις Caſtella dicerentur. Hinc Gloſſæ veteres. Caſtellum, villa, vicus, κώμη. erat autem vicus Bethania, non Caſtrum noſtro more loquendi: in quo vico, Simon ille leproſus; ſorores iſtæ duæ, cum fratre ſuo, atque alii multi, habitabant. Dicitur vicus iſte diſtare Hieroſolymis 15. ſtadia, hoc eſt, ad duo penè milliaria: ſed quia raris, & non conjunctis ædificiis incoleretur, hinc fit, ut alibi 8. ſtadia diſtare dicatur: vel iter Sabbathi. Domus ſororum 15. ſtadiis abfuit, in extremitate vici. Locus Aſcenſionis ad 7. ſtadia. In illâ parte vici, quæ vicinior urbi fuit, aſcendit in cœlos. in remotiore, verſabatur cum ſororibus. Nec debuit contra libros omnes, & unanimem conſenſum antiquorum Patrum, lectionis varietatem obtrudere nobis Beza; quaſi vicus ille, nec poſſet nec deberet dici Mariæ atque Marthæ. Rectè enim obſervat Baronius, & ante eum Maldonatus, Capernaum & Nazaret dictas Domini civitates, Bethſaïdam Petri & Andreæ: non quod Domini illarum eſſent, aut, ut noſtri barbarizontes loquuntur, de Dominico, tanquam in feodo eas tenerent, ſed quod ſedes habitationis, fortunarum ſuarum, ἀναστροφῆς, ibi collocaverant. Ita κώμη Bethaniæ, erat Mariæ vicus aut caſtellum, in qua cum ſorore ſua habitabat. ſed non tam probè de *caſtellis* Cardinalis. Nam falſum eſt Bethaniam fuïſſe *caſtrum*. & falſum, in caſtello ſorores habitaſſe. et falſum, caſtella per Palæſtinam tolerare Romanos noluïſſe. quod de Machærunte et aliis è Joſepho contrarium conſtat. Probabile quod refert Antoninus, fuiſſe genere nobiles ſorores cum Lazaro, et non tantum ædes illas ſatis amplas ſuburbicarias, ſed et plurima patrimonia in ipſis Hieroſolymis poſſediſſe. ut Bethania illis fuerit, villâ ruſticana. ſed ridiculè ſcriptores quidam triobularii caſtello huic Bethaniaco, nomen indidere Magdalum, unde Maria vocabatur, Magdalena. & quia conſtabat è Joſepho, Magdali nomine fuiſſe in Galilæâ caſtellum, ideò duplex

Magdalum

Digitized by Google

Magdalum confinxere, & duas Marias Magdalenas: Judæam unam: alteram è Galilæâ.

Quia de Mariâ & Marthâ ſororibus mentionem injecerat; & plures eſſent per id temporis Mariæ, quæ & ſatis notæ, & Domini noſtri diſcipulas ſe profiterentur: ad diſtinctionem, & ἐπίδειξιν, per parenthesin adjecit (*Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & abſterſit pedes ejus capillis ſuis:*) Unxit autem: quando? ſunt qui putant illam unctionem per anticipationem intelligi, quâ in domo Simonis leproſi Bethaniæ ungebatur. at illud non congruit. quaſi enim è propoſito refutare vellet eam ſententiam, de tempore præterito & non futuro ſe intelligendum docet, eò quòd in præterito loquatur, ἡ ἀλείψασα. quæ jam tum unxerat. ubi autem illa facta aliàs unctio? Nempè Luc. 7. 37. ſed reſponderi poteſt, & verum eſt, Lucam, cùm Euangeliſtæ non ſequantur ordinem *temporis*, ſed *occaſionis*, & *doctrinæ*, in illo capite eandem mulierem, eandem actionem intendiſſe, quam in 12. cap. Johannes refert. Nam pedes utrobique inungebantur. Hoc autem impedit, quod apud Lucam, unctus eſt in domo Phariſæi. at Joh. 12. à Mariâ in propriis ædibus. Quoad locum magis congruit illa unctio, Matth. 26. 5. in domo Simonis leproſi facta, qui itidem Bethaniæ habitavit. Nam ille Phariſæus, qui Luc. 7. invitavit domum ſuam Dominum, Simon de nomine, per Dominum appellatur. hoc tantum impedit, quod apud Lucam unguntur *pedes*, apud Matthæum verò *caput*. Certè pluries unctus erat Dominus. ſemper à mulieribus. idem à Mariâ. unâne an pluribus, haud liquet. unam arbitror, & illam Lazari ſororem: quam & Magdalenam cognominatam, ſolam unxiſſe Dominū, ſenſit Barradas: & ratio ipſius eſt ἐπίδειξις: ab opere proprio voluit illam Euangeliſta deſignare: quod ſola fecerat. Quod ſi alia, præter illam Dominum unxiſſet, non certo Mariam ſigno indicaſſet. Potuit autem Magdalena dici, quia aliquando Magdalo habitaverat: & diſſolutius ibi vixerat. habitationem verò Bethaniam tranſtulerat: ubi ad diſtinctionem, Magdalena vocabatur. certè multum dilexiſſe Magdalena dicitur. quia multum illi remiſſum fuit. Maria autem Lazari, ubique docet ſe multum dilexiſſe per actiones ſuas: ut una ſit & eadem mulier, quæ & unxerat & unctura erat Dominum. ut præteritam & futuram actionem Apoſtolus notaverit: unde & ἀορίστως loquitur, ἡ ἀλείψασα. 5.

Sorores igitur, ubi acceperant Jeſum è Galilæâ, reducem Judæam adveniſſe, per nuntios certiorem faciunt, de valetudine fratris ipſorum Lazari: nuntium non ἐπίκοινον, ſed ſpecialioris notæ. *Ecce, quem amas, infirmatur.* δεινὴ ἐπέστειλεν φίλον ἡ εὔνοια. *Non dixerunt veni*, inquit Auguſtinus, *in locum; Amanti enim tantummodò nunciandum fuit. Non auſæ ſunt dicere, Veni & ſana. Non auſæ ſunt dicere, ibi jube, & hic fiet. Cur enim non & iſtæ, ſi fides Centurionis illius inde laudatur? Ait enim, Domine, non ſum dignus ut venias ſub tectum meum: ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nihil horum iſtæ, ſed tantummodo, Domine, ecce quem amas, infirmatur. ſufficit ut noveris. non enim amas & deſeres.* Nec inanis erat hæc gloriatio. Nam ut ſequitur verſ. 5. Diligebat Jeſus 6.

ſus

ſus, Mariam, Martham, & Lazarum. Poſt acceptum nuncium: licet omnes diligeret, manſit in loco per duos dies. Nam, quod prædixit diſcipulis, Infirmitas illa non erat ad mortem. Quocirca non opus ut feſtinaret. Mortem verò completam & conſummatam. licèt enim moriebatur ex infirmitate illâ, tamen mors non erat, eò quòd ad vitam revocandus erat: nec ipſius conſortio & ſolatio, vel ſorores, vel diſcipuli privandi. poſt duos dies completos, perrexit in *Judæam*: hoc eſt, verſus Hieruſalem, quæ metropolis erat Judææ, & κυρίως Judæa dicebatur: non enim per hoc tempus in Tranſamnanâ regione erat: qui Jordanem tranſire, Jerichuntem præterire: illa apud Zachæum & alibi geſta, bidui ſpatio non poterat, cum quatriduanum excitaret. Inter eundum, ſignificat diſcipulis Lazarum obiiſſe, ſed obſcurius: phraſi tamen uſitatâ: *Lazarus dormit*: quod tamen cùm non intelligerent illi, διαῤῥήδην ait, *Lazarus mortuus eſt. ſed eamus ad eum*: nempè ſuſcitandum. Quo dicto, converſus ad condiſcipulos, Thomas ait, *Eamus & nos, ut moriamur cum eo*. Non Lazaro: ſed magiſtro & Domino: quem audierat, & meminerat, de morte, & cruce, non ita pridem, narrantem. ſunt ergo pleniſſima amoris, & fortitudinis verba: non autem puſillanimitatis, & timoris, ut quidam arbitrantur. et Chryſoſtomus inter eos.

7. Bethaniam ubi advenit, invenit Lazarum quatuor dies in monumento habentem, quem gloriose ſuſcitat: et maximum ex ſententiâ Auguſtini omnium miraculorum fecit. Quod videntes Judæi, qui plurimi convenerant Hieroſolymis, (erant enim ſorores, ut videtur, in magnâ apud illos gratiâ,) magnâ ex parte crediderunt. Quidam, abeuntes ad Phariſæos, certiores illos faciunt de miraculo. Perculit hoc malignantium concilium, ſacerdotes & Phariſæos, quod ingenti nominis ſui famâ, de excitato Lazaro, Jeſus per omnium ora ferebatur. *ſic plena maligno Afflantur vincta noto*. Occurrendum ſentiunt convocati & conſentientes invaleſcenti adeò exiſtimationi: et de medio, quovis modo tollendum. Rationes inter ſe conferunt. pauci primò: ſed principes nequitiarum, & architecti: familiaritate quadam, & propiore neceſſitudine devincti. Non legitur enim, Cõcilium illud magnum ſeniorum Sunedrin conveniſſe, & communi conſilio rem propoſitam tractaſſe. Futile eſt, quod ita prætenditur ab Annaliſtâ, quia præſidebat hic Caïphas, ſummus Pontifex. de *præſide*, nihil Euangeliſta: de Caïphâ, ut conſilium dante meminit: ſed intra privatos parietes, ubi res agebatur: convocatis ut fieri ſolet, cæteris, ad ædes Pontificias. Et falſum docuimus, Pontificem ſummum de jure ordinario præſediſſe illi Concilio. εἷς ἐξ αὐτῶν erat, non προεστώς. Unus è numero, pari cum cæteris poteſtate, non omnium princeps, & quaſi Imperator. Neq; opus erat, ut Judas, vel de iſto inito Concilio reſciſceret, vel quid in alio actum eſſet, cognoſceret, ut ſe conferret, quod fecit, actutum è convivio ad Concilium. Homo nequam, non omnes, ſed paucos convenit è ſacerdotibus, qui re cum pluribus communicatâ, forſan poſteà, ipſi cum illo, de 30. argenteis paciſcebantur, & tranſigebant. Collegerunt ergo Concilium Pontifices & Phariſæi,

Digitized by Google

Phariſæi, de ſuo grege malignantium. et dicebant, *Quid faciendum, quia hic homo multa ſigna facit?* Inde futurum eſt, ut credant in eum omnes tanquam in promiſſum Meſſiam, & venturum Regem: unde etiam futurum eſt, ut Romanorũ arma in nos devocemus, & gentem ἀνάστατον faciant. *Temporalia perdere timuerunt, et vitam aeternam non cogitaverunt. et ſic utrumque amiſerunt. Nam Romani tulerunt ab iis locum & gentem*, ut loquitur Auguſt. in locum. De Pontificibus Judaïcis, et illius anni Pontifice, dictum in Apparatu.

Ab illo ergo die, hac ratione moti, quærebant illum interficere. ſed & Lazarum inſuper quem ſuſcitaverat, quia propter eum, multi in Jeſum credebant. Dederuntq; mandatum, ut apprehenderetur Jeſus. Sed ille, quia nondum venerat, licèt in propinquo eſſet, *ipſius hora*, non palam ambulabat apud Judæos. id eſt, in aut propè Jeruſalem, ſed ſubduxit ſe remotius, & abiit in regionem juxta deſertum, in civitatem, quæ dicebatur Ephrem. et ibi manſit cum diſcipulis ſuis. Quæ fuerat, ubi ſita illa Civitas, non convenit. hæſit autem ibi, & in viciniis aliquandiu, uſq; dum in propinquo eſſet ſollennitas Paſchalis. ſex dies ante Paſcha venit iterum Bethaniam, ubi Lazarum ſuſcitaverat à mortuis. Fecerunt illi ſorores cœnam: cui Lazarus è convivis adfuit: Maria tempore cœnæ, nardo piſtico unxit pedes Jeſu, & abſterſit illos capillis ſuis. Murmurat hic Judas, de profuſo unguento tam pretioſo. Erat *hæc* inunctio per ſex dies ante Paſcha, illa altera in domo Simonis leproſi, per biduum. Mar. 13. Non ergo eadem fuit: licèt eadem utrobiq; Maria. ſed in propriis ædibus, pedes ungit, in Simonis, vicini ſui, caput Domini. hic de alabaſtrino vaſe, fracto, habetur mentio: ibi nulla eſt. Hic etiam murmurat, idem qui prius, Judas de effuſo unguento: idem reſponſum utrobique accipit. idem promiſſum mulier de facto commemorando per terrarum orbem univerſum. 8.

Poſtridie, die quinto ante Paſcha, de Bethaniâ Jeroſolymas profecturus venit Bethphage, villam Sacerdotum, ut Hieronymo placet; dictam à *Beth*, domus, & *phage*, maxilla. unde Græci, opinor, derivant ſuum φάγειν comedere. Huc cùm veniſſet, miſit duos è diſcipulis ut adducerent aſinam & pullum ad ſe: quo facto, ſtratis veſtibus in pullum, triumphalem ſuam profectionẽ Jeroſolymam verſus, auſpicatur, ſequẽte eum, & obviam ei procedente, ingenti multitudine hominum, ex iis præcipuè qui ſuſcitationi Lazari interfuerant. Turbis viã ſternentibus, part im veſtimentis ſuis, partim frondibus arborum virentibus, verſus urbem iter adornat, ſecundùm Prophetiam Zachariæ. 9. 9. omnia fauſta & fœlicia acclamantibus, & pleno ore Hoſanna intonantibus: de quâ voce & ſignificatione, ſatis multa Interpretes, & Exercitator. In deſcenſu montis Oliveti, unde proſpectum latè Jeruſalem petere poſſet, ubi primùm in oculos incurrebat, flevit ſuper eam, prævidens, & prædicens ejus excidium & ἐξολόθρευσιν paulò poſt futuram. Pergens cum talium pomparum ferculis, ingreditur triumphans quaſi, Civitatem, uſque ad templum. accurrunt undique ad ſpectaculum, novum et inuſitatum Cives, pueri, puellæ, 9.

omnes Phariſæi et Sacerdotes, qui non ita pridem de illo apprehendendo mandatum dederant, licèt invidiâ tabeſcerent, et vehementer fremerent, hiſcere tamen contra non audebant, metuentes turbam, tantum virus malignitatis ſuæ evomunt. *Videtis*, inquiunt, *quia nihil proficimus*. Et quid tum, ô inſenſati, πρὸς κέντρα λακτίζετε; dicendum, & cogitandum fuerat: *Digitus Dei eſt hic*, *Totus ecce mundus poſt eum abiit*. Quid maligne, de increpandis & inhibendis Euphemiſmis ſibilatis? *Audis quid iſti dicunt*, inquiunt? Cui reſpondet, hoc eſſe, quod prædictum erat, *Ex ore Infantium & lactentium perfeciſti laudem tuam*. Pſal. 8.

10. Templum ingreſſus, imprimis pro imperio purgat, & quaſi ἐγκαινίζει ejectis vendentibus & ementibus. quod & ipſum ἀρχόμενος τῆς διακονίας fecerat. Hinc acrius incenſi adverſarii novum ineunt, de perdendo eo conſilium: ſed fruſtrà: quia turbas metuebant, attonitas ad doctrinam, & ad miracula ſtupentes. Acceſſerunt enim ad eum in Templo, Matthæus ait, *Claudi & Cæci, & ſanavit eos*. et de doctrinâ, Lucas, *Omnis populus ſuſpenſus erat, audiens eum*. ſumma doctrinæ refertur apud Johannem imprimis 12. 21. per occaſionem oblatam de quibuſdam peregrinis, qui cupiebant videre Jeſum: de quibus Philippus & Andræas eum admonuerant. Hic iterum de *paſſione* prædicit. cujus ſermonis cataſtrophe illuſtris erat, voce de cœlo intonante, *Et clarificavi, ac iterum clarificabo te*. vocem audivere præſentes, ſed non articulatim intellexerunt. Hinc aliqui dicebant, Tonitrum eſſe factum. alii, allocutum eſſe Angelum illum. quibus ut ſatisfaceret, docet, non ob ſuam, ſed ipſorum cauſſam vocem illam veniſſe. unde brevis illa Concio Johanni cõmemorata: ſine fructu, in Gente perversâ & obdurata. Non enim credebant in eum, juxta Eſaiæ vaticinium. 53. non tamen omnes erant increduli: nam ex principibus multi credebant. ſed clam, non auſi profiteri fidem propter Phariſæos, ne ἀποσυνάγωγοι ejicerentur. Atque ita variis ſermonibus ille dies tranſactus fuit.

11. Cùm jam adveſperaſceret, abiit foras, è templo extra Civitatem, cum duodecim Apoſtolis: et abſcondit ſe: hoc eſt, ſubduxit ſe Bethaniam, ubi pernoctavit: apud ædes proculdubio ſororum & Lazari. Poſtridiè valdè manè exiit Bethaniâ, ἄσιτος, Hieroſolymas verſus. Cumque eſuriret, videns fici arborem unam (nam frugiferis arboribus abundabat mons Olivarum) ſecus viam, venit ad eam, & cùm nihil inveniret præter folia, interminatus eſt arbori, dicens, *Nunquam ex te fructus naſcatur in æternum*. ſingulare factum. Nec in totâ humanitatis diſpenſatione tale quid perpetraſſe memoratur. Quod eò magis mirandum, quia, ut præcisè apud Marcum legitur, *Non erat tempus ficorum*. Erat enim menſis Niſan, qui partim Martio, Aprili partim reſpondebat, cujus menſis Luna deciquarta, Paſcha Judæorum mactabatur. Ridiculum eſt ſanè, & tantum non blaſphemum, quod à quibuſdam affertur. Quaſi in Dominum ignorantia cadere poſſet, qui volunt, eum non cognoviſſe quænam arbor erat, putaſſeque, dum adhuc à longè eſſet, aliam fuiſſe arborem. quaſi Chriſtus neſcire

Digitized by Google

neſcire poſſet quæ arbor eſſet: et ſi ita: quaſi neſciret, quod notum Tonſorum pueris, nullam arborem tunc habere maturos fructus. Origenes allegoricè, nec ineptè, de Judæis interpretatur. *Venit in Bethaniam*, ait ille, Tract. 16. in Matth. *ad domum obedientiæ, id eſt, Eccleſiam, in quâ eſt etiam commoratus & requievit: eò quòd, non habebat Jeroſolymis ubi caput reclinaret; quæ talibus ſacerdotibus, & populo impio, erat repleta. Cùm autem requieviſſet in Bethaniâ, in domo Obedientiæ, poſt principium conſtituendi Eccleſiam, poſtquam repauſaverit aliquantulum in eâ, tunc revertitur in Civitatem, quam paulò ante reliquerat. et revertens eſurivit. et videns unam ficulneam ſecus viam, arborem: populum circumciſum: veniens ad eam, nullum fructum manducabilem invenit in eâ: ſed tantum ſpeciem vitæ. Folia enim ſine fructibus erant in ficu. Et quoniam arbor illa* (Judæi nempè) *erat animam habens, quaſi audienti dignam maledictionem ſuam dicit, Nunquam ex te naſcatur fructus in ſempiternum. id eſt, quàm diu ſtat hoc ſæculum præſens, nunquam ex te fructus naſcatur. Ideò infructuoſa eſt Judæorum ſynagoga. et hoc erit ei, donec intraverit Gentium plenitudo, ad conſummationem ſæculi: Et aruit ficulnea, adhuc peregrinante in hac vitâ Christo, & inter homines converſante.* Pergit ita porrò, & in templum venit de monte Olivarum.

Cum verò veniſſet in Templum, docebat ut pridie populum. Docentem interpellant iterum principes Sacerdotum, & ſeniores populi. et de facultatibus rogant. *In quâ poteſtate hæc facis? et quis tibi* 12. 21
dedit hanc poteſtatem? ζήτημα οὐ ζήτημα: niſi malitia obduraſſet cor eorum. Et oculos tenebræ obruerant. Quis enim talia facere poterat, ſi non in Digito & poteſtate Dei? Ille tamen directè non reſpondet, ſed per ἀντερώτησιν. *Ego*, inquit, *& vos ſciſcitabor, Quod ſi planè reſpondeatis, dicam & ego, quâ authoritate fretus, ego hæc facio. Baptiſmus Johannis, unde erat, de Cœlo, an ex hominibus?* non auſi affirmatè reſpondere, aiunt ſe neſcire unde. *Neque ego*, inquit, *dico vobis, in quâ poteſtate hæc facio.* Cepit deinde alloqui eos per parabolas. quarum prima erat, de duobus filiis, Judæis & Gentibus, miſſis in vineam. Alia, de vineâ Agricolis elocatâ, qui ſervos Domini miſſos ad recolligendos fructus, primum malè tractarunt: tum occiderunt, poſtremò ipſum filium interemerunt. Tertia de Rege qui fecit nuptias filio ſuo, & invitatis cum contemptu negligentibus. Quæ parabolæ Judæorum & Synagogæ interitum, & Eccleſiæ de Gentibus ſuſcitandæ ſubintroductionem ſignificabāt. Irritati hiſce parabolis Phariſæi & ſacerdotes cum vim intentare apertam non auderent, inſidias moliuntur, & irretitum periculoſis quæſtionibus magiſtratui eum civili tradere voluerunt. Mittunt ad illum diſcipulos cum Herodianis: de quibus diximus in Apparatu. Et quæſtionem proponunt, an Tributum Cæſari ſolvendum eſſet. ſi affirmaret, populum offenderet, qui nullo modo ferre poterant eam ſubjectionem. populo offenſo, & infeſto, crudelitatem in eum liberè exaturare poterant. Sin ut populo placeret, negaret dandum, crimen læſæ & violatæ majeſtatis incurreret.

incurreret. Chriſtus, cognitâ eorum malitiâ, *Quid*, inquit, *me tentatis Hypocritæ? Oſtendite mihi Numiſma cenſus.* Quo viſo, inquit, *Cujus eſt hæc Imago & Superſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris.* Tum ille, *Reddite*, inquit, *Cæſari quæ ſunt Cæſaris: et quæ ſunt Dei, Deo.* quo audito, confuſi abierunt. Diſcedentibus illis, ſubmiſſi introeunt Sadducæi: qui negantes Reſurrectionem, quæſtionem proponunt de ſepties nuptâ, & rogant, Cuinam è ſeptem, in Reſurrectione eſſet elocanda. Quaſi abſurdum hoc poſitum,& inſolubile ζήτημα, tolleret omninò Reſurrectionem. Hanc hæreſin refellit dupliciter. Primò, informatione rectâ, de ſtatu ejus. *In Reſurrectione, nec nubent nec nubentur.* ſecundò, intendendo ad fontem erroris. Nam quia Legem ſolàm recipiebant Sadducæi: et in Lege, nulla mentiò erat Reſurrectionis, ut illi ſaltem arbitrabantur, δεσμοῖς ἀλύτοις conſtringit homines, & docet, neceſſaria conſequentia Reſurrectionem ſub Lege contineri. *Ibi* enim ad Moyſen dicebatur, ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob. Exiſtebant ergo illi Patriarchæ, cum hoc pronunciaret Deus: alioquin haud diceret ſe, eorum Deum: Nam Deus eſt vivorum, non mortuorum. Non vivebant corpore, animo igitur vivebant. Quodſi animi vivunt, nec cum corporibus extinguuntur; erit ergo Reſurrectio. Ex hoc igitur loco os obſtruebatur Sadducæis.

13. Phariſæi audientes quòd ſilentium impoſuerat Sadducæis, iterum ex inſidiis eum adoriuntur, per Scribas,de maximo mandato. deinde toties propoſitis quæſtonibus tentatus, proponit iis ipſe, de Chriſto, quæſtionem, Cujus filius eſſet? qui cum Davidis, reſpondiſſent; regerit, quomodo tunc David eum Dominum vocat? cui non erant ſatisfaciendo. Hinc nata illi occaſio longiorem illum ſermonem inſtituendi de vitiis Scribarum & Phariſæorum. Eorum opera, nullatenus imitanda vult. doctrinam eatenus, quatenus ſedentes in Cathedrâ Moſis, Moſaïcam doctrinam promulgarent. Hæc è regione conſiſtens gazophylacii, docebat in Templo. Duplex autem erat apud Judæos. Primum horreum & ἀποθήκη decimarum & primitiarum, ad uſus & opus Sacerdotum, 2. Eſdr. 10. *Primitias ciborum noſtrorum, & libaminum noſtrorum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque & olei, afferemus ſacerdotibus ad Gazophylacium Domini, et decimam partem terræ, Levitis*, &c. Iterum, *Levitæ offerent decimam partem decimæ ſuæ in domo Dei noſtri, ad Gazophylacium in domo theſauri. Ad Gazophylacium enim deportabant filii Iſrael, & filii Levi, primitias frumenti, vini, olei.* Alterum Gazophylacium erat Arca, in quâ pecuniæ collectæ ſervabantur, ad Templi fabricam & reſtaurationem, *Tulit Joiada Pontifex gazophylacium unum, aperuitque foramen deſuper, et poſuit illud juxta altare; ad dextram ingredientium domum Domini. Mittebantque in eo ſacerdotes omnem pecuniam, quæ deferebatur in Templum Domini.* Non erat juxta Altare holocauſtorum; ut Barradius ait. Altare enim illud

Digitized by Google

lud in atrio erat Sacerdotũ, quo ſoli Sacerdotes & Levitæ intrabant. erat autem ἄβατον è plebe cuivis: imo & ipſi Regi: qui ultra mundorum atrium non progrediebatur. Introeuntes ſuis manibus pecunias mittebant in Gazophylacium. et hæc *vidua*, eo modo ſe gerebat. Erát ergo, vel in *atrio* Salomonis, quod potius reor, aut in mundorum ſaltem *atrio*. Atque hæc die quarto ante Paſcha acta ſunt, docente in Templo Servatore.

Exiens è Templo, ad veſperam, venit iterum Bethaniam pernoctaturus in itinere. Sermones injiciũt quidam de diſcipulis, de Templi magnificentiâ & gloriâ. ubi tria imprimis ſuggerunt; lapides, ſtructuram, & Anathemata: apud Lucam commendant, quod Bonis lapidibus & donis ornatum eſſet. apud Marcum: *Quales lapides, et quales ſtructuræ!* apud Matthæum, [illegible], ædificationes Templi: quæ omnia erant admirabilia. Erat hoc Templum ab Herode Infanticida exſtructum, ab anno regni 18. vel ſecundum aliam Epochen 15. ad 27. abſolutum ferè quinque annis, ante Chriſtum natum. Erat altitudinis cubitorum centum & viginti. Salomoniaco par. latitudinem habuit viginti cubitorum, longitudinem centum. lapides erant pulcherrimi, ex albo ſaxo, & magnifici. pedes ſinguli in longitudine 20. habebant. in altitudine 12. Erant ibi Oraculum vel Sanctum Sanctorum. ſed vacuum. nam Arca fœderis, Cherubini propitiatorium adumbrantes, virga Aron, Mannæ olla, tabulæ Legis per Deum exaratæ, quæ in priori fuerãt Templo Salomoniaco, per Chaldæos erant omnia exuſta: quæ reparari non poterant. Ita in his inferior domus ſecunda domo primâ fuit. Huic proximum erat Sanctum: in quo unicum Candelabrum aureum, Menſa προθέσεως, Thuribulum, & Altare aureum Thymiamatis, non quod ex ſolido auro eſſet, ſed laminis aureis obtectum. proximum illi atrium Sacerdotum in quo Levitæ & Sacerdotes quotidiana litabant ſacrificia, ad Altare Holocautomatum. ſequebatur illud atrium mundorum in duo diviſum receptacula, pro maribus, pro fœminis: et exterius adhuc, quod in Salomonis Templo non fuerat, atrium Gentium. Joſephus in 2. cont. Apion. Quatuor porticus habuit Templum in circuitu. Et harum ſingulæ propriam ſecundùm Legem habuere cuſtodiam. In exteriorem, licitum fuit ingredi omnibus, etiam alienigenis. mulieres tantummodò menſtruatæ tranſire prohibebantur. In ſecundum verò atrium, cuncti Judæi ingrediebantur, eorumq; conjuges, cum eſſent mundæ. In tertium, maſculi Judæorum, mundi exiſtentes, atque purificati. In quartum, Sacerdotes ſtolis induti ſacerdotalibus. hoc eſt, ad miniſtrandum coram Domino. Inter atrium Gentium & mundorum, ſeptum erat ſaxeis cancellis, ad tres cubitos altis, tranſverſum. ubi æquis diſpoſitæ intervallis columnæ ſtabant, ait Joſephus, Legem munditiæ præmonentes, (aliæ Græcis, aliæ Latinis literis) in locum ſanctum alienigenis non liceret tranſire. idque fuit capitale. quod affirmat Lib. 15. Antiqu. cap. ult. & in 7. ἁλώσ. cap. 4. Titus ait. *Nonne vos cancello, ſanctum locum prætexiſtis? nonne literas Græcas, ac noſtras,*

inciſas

inciſas tabulis conſtituiſtis, quibus, ne ſepta cuiquam tranſgredi liceret edicitur? Nonne eos qui tranſiiſſent, quamvis Romanus quis eſſet, vobis necare permiſimus? Ab hoc atrio Gentium ad atrium mundorum quatuordecim gradibus aſcendebatur. de cæteris atriis ab invicem diſtinctis, alibi dictum ad ornatum quod attinet & anathemata.

15. *Exterior facies*, ait Joſephus, *nihil non habuit, quod non oculus aut animus mirarentur*. auro, aut argento radiabat: ubi auro non fulgebat, candidiſſimum erat: ita ut, Hoſpitibus adeuntibus, ait ille, procul monti nivi pleno, ſimilis videretur. Nam ubi deauratum Templum non erat, candidiſſimum erat. In ſummo autem, aureis verubis horrebat acutiſſimis, ne ab inſidentibus aviculis pollueretur. Interior gloria erat, è donariis multiplicibus, magni pretii, Deo dedicatis. erat quaſi quoddam commune ταμιεῖον, depoſitis recipiendis, erat ibi vitis aurea, menſa aurea & Cryſtallina: cæteraque à Joſepho commemorata paſſim, fidem excedentia. Multitudo, Ordines, Majeſtas ſacerdotum, ſacerdotum veſtitus hyacinthini, aurei, picti, palmati, Ephod, ſuperhumerale, rationale. hæc & multa alia. Hæc inter eundũ ſermonibus ferebant. in aſcenſũ autem mõtis Oliveti, ubi conſediſſet, in conſpectu Templi, Petrus, Jacobus, Johannes, Andræas, ulterius interrogant, de tempore illius, quam dixerat, deſolationis, *Non relinquetur lapis, ſuper lapidem*. Nec non de fine & conſummatione ſæculi, et ſigno, ſecundi ſui adventus. Quæ omnia, quia quodammodo relativa ſunt, ab illo ita ἀναμὶξ hic recenſentur, ut vix diſcerni queat, quid, cui referri, vel adhærere debeat. Concludit autem hanc diſſertationem duabus parabolis, ad rem appoſitis: altera, de decem virginibus quæ acceptis lampadibus ſuis exiere obviam venienti ſponſo: quarum quinque prudentes erant, totidem fatuæ, ab oleo imparatæ: atque ideò à thalamo excluſæ manſerunt. Altera, de homine in longinquas regiones peregrinaturo, qui bona ſua ſervis per Talenta, quinque, duo, unum, diſtribuit: qui tandem reverſus, cum rationem repoſceret, unicuique pro merito retribuit. atque ita conſummati ſunt dies diſpenſationis Chriſti. nam poſt biduum futurum erat Paſcha in quo crucifigebatur. Biduo autem ante Feſtum Paſchale, nimirum feriâ quartâ, *Wenſday*, iterum prædixit Jeſus diſcipulis ſuis inſtare jam tempus, de quo ſæpiùs admonuerat eos, cùm à Judæis & Gentibus occidendus eſſet. Et tunc, ut habetur apud Matthæum, Principes Sacerdotum, & ſeniores populi in ædibus Caïphæ Pontificis congregati, conſilium inierunt, non de occidendo Jeſu, nam id dudum ſtatuerunt, ſed de modo capiendi & occidendi illum, ut ſine tumultu, aut ſeditione fieri poſſet: unde viſum tutiſſimum, ut clam interceptum, de capite poſtularent. Hoc dum agitant: quia Dominus non eo die, ut pridiè et nudiuſtertius Bethaniâ, Jeroſolymas contenderat, nec in templo publicè doceret, ſeceſſit à ſodalitio Judas, quem fortè diu ante Diabolus tentaverat, tunc pleno conſenſu in proditionem delatus, ſacerdotes adit, pactâque pecuniæ

ſummâ, operam ſuam pollicetur, & traditurum Jeſum ſine tumultu, quod & præſtitit. Et hinc emanavit, inquit Torniellus, illa vetus Fidelium conſuetudo, quæ etiam nunc apud multos religioſos aliosque devotos utriuſque ſexus homines (etiam & apud Anglos ex edicto Divæ Elizabethæ, licèt in politicum, non Eccleſiaſticum finem ſancito) ſtudiosè obſervatur, jejunandi, vel ſaltem ab eſu Carnium abſtinendi, feriâ quavis quartâ, ob venditionem Chriſti eo die factam: et initum à Sacerdotibus pactum de occidendo Jeſu.

Eodem die, dum verſatur Bethaniæ, invitatus ad cœnam, à Simone leproſo, Maria Lazari ſoror, quæ prius in ædibus ſuis Chriſti pedes unguento pretioſo proluerat, & capillis ſuis abſterſerat, eo acceſſit, habens alabaſtrum nardi piſtici, & fracto vaſe, in caput effudit, decumbentis. hoc facto offenſi diſcipuli, murmurabant: non omnes, ſed Judas avaritiâ incitatus: qui pretium unguenti illius venditi in ſuos loculos derivare cogitaverat. Factum probat Chriſtus, et mercedem pollicetur. *In toto mundo dicetur hoc quod fecit mihi.* Quod ſcimus ſortitum effectum ſuum. Judas, ut videtur offenſus quia hanc offam ſibi excuſſam viderat, captat aliam: et Sacerdotes adeuns, *Quid vultis mihi dare? & ego tradam illum vobis.* in manus nimirum, ſine turbis, tumultu, ſeditione. et conſtituerunt illi triginta argenteos, hoc eſt, ut volunt, decimam partem trecentorum aureorum, quos ſpe de unguento vendito devoraverat. Volunt enim quidam, ſed ἄδηλον eſt, Judam ταμίαν, furari ſolitum *decimam* partem eorum omnium, quæ Chriſto & diſcipulis donabantur, ac in ſuos proprios uſus convertere. ita Torniellus. ſed quo authore? Vox Euangeliſtæ eſt, ἀργύρια τριάκοντα. Interpres vertit, *triginta argenteos:* ſcilicet nummos. qui & varii erant, & diverſi valoris, atque pretii. Quales ergo erant, & cujus pretii, non convenitur. Imò itur in diverſas ſententias. quatuor aut quinque recitari ſolent, nec veritas certa eruitur aut ſtatui poteſt, cum nummus τῷ νόμῳ conſtet, & ab hominum & temporum æſtimatione pendeat; et, quod quotidiana experientia docet, vel augetur, vel diminuitur, prout è rationibus reipublicæ fuerit. unde Themiſtius τῷ ὀνόματ☉ ἀσσὴρ καὶ νομίσματ☉ μεθίστησιν ἡ δύναμις. ſed de pondere in ſecundis agitur. valor à materiâ æſtimatur. æs enim grave, quod vocabatur: & quo ſolo, ante Pyrrhi ſæculum, Romani utebantur, exiguo auro vel argento compenſabatur. de Spartanorum uſu, Plutarchus in Licurgo. πρῶτον ἀκυρώσας πᾶν νόμισμα χρυσοῦν καὶ ἀργυροῦν, μόνῳ χρῆσθαι τῷ σιδηρῷ προσέταξε. καὶ τούτῳ δὲ, ἀπὸ πολλοῦ σταθμοῦ καὶ ὄγκου, δύναμιν ὀλίγην ἔδωκεν. ὥστε δεκαμναῖον ἀμοιβὴν, ἀποθήκης μεγάλης ἐν οἰκίᾳ δεῖσθαι. Quæritur igitur, de pondere & valore: ubi primum, utrum Romani an Judaïci nummi fuerant? Erat enim, & eſt Character Majeſtatis, Imperii, Dominii nummos ſignare. et apud Judæos Cæſaris Imago, & Inſcriptio, quod verum novimus ex Euangelio, Nummis in Judæâ imprimebantur. idque ſtatuendum omninò videtur Romana numiſmata fuiſſe argenteos triginta, pro quibus Chriſti caput ſcelerato judicio damnabatur,

Digitized by Google

damnabatur, non Judaïcos. Quocirca qui ſiclos fuiſſe volunt, errant opinor. Agnoſco ſiclos (quod nomen & ponderis eſt, & nummi) apud Hebræos argenteos fuiſſe. Quin proprium argenteum nummum apud eos, præter ſiclum, nullum fuiſſe. Erat autem ejus forma rotunda, habebat ex unâ parte, *vaſculum* inſculptum, quo *Manna* continebatur, in Sanctuario. hoc eſt, Gomor, cum Inſcriptione, *Shekel Iſraelis*. ex alterâ parte habebat expreſſam *virgam* Aaronis amygdalinam: quæ & ipſa in Sanctuario reponebatur: unde dicebatur *Shekel Sanctuarii*. Quamvis, in rebus ſacris; ad Deum, Pietatem & Religionem pertinentibus, *duplex* pondus aut valor communi aliàs ſiclo adſcribebatur. Pondus ſicli præcisè ſemuncia æſtimabatur. hoc eſt, quatuor drachmis Atticis. Σίκλος τετράδραχμον Ἀττικόν. et Hieronymus ad 4. Ezechiel. *Siclus, id eſt, ſtater, habet drachmas quatuor*. ita ſtaterem ſolvit Petrus pro ſe & Domino: hoc eſt, duas didrachmas. Ita valet Siclus de noſtrâ monetâ, duos ſolidos & ſex denarios præcisè. Triginta ſicli æſtimantur tribus libris & quindecim ſolidis: Quo pretio Chriſti Caput æſtimabatur: ſi ſecundùm illam Judaïcam rationem æſtimabatur. Aut ſi juxta rationem Sanctuarii æſtimatio fuerat, ſeptem librarum fuit & decem ſolidorum. ſed quod dixi, non conſtat fuiſſe ſiclos, hos argenteos: hoc eſt, Judaica numiſmata: quæ Romana fuerant. Nec vilitas pretii, quod objiciunt, movere debet, ut non putentur *ſicli*. ſatis enim magnum pretium emendo agro, qui nec nimis fortaſsè magnis, nec multum utilis, arenoſus utpote & ſabuloſus: ſed tantum, quod non ſiclis venundabatur. Neque hoc movere Baronium debuit, ut à communi opinione recederet.

17. Baronius enim, opinatur, ſingulos argenteos appendiſſe libram unam: hoc eſt, uncias duodecim argenti: hoc eſt, *juxta æſtimationem factam* ccc. lx. unciis argenti *Chriſtus* vendebatur: ſi uncia quinque ſolidis & ſex denariis æſtimetur, immanis ſumma videbitur eſſe. ſed tamen nihil abſurdi continebit. Nam Pontificum in Servatorem odium, Judæ proditori ſatis cognitum, non niſi aliquâ grandiori ſummâ datâ, explendum erat. Præcipuè ubi licitator totus erat ut rem ſuam faceret, & non niſi cariſſimo conductus pretio, facinus illud infame & immane patraturus videbatur, ut Dominum proderet. Trecentis aut quadringentis libris, minoris momenti, odii, deſiderii, actiones compenſari ſolent. Tertio videntur rem ad concilium retuliſſe: quod non feciſſent, ſi pretium tam exiguum poſtulaſſet. conventum eſt enim inter partes, ut triginta argenteos acciperet. Nec inania ſunt, augendo pretio Baronii argumenta; urget ille agrum illum tantillo non fuiſſe vendendū, quam ſunt triginta argentei denarii, ſeptem librarum & 10. ſolidorum, cum & ampliorem oporteat fuiſſe ſepeliendis peregrinis, qui plurimi ſolebant commeare, deſtinatum. & faciendis fictilibus, quæſtuoſiſſimè, inſerviret. et tam propinquus Hieruſalem, ut fieri ſolet, juxta magnas urbes, non vili

vendere-

vendereur. Et poſtremo Rabbinorum teſtimonio confirmat: qui docent, ſi hæc vox, Argentei reperiatur in Lege, ſignificare ſiclum; ſi in Prophetis, libram; ſi in hagiographis, Talentum. At cum ἀργύρια hæc τριάκοντα in Propheta nimirum *Jeremia*, memorentur, totidem uncias ſignificabant; reſpondent Rabbinis, non niſi in Grammaticalibus inſiſtendum. rectè ſi viri docti vel approbarent dictum, vel hoc effato circumſcriberent Rabbinorum uſum quod non faciunt: ne author quidem hujus exceptionis. Et ſi obtineret hæc limitatio, tamen Baronium non oppugnat: eſt enim purum putum grammaticale. Mihi ergo Baronij ſententia probatur quoad valorem. an vero ſicli erant argentei, non perſuadeor, ἐπέχω. Atq; ita Chriſtum deduximus ad Paſchalem σωτηρίων feſtivitatem. de quo multæ multipliciter contendentes proferunt viri doctiſſimi ex utraque parte, Maldonatus, Scaliger, Calviſius, Bulengerus, alij, magnis involuta difficultatibus nec expediendis. Quiſque abundet in ſenſu ſuo: vix tangunt Origines Eccleſiaſticas: et ſi vel maximè tangerent, non poſſumus aliquid ad ea adjicere quæ jam dicta ſunt, quocirca, κείσθω.

Non curamus igitur de anticipato, vel non anticipato paſchate. Evangelicam Hiſtoriam intueamur. Venit dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. Dicunt igitur ei Diſcipuli, ubi vis paremus tibi Paſcha? Mittit ergo duos, *Petrum* nimirum et *Johannem: ut diligens et dilectus, ait* Theophylactus, *ut ſummâ conjuncti, potius, amicitiâ. Vt alias in privatis rebus adhibiti*, mittuntur *Jeruſalem.* Nam ex Lege, *Deuter.* 16. *Non poteris*, dicitur, *immolare Phaſe, in qualibet urbium tuarum, ſed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus.* Manè mittebantur. Nam apparandus erat Agnus, qui ad veſperam comedebatur. Ite inquit, πρὸς δεῖνα ad quendam, quem non de nomine citat, ſed ita περιφράζει, ut errare non poſſint. Euntibus vobis in Civitatem, occurret homo amphoram aquæ bajulans. Sequimini eum, in domum in quam intrat, et dicetis Patrifamilias domus, *Dicit tibi Magiſter, ubi eſt diverſorium, ubi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem?* Duæ perſonæ, πανδοχεῖς. Nam in publico diverſorio excipiebatur, et aquam bajulans, viæductor, καὶ πρόδρομος ad eam domum. Quærunt hic quis erat ille Paterfamilias. Reſpondent primo laxius, fuiſſe *Diſcipulum:* at non probant. Conjectant, quia tam facile admiſit. Futile. Nam ſi Diſcipulus fuiſſet, dicerent illi, *Hæc ait Magiſter noſter.* Fuiſſet *Petro* & *Johanni* notus. Aliquid indicaſſet unde ſe proderet. Nam quod tam facile admiſit: nec illud in cauſâ fuit. Nec cum *Chryſoſtomo*, advocanda Divinæ operationis aliqua vis, quæ cor inclinâſſet ejus ad receptionem: erat domus publicum diverſorium, et Dominus ille domus, πανδοχεύς. Recentiores Græculi, domum fuiſſe ipſius Johannis volunt: ſed non tunc temporis, nam venditam fuiſſe Caiphæ ſacerdoti. Nicephorus Calliſtus lib. 1. cap 28. 18.

δεσπότης ἐπὶ τούτοις ἡυτρέπισται, ἐν τῇ οἰκίᾳ, ὥς φασιν, Ἰωάννου Εὐαγγελιστοῦ. Baronius in hac Hiſtoria egregiè hallucinatur, aït enim; *An apud Johannem Dominus noſter, hoc anno celebraverit Paſcha, dubium valdè redditur. quod Lucas ſcribit ipſum Johannem, cum Petro miſſum ad perquirendum, ubi Paſcha parandum foret.* Itane dubitatur, ſi Lucas ſcribat. ubi illa πληροφορία ſcriptoribus debita θεοπνεύστοις, ſi dubium aliquid reddatur, quod ab ipſis ſcribitur. Meritò hæc exagitat, Exercitator. Qui et illud ipſe de Nicephoro animadvertere debuit: non affirmari ab eo, quod et ipſe, et Baronius arbitrabantur Johannem tunc dominum illius domus fuiſſe. nec pronunciat id Nicephorus, quod narrat, tantummodo refert quod invenerat. ὥς φασιν, ait, aliqui nempe, quod verum eſt. nec Johannem tunc dominum illarum ædium: ut ita Johannes in ſuis ædibus apparaverit. et præciſè concludit, περὶ δεσπότην ἐκεῖνος, verba ſunt Nicephori, τὴν προσοῦσαν κτῆσιν ἀπεμπολήσας ἐν Γαλιλαίᾳ, Ἄννᾳ, τῷ τηνικαῦτα τῆς Ἰουδαίας ἀρχιερεῖ. ὠνήσατο, καὶ γνωστὸς ἐκείνῳ ἐτύγχανεν ὤν, ἐν τῇ προσοχῇ τῆς Σιὼν ἐκτήσατο. ἐκεῖ δ' οὖν οἱ μαθηταὶ πρὸς τὸν δεῖπνα, &c. Ita παραληρεῖ Annalium ſcriptor: et παρατραγῳδεῖ Exercitator. et errat interpres etiam Nicephori, qui intelligit Johannem poſſeſſione ſua divendita quam in Galilæa poſſidebat, Annæ, has ædes, juxta Sion coëmiſſe. Inepte hoc vult Calliſtus. Johannem adhuc in Galilæa exiſtentem, ubi ſatis amplum patrimonium poſſidebat, haſce ædes juxta Sionem ſitas Annæ vendidiſſe. Nec perſuadet Ambroſius, quia non nominatur, pauperem fuiſſe; potius divitem. cum pauperes ἀνώνυμοι ſint plerumque quia apud Deum magni. Sanè pauperem non fuiſſe oſtendit id, introduxit eos in ἀνώγεον μέγα ἐστρωμένον ἕτοιμον. ſed multa hic ineptiunt recentiores cum Græci tum Latini, audaciùs pronunciando de ijs quæ obtexit *ſpiritus ſanctus*.

19. Veſpere autem facto, venit in cœnaculum cum Diſcipulis ad comedendum paſcha, per Petrum, et Johannem apparatum, et diſcumbebat. multa hic literatores, de diſcubitu, Triclinio, et convivandi ratione. de quibus Ciaconius, Urſinus, Mercurialis, alij. Vetus interpres Bibliorum uſus eſt voce Triclinij, in hiſtoriâ Saulis, 1 Reg. 9. hinc concludunt aliqui vetus eſſe nomen illud Triclinij: antiquum etiam uſum apud Hebræos in Triclinijs diſcumbendi, Exercitator hic advertit, ſi hæc obtineat ratio, Deus vox erit Hebraica, eò quod vetus interpres ea voce utatur in Hebraico textu explicando, enarrandoque. addo, et phraſis et mos ille triumphandi Romanus, a Judæis uſurpabatur. Nam vetus interpres illa utitur Ezech. 22. 5. Hylactor hic eſt in Exercitatorem Bulengerus, Neq; modeſtia inquiens, nec candore quo par erat, uteirs in Baronio exagitando. At quæ acroamata ferunt aures illæ tuæ delicatulæ? nemo verbo brigoſo, ut loquuntur barbari, utitur. at quæ eſt tua modeſtia in iſtis? *Fidem ſuam Caſaubonus mutare dudum didicit, in gratiam regis Angliæ,* Modeſtiſſime virorum et candidiſſime: ubi charitas? ubi color

vir

Digitized by Google

viri boni? φιλοθέῳ γνώμῃ κεχρημένος, φιλανθρώπῳ φωνῇ, uterere. Quæ eſt illa modeſtia, qua auſus es, homo nullius pretij, rei, momenti: terræ fillius neſcio quis ex Jeſuita murcus, murcidus cucullatus aſinus, ſemidoctus literator, Theologaſter ſtultus, ſtercoreâ tuâ linguâ, cacato calamo, carcinoma, apotrimma, peripſema probitatis, pudoris, modeſtiæ, unctum Domini Jacobum τὸν πάνυ fœculento tuo ore, niſi τρὶς ἀπομαξαμένῳ, non uſurpandum, velut è plauſtro inceſſere et καταπλύνειν, quaſi Ecebolium, verſipellem, verſatilem, pietatis deſultorem, omnium Fidium et Confeſſionum ſectiſtam, tam falſò, quam nequiter et impudenter mentiri, in cujus gratiam ſcilicet exercitator in omnes formas Pietatis ſe transformet. Narro tibi μεγαλοψυχητά σου, ut Angelum Domini, ita fuiſſe beatæ memoriæ Jacobum τὸν πάνυ. in religione μονοπρόσωπον dum viveret, ut cum Juſtino loquar. ἄκμωνα ἀνήλατον, ut cum Nazianzeno ad finem et exceſſum uſque τὸν τρισπόθητον, τρισμακάριστον, ὀλβιοδαίμονα. Mi homo τρισκαιδεκάπηχυ, pietatem et religionem principis et Domini mei multis nominibus de me dum viveret meritiſſimi, age exagita, convince ſi potes, profiteor me in cauſa adverſarium, cum nuſquam nunquam à Chriſti, Chriſtianâ, majorum fide vel κατὰ μείωσιν, ὑπεροχὴν, στρέβλωσιν receſſiſſe. Sed progredior, cum jam ſic litavero pijs manibus, nec modeſtiam tuam immodeſtam ulteriùs demoror.

Bellarminus accedit in partes, qui ſimili quodam emblemate, 20.
virmiculavit ſua ſcripta de *Purgatorio*. Scriptum eſt Gen. 23. *ſurrexit ab Officio funeris Abraham*, hoc eſt, a procurato funere *Officium in*
conjugis ſuæ Saræ. Quod ſecundum Hebraicam veritatem Lxx. *ſacris.*
tranſtulerunt, ἀπὸ τοῦ νεκροῦ. Controverſor imaginatur Purgatorium hoc in loco inſinuari; eo quod hodie Latinis auribus, vox illa *Officium*, Sacrificium pro mortuis, Orationem, cum jejunio et Eleemoſynis pro defunctis ſolent adhiberi. Huic tibicinem apponunt. Officia Pietatis exercuit, laxiore ſignificatione. Inter illa officia reponitur, quod ſine dubio Abraham uxoris animam Deo commendabat. Quid ſi reſpondeatur, Non commendaſſe, quippe quod non erat opus? ſecundò: ut ita eſſet, Non probat Purgatorium. Non enim, quod tamen vulgo præſumitur, à precibus conceſſis pro defunctis, infertur Purgatorium.. Orabant frequenter pro defunctis, qui non cogitabant de Purgatorio. ὡς ἠλιθίως id infertur! David pro Saule & Jonathane jejunabat. Eſto: ſed non Orabat. aut τοῦ χεῖται; ſed Theodoretus Purgatorium probat. Quid à Davidis jejunio, luctu, officio Abraham? haud certè ad illa Pauli διαβῶντα *ſalvus erit, tanquam per ignem* ſcribit, τοῦτο τὸ πῦρ εἶναι πάνυ ... καθαρτήριον, ᾧ αἱ ψυχαὶ καθαίρονται, ὥσπερ ὁ χρυσὸς ἐν χωνευτηρίῳ. Obſecro te, ubi hæc reperiam apud Theodoretum? Nos commentarios hoſce Latinè tantùm legimus, non Græcè. Latinè verſos, non ab hæretico aliquo homine: ibi, nihil hiſce allatis ſimile, vel ſecundum. Sed ut lectionem illam neſcio cujus codicis admittamus, πῦρ καθαρτήριον, non ſtatim ſuccendet fornaces

Digitized by Google

purgatorios. Eſt ignis Purgatorius per metaphoram, tentationum et afflictionum in præſenti vita. Eſt Purgatorius, in extremo judicio, conflagrationis: hunc volunt Græci in Concilio Florentino; illum, Theodoretus καθαρτήριον. Ignis Baſilij ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι, alius eſt ab eo quo hypocauſtæ calfiunt Purgatorij. Ille, quem vultis Purgatorium, a diſputantibus, in Florentino Concilio dicitur, hujus eſſe ſæculi. at infernalis eſt τοῦ μέλλοντος. Eſt et alius ignis Purgatorius apud Baſilium, nempe Divini amoris in cordibus noſtris accenſi, poſt Confeſſionem peccatorum, quo et illorum relliquiæ, et omnia noſtra χόρτον et ſarmentitia, atque ſtraminea, comburuntur. atque ita Baſilius locum illum πολυθρύλλητον 1 Cor. 3. Interpretatur. Idem Baſilius ad Cap. 6. Eſaiæ illa verba, *Et in manu habebat carbonem*, ait; *Quod ad Hiſtoricum ſenſum attinet, in ſpeciem videtur verba facere, de Altari in Templo, unde Seraphin accepit carbonem forcipe in manum ſuam ab altari holocauſtorum. Re autem verâ, quoniam ritus ille quo Deus apud Judæos colebatur ſubſerviebat exemplari et umbræ cœleſtium, cœleſte quiddam inſinuare intelligendum eſt, Altare illud, nempè locus, luſtrandis animabus deſtinatus*. Purgatorium oleret, niſi quod neſcio qua ἀπειροκαλία apud infernum collocatur Purgatorium. at Baſilius, ſuum luſtratorium apud ſuperos diſponit: è quo Ignis ille purificativus (ita enim reddunt, non Purgatorius, καθάρσιον πῦρ: et Interpres ille, non ſemper ſatis fidus, vel intelligens, è Carthuſiâ Tillmannus, bonum factum vapularet) per illas virtutes, eximiâ ſanctitate præditas, elicitur. ſed ſequentia Baſilij mentem plenius docent. *Tali igne cor Cleopæ et Simonis* (intelligit duos Diſcipulos Emauntem euntes per Purgatorium) *inardeſcebat, Domino Jeſu ſcripturarum ſenſum et intellectum reſerante. Conſimili huic etiam igni incaleſcit cor ſpiritu ferventium*, Hoc eſt, Baſilij Purgatorium. Quod Nazianzeni teſtimonium attinet, reſpondeo, loqui illum de igne Conflagrationis, qui accendetur, cum deferbuerit Purgatorius, quo æternum impij cruciabuntur, qui τῷ πυρὶ βαπτισθήσονται τελευταίῳ. ſed Purgatorium diſcutimus deinceps, ubi Annales Camerinam hanc infernalem movebunt. Interim Bulengerus ab igne tranſiliat in aquas, quemadmodum moris eſſe aiunt in Purgatorio: de lotione pedum; a qua Cæremoniâ Baronius cœnam ultimam auſpicatur: malè, inquit Caſaubonus. et rectè ita inquit, cum ſurrexerit à menſa habet Evangeliſta, et accinctus mantili, lavare pedes eorum inceperit.

Ignis purgatorius.

21. Poſtquam enim Dominus cum Apoſtolis ſuis ſtans, et accinctus, juxta Legis præſcriptum, agnum Paſchalem comediſſet, in menſâ diſcubuit, et alios apparatos cibos ſumpſit. neque enim illud lege vetitum erat: quin in communi Judæorum uſu poſitum. Inter cœnandum ſurgit a cœnâ Dominus, quod Johannes narrat ſolus et ponit veſtimenta ſua: et cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe. deinde mittit aquam in pelvim, et cepit lavare pedes Diſcipulorum. Accurata, et particularis deſcriptio: quocirca

circa, magni alicujus momenti. Imprimis, quod ſurrexerit a cœnâ, Oſiandri commentum refellit, qui pedes Apoſtolis ablutos cenſet ante agnum paſchalem comeſtum. Quid enim, ſi crebris lotionibus Judæi utebantur, nec comedebant niſi loti? Hoc erat inſtitutum Phariſaicum: et ab ipſo Domino alias, quod conſtat ex Euangelio, neglectum. ubi carpunt quod illotus comederet. Secundò, non erat hæc ceremonia lege injuncta in comeſtione agni Paſchalis: cum aliæ omnes requiſitæ recenſeantur. et inſtitutionis cauſæ repugnare videtur, quæ erat, quod extruſi et impulſi adurgendo, ut abirent, ſpatium non dabatur alicujus apparatus. ſed et fallitur author ille quisquis erat, qui ſub nomine Cypriani, de *Lotione pedum* ſcripſit, qui peractam hanc rem ait poſt ſacramentum Euchariſtiæ inſtitutum et Judæ abitum. Quæ omnia falſitatis convincuntur ab Euangelio. nec facit quod apud Euangeliſtam habetur, *Cœnâ factâ ſurrexiſſe.* Nam Euangeliſta ſcripſit, δείπνου γινομένου, cum *Cœna eſſet*. Id eſt, inter cœnandum. vetus Interpres legit γενομένου. cum Cœna facta eſſet. ſed & illa acceptio et lectio, non concludit. Non magis quam quod alibi ait, poſt octo dies, cum veniſſent ut circumciderent, infert, contra Legem die nono; et non octavo circumciſum. Certè cœna peracta non fuit. Nam poſt perfectum hoc miniſterium, recumbebat: comedebat, ſacramentum inſtituit. Judæ offam porrexit, ille exivit ad ſacerdotes: hymnum cecinerunt. *Non ergo debemus intelligere*, ait Auguſt. Tractatu 55. *Cœnam factam veluti jam conſummatam, atque tranſactam. adhuc enim cœnabatur cum Dominus ſurrexit, et pedes lavit Diſcipulis.* Nam poſtea recubuit, et buccellum ſuo traditori dedit, utique cœnâ nondum finitâ, dum adhuc panis eſſet in menſâ. Quod vero ait factum poſt diſceſſum Judæ: id ita non arriſit alijs, ut lotionem a Juda incepiſſe velint. Theophylactus, ὁ πρῶτον τὸν Πέτρον νίπτει, εἰ καὶ τὰ πρωτεῖα τῶν μαθητῶν ἐφέρετο, ἀλλὰ, τάχα ὁ προδότης ἰταμὸς ὤν, καὶ ἀναίσχυντος πρὸ τοῦ Πέτρου κατεκλίνετο, καὶ τοὺς πόδας ἐνίψατο. Sequebatur ille, ut in pleriſque Chryſoſtomum, qui ait, credibile eſt Judam ante Petrum Apoſtolorum principem diſcubuiſſe impudenter: ideoque prius lotum: *Apparet*, inquit Euthymius, *quod primum laverit pedes Iſcariotæ. ſimul quidem beneficio afficiens, ac honorans proditorem ſuum uſque ad mortem, ut nos ſimiliter faciamus: ſimul compungi illum volens qui talia cogitaret.* Probabilior opinio, quam illa Origenis, qui Judam præſentem, ſed non lotum putat. quam Auguſtini, qui Petrum vult primum fuiſſe lotum. Cœpit enim lavare pedes Diſcipulorum, et poſt hoc inceptum, venit ad Petrum. ὥστε δῆλον, inquit Theophylactus, è Chryſoſtomo; ὅτι οὐ τὸν Πέτρον πρῶτον ἔνιψεν. οὐ γὰρ ἂν εἶπεν, ὅτι ἔρχεται πρὸς τὸν Σίμωνα Πέτρον, εἰ μὴ ἄλλον τινὰ πρὸ τοῦ Πέτρου ἔνιψεν. Probabile eſt à Johanne incepiſſe, qui in ſinu ejus recumbebat: nam cum in orbem diſponerentur convivæ, à loco vacuo erat auſpicandum. In referenda hac hiſtoria, præciſè notatur, poſuiſſe Dominum veſtimenta ſua. Quænam illa? an omnia? ita ut interulâ ſolâ

De Lotione pedum.

Digitized by Google

accinctus lotionem perageret. ita ſenſit Origenes; ſed fruſtra. an nonnulla, pallium, aut togam, aut de ſuperioribus indumentis quædam. Nam quinque amictus erat ſecundum aliquos, Euthymius ait: ipſe tribus arbitratur Baronius, quaſi Dominus in Capitolio cœnaret: aut fortaſſe, quod finxit, in Triclinio, de more Romanorum, cœnatoriâ veſte indutum ſomniat, et illam non aliam, ſepoſuiſſe in lotione pedum. Quod ridiculum videtur, vel Bulengero, harum rerum callentiſſimo. Veſtimentum depoſitum ordinarium fuit, eo quo amiciebatur quotidie. Quod diviſum non fuit, ſed ſorte diſtributum inter milites poſt crucifixionem, Tunica talaris, inconſutilis. Cæteræ Circumſtantiæ manifeſtæ ſunt. Porro hanc Chriſti actionem et ſummam humilitatem, annua repetita memoria Reges Angliæ celebrant. qui feria quinta, *Maundy thurſday* vocamus, pedes tot pauperum, quot ipſi annos nati ſunt, vel per ſe, quod olim obtinebat, vel per Eleemoſynarium quod ſuperinductum eſt, lavant, linteo abſtergunt: veſtimento, calceis, nummis, cibo, pane, potu reficiunt, et amiciunt. Ait enim Chriſtus *exemplum dedi vobis.* Hoc peracto revertitur ad locum ſuum.

21. Poſtquam iterum Jeſus diſcubuerat, Turbatus eſt ſpiritu, ἐταράχθη τῷ πνεύματι. Quorſum vero? et qua ἀπαθείᾳ, doloris ſcilicet et commiſerations ipſum Judam miſerando: ita ſentio cum Auguſtino, turbatus eſt. Nam ex illo affectu flevit ſuper Jeruſalem. et cum ſciret, væ æternum Judæ præparatum, animo, licèt non oculis ſuper illum flevit, ἐννοήσας ὁ κύριος, inquit Theophylactus, ὅτι ὁ προδότης ἑκατέραν ἐστέρηται, ταράττεται τῷ πνεύματι, τουτέστι, λύπῃ βάλλεται τὴν ψυχήν. Bonus enim paſtor, de unâ ove perditâ angi ſolet. *Ipſe Dominus*, ait Auguſtinus, *in formâ ſervi agere vitam dignatus humanam, ſed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas* (paſſiones) *ubi adhibendas eſſe judicavit. Neque enim in quo erat verum hominis Corpus, et verus hominis animus, falſus erat humanus affectus.* Cum ergo in Euangelio iſta referantur, quod ſuper duritia cordis Judæorum, cum ira contriſtatus ſit: quod lachrymas ſuderit: quod propinquante Paſſione triſtis fuerit anima ejus uſque ad mortem, ei non falſo utique refertur. *Turbatus* ergo *ſpiritu* proteſtatus eſt inquiens, *Amen, amen dico vobis; quia unus ex vobis tradet me.* Apertè jam loquitur cum in procinctu eſſet, qui prius involute idem prædixerat. *Mundi eſtis, ſed non omnes.* et *unus ex vobis, Diabolus eſt.* Attoniti, et inhiantes, et contriſtati interrogant, Quis eſt? etiam ſinguli ſigillàtim, *Numquid ego ſum*? Reſpondet in genere, eſſe unum è convivis, qui intingit manum ſuam, mecum in paropſidi. ubi nimis opinor, λεπτολογοῦσι, qui diſpoſitis volunt ἀνὰ δύο, & binis ſingula fercula appoſita Chriſtum & Judam de eâdem patinâ manducâſſe. ſed non coveniunt, utrum Chriſto diſponente: an ipſo ſe intrudente. ſed hæc λῆροι λήρων. Nihil aliud vult, quàm quod prædicebatur Pſal. 40. *Qui edebas panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem.* ſi tam aperto ſigno proditorem deſig-

De civ. Dei, lib. 14. 9.

Digitized by Google

deſignaſſet, quid opus erat ut Judas interrogaret poſtea, *Nunquid ego ſum?* Et illum tum Chriſtus deſignaret : quod ita factum patet è Matthæo. Hoc cum apertè pronunciaret Chriſtus : Quid opus, ut Petrus Johanni annueret de interrogando, quis erat? Certè ſunt aliquatenus narrationes impeditæ apud Euangeliſtas : ſed tamen ita Conciliandæ, ut poſt pronunciatum ἀδιορίστως *unus è vobis tradet me*, Petrus ſollicitus innuerit Johanni, unde Dominus iterum ἀπολύτως reſpondet, *qui intingit manum mecum in paropſide :* id eſt, cui intinctam buccellam dedero. ubi Judæ dediſſet, ille ait, *An ego ſum is Domine?* Hypocriticè, nam prius pepigerat cum Sacerdotibus de pretio. Chriſtus appellat Conſcientiam, *Tu dixiſti*, ut ita αὐτοκατάκριτος ſubticuerit, et quaſi notatus ignominiâ ſtatim ſurrexerit, & foras, ad Pontifices ſe proripuerit, præcipitante illum Diabolo in perniciem, qui poſt acceptam buccellam, totum et in ſolidum eum poſſedit. Acceſſerat ad eum quartâ veſperâ, ait Theophylactus, & abiens locutus eſt cum Judæis de Traditione. τῇ δὲ τετάρτῃ ἑσπέρᾳ εἰσῆλθεν εἰς αὐτὸν, ὅπερ ἐστι, κατέσχε τὴν αὐτοῦ καρδίαν. Cum autem ſe ita feſtinanter proripuerat, ait ei Jeſus, *quod facis, fac citò*. quæ non ſunt intellecta à Diſcipulis. poſt cujus abitum, illa locutus eſt Servator, quæ apud Johannem commemorantur, priuſquam ſacroſanctum inſtitueret ſacramentum. De quo multa Baronius. Multa exercitator ſtudioſè collegit et eruditè, veſtigijs Annaliſtæ inſiſtendo, quæ more ſuo allatrat Diatriptes : adverſus cujus Diatribas, latius aliquantulum excurremus: cum & lucem Cardinalis, & Exercitatoris diſputationibus afferre poſſint.

Doctiſſimus igitur Exercitator, diſputationem ſuam de ſacratiſſimâ Euchariſtiâ, bene longam, orditur à quibuſdam titulis & nomenclaturis, quibus inter Chriſtianos auguſtiſſimum illud ſacramentum inſignitur. Initium ſumit ab eo titulo, qui cum in ſacris literis expreſſè habeatur, rem ipſam, hoc eſt, Naturam hujus myſterij, & finem optimè exprimebat. Ea eſt, κοινωνία τοῦ αἵματος καὶ τοῦ σώματος Χριστοῦ. Hoc elogio Paulus myſterium illud conſignavit, quia ſacramentum hoc legitime, et ſecundum Chriſti inſtitutionem ſumptum, Inſtrumentum ſit illius Conjunctionis, per quam, in unum corpus cum Domino Jeſu coaleſcimus : & cum cæteris ubiq; fidelibus copulamur, qui membra ſunt viva, vivida, valentia ejuſdem myſtici corporis. Auſpicatur antitheſin ſuam Declamator ad oppoſitum, mutuatus quædam, ab Irenæo, de natura Hæreſis & Hæreticorum, & ab Irenæo, ex ſuppoſitione non probationē Hæreticum eſſe Exercitatorem concludit. ſed ita ſolebant Donatiſtæ prædicare de ſeipſis & Orthodoxis. Stultum autem, eſt pendente adhuc lite, rem deciſam in ratiões referre: ſed modò malè ſanus, malè cautus calumniator, ſed ulterius malè fidus etiam. ubi illud ὑψηλότερον in iſtis? ubi πιθανῷ περιβλήματι ἡ πλάνη κεκοσμημένη, cum omnia ſint nuda, inarguta, πετραχηλισμένα, quæ non ſolent eſſe apud Hæreſes. ſed fortaſſis Hæreticum eſt tueri, 23.

Eucha-

Euchariſtiam eſſe Inſtrumentum quoddam, noſtræ inter nos mutuæ compaginationis, & conjunctionis cum Jeſu Chriſto. ſed corporalem, non myſticam ſomniant, & ita volunt delirare patres. Non tamen tam impudenter volunt, ut de ſolâ corporali conjunctione capiant. Hoc accipimus, de non ſolo Naturali, ſed myſtico. An omnino de Naturali viderimus: illô, quod in ſacratiſſimæ virginis ſanctiſſimo utero, τὸ ἅγιον conformabatur. Quam nos aſſerimus concedunt ſententiam. an ſuam probaverint, non perinde conſtat, Chryſoſtomus advocatur, cujus prolixam ῥῆσιν tranſcriptam legimus, ſine cauſâ, ſine fructu. Non affirmat, unum ſumus cum Chriſti corpore naturali. Ἓν σῶμα ἐσμέν. ſanè Naturale ἕν, ſi non eſſet duplex corpus. ſed μέλη ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ ἐσμέν. Fratres utero, non animo. Nos omnes et ſingulos fortaſſis beata virgo mater, μεγάλων ἀπεδέξατο κόλπων. ut non ſimus unum Corpus unione ſpirituali, ſed coagulatione carnali. Hoc nemo tam ἐμβρόντητος qui affirmet. Niſi ultra omnem Hæreſin deſipiat. nemo hæc ad literam Chryſoſtomiana accipiet. ſi iſta myſtice intelligantur: cur non & alia, quæ eodem tenore ſequuntur apud Chryſoſtomum: ſi enim re ipſâ in illam carnem commiſcemur; hoc eſt, σαρκικῶς, per alimoniam quam nobis impertit, tum reipſâ ſumus ἀπόῤῥοξ ejuſdem. Os de oſſe: Caro de Carne, ſin illud myſticum ſit, & hoc erit, quod per alimoniam impenditur. Ut videatur aliter Capernaitis, non ſtatim ſic Chryſoſtomo videbatur. Id docet ipſe. Οἱ μεμυημένοι δὲ παρακολουθοῦσι τοῖς λεγομένοις: quæ verba Bulengerus, non ſatis honeſtè, prætermiſit: quaſi non carnali modo apud Carnales loqueretur, ſed ſpiritum & veritatem cogitantibus. Hoc, ipſa, qua utitur, amantium ſimilitudo docet, σφόδρα ποθούντων ἐστὶ τοῦτο. uniri nimirum, τοῦτο eſt ἑνωθῆναι, unus ut è duobus fiat. Non quod corpora amantium corporibus ita uniri poſſint, ut, quemadmodum ex aquâ & vino fit τὸ κρᾶμα, ſic è duobus fiat unum. Id etiam ſatis indicat quod de Jobo habet. Neque enim opinor, ad literam dixiſſe illum ſanctum virum putandum eſt, τίς ἂν δῴη ἡμῖν τῶν σαρκῶν αὐτοῦ ἐμπλησθῆναι; quaſi de proſapiâ & genere Cyclopum extitiſſent: vel ab anthropophagis oriundi. Craſſiſſima κρεοφαγία non poteſt ab illis verbis removeri, ſi ita explicentur, Naturaliter. ut non ſolùm oculis intueantur, ſed tangant, comedant, dentes in carnem infigant, & omne ſuum edendi deſiderium expleant. Non aliter comeditur quàm tangitur: neque tangitur alio modo, quàm videtur, oculis animi, in illum defixis: cordis attactu: fidei dentibus: ſpirituali quadam manducatione.

24. Sic et illud ſe habet, τοῦτο τὸ αἷμα ἐξέπλυνε πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐκχυθέν. de eodem ſanguine: in eodem diſcurſu: ad eundem ſenſum locutus eſt. Nec aliquis adhuc memoriæ prodidit: non credidit aliquis à revelato Meſſiâ, diluvio quodam, velut aquarum immenſâ inundatione, Chriſti crucifixi ſanguinem effuſum, terrarum orbem omnem involviſſe. Quocirca Morali, Spirituali, Myſtico modo

modo dicuntur, & non naturali. Τούτου μετέχοντες τοῦ αἵματος μετ' ἀγγέλων, καὶ ἀρχαγγέλων, καὶ τῶν ἄνω δυνάμεων ἑστήκασιν αὐτοῦ, περικειμένην αὐτὴν τοῦ χριστοῦ βασιλικὴν στολήν, τὰ ὅπλα ἔχοντες τὰ πνευματικά. Ἀλλ' οὔπω οὐδὲν εἶπον μέγα. Αὐτὸν γὰρ αὐτὸν ἐνδεδυμένοι τὸν βασιλέα. Hic jam tu mihi confinges, cœleſtes illos Dei omnipotentis miniſtros, Angelos, Archangelos, λειτουργικὰ illa πνεύματα, Phyſico quodam modo & carnali, αἵματος illius μετέχοντας ἐσμέν. Hic Tu Chriſtum κατὰ χρῶμα indutum, ubi intellexeris, veſtimentum, illum, confinges forſan inconſutile, & ποδήρη: forſan vulgare ex officinis: cum Chryſoſtomus diſertim ibi nominet ὅπλα πνευματικά, non ex ære conflata. Ipſum Chryſoſtomum ſe exponentem repræſento: ad illa Chriſti verba, *Verba quæ ego dixi vobis, ſpiritus ſunt et vita.* Τοῦτ' ἐστι. θεῖα καὶ πνευματικά εἰπεν, οὐδὲν ἔχοντα σαρκικόν, οὐδὲ ἀκολουθίαν φυσικήν· ἀλλ' ἀπάσης μὲν τοιαύτης ἀνάγκης καὶ ὑπέρκειται, καὶ τῶν νόμων ἐνταῦθα κειμένων, ἕτερον δὲ ἔχει νοῦν ἐξηλλαγμένον. ὥσπερ οὖν ἐνταῦθα πνεῦμα εἶπεν, ἀντὶ τοῦ πνευματικά· οὕτω, σάρκα εἰπών, οὐ σαρκικὰ εἶπεν, ἀλλὰ τὸ σαρκικῶς ἀκοῦσαι. Addit ad ſuperiora, mellitiſſimus ille ſcriptor, ea quæ ſingulum petunt fictionis illius de phyſico & naturali conjunctione. Ἐὰν γὰρ αὐτὰ σαρκικῶς τις ἐκλάβοι, οὐδὲν ἀπώναιτο. καὶ πῶς εἶπεν, ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν; Quod ſi quis carnaliter intellexerit illud, fruſtrà eſt. Quid ergo? an non caro ipſius revera Caro eſt? Maximè quidem. Quomodo igitur dixit, Caro nihil proderit? Non de ſuâ carne: Abſit enim hoc; ſed dixit de ijs, qui dicta ſua carnaliter accipiebant. At quid eſt illud carnaliter intelligere? Eſt omnino ad præſentia oculos intendere, neque quicquam ulterius mente & cogitatione comprehendere. Hoc enim eſt, carnali modo. At non ita oportet de ijs quæ in oculos incurrunt judicare, ſed myſteria omnia internis animi oculis intueri. τὸ ἁπλῶς εἰς τὰ προκείμενα ὁρᾶν, καὶ μὴ πλέον τι φαντάζεσθαι, τοῦτ' ἐστι, σαρκικῶς. Ita explicat Chryſoſtomus dogmaticè & Theologicè, quæ in concione populari, pro more ſuo, hyperbolice aliquando exaggerabat, & figuratâ dictione amplificabat, ad affectus auditorum concitandos, & in rem præſentem deducendos.

Ex iſtis ergo hunc in modum rectè explicatis apparet, nos Chriſti corpori, non naturali aut Phyſico more omnino, adunitos, nec ſanguini effuſo, craſſo modo, ſed ſpirituali & ſacramentali utrique communicare. Locus autem ille alter recitatus in Diatribâ, è Commentarijs in caput 11. prioris ad Corinthios, cento quidem eſt, male conſutus. Quædam agnoſco in illis Commentarijs reperiri, pag. 396. Etonenſis editionis; alia autem nec eadem paginâ, nec alibi in illis Commentarijs reperiuntur: ubicunque demum delitescunt, nihil prorſus in cauſa promovent. Qui ſanguinis ac corporis ἀπογευόμεθα, illius ἀπογευόμεθα, Qui ſummis in cœlis ſedet. Rem ipſam quis dubitat? de modo controvertitur: Quatenus. Qualiter ἀπογευόμεθα. an φυσικῶς, an μυστικώτερον. Myſterium dicitur, & eſt Myſterium: καὶ οὐδέποτε παύσεται εἶναι μυστήριον. Non ergo modo naturali, ſed myſtico, verum eſt, nos illo veſci. Sequitur autem, apud Chryſoſtomum, τοῦτο τὸ ἐν ποτηρίῳ ὄν. Id 25.

Kk quod

quod in calice eſt, illud eſt, quod fluxit è Chriſti latere: illiuſque nos μετέχομεν. Ita id quod quæritur inter ſophiſtas. Quid factum de ſanguine illo pretioſo, qui perforato latere effundebatur, tum cum in cruce pendens JESUS, Longini λόγχῃ percutiebatur, jam ceſſet diſputari. Nam conſtat certo certius, authore Chryſoſtomo, illum ipſum ſanguinem, ſed per quem recollectum? ubi interim repoſitum, in calcibus nobis repræſentari. Verum ut ſatisfiat curioſitati adhuc, qua Cœlum ipſum & ſecreta Dei, ſtulti petimus, quæremus de effuſo ſanguine, per quem recolligebatur. Quo ταμιείῳ, vaſe, aut receptaculo conſervatur, unde affatim, velut in lucernam Theodoſij junioris oleum, in calices, ubicumque terrarum, ſacros cœleſtis ille ſanguis depluat. An aſſumptus eſt, ab ipſo Domino, poſt reſurrectionem: aut, quod reliquum, & omnino verum eſt, ille ſanguis, in calice propinandus, non eſt ille verus, realis, naturalis ſanguis, quem de beatâ matre virgine Redemptor derivavit. Non eſt ille ſanguis qui in corpore glorioſo etiamnum reſidet. Certe Chryſoſtomus non magis volebat, ſanguinem in calice repræſentatum, illum eſſe, qui de Chriſti latere promanabat, quàm volebat intelligi ſecundum literam, in illa ſacratiſſima actione ad Altare, non modo aſperſum eſſe, ſed penitus imbutum eo ſanguine, εἰ δὲ αἵματος ἐπιθυμεῖς, μὴ τὸν τῶν εἰδώλων βωμὸν τῷ τῶν ἀλόγων φόνῳ, ἀλλὰ τὸ θυσιαστήριον ἐμὸν τῷ ἐμῷ φοίνισσε αἵματι. *Sin vero ſanguinem deſideres, noli tu Idolorum aras irrationalium animalium fuſo ſanguine commaculare: ſed effice, ut Altare meo ſanguine aſperſum rubeat.* Hoc opinor, fieri non ſolet, in Miſſis, ſive publicè, ſeu privatim celebratis. Corpus illud verum, verax, ἄμεμπτον, ἀμώμητον, vitæ noſtræ ſecundum Deum, ὀχετὸν, χορηγὸν, & canalem, nemo dubitat eſſe: aut in ſacrâ ſynaxi nobis exhiberi. Panis in ſynaxi fit corpus Chriſti. Noli, ut probes, laborare. En ultró damus, ſed & corpus Chriſti, credentes fiunt. Ad eundem utrumque modum, & menſuram, ſed non Naturaliter: cum nequaquam μεταμορφωθέντες alteremur; itaq; nec panis ita eſt corpus Chriſti: Αὐτοὶ ἐσμὲν ἐκεῖνο τὸ σῶμα. τί γάρ ἐστιν ὁ ἄρτος; σῶμα χριστοῦ. τί δὲ γίνονται οἱ μεταλαμβάνοντες; σῶμα χριστοῦ. Myſticè tantum, non phyſicè. Neque alio modò fiunt οἱ μεταλαμβάνοντες σῶμα χριστοῦ. Hoc credebat Chryſoſtomus, qui Panem appellat, quod alias omnino non ſic debebat, poſt conſecrationem, καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα ἐκεῖνο ἥνωται τῷ χριστῷ, οὕτω καὶ ἡμεῖς αὐτῷ διὰ τοῦ ἄρτου τούτου ἑνούμεθα. *Quemadmodum corpus illud Chriſto adunitur, eodem modo & nos Chriſto unimur, per panem iſtum.* Panem vocat ſignanter, & δεικτικῶς, illum ipſum, ὃν κλῶμεν, qui eſt κοινωνία σώματος καὶ αἵματος: per illum unimur: non eſt ergo ille panis illud Corpus, ſiquidem duo ſunt, uniens & unitum.

26. Ita non eſt hoc Corpus in utero virgineo efformatum, & procedens: ſed eſt Myſtice repræſentatum. Ita & Eccleſiæ corpus, Chriſti corpus verum & Reale eſt, ſed non carnale. Utrumque in ſacris illis ſymbolis nobis exhibitum, & commendatum, more neſcio quo, nec curioſius inquirendo; ſecreta Dei,

Dei, Deo: non humanis ſenſibus exagitanda. Fateor illa, ut multa in hoc genere apud Chryſoſtomum, Oratorem popularem & vehementem, incitatiora ſunt: quibus ille, ut erat in Rhetoricis admirabilis, ſacroſanctum hoc myſterium, & tremendum, φρικτὸν, φρικωδέστερον proponit, ſed è Chryſoſtomo ipſo ſedatiore, & dogmatico, explicanda. *ſi pallium viri principis Nemo attingere homo auſus fuerit,* inquit ille, *quomodo Corpus D E I, qui eſt ſupra omnia? Corpus integrum, purum, inculpatum, quod Divinæ illi Naturæ adjunctum eſt, quomodo audemus attrectare?* ſi hic omnia ſcrupuloſius, ad trutinam vulgarem, & non Aurificis ſtateram revocentur, fatendum eſt, corpus illud humanum, quod aſſumpſit ὁ λόγος θεὸς ut pallium eſſe oportere, hoc eſt, quod deponi poſſit & exui, quoties libuerit geſtanti, quod non eſt compoſiti pars altera. Id quod poſt hypoſtaticam unionem imaginari, nedum prædicare, blaſphemum eſt. Olim verbo injectum vel aſſumptum Corpus, pallium quoddam erat ἐπιβεβλημένον, cum apud ſaxula illa priora Patriarchica Patribus & Prophetis antiquis, ante & ſub Lege, ſe ſubinde manifeſtaret. At ubi, συγκαταβαίνων ἐσαρκώθη, nec evanuit ſubinde, ut ſolebat, ſed ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, non ulterius erat Pallium vel Indumentum, ſed φυσικόν τι, Corpus Deitati adunitum ἀδιαλύτως & ὑποστατικῶς. Ita tangi, palpari, tractari potuit, etiam à Reſurrectione, ut non ſpiritus. Et hoc eſt illud Corpus, quod in ſacrâ ſynaxi ſumitur, applicatur, ἑνοῦται: ſed nòn craſſo & larvali modo: ſpirituali & ſacramentali: quem efferre poſſum, non explicare. Fide apprehendere: non manibus aut Oratione. *Cum illud propoſitum & oblatum Tibi videris,* Chryſoſtomus ait, *dic ad Teipſum, propter illud Corpus, Non jam ſum ego ulterius, terra & Cinis.* Et tamen ſumus adhuc φυσικῶς, pulvis de terrâ, & in pulverem redimus. Et tamen, ὦ σοφέ σύ, communicantes, nequaquam ut panem volunt, & ipſi transſubſtantiantur. quod tamen de illis non minus affirmet ὁ χρυσορρήμων, quàm de Pane Chriſti corpore.

Mors ferre non potuit corpus illud, clavis ſuffixum, flagellatum. Certè, Δίκαιος, ἀδίκως ὑπὸ θανάτου κρατούμενος, ἔρημον κατεσκεύαζε τὸν ᾅδην. 27.
Hoc illud eſt Corpus? Eſt. lanceâ transfixum & cruentatum. Non negamus, tantum de modo quo ſic, hoc ſit corpus εὐλαβέστεροι ſumus, quàm ut audeamus certò pronunciare. Agnoſce, Te tuis verbis a ffabor, & veritati manus dede. Quod ex Auguſtino nobis à te ſuggeritur, id ab illo doctiſſimè, quemadmodum alia omnia diſputatur, non tamen de corpore naturali, ſed myſtico propagant opinionem. *Ut quiſquam vivat propter me, participatio facit qua manducat me.* Communio oris, non cordis; dentium, non fidei; niſi tu deſipias. audi ipſum ibidem non ſemel Auguſtinum tua hæc deliria refutantem. *Qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, non qui premit dente.* & paulò prius, locum inſignem è 1 Cor. 11. 1. ita interpretatur, ut ſpiritualem, non oralem tueatur manducationem. unde tandem ſic concludit, *Hoc eſt*

Digitized by Google

ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum: in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc, *qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio, nec manducat carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem licèt carnaliter, & viſibiliter premat dentibus, ſanguinis & corporis Chriſti ſacramentum.* Hæc eſt illa participatio, non manducatio quam ſomniatis, & fateris ipſe, ſed invitus forſan, τῇ: *hac corporis naturalis* (apage delirium tuum) *commendari communionem cum myſtico*, hoc eſt, Eccleſia. Bene habet autem quod ingenuè tantum dederis: improbè tamen, qui quaſi delumbabas Auguſtini opinionem. *Cum enim cibo & potu id appetant homines*, inquit ille, *ut neque ſitiant nec eſuriant: hoc veraciter non præſtat, niſi iſte cibus & iſte potus, qui eos a quibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit, hoc eſt, ſocietas ipſa Sanctorum, ubi pax erit, & unitas plena ac perfecta. Propterea quippè*, &c. Hæc prorſus myſtico modo accipienda, non illo carnali, ubi carnis nihil. Utitur & Chryſoſt. eundem in locum Johannis, eâdem ipſâ ſimilitudine: Καθάπερ ὁ ἄρτος ἐκ πολλῶν συγκείμενος κόκκων ἑνοῦται, ὡς μηδαμοῦ φαίνεσθαι τοὺς κόκκους, ἀλλ᾽ εἶναι μὲν αὐτούς, ἄδηλον δὲ αὐτῶν εἶναι τὴν διαφορὰν τῇ συναφείᾳ. οὕτω καὶ ἀλλήλοις συναπτόμεθα, καὶ τῷ χριστῷ. Quemadmodum panis è multis granis tritici cum ſit compactus unitur, ita ut nuſquam ullo pacto appareant grana: verùm cum certum ſit extare illa omnia & eſſe, propter unionem verò eorum lateat connectio: Ita nos ad invicem nobis & cum Chriſto copulamur. Hæc omnia, ſi ad rem aliquid faciant, noſtram tuentur, de modo imperveſtigabili ſententiam.

28. Ais communionem illam cum corpore Myſtico, pendere à communione cum vero corpore Chriſti & naturali, & nos id aïmus: ſed incarnatione, non autem Euchariſtiâ. *Quod, enim, homo eſt Chriſtus eſſe voluit, ut homo, quod Chriſtus eſt, eſſe poſſet:* inquit alicubi ſanctus Cyprianus. Neque aliud declarant illa Hilariana. *Si enim Verbum caro factum eſt, & nos etiam verbum carnem in cibo Dominico ſumimus:* Cauſalis eſt ſc. quaſi, eò quod. Cave autem Nyſſenum ſic interpreteris, ut naturam noſtram mortalem divinitatis communione divinam prorſus fieri affirmes, ad eundem nempè modum, quo Chriſti corpus noſtrum in μεταλήψει fieri affirmas, quo Chriſtus verbum carnem noſtram ſibi copulavit, modo naturali & tranſubſtantiato. Genus hoc novum eſt, & inauditum τῆς ἀποθεώσεως: & tamen Nyſſenus ita loquitur, niſi noſtro more interpreteris: *Sicuti parum fermenti, totam maſſam fermentat, & ſibi ſimilem efficit: ita ſubactum fictumque à Deo Chriſti corpus in noſtro corpore exiſtens totum in ſe transfert ac cooptat. Ideò miſcuit ſeipſum mortali Naturæ, ut divinitatis communione, mortalis natura divina fiat:* ſed communio illa hominum cum Deo, Creatoris cum creatura, non eſt κατὰ τὴν οὐσίαν, ſed κατὰ τὴν σχέσιν, ut diſertis verbis alicubi Chryſoſtomus habet in Johannem. *Nam quod ſemper ſic eſt, ut eſſe non ceperit, proculdubio ſic eſt, ut id quod eſt, eſſe nemo poterit*, ut pauliſper Fulgentij ad Monimum

Digitized by Google

Monimum inflectam. ſanctos Patres non affirmat Exercitator, amplius tribuiſſe quàm par fuerat, vel commũioni Chriſti nobiſcum naturali, vel noſtræ cum Chriſto ſpirituali & myſtico. cautionem interponis, quibus non eſt opus: ipſe eandem violas quam proponis, etiam tum cum proponas, qui ſanctos Patres ad literam interpretaris, & non ad ſpiritum. Multo plus tribuiſſe eo pacto neceſſe eſt illos dici quàm par eſt, communioni noſtræ cum Jeſu Chriſto.

Supponis autem probatum id quod falſiſſimum eſt: locos nimirum allegatos, omnino ad literam intelligendos, ut & primi Geneſ. quæ de Creatione hiſtoricè referuntur; ſed imperitè & improbè hoc affirmas: nuſquam illi ipſi probant. Nos quod oppoſitum eſt docuimus, in Chryſoſtomo, Auguſtino, Nyſſeno, Hilario. affirmat ſanctos Patres (& verè quidem: nam utuntur in Concione populari) uſos non rarò, αὐξήσει, hyperbole, exaggeratione (inepta enim omnia, tibi, prout par eſt, relegamus & diatribis) in hac de Euchariſtiâ tractatione. Tibi autem illa: qui ridiculè veluti poſitum in confeſſo aſſumis, quod omni modo abhorret à veritate. Utitur Cyrillus ſimilitudine ceræ liquefactæ; quæ ſic aliæ ceræ permiſcetur liquefactæ. Quid ſi utatur? utitur & illâ de fermento quam nuper apponebas è Nyſſeno: quam poteras (& Cyrillus idem fecit) è beatis, Matthæo & Marco applicuiſſe: ſed utitur, explicationis gratia, non autem quaſi perfectè & per omnia congruerent: quia nimirum *res ardua eſt, & fide potius, quàm quavis aliâ ratione apprehenditur*, uti inquit ipſe. Quodſi ad ſimilem per omnia modum, caro Chriſti, & panis permiſcentur, quo cera liquefacta, liquefactæ ceræ admiſcetur; ejuſdem eſſent utraque ſpecies: etiam ante illam de novo coalitionem. atque ita in unum & idem ſubjectum concreſcerent, hoc eſt, conſubſtantiarentur, non autem eſſent tranſubſtantiata. Quam benè olim in ſcholis uſurpatum, *ſimilitudinem non currere quatuor pedibus*? Satis autem eſſe, ſi in illo conveniant figura & figuratum, quod eſt τὸ κυριώτατον: id quod hic eſt *coalitio* atque *unio*, Chriſti cum membris, & vice verſâ: de quâ non quæritur, ſed de modo minimè diſquirendo, in inſtitutâ diſputatione. Verba illa Servatoris διαβόντα ſunt, Johan. vi. *Qui manducat carnem meam, in me manet*, &c. Hoc ſic explicat beatus Cyrillus: *Si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum alterâ per totum permiſceat neceſſe eſt; ſi quis carnem & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita conjungitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniatur.* Invenitur in eo pari modo, non pari modo copulatur. Nemo noſtrûm negat *unionem*, veram & realem: ſed de modo unionis ampliandum; nec temerè quid ſentiendum, nedum ſtatuendum, arbitramur. Modum non audes αὐτότατον aſſeverare. Non enim ſimile eſt, aut ὁμοειδὴς utrinque ſubjectum unionis, non eiſdem uniuntur gradibus quæ coaleſcunt: non per eandem copulationem. Quocirca te oportuit, virum utique eruditum, neque hebetem, attendiſſe, quàm nihil ad propoſitum hæc ſimili-

29.

Nulla hic eſt hyperbole, nulla αὔξησις aut inepta exaggeratio.

ſimilitudo: nec quoad res uniendas carnem Chriſti, & panem Euchariſticum; Chriſtum, & populum evocatum; nec quoad modum unionis, aut ullam penè circumſtantiam.

30. In Nyſſeni quod ſequitur teſtimonio; à communione Chriſti & noſtrâ, ad ipſius Chriſti corporis communionem te confers quæ ex pane & vino conſtituitur. rectè: eſt enim hoc, non aliud quod verſatur in quæſtione: & in finem ultimatum illius diſquiſitionis deſcendis, etiam rectè, *ut homo mortalis exinde fiat immortalis*. Laudo omnia: carnem illam Chriſti eſſe panem & vinum in ſancta Euchariſtiâ profitemur, Chriſti corpus depoſitum in altari credimus: quod ſi de modo adurgeas, quo fiunt, contenti ſumus cum Nyſſeni effato, *Chriſtus per carnem, quæ ex pane & vino conſtituitur, ſeipſum impertit, ut ex ea conjunctione cum corpore immortali homo fiat immortalis*, modum non expreſſit quo: inſtrumentum expreſſit, *carnem Chriſti in pane exhibitam & in vino.* Irenæus lib. iiii. non ut perperam in Deut. eſt, v. cap. xxxiiii. *Quomodo dicunt*, *carnem*, inquit, *in corruptionem venire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini, & ſanguine alitur.* Hunc tu locum ſic incruſtas. Non poteſt hic corpus exaudiri myſticum, ſed verum. Excurris nimium: revocandus es ad lineas Bulingere, de ſacramenti Euchariſtiæ nomine illo agitur, quo, *Communio* κοινωνία appellatur. Unde autem hæc acceſſit illi nomenclatura? Num proprium illi nomen κοινωνία? num ab aliquo effectu appellatio addita? In hanc partem inclinat Exercitator. Communionem corporis & ſanguinis Chriſti dictam, ideò autem *communionem*, quia ejuſdem corporis & ſanguinis participes, eo quidem actu, velut inſtrumento quodam Chriſto ipſi capiti copulantur. Tu per totam hanc Diatribam ita inſtituiſti hanc tuam refutationem, tanquam illud tueretur Exercitator, *communionem* ideò dictum, quod myſticè corpori Chriſti aduniamur, non quod illi corpori communicemus in ipſo ſacramento, quo, ut inſtrumento quodam, adunimur. Tranſpoſitâ ad hunc modum quæſtione, tu cum tuâ ipſius larvâ luctaris. Non negat illud, cum hoc affirmet. Non negat inquam. Nam ait, *Euchariſtiæ propria operatio, manducatio eſt, ac dicitur, Chriſti corporis, ac potus ſanguinis: ſivè ut loquitur hic Paulus, Communio corporis ac ſanguinis Chriſti.*

31. Videamus autem, hiſce poſitis, Quid ſibi velit illud ab Irenæo. Non poteſt exaudiri, ſi tibi Fidem arbitremur, corpus myſticum apud Irenæum (neutro modo ſcilicet intellectum) ſed verum Chriſti corpus. Et quid ſi non poſſit? ô vir egregiè! quaſi verum Chriſti corpus excluſerit Exercitator. Tu excludes myſticum? Non debes, niſi ſanctam illam Euchariſtiam, omni ſuâ vi & efficacia, omni fine & ſcopo ſpoliare velis. Equidem agnoſco Irenæum de corpore & ſanguine loquutum Jeſu Chriſti adverſus illos loquitur, qui ad alias impietates addebant & iſtam, quod carnis negarent Reſurrectionem: urget illos Irenæus: Aiunt,

Aiunt ſe corpus & ſanguinem Domini participare. quomodo ergò affirmant corpus in corruptionem devenire? ita ut nunquam ſcilicet reſuſcitetur. *Quocirca vel ſententiam,* ait, *mutent, aut abſtineant offerendo quæ prædicta ſunt.* Hic de corpore Domini & ſanguine offerendo. ſed quid? an myſticum excluditur omnino? Tolles ergo licet rationem veri corporis repræſentati, quod & illi Hæretici, & vos Novatores, & nos Orthodoxi confitemur, in modo & menſurâ tantum diſcrepantes. affirmas ergo, quod verum eſt, non negatum. oppugnas imaginem tui cerebri, inanem phantaſiam, non autem theſin Caſaubonianam. Μετάληψις non eſt revera ſacramentum, hoc à te veriſſimè ponitur, ſed eſt actio quædam ſacramentalis. non erat opus Caſaubonum commonefaceres. hominem jam doctum doces, & teipſum licet, ut Caiphas olim vaticinabatur, hoc ignores. Nam illa quid tandem ſibi volunt? *Hic te admonitum volo, communionem corporis Christi, quæ μετάληψις dicitur, & fit per manducationem, non propriè eſſe ſacramentum corporis Chriſti, ſed ipſum Chriſti corpus inviſibile quod ſub viſibili elementorum ſpecie latet.* Quid volebas dicere Bulingere? μετάληψιν eſſe corpus inviſible, at non eſt. accidens enim non eſt ſubſtantia, neque modus rei, res: an corpus Chriſti inviſible eſſe ſacramentum viſibilis corporis? improbe & imperite. an corpus Chriſti inviſibile per communionem viſibilis ſigni repræſentari? Euge! rectam viam tenes. ſed non pudet in iſtis labyrinthis fateri noſtram ignorantiam: maximè propter Auguſtini citatum teſtimonium, *ſacramentum eſt, ſignum viſibile, rei ſacræ ſanctificantis.*

At illa quæ ſequuntur, griphi ſunt & embrontiſmi. *ſpecies panis inaſpectabilis, eſt ſignum aſpectabile corporis Chriſti, quod corpus præſens quidem eſt, ſed aſpectabile.* Præſens, ſed aſpectabile? quid hic miri? quid opus *Sed*? ſpecies panis, ſaltem aſpicitur. Nam quid eſt quod oculis uſurpatur? quid quod ſignum aſpectabile cum non videatur? τἆλλα γὰρ ἄλλα. Chriſti corpus inaſpectabile: nam rariſſimè videtur inter ſacrificandum, & paucis, quos æquus amavit Juppiter. *Species panis*, aſpectabilis. ita Chriſti corpus aſpectabile, erit ſignum ſpeciei panis inaſpectabilis. Ubi autem illa regula Catholicorum? *Nomina adjectiva illa, quæ dicunt reſpectum ad circumſtantes, utcumque dicuntur de corpore Chriſti extra ſacramentum, de illo non dicuntur in ſacramento.* Fallit hæc regula, quoties Chriſti corpus eſt in ſacramento aſpectabile. ſed quid mirum te, ubi talia φοιβάζεις, malè ceſpitaſſe, cum & ubi benè loquaris πεπλήρης. ſacramentum, reponis hic ex Auguſtino, *ſignum eſt viſibile rei ſanctificantis.* Illa ſumptio Chriſti corporis, ſeu μετάληψις, an non eſt ſignum rei ſanctificantis? eſt, abſque dubio, & agnoſcunt Doctores ſcholaſtici. erit itaque ſacramentum, nempe exterior illa μετάληψις, interioris ſacramentum μεταλήψεως, quâ ſolâ, & non illâ exteriori, ſanctificamur. Adhibenda fuit ergo, commonefactor, ut benè doceres, diſtinctio quædam de voce 32.

ſacra-

ſacramenti. Nam latè, ſtrictè, ſtrictiſſimè ſumitur. atque hunc ad modum illa participatio ἐν τῷ μεταλήψει ſtrictè forſan erit ſacramentum, nam latè ſexcenta reperientur, non autem ſtrictiſſimè, quod te oportuit docere, ſed ſententiam exprimere non curabas.

33. Probatio malè natæ, & imperitè diſpoſitæ aſſertionis tuæ, non habetur apud Auguſt. tract. in Johannem 26. ſed 27. ſub finem propè, in applicatione eorum quæ diſſeruerat in prioribus, de manducatione corporis Chriſti: Verba ſunt, *Hoc ergo totum, ad id nobis valeat dilectiſſimi, ut carnem Chriſti & ſanguinem Chriſti, non edamus tantum in ſacramento, quod multi mali; ſed uſque ad ſpiritus participationem manducemus & bibamus, ut in Domini corpore tanquam membra maneamus.* Hæc non docent id, ob quod allegantur: *ſpecies panis inaſpectabilis, eſt ſignum aſpectabile corporis Chriſti, quod corpus, præſens quidem eſt, ſed aſpectabile.* quæ nimis ſunt enormia, & deformia, ut quicquam acquirant ſibi authoritatis aut ſubſidij à beato Auguſtino. Duo genera hominum diſtinguit Auguſtinus, multos malos; & ſpirituales pauciores; duplicem Chriſti manducationem, in ſacramento omnibus exhibito unam; in ſpiritu & veritate, paucis participato, alteram: corpus in ſacramento, non ait Auguſt. eſſe naturale: hoc debebat κατ' ἐπίδειξιν illam ſtatuiſſe. ſed quomodo velit corpus Chriſti, intereſſe ſacramento, prius docuit in citatis per nos ex eodem tractatu. *Nos hodie accipimus viſibilem cibum* (verba ſunt ejuſdem in eodem tract.) *ſed aliud eſt ſacramentum* (eſt ſignum, quod Chriſti corpus non eſt) *aliud virtus ſacramenti. Quam multi accipiunt de altari, & moriuntur.*

34. Sed pergamus ad Chryſoſt. in 1. ad Corin. cap. x. rationem ille inveſtigans, inquis, cur potius voce κοινωνίας quam μετοχῆς Chriſtus utebatur, hanc imprimis affert, οὐ γὰρ τὸ μετέχειν μόνον καὶ μεταλαμβάνειν, ἀλλὰ καὶ τὸ ἑνοῦσθαι κοινωνοῦμεν. Non ob illud ſolum participamus quod communicemus & ſumamus de eo. At imprimis non de voce agitur qua utebatur Chriſtus, ſed quâ Paulus in illo textu, Ὁ ἄρτος, ὃν κλῶμεν, οὐχὶ κοινωνία σώματος, &c. Uſus eſt Paulus illa voce, ait pater, quia non tantum participando communicamus, ſed maximè in eo, quod cum Chriſto unum corpus efficimur. In quo, aliud opinor agens & παρέργως, illud deſtruis, quod totâ hac diatribâ conſtruere volebas, Naturale corpus & non myſticum, in communione iſtâ ſubintelligi. Participare poteramus corporis fortaſſe naturalis: unum autem corpus cum Chriſto effici non poteramus, niſi quoad corpus myſticum. Neque enim neſcio quo paradoxotato modo, in unum cum illo corpus naturale coaleſcimus. Jam verò ſententia illius patris eſt, nos participes fieri communicando illius corporis, cum quo corpore κοινωνοῦντες adunimur. Hæc adhuc fortius confirmantur, ex adjectis à te adhuc ex eodem Chryſoſtomo, quæ læſum tibi principium μονονουχὶ clamant, qui cum illud ab initio propoſuiſſes corpus naturale, non

non myſticum ἐν τῇ κοινωνίᾳ apud veteres Patres ubique intelligendum, teſtimonio non unico id aggrederis probatum clare myſticum intelligi debere & non naturale. neque aliter poteras è Chryſoſtomi mente, qui eodem ipſo loco, panem vocat poſt conſecrationem. καθάπερ γὰρ τὸ σῶμα ἐκεῖνο ἥνωται τῷ Χριστῷ, οὕτω καὶ ἡμεῖς αὐτῷ διὰ τοῦ ἄρτου τούτου ἑνούμεθα. Quemadmodum enim corpus illud unitur Chriſto, ita & nos unimur ipſi per panem iſtum, ubi & modus unionis diverſus eſt omnino, licet idem eſſe prorſus dicatur.

Nec illa ſufficiunt ad maculam iſtam prævaricationis eluendam, *Aio communionem illam cum corpore myſtico, pendere à communione cum vero & naturali:* Nam & ipſum hoc fatetur Exercitator: eſt enim caro de carne noſtra, & os ex oſſibus noſtris: ſed in Incarnatione ἐνσαρκωθεὶς, non in Euchariſtia μεταποιηθέντων εἰς σάρκα τῶν σημείων: Quod nulli patres affirmarunt. Non Cyrillus Hieroſolymit. ubi pronuntiat nos fieri χριστοφόρους, τοῦ σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος εἰς τὰ ἡμέτερα ἀναδιδομένου: Chriſtophori ſimus corpore ipſius, & ſanguine ipſius in noſtra corpora dedito & diſtributo: nec Cyrillus erat, ſed Johannes neſcio quis: & cum Chriſti corpus in noſtra membra, τὰ μέλη quam vocem omiſeras ſcribat ἀναδίδοσθαι, intelligendum ſe myſticè ſatis inſinuat: cum non ſecundum modum cibi naturalis, ita & Chriſtus nobis incorporetur, in manus, pedes, pectus, lumbos, &c. diffuſus & diſpertitus. ſententiam porrò ſuam quiſquis ille fuit Catecheſeôn myſtagogicarum author, alibi ſatis declarat, ubi *unguentum chriſmatis* in baptiſmo ad eundem modum, *ſpirituale* vocat, quo panem & vinum in Euchariſtia *corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti.* utrumque illud quod ſignificabat, modo myſtico, non naturali. ἀλλ' ὅρα μὴ ὑπονοήσῃς ἐκεῖνο τὸ μύρον ψιλὸν εἶναι. ὥσπερ καὶ ὁ ἄρτος τῆς εὐχαριστίας μετὰ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου πνεύματος οὐκ ἔτι ἄρτος λιτὸς (& hoc nemo noſtrum dixerit) ἀλλὰ σῶμα χριστοῦ. οὕτω καὶ τὸ ἅγιον τοῦτο μύρον, οὐκ ἔτι ψιλὸν, οὐδ' ὡς ἂν εἴποι τις κοινὸν μετ' ἐπίκλησιν, ἀλλὰ χριστοῦ χάρισμα, καὶ πνεύματος ἁγίου παρουσίᾳ τῆς αὐτοῦ θεότητος ἐνεργητικὸν γινόμενον: ſed vide ne imagineris illud merum eſſe unguentum; ut panis Euchariſtiæ poſt Invocationem Spiritus ſancti, non eſt adhuc merus panis, ſed Chriſti corpus: ita & ſacrum hoc oleum, non diutius merum, nec ut quis dicat, commune eſt poſt Invocationem, ſed chariſma Chriſti, & Spiritus ſancti præſentia, ſuæ divinitatis qui eſt operativus: quæ libenter de corpore Chriſti in ſacramento altaris profitemur. 35.

Nec docet hanc unionem eſſe naturalem Hilarius, quâ cum Chriſto copulamur. Ubi enim vel hiſcit de naturali modo? ſumus in eo per ſacramentum carnis communicatæ; & hoc ipſe teſtatur dicens. *Quoniam & ego in Patre meo, & vos in me:* & *Ego in Vobis*, ſumus in eo ait. rectè, ſumus: ſed ubi pronuntiat, *naturaliter ſumus*? contrarium affirmat: *per ſacramentum ſumus.* non naturam ergo. per modum Exiſtentiæ ſupernaturalem: non illum qui totus eſt a Naturâ. Quæ ſequuntur, recitata ex 36.

Digitized by Google

Euangelio hoc confirmant, *Quoniam & Ego in Patre meo* : & *vos in me* : & *Ego in vobis*. Veritatem rei docet, non autem modum Exiſtentiæ. Non enim Nos in ipſo ſumus, quo modo in Nobis ſubſiſtit Ipſe. Non eſt in Nobis, Ipſe eo modo, quo in Patre, vel in Ipſo Pater. *Nos aliquando poſſumus dicere*, inquit in illum locum Joh. x. Auguſtinus, *In Deo ſumus, & Deus in Nobis. Ego & Deus unum ſumus, nunquid Nos poſſumus dicere? In Deo es, quia Deus te continet: Deus eſt in te, quia templum Dei factus es. ſed nunquid quia in Deo es, & Deus eſt in te, potes dicere, Qui me videt, Deum videt? quomodo unigenitus dixit, qui me videt, videt & patrem, & Ego & Pater unum ſumus. agnoſce proprium Domini, & munus ſervi. Proprium Domini eſt æqualitas Patris: munus ſervi, eſt participatio ſalvatoris*. Sanctus tamen Hilarius Naturalem cum Chriſto unitatem prædicat. nominat enim Naturam, & Naturalem ubi diſputat contra illos, qui inter Patrem atque Filium, non aliam admittebant unionem, quam illam voluntatis. *ſi enim verè Verbum caro factum eſt, & Nos verè Verbum carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo non Naturaliter in Nobis manere putandus eſt, qui & Naturam noſtræ Carnis jam inſeparabilem ſibi homo factus aſſumpſit, & Naturam carnis ſuæ, ad Naturam æternitatis ſub ſacramento Nobis communicandæ carnis admiſcuit?* Verè verbum carnem ſumimus. certe verè, & Naturaliter ſumimus. ita quoque Naturaliter, ſed tamen ſub ſacramento carnis: hoc eſt aliud aliquid quam ipſam carnem, quam de beatâ virgine derivavit. Itaque paulò poſt in ſequentibus, ubi gradum atque ordinem conſummandæ unitatis exponit, Filium in patre per naturam Divinitatis eſſe docet: Nos in eo per corporalem ejus Nativitatem; & illum in Nobis per ſacramentorum myſterium ineſſe credimus. Myſtico ergo modo, non naturali ſecundum Hilarium. Imo inquis Naturali; certè, ut dixi, Naturali modo, non corporali. Naturali autem non eſt alio modo quam veraci, realique modo: quàm ſubſtantia, & non voluntate. Ἓν οὐχ ὡς ἑνὸς εἰς δύο μέρη διαιρεθέντος, καὶ μηδὲν ὄντων πλὴν ἑνός. ſed τῇ ἰδιότητι, καὶ οἰκειότητι τῆς φύσεως, καὶ τῇ ταυτότητι τῆς μιᾶς θεότητος. Καὶ γὰρ καὶ τὸ ἀπαύγασμα φῶς ἐστιν. οὐ δεύτερον τοῦ ἡλίου, οὐδὲ ἕτερον φῶς, οὐδὲ κατὰ μετουσίαν αὐτοῦ, ἀλλ' ὅλον ἴδιον αὐτοῦ γέννημα. Unum: non tanquam uno, in duas partes diviſo, quæ præter unum, nihil ſint. ſed unum proprietate & proximitate Naturæ, & unius ejuſdemque Deitatis identitate. Nam & Lux eſt, Lucis radiatio. Non a ſole ſecunda Lux, neque alia & diverſa Lux, nec per ſolis paticipationem, ſed tota, proprius ſolis fœtus. Vos autem ut Judæi olim apud eundem & Hæretici deinceps, τὰ ἀνθρώπινα σοφίσματα ἐπαναλαμβάνετε. Non ita Hilarius, qui proſequitur ſtatim, ubi Nos cum eo unitos affirmat *corporaliter*: quod non eſt aliter intelligendum quam *realiter*: non ſolum, *Uno modo voluntatis conformatæ*. *Natura* enim apud Hilarium opponitur *voluntati*. *Qui per rem eandem unum ſunt, Natura etiam unum ſunt: non tantum voluntate unum, quia & ipſi res eadem effecti ſunt, & ejuſ-*

dem

dem rei atque efficientiæ ſunt adminiſtri. Hæc verba ſunt Hilarij in illo loco. & paulo prius: de Chriſtianis quibus erat cor unum, & anima una ait. *ſi ergo per Fidem, id eſt, per unius Fidei naturam utique unum omnes erant, quomodo non Naturalem in his intelligis unitatem, qui per unius Fidei unitatem unum ſunt.*

Quid amplius deſideres? Hilarius tuis quidem verbis loquitur, non tamen ex animi tui ſententia loquitur. Explicat Hilarium Chryſoſtomus. διὰ τοῦ ἄρτου ἑνούμεθα. Nos illi per iſtum panem unimur. Vinculum eſt panis. erat ergo panis tum cum vinculum eſſet: non autem quod ſomnias, Ipſe, corpus Chriſti, vel Chriſtus modus uniendi ſacramentalis: hoc eſt myſticus & non corporeus. Tertulliano dicitur, *participatio ſacrificij*. Quippe ni. ſacrificium enim aliud eſt à tuo Bulingere. imo aliud & inſuper aliud. Nos non abhorremus à *ſacrificio* ideoque altaria non abnegamus. Dixit autem idem ſcriptor eruditus, *Eucharistiam Chriſti corpus:* vocaverat eo nomine Euangeliſta, & Apoſtolus priuſquam naſceretur Tertullianus. Cyrillum, vel quiſquis author myſtagogicas ſcripſit Catecheſes, putarem ab aliquo Hæretico edoctum vocaſſe ſacramentum τύπον ἄρτου & οἴνου: cum ἐν τύπῳ ἄρτου δίδοται τὸ σῶμα, ἐν τύπῳ οἴνου τὸ αἷμα ſcripſit: hoc eſt ſigna eſſe panem atque vinum corporis & ſanguinis Domini exhibendi. Quid enim aliud Hæretici qui vobis ſunt loquerentur, quam ſacræ rei ſanctificantis, corporis & ſanguinis Chriſti, ſacramentum? Effectus ſacramenti non eſt alius, quam ut σύσσωμοι & σύναιμοι fiamus illi. modus per μετάληψιν corporis & ſanguinis illius, quæ in τύπῳ porriguntur & propinantur nobis. & propter hunc effectum: per iſtum modum, κοινωνῆσαι & μεταλαμβάνειν Cyrillus dixit; Baſilius κοινωνίαν & μετάληψιν. *ſignum non eſt res ſacramenti.* quis non hoc agnoſcit; ſed per ſignum declaratur, & deſignatur res ſacramenti ſæpè, panis & vinum non raró nominantur, corpus & ſanguis quem deſignant. Cyrillus in partes advocatur ſecundò. quorſum veró? Præterquam enim quod meminerit τοῦ κοινωνῆσαι τοῦ σώματος χριστοῦ, nihil eſt omnino ad propoſitum apud Cyrillum, ne quidem è longo intervallo, quod vir acutus, & in iſtis Lynceus Exercitator poterat animadvertere vel odorari. cujus acumine non erat opus, ut animadverteret, communicantes in veteri Eccleſia, cavâ manu, in formam crucis effigiatâ, corpus Chriſti participatos. expreſſiſſime notat author hanc conſuetudinem: atque illa ipſa conſuetudine notatâ, infra Cyrilli ætatem vixiſſe ſe demonſtrat certè modos diverſos recipiendæ Euchariſtiæ, & non unicum animadvertere licet in Liturgicis. 37.

Digrederis ergo ad adorationem. neque enim vinum adorarent, niſi eſſet revera ſanguis Domini: ſed imprimis mi homo, προσκύνησις illa ad Dominicam menſam non ſupponit, ut reris, tranſubſtantiata fuiſſe elementa. προσκυνοῦμεν paſſim ad menſam ſacram, & de geniculis adorantes communicamus, qui tamen nec ſumus ἀρτολάτραι, & Tranſubſtantiationem veluti chimæram arbitramur. 38.

tramur. ſecundò, rogamus quid in cauſâ eſſet, cur non æque panis adoraretur? An ille merus panis etiam conſecratus? & quia merus, non adorabatur? Imò par eſt eam ipſam ob cauſam. populo communicabatur panis, interdicto, ne guſtarent vino. Neque veritatem futuris temporibus populum miſere cæcutientem, parochi docuerunt, creatorem ſuum, Deum paniceum adorarent, cum ſanguinem vetuſti adorarent, pani vero, hoc *eſt* corpori, non corpori reverentiæ nihil exhiberent. Tertio, ut rotundè rem expediamus, iterum reſpondemus de myſtagogicis illis, ſtylum & characterem novitatem ſapere. dicendi genus & modum à Cyrillo abhorrere in catecheſibus φωτιζομένων. Res hiſce catecheſibus tractatas, ſegnioris eſſe ſæculi, & uſus *poſterioris*. ſcripta etiam quædam exemplaria, in Bibliothecis non Hæreticorum Johanni cuidam, & non Cyrillo, Hieroſolymitano adjudicare.

39. Baſilium quid objectas in Aſceticis? Tu is ipſe es, quantum Ego intelligo, qui nihil utilitatis percipis communione corporis & ſanguinis Chriſti, quod ſis ἄνευ τῆς κατανοήσεως τοῦ λόγου καθ' ὃν δίδοται. ratio illa te fugit: non enim illa eſt Naturalis. eſſe, tu ſupponis. ut ſic eſſe doceas, mirificâ impoſturâ hic Baſilium allegas: in quo, niſi ratio τοῦ λόγου, ſit quod eſſe probandum eſt, nihil inveneris quod cauſam juvet. *Accipientes virtutem cœleſtis cibi, in carnem ipſius, qui caro noſtra facta eſt tranſimus*, ait Leo. ſcio & laudo quod ait Leo. *Hoc etenim in Eccleſia Dei, in omnium ore tam conſonum eſt, ut neque ab Infantum linguis veritas corporis & ſanguinis Chriſti, inter communis ſacramenta Fidei teneatur.* ſed audi quæ ſequuntur apud Leonem: *In myſticâ diſtributione alimonia cœleſtis, non carnali aliqua aut naturali.* eo quo tu obtendis modo, naturali: ut novus adhuc, nec vel in Concilijs Lateranenſi, aut Tridentino auditus Fidei articulus procudatur: nos nempè ipſos *In carnem Chriſti & corpus naturale transſubſtantiari:* carnem illam ipſam Chriſti, quæ de virgine beatâ naſcebatur, obumbrante illam ſpiritus ſancti efficaciâ, cui tamen & author & patronus Gregorius Nyſſenus obtenditur eo quod ſcripſerat Τὸ ἀθάνατον σῶμα ἐν τῷ ἀναλαβόντι αὐτὸ (ſic tu legis, non αὐτῷ: & tamen non erat opus tuâ Criticâ facultate) γενόμενον πρὸς τὴν ἑαυτοῦ φύσιν, τὸ πᾶν μετεποίησε, Corpus Immortale, in illo qui id accipit exiſtens in ſuam naturam Totum tranſmutavit. Verba audio, ſententiam illam nullus video. Quis ignorat enim, τὸ σῶμα illud τὸ ἀθάνατον, in nobis omnino ſubſiſtere poſſe, ut tamen modus non determinetur? Poſſumus etiam in Naturam ipſius transformari, *Ego enim in Patre, vos in me:* & tamen non tuo illo craſſo modo & corporeo, ut ſimus, eadem caro, quæ de beatâ virgine naſcebatur. Hoc à te propoſitum ἐν παρόδῳ, nequaquam confirmatur à Nyſſeno: fruſtrà autem Gregorius allegatur, ubi non aſcendit ad illam *transſubſtantiationem.* Atque ita tu & planus es, & menagyrtes.

Veteres

Veteres enim Patres, quos pro naturali corpore producendos à te expectabamus, producti, & rogati ſententias, de ſacratiſſimo hoc myſterio non aliud adhuc reſponderunt quam quod amplectimur Novatores : *veritatem* nimirum adeſſe, & non inanem neſcio quam *figuram :* veritatis *modum* non determinant aut circumſcribunt: mentem ſanctorum Patrum ementiris, cum in alia non queas verba transformare. Chryſoſtomus enim, utpote qui paſſim orator popularis vehementius rhetoricatur, modum non expreſſit homil. 82, non ut perperam in Diatriba, 83. tantum ait. Chriſtum cum de ſanctâ Euchariſtiâ in ſui memoriam peragendâ loqueretur, ideò non feciſſe mentionem ſanguinis ſui ebibiti, ne ſcandalum audientes paterentur, ἐνέχοντα ἀταράχους (non ἀταράχως) diſcipulos ſuos, εἰς κοινωνίαν μυστηρίων, ſibiſſe tamen ſuum ipſius ſanguinem, ſuum : & tamen adhuc nullum fuderat. Erat in cœnâ cum Apoſtolis, non autem in Cruce inter inimicos : ſi quicquam eſſet in te probi *ſanguinis*, aut *ſalis*, ſanguinem iſtum non profunderes adhuc non effuſum, omnia autem ita intelligeres, uti ſunt omnino intelligenda in myſterio, non carnali acceptione ; aut manducatione orali.

Jam olim de Philoſophis didici, perfectionem partis in eo eſſe, ut cum toto conjungatur. perfectio brachij eſt, ut cum corpore : corporis, ut cum capite jungatur: Ita Philoſophiam tuam de perfectione partium, in coaptatione ſua ad ſuum integrum de conjunctione extremorum per medij cujuſdam interventum, è ſuperficie ſcientiæ Naturalis derivatam, non erat cur te docente cognoſceremus. Quæ, autem à Theologis expreſſiſti, de verbo Deo, in carne viſo, & ἐνανθρωπήσαντι in eum finem, ut medius Dei & Hominum interveniret, & ſana ſunt, & ad rem propoſitam περὶ κοινωνίας cum corpore Chriſti : ſed myſtico, non Naturali, ut in Euchariſtiâ ſacrâ exhibetur. De Fide autem per Charitatem operante, & Dei arcana amplectente, quid Nos verborum tanto tumultu admonebas? abſque enim tuâ hâc admonitione intellexiſſemus, quæ tu à Caſaubono, ille à Chryſoſtomo, mutuabatur. Quaſi Nos non principes & libentiſſimè in hac quæſtione illud Baſilij Seleucienſis uſurparemus, ἄπειρον τοῦτο, ἄπορον κἀκεῖνο. πίστις δ᾽ ἀμφοτέρων λύσις. Hæc enim eſt Fides quæ, ut cum Tertulliano loquar, *contulit intellectum. Niſi*, inquit Dominus, *credideritis, non intelligetis.* Quapropter rectè ſentis, ſi modo ita ſentis, omnia in hoc myſterio pendere à fide. & tecum juxta ſentit Exercitator. ſed vereor ut ſenſus animi tui cum dictis συμφωνοῖ. aliud enim è Patribus, licet irrito ſucceſſu contendebas. aliud illa ἐν τῷ συμπεράσματι, *per Euchariſtiam, cum naturali Chriſti corpore copulamur.* Eſt hæc conjunctio, & eſſe debet, ſenſus, non Fidei aut intellectus. De Fide cum Chryſoſtomo fateris τὸ πᾶν in hoc ſacramento eſſe τῆς πίστεως, & tamen non contentus illius ſimplicitate, ἀπόῤῥητα, ἄῤῥητα, ideoque μυστικώτατα, de ſanguine & corpore Chriſti in Euchariſtiâ, ad modum vocas exiſtentiæ, &

41. Balengerus.

certam aliquam rationem ſubſiſtendi ſub illa præpoſitione *Trans*. quod ſi non dederimus in confeſſo poſitum, & Chriſtum præſentem, corporalem, transſubſtantiatum non admiſerimus, vivicomburio deprehenſi, quod multi olim apud nos non inviti ſubierunt, luemus. Hic verò non magna opus eſt fide, ſi de modo conſtiterit ſubſiſtendi.

42. Fidei ſubjectum in rebus ſacris eſt illud beatæ virginis, *quomodo fiet iſtud:* cum ſupra ſpem, ultra media, Fides aſſurgat: doceatur modus, & *nudior liberide* exponatur, ratio ſine Fide ad apprehenſionem aſſurget. Rectè autem omnino & eruditè non minus quam pie Ambroſius, hujuſmodi ſecreta quomodo eſſent acceptanda docebat. *Etſi non licet mihi ſcire quemadmodum natus ſit, non licet tamen neſcire quod natus ſit. ſeriem generationis ignoro: ſed authorem generationis agnoſco. Non interfuimus cum ex Patre Dei filius naſceretur, ſed interfuimus cum a Patre Dei filius diceretur. ſi Deo non credimus, cui credemus?* Quodſi iſta liceat, & quidni, à generatione ad manducationem referre, quid ulterius in hoc ſacro, ſancto, occulto myſterio laboramus? *Qui manducat quaſi filium hominis, ipſe vivet propter filium hominis:* uti iterum idem pater doctiſſimè concluſit lib. 4. de Fide, cap. 5. Hæc ſi tibi non ſufficiant Bulingere, eſto per me ſecretorum indagator: cave interim, ne a gloriâ opprimaris. Chryſoſtomi locus integer à te aſcriptus, niſi chartæ adimplendæ, non inſerviebat. Quibus tamen verbis, addita ſunt fraudulenter, *Quod conficitur à ſacerdote*, de qua laciniâ ſuis aſſuendâ non cogitavit vir ſanctus, veſtrum eſt illud παραλήρημα, *Corpus Chriſti conficitur à ſacerdote*. dogma perverſum a non minus falſâ opinione. Chryſoſt. præterea nihil dixit, quam τοῦτο τοίνυν σῶμά ἐστι κἀκεῖνο. Idem quod Chryſoſtomi ætate offerebatur, per unum aliquem è multis ſacerdotem, ita enim ille loquebatur, ἡ προσφορὰ fuit, cum ea, quæ per Chriſtum ipſum Dominum in ultimâ cœnâ ſacrabatur. ὥσπερ γὰρ τὰ ῥήματα, inquit, αὐτά ἐστιν, ἅπερ ὁ Θεὸς ἐφθέγξατο, καὶ ἅπερ ὁ ἱερεὺς φθέγγεται καὶ νῦν, οὕτω, ἡ προσφορὰ καὶ ἡ αὐτή. Quemadmodum verba ſunt prorſus eadem quæ Deus loquebatur, & quæ loquitur ſacerdos etiamnum, Ita eſt & oblatio quoque eadem. Qui aliter, inquit, exiſtimaverit, οὐκ οἶδεν ὅτι καὶ ὁ Χριστὸς νῦν πάρεστι, καὶ νῦν ἐνεργεῖ. idem nunc baptiſmus: eadem quæ fuerat, Euchariſtia. vi ſua, & efficaci operatione, non numero tamen eadem aut circumſtantijs. Neque enim qua tu baptizabaris aqua, eadem erat cum illa quâ lotus Eunuchus Æthiops per Philippum: idem tamen baptiſmus Chryſoſtomo. ſed & Chriſtus ubi primum conſecrabat, nondum corpus ſuum in arâ crucis immolaverat. erat ergo myſterium, & Tunc, & Nunc. Nunc eſt enim idem corpus quod extabat Tunc.

In cap. Luc. 5.

43. Audio iſta omnia Chryſoſtomiana. operatur ibi Chriſtus, admirando, & novo modo. *Fide igitur*, quod ais, *opus*. corpus idem audio, eandem προσφορὰν in Chriſti manibus & in ſacerdotis. Neutrobi audio *Confectum* corpus. multa ſunt quæ perſuadent

non

non *confectum*. Itaque libenter eidem præbemus aures παρακαλοῦντι in cap, 26. Matth. *Quia verbum Dei dicit, Hoc eſt corpus meum, & perſuademur & credimus* (male credis Bulingere,* ſi nos aliter credere credis) *& oculis mentis Eum intuemur*. Eum *i.e.* Chriſtum, cui non eſt impoſſibile quodvis verbum: utcumque Nobis nulla ratio occurrat perplexa expediendi. Oculis autem mentis Eum corporali modo, non in Euchariſtiâ, ſed in ſummo cœlo præſentem. verè tamen præſentem in Euchariſtiâ: oculos mentis habenti viſibilem, inviſibilem ei qui ſolos corporeos poſſideat. Illa tua poſtrema è Chryſoſtomo jugulum petunt figmenti illius de corporeitate. οὐδὲν γὰρ αἰσθητὸν παρέδωκεν ἡμῖν ὁ χριστός: Nihil ſenſible tradidit nobis Chriſtus, id quod omnino tamen tradidiſſet, ſi in pane transſubſtantiato poneretur præſens. Quidni autem, & *aquam* illam quâ abluïmur *baptiſmalem*, in *ſanguinem* tranſijſſe doces: ait enim & illud, quod agnoſcis, Chryſoſtomus: & eſt pag. 513. edit. Savilianæ, οὕτω καὶ ἐν τῷ βαπτίσματι, διʼ αἰσθητοῦ μὲν πράγματος γίνεται, τοῦ ὕδατος, τὸ δῶρον, νοητὸν δὲ τὸ ἀποτελούμενον, ἡ ἀναγέννησις ἡ ἀνακαίνισις. Eodem modo & in baptiſmate per rem ſenſibilem, aquam nempe, communicatur Donum, id verò quod perficitur, intelligibile eſt, regeneratio nimirum, vel renovatio. Non disjungit in utroque ſacramento, elementum tranſmutatum: quid tu ſeparas? οὕτως ait utrobique in effectu, & affectu. Dic aquam deinceps in baptiſmo transſubſtantiatam. Dic te videre panem converſum, (& ſunt qui viderunt, aut mentiuntur Legendæ, in altari, etiam cruorem ebullientem) αὐτὸν ὁρᾷς, ait enim Chryſoſtomus, αὐτὸν ἅπτῃ. Tibi neutrum adhuc contigit: non te ſic amavit beata virgo μυσταγωγοῦσα. Pueriliter facis rhetoricando, de Fide Chryſoſtomi, ad tuam fidem relatâ, nimis craſſam & levidenſem, è loco ſuperiori conformatâ. Corpus enim Chriſti *ignis* eſt apud Chryſoſtomum: illud ipſum corpus quod comeditur: ità enim ille loquitur, στόμα τὸ πληρούμενον πυρὸς, os quod igne complectur, de communicante. En ergo tibi & aliam metamorphoſin: ſed quæ Bruti Serviliam potius deceat, quam Chriſtianam; ut ardentes carbones deglutiat ad altare. ambuſtumne ſenſiſti aliquando palatum? ſuaderem ut deinceps cum illo Philoxeno ἐπιγλωττίδα qua utaris inter comedendum, comparares. corpus illud totum ſanguine φοινίσσεται ſeu ῥαντίζεται dixit. inter dentes manducantium æquè ſanguis promanat, atque olim per haſtile beati Longini defluebat, aut in oculos cum perfoderet ſanctum illud latus. γλῶσσαν φοινισσομένην αἵματι φρικωδεστάτῳ. linguam rubicundam ſanguine tremendiſſimo: ſi ῥητῶς acceperis & ad literam; craſſo nimis aëre natus es. agnoſce, quocirca, vehementius illud & incitatum Chryſoſtomi dicendi genus: multùm illum verſari in figuris, quas nemo ſanus perverteret in ſenſum illum qui tuus eſt, ἀνακόλουθον & ἀνθρωποβόρον.

Nec fidem in manducando tollit Pater, quam prius dixerat in hoc negotio habere τὸ πᾶν, dum disjunctione illâ utitur, à te 44.

detortâ, οὐ τῇ πίστει μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ πράγματι. Non fide ſola, ſed etiam reipſa. Non enim quod falſò imaginaris, hæc ad ἀνακίρνει ἑαυτὸν ἡμῖν, noſtram cum illo commiſtionem referuntur, ſed ad, σῶμα αὐτοῦ ἡμᾶς κατασκευάζει, Nos efficit eſſe corpus ſuum ipſus, an vero tu is factus ſis per hanc mutationem, cum ſanguinis Chriſti & corporis particeps fieres, qui natus eſt de beatâ virgine, oblatus eſt in cruce, deſcendit ad infernum, videant qui te norint, curent autem hæreticiſſimæ pravitatis Inquiſitores. Ne erres autem, id vult Chryſoſtomus: Cum Fides ſit ἔλεγχος τῶν μὴ βλεπομένων, atque ideò plerumque in lubrico conſiſtat totum hoc myſterium, ita eſſe ἐναργὴς, ut vel oculis uſurpari, manibus palpari poſſit, ut de verbo vitæ loquitur Johannes in Epiſtola. alioqui, an tu aliquid agnoſcis fide ἐνδεικτικώτερον; ullumne πρᾶγμα vel ἐναργέστατον vidiſti, quam eſt Fides, magis ἰσχυρὸν; non ita Baſilius qui rectè cenſebat, τὸ ἁπλοῦν τῆς πίστεως ἰσχυρότερον ἀποδείξεων. Fidei ſimplicitas, validior eſt demonſtrationibus. *Origenes haud paulo antiquior Chryſoſtomo*, novitatem Corporalis illius præſentiæ benè docet in Johan. *Carnem ſuam vocat metaphoricè*, inquiens, *quia comeditur in myſterio.* ſi metaphoricè, tum modificato modo, non naturali; quia comeditur, non in cœna naturali, vel convivio uſitato, ſed in myſterio. Ait enim, verba ſunt Origenis adhuc, *pànis quem ego dabo, Caro mea eſt, ſignificans obſcurè myſticum potum & cibum eſſe Corporis & ſanguinis ſui.*

45. *Author antiquiſſimus*, qui vulgo mentitur Cypriani nomen, nec tamen Cyprianus eſt, *Creari dixit uſque hodie corpus illud veraciſſimum, & ſanctiſſimum.* Et quid ſi Creari? idem enim eo dixit quod alij etiam Patres qui è ſubſtantia panis, ſubſtantiam corporis effici dixerunt. Certe dixit ille Creari. At tu qui jam olim de perfectione partium didiceras aliquid è Philoſophia, diſcere ab eâdem quoque potuiſſes, non eſſe ſynonyma, Creare & Efficere. Efficit is aliquid, ex aliquo quod eſt, qui de materiâ ſubſiſtente, effectum non idem quod erat facit. Creat autem ille, qui quod nihil erat, ut ſit efficit. *Nam ſolet ex nihilo, genuina creatio dici.* Creavit Chriſtus in Euchariſtia ſancta ſuum corpus, eo modo quo ab initio creavit mundum: quo creat quotidie quas infundit animas. Impius es. ſed non erimus qui tu es, verborum carnifices. Creat, eſto, idem quod Efficit, non eſt tamen Efficit, idem, ut vaniſſimé in ſecundis opinaris cum eo, quod habetur apud alios Patres, è ſubſtantiâ panis, ſubſtantiam corporis Chriſti efficit.

46. Nulli, nullus Patrum hoc affirmat, ſubſtantiam panis, effici ſubſtantiam corporis Chriſti, profer vel unum, & monſtrum illud admittam & amplectar tranſſubſtantiationis. Loquuntur ſcio Patres eo modo, ut dicant *tranſmutari, tranſire, tranſelementari*, in *aliam naturam cedere*, & quæ ſunt alia ejus generis. at malè tu Philoſophe hinc θεολογεῖς, corpus Chriſti in Euchariſtia *tranſſubſtantiari.* Natura panis mutatur accedente illa εὐλογίᾳ a

ſacerdote

Digitized by Google

ſacerdote: manet tamen *ſubſtantia* quæ fuerat panis, è granorum coalitione conſtituti. Nam non neſcis ea minimè dici è converſo. Panis conſecratus, non eſt *panis quem natura formavit, ſed quam benedictio conſecravit.* Hic *natura* mutatur, non *ſubſtantia.* Quodſi autem Patres eo modo loquerentur, hic tamen vides, aurem eſſe tibi vellicandam. *de ſubſtantia panis,* productionem notat, ut de ſubjecto manente quod fuerat, ac producente aliquid quod non ante fuerat in ſubjecto authore. Trans aliud denotat, quam productionem è ſubjecto, itionem nimirum unius in alteram. ita omni modo hallucinaris, cum ut Philoſophus, tum & Theologus, neque Creare, vel Creationem attigiſſes.

Author autem ille tuus antiquiſſimus ſed ψευδώνυμος, quid ipſe ſibi velit, te informet. *Orta fuerat,* ita ille loquitur, *aliquando, ſicut in Euangelio Johannis legitur, de novitate hujus verbi quæſtio & ad doctrinam iſtius myſterij obſtupuerant, cum diceret Dominus, niſi manducaveritis carnem,*&c. *Quod* (dictum) *quidam quia non credebant, nec poterant intelligere, abierunt retrò, quia horrendum ijs & nefarium videbatur veſci humana carne: exiſtimantes hoc eo modo dici, ut carnem ejus vel elixam, vel aſſatam, ſectamve membratim edere docerentur, cum illius perſonæ caro, ſi in fruſta partiretur, non omni humano generi ſufficere poſſet, qua ſemel conſumpta, videretur interijſſe religio, cui nequaquam ulterius victima ſupereſſet. Sed in cogitationibus hujuſcemodi, caro & ſanguis non prodeſt quicquam, quia, ſicut ipſe magiſter expoſuit, verba hæc ſpiritus & vita ſunt, nec carnalis ſenſus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat, niſi accedat fides. Panis eſt eſca: ſanguis vita: caro ſubſtantia. corpus Eccleſia. Corpus propter membrorum in unum convenientiam: panis propter nutrimenti congruentiam: ſanguis propter vivificationis efficientiam. caro, propter aſſumptæ humanitatis proprietatem.* Hæc omnia tuus ille, quiſquis erat author antiquiſſimus, non Cyprianus, ἐκ διαμέτρου oppoſita, ineptiſſimis à te propoſitis rationibus de præſentiâ carnali: neque aliter in alijs idem author, carnalem, corporalem, oralem, in omnibus refutans & refellens manducationem; *Panem* ait, *Angelorum, ſub ſacramento in terris manducamus, eundem ſine ſacramento, maniſeſtius in cœlis comedemus.* ut ſi qui jam ſumus σαρκοβόροι, planè deinceps in ſtatu illo gloriæ, ſedibus aſcripti cœleſtibus indigites fiamus anthropophagi.

Beati Ambroſij locus, è cap. 4. Libelli de Incarnat: quod ad ipſa verba ſpectat, bona fide relatus eſt in Diatribam: peſſimè a te accipitur autem quoad ſenſum. Nam etſi credas a Chriſto carnem eſſe ſuſceptam, & offeras transfigurandum corpus altaribus, non diſtinguas tamen naturam divinitatis & corporis; Transfiguratio illa in altaribus non eſt ſubſtantiæ ſed naturæ: per vim benedictionis ſacerdotalis in alium quam ante *uſum* tranſlatus eſt panis, non per Dei omnipotentiam in aliam *ſub-*

ſtantiam tranſmutatus. Non hic diſtinguis naturam divinitatis atque corporis. carnaliter enim intelligenda contendis, quæ niſi per ſpiritum non poſſunt concoqui. rectè manum Fidei opponit Exercitator, corpori apprehendendo, cœleſti quadam ratione, cum tu, qui præter manum illam carnis non protendis, ſanctiſſimo illo corpore deſtituaris. ſed Chryſoſtomum ſecutus excludis Fidem in actu Euchariſtico & ſacramentali: quaſi porcis & canibus margaritæ, ac non animo mundis traderentur. Paulo prius Chryſoſtomum recitaveras opus hoc diſpertientem inter duo: Fidem ſcilicet & τὸ πρᾶγμα: hic jam, quaſi dicti pœniteret, ſanctus ille Pater, Fidem prorſus excludit, *Non vi Fidei* inquiens: quod eo magis videtur, quod πίστεως eſſe τὸ πᾶν prius affirmaverat, cujus nunc non præcipuæ aliquæ, ſed omnino nullæ partes eſſe dicuntur. Hujusmodi ſomniant eſſe ſanctum illum Patrem, quaſi aiebat, negabat idem de eodem. Verba ejus ſunt homilia de Domini cœnâ myſtica. Οὐ γὰρ ἄνθρωπός ἐστιν ὁ ποιῶν τὰ προκείμενα γενέσθαι σῶμα, καὶ αἷμα Χριστοῦ, ἀλλ' αὐτὸς ὁ Χριστὸς· τοῦτο μοῦ ἐστι τὸ σῶμά, φησι, τοῦτο τὸ ῥῆμα τὰ προκείμενα μεταῤῥυθμίζει. *Non enim homo eſt, qui facit ut propoſita in Altari, fiant Corpus & Sanguis Chriſti: ſed ipſemet Chriſtus ait, Hoc eſt Corpus meum. Hoc verbum præpoſita transordinat.* In quibus τὸ ὅτι aſſignat. ſed Fidem non excludit ab Accipientis actione in Euchariſtiâ, qui per illam, Corpus & ſanguinem realiter ibi exiſtentia, apprehendit, comedit, bibit. Fides, verum corpus ζωοποιὸν repræſentat exhibitum, quod ſemotâ Fide, abeſt, nec repræſentatur. *Hoc eſt Corpus meum*, verba ſunt operativa. & τὰ προκείμενα μεταῤῥυθμίζει. Nec ita deſipimus, non ſacramentarij quos vocant, ut poſt illam εὐλογίαν, & verba ἐνεργητικὰ, mera, nuda, ſolitaria fingamus Elementa; Panem & Vinum. In Liturgicis certè Anglicanis, ab illa μεταῤῥυθμίσει, nunquam ut prius, Panem & Vinum, ſed Corpus et Sanguinem appellamus. Re vera enim exhibent illa Elementa, ut omnia à Chriſto inſtituta Sacramenta, quod figurant. ideoque, quod adurget eo loco Chryſoſtomus, Quemadmodum illa vox, ab initio rerum, *Creſcite, Multiplicamini; & Replete terras*, ῥῆμα ἦν, καὶ ἐγένετο ἔργον, ἐνδυναμοῦσαν τὴν φύσιν τὴν ἀνθρωπίνην πρὸς παιδοποιΐαν: ita et illa vox, *Hoc eſt Corpus meum*, διὰ παντὸς αὔξει τῇ χάριτι τοὺς ἀξίως μετέχοντας. ſed ubi tamen in iſtis explicatur illa ratio per quam verba ſortiuntur effectum illum: Quem ſortiuntur ſanè, agnoſcimus, ſed modum et rationem ἀδιήγητον, ignoramus. Πάρεστιν ὁ Χριστὸς, verba ſunt Chryſoſtomi, καὶ νῦν ἐκεῖνος τὴν τράπεζαν διακοσμήσας ἐκείνην, οὗτος καὶ ταύτην διακοσμεῖ νῦν. οὐ γὰρ ἄνθρωπός ἐστιν ὁ ποιῶν τὰ προκείμενα γενέσθαι σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ· σχῆμα πληρῶν μόνον, ἕστηκεν ὁ ἱερεὺς, καὶ εὐχὴν προσφέρει. ἡ δὲ χάρις, καὶ ἡ δύναμίς ἐστιν ἡ τοῦ Θεοῦ, ἡ πάντα ἐργαζομένη. Τοῦτό μου ἐστι τὸ σῶμά, φησι. τοῦτο τὸ ῥῆμα τὰ προκείμενα μεταῤῥυθμίζει. Adeſt Chriſtus: et nunc ille eam ubi adornavit menſam, ita et iſtam adornat nunc. Neque enim homo eſt, qui propoſita in menſâ facit eſſe corpus et ſanguinem Chriſti. ſtat ſacerdos, formam adimplens ſolummodo, & orationem

tionem offert: Dei autem Gratia & Potentia eſt quæ omnia operatur. Ait, *Hoc eſt Corpus meum.* Iſtud verbum propoſita tranſmutat. Hic eſt locus ille integer, quem velut Abſyrti membra κρεανομοῦντες διακόπτουσι. Agnoſcimus veritatem τοῦ πράγματος. Chriſti verum corpus προκείμενον, in altari. poſt verba conſecrationis à ſacerdote pronunciata poteſtatem ἀδιήγητον & παντοδύναμιν Inſtituentis modum agendi non habemus expoſitum. Nam modus ille θεουργὸς ſub noſtro acumine, aut intelligendi modo, non cadit. Non eſſe Naturalem, certum eſt. Nam & ἐσφαγμένος πρόκειται in altari, ait idem Pater. Nec eſt tamen iterum occiſus à ſacerdote, nec tanquam Virbius Reſurgit toties. Moritur iterum, ſi ita: Imo οὐχ ἅπαξ moritur. & tamen ἀληθεύει qui dicit, *Non moritur iterum*: Mors iterum non κυριεύει illius. ſed τελεῖται, vi & efficaciâ ſuæ Operationis: ut et olim, ante Crucem, erat *Agnus occiſus ab origine mundi*. Non crucifigitur, frangitur, transfoditur in Altari; licet panis τὸ σῶμα figatur, frangatur, diſtribuatur: et calix, τὸ αἷμα effuſum combibatur. Corporale nihil horum eſt, in Euchariſtiâ: quæ conjungit Chryſoſtomus memorato loco. quæ non ſunt, in alicujus gratiam ſeparanda.

Ex quo à Domino dictum eſt, *Hoc facite, in Mei commemorationem.* Hæc eſt Caro mea: & hic eſt Sanguis meus, *Quotieſcunque his verbis, & hac Fide actum eſt, Panis iſte ſuperſubſtantialis* (ὑπερούσιον ſic appellat) *& Calix Benedictionis ſollenniter ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutemque proficit*: inquit Antiquus Bulengeri author, non Cyprianus. His verbis. Hac Fide. In poteſtatem proloquentis, Fides ſe retinet, ſed authori reclamat diatriptes. Apagè ergo Fidem. Aio enim inquit verum Corpus in Euchariſtiâ eſſe. et hoc ego aio. Non vi Fidei, ſed vi verborum Chriſti? ait ſatis pro Imperio. Et Fide, & vi verborum. Ideo Fide, quod vi verborum. Quid enim, an non Theologi docent omnes, Dei Omnipotentem voluntatem & Fidem non eſſe ἀσύστατα, cum Fidem doceant nihil aliud intueri quam vim verborum Chriſti? Non eſt apud Deum, authore Angelo Gabriele, *Impoſſibile omne verbum.* Eſto ῥῆμα. Hæc dicit Dominus. erit πρᾶγμα. Nam *dixit, & Facta ſunt. Juſſit, & Creata ſunt.* Dicat Dominus, *hoc eſt Corpus meum.* Credet Fides, *Hoc eſt Corpus meum.* Eſſe Corpus, non facit Fides: at eſſe mihi Corpus, facit Fides. In Euchariſtia, τὸ mihi, non eſt ablegandum in Utopiam: Maledictus Ille qui ſeparet Quæ conjunxit, tam arctè Deus. 49.

Nyſſenus ais, ſcripſit Catecheſin magnam. ſcio Catecheſin: ſed magnam an parvam inſcripſerit, neſcio. Ideo ſcripſit autem, ut doceret, ὅτι ὁ ἁγιαζόμενος ἄρτος εἰς τὸ σῶμα τοῦ θεοῦ μεταποιεῖται. quod ſanctificatus panis in corpus Chriſti transformatur. Nomen Catecheſis, refellit hoc inſulſum commentum: In uno ſolo capite Fidei non verſatur Catechiſta coarctatus. Apertè ita delirat. ſed et Gregorium mentitur. Minima enim pars eſt magni illius operis, hoc Argumentum tractatum, de Pane transformato in 50.

Corpus Chriſti : Non excedit Catecheſis numerum capitum quadraginta. Argumentum de Euchariſtiâ non aggreditur ante Caput xxxvii. tractare, ſed & illud ipſum caput, non illo titulo inſcribit. nec eſt ejus lemma quod fingit, ὅτι ὁ ἁγιαζόμενος ἄρτος μεταποιεῖται εἰς σῶμα χριστοῦ. in qua per omnia conſentimus. Nam quoties iterandum, tertiandum, & ingerendum eſt tibi, homini præfracto & perverſo, potius quam obliviofo, Nos in hac Quæſtione, non averſari, μεταποίησιν, μεταβολὴν, μεταρρύθμισιν, μετάληψιν, μεταστοιχείωσιν, & ſi quæ ſunt aliæ, in eandem rem apud Græcos Patres uſurpatæ, voces. Fit enim prorſus ſumma & inſignis Elementorum illorum, in ſacratiſſimâ illâ actione mutatio. ſed nos non poſſe concoquere μετουσίωσιν, de ſubſtantiâ in ſubſtantiam Transabitionem: Panis Subſtantiæ, in Corporis Chriſti ſubſtantiam alterationem. Rem geſtam, rem nudam deſignant illæ voces, ſine Modo: hæc Modum determinat : conſtringit & coarctat divinam operationem, et Fidem deducit, ad communes ſenſus. τὰ σύμβολα τοῦ σώματος τοῦ δεσποτικοῦ καὶ τοῦ αἵματος, ἄλλα μὲν εἰσι πρὸ τῆς ἱερατικῆς ἐπικλήσεως, μετά γε τὴν ἐπίκλησιν μεταβάλλεται, καὶ ἕτερα γίνεται, ἀλλ' ἐκ οἰκείας ἐξίσταται φύσεως. *Dominici corporis & ſanguinis ſymbola, alia quidem erant ante invocationem Sacerdotalem: poſt invocationem*, ait Theodoretus, *transferuntur in alia, & alia fiunt, non tamen à ſuâ ipſorum Naturâ receſſerunt.* Hæccine rem acu, Juli Cæſar. Tu age, teſtimonium huic par et componendum ſuggere, de transſubſtantiato pane, ex aliquo vetuſtiorum Patrum etiam infra ætatem Theodoreti μεταβολὴν agnoſcit nobiſcum ille: ἱερεῖα nobiſcum profitetur: non tamen admittit Transſubſtantiationem : Naturam eandem ſymbolis aſſignat poſt Conſecrationem, ut non aliam, quam nondum Conſecrata obtineant.

51. Sed nondum cauſæ patrocinium deſerit advocatus Dial. II. pag. 38. objecerat hanc μεταβολὴν Eraniſtes. reſpondet ei ſtatim Orthodoxus. *Laqueis, quos intenderas irretitus teneris.* οὐδὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν, τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως· μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους, καὶ ὁρατά ἐστι, καὶ ἁπτὰ, οἷα καὶ πρότερον ἦν. νοεῖται δὲ ἅπερ ἐγένετο, καὶ πιστεύεται, καὶ προσκυνεῖται, ὡς ἐκεῖνα ὄντα ἅπερ πιστεύεται. *Neque enim poſt conſecrationem myſtica illa ſymbola à ſuâ propriâ Naturâ receſſerunt. Manent ſiquidem ſubſtantiâ eadem: figura, ſpecie, eadem: viſibilia, tangibilia ſunt, ut & prius erant. Intelligitur tantum ea eſſe quæ fiunt, creduntur, & adorantur, tanquam illa ſint revera, quæ creduntur eſſe.* Cumque Eraniſtes, quod vos quoque facitis, inſtaret: At προτέραν ἀμείβει προσηγορίαν, alio nomine poſt Conſecrationem, quam quo prius, deſignantur. Non enim, ut prius dicitur Panis, ſed corpus Chriſti; reſpondet iterum, Orthodoxus, Non σῶμα μόνον, *corpus tantum Domini, nominatur*, ἀλλὰ καὶ ἄρτος ζωῆς, *ſed Panis etiam vitæ*, quod verum eſſe ſexcentis productis teſtimonijs probare poſſum, & Dial. etiam I. pag. viii. in eandem planè ſententiam loquitur. Ὁ γὰρ δὴ τὸ φύσει σῶμα σῖτον καὶ ἄρτον προσαγορεύσας, καὶ αὖ πάλιν ἑαυτὸν ἄμ-

Digitized by Google

πῖλον ὀνομάσας, οὗτος τὰ ὁρώμενα σύμβολα τῇ τοῦ σώματος καὶ αἵματος προσηγορίᾳ τετίμηκεν. οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικώς. *Qui enim corpus naturale ſuum, triticum & panem nominavit, & ſeipſum inſuper vitem appellavit : Ille ipſe ſymbola viſibilia, appellatione ſui Corporis & ſanguinis honoravit : nequaquam Naturam immutando, ſed Gratiam ad Naturam ſupplendo.* Non ſunt iſta penitus incomprehenſa ait, ut vobis ad modum illum Tranſubſtantiationis fugiendum ſit. Δῆλος, ait, ὁ σκοπὸς τοῖς τὰ θεῖα μεμυημένοις : *Hujus myſterij ſcopus apparet ſatis illis, qui rerum divinarum ſcientiâ ſunt inſtructi,* vel ad participationem myſteriorum admiſſi. Voluit enim, Participes factos myſteriorum divinorum, μὴ τῇ φύσει τῶν βλεπομένων προσέχειν, ἀλλὰ διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων ἐναλλαγῆς πιστεύειν, τῇ ἐκ τῆς χάριτος γεγενημένῃ μεταβολῇ, *Non attentos eſſe, ad illa quæ oculis cernerentur, ſed per mutationem illam factam in Nominibus, mutationi per Gratiam factæ fidem adhibere.*

Habes fidem noſtram Bulingere, verbis expreſſiſſimis à Theodoreto Novatore perſcriptam & promulgatam, ut non eſſet opus tua περίεργα ulterius perſequi, niſi quod poſtquam ſemel huc deſcendimus, neceſſe ſit ut tua omnia veſtigia non omittere, Sanctus Cyrillus de nomine citatus in Diatribâ, comparet. ignorat inquam rem, non minus quam ego, curve hic citetur. Loquitur autem, τὸ σῶμα ἐνδυσάμενον τὴν ἀφθαρσίαν μεταποιεῖται: *Corpus veſtitum immortalitate, transformatur, ut ferrum in igne, fit ignis.* Quæ ſunt omnia, πρόδηλος ἐστὶν. Putaſne enim, participato corpore Jeſu Chriſti, eo ſcilicet, quod in Cruce pependerat, de beatâ Virgine incarnatum, quod, rurſus atque iterum in altaribus veſtris occiſum immolatur, participantem quemcunque in Euchariſtiâ, reddi continuo corpore immortalem? Quid agis tum in ſæculo, qui major es ſæculo? Quid Piſis profiteris adhuc Theologiam? 52.

> Ναὶ βροτέων μέγα φαῦλα, μετὰ προτέρην χύσιν οἴνου
> Οὐράνιον πῶς νέκταρ ἀμειβόμενοι κυπέλλοις,
> Συνῆθροντες Ἀπόλλωνι, συνέστιοι υἱέϊ Μαίης.

Nam credo ego, Deglutiſti, non unâ vice Jeſum Chriſtum in Euchariſtiâ μελετήσαντα. an potius corpus illud quod ἐνδύεται ἀφθαρσίαν Chriſti corpus eſt, è pane transſubſtantiatum.

Cyrillum capio, Te non intelligo. ille, ne verbum quidem illo loco, imò ne totâ quidem Catecheſi xviii. de ſacramento, 53.
vel corpore Chriſti participato loquitur. Tractatum inſtituit, de Reſurrectione Chriſti capitis jam conſummatâ, noſtrâ olim futurâ, cum, uti loquitur B. Paulus, quem ideò appellat Catechiſtes, Δεῖ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν: *oportet,* & quidem neceſſariò, *hoc corruptibile induere incorruptionem; & mortale hoc induere immortalitatem.* Hinc ille infert, illa tibi recitata, Τὸ γὰρ σῶμα τοῦτο ἐγείρεται ἐνδυσάμενον ἀφθαρσίαν, truncaſti enim locum ab utraque parte, μεταποιεῖται, ὥσπερ σίδηρος πυρὶ προσομιλήσας γίνεται πῦρ, μᾶλλον δὲ ὡς οἶδεν ὁ ἀνιστῶν κύριος. *Corpus hoc excitabitur indutum incorruptibilitatem,*

tatem,

tatem, transformabitur. ſicut ferrum igni, injectum fit ignis: magis autem ſicut novit Dominus qui ſurrexit. Hæc poſtrema Cyrilli verba debueras non omittere. Nam docent te ſapere ad ſobrietatem. & ſi modo hic loquutus fuiſſet beatus Cyrillus, de Corpore Chriſti in Euchariſtiâ, actum foret de portento illo Transſubſtantiationis, ſaltem ex ſententiâ Catechiſtæ Cyrilli, ſed et illa evertunt commentum hoc, quæ de ferro ignito adduntur. γίνεται ferrum πῦρ. nihil enim ſentitur, videtur, præter ignem in ferro. neque tamen ferrum vel ignitiſſimum μετουσιῶται. ferrum eſt nihilominus natura ſuâ integrâ remanente, licet alijs veſtitum qualitatibus. & ideo vel de camino extractum, vel aquæ immerſum redit ad naturam ferri, ſic & corpus conſecratione ſanctificatum, finita illa ſacra actione, deſinit eſſe Corpus Chriſti. Neque repugnamus, quin Panis ad eundem modum tranſeat in corpus Chriſti; quatenus ſervatis ſervandis fieri poteſt. Ita πάντα γίνου: In omnes formas te verte, in omnes te transfer parteis, è ferro ignito apud Cyrillum non extundes opinionem tuam tam abſurdam. ſed quod deerat in illa ῥήσει Cyrillianâ, ſupplebis in ſequenti ὥσπερ γὰρ ὁ ἄρτος inquit, καὶ ὁ οἶνος τῆς εὐχαριστίας, πρὸ τῆς ἁγίας ἐπικλήσεως τῆς προσκυνητῆς τριάδος, ἄρτος ἦν καὶ οἶνος λιτός, ἐπικλήσεως δὲ γενομένης, ὁ μὲν ἄρτος γίνεται σῶμα Χριστοῦ, καὶ ὁ οἶνος αἷμα Χριστοῦ. *Sicut enim panis & vinum Euchariſtiæ, ante ſacram Invocationem, adorandæ Trinitatis, panis tantum eſt & vinum ſimplex, Invocatione verò factâ, Panis fit corpus Chriſti, vinum ſanguis Chriſti:* ita ille Catech. 1. myſtagog. ſed non pungunt, ne quidem pertingunt iſta. Primum, quia, quod jam dictum ſemel atque iterum eſt, ſuppoſititia ſunt, & Cyrilli nomen atque authoritatem mentiuntur. Tum quod nihil prætereà docent, quàm quod in ferro ignito admiſimus, nec vocantur ea à quoquam in quæſtionem. Veritatem docent corporis & ſanguinis Chriſti; de quo lis nulla tibi nobiſcum intercedere debet: *Panis fit corpus, vinum fit ſanguis.* Hoc fatemur. modum Veritatis non docent, quo Panis fit corpus, Vinum fit ſanguis, de quo ſolo quæritur, & inter parteis litigatur.

54. Irenæus non aliud aſſeruit Lib. 5. cap. 11. quam deinceps expreſſit Auguſtinus, cujus illa ſunt decantatiſſima, *Accedat verbum ad elementum, & fit ſacramentum.* Nam quod ait, *ex ſanguine Chriſti, & corpore Chriſti conſiſtere & augeri carnis noſtræ ſubſtantiam,* an non tibi ῥητὸν iſtud, σκληρὸς videtur eſſe λόγος, Bulingere? Sententiam certè non excuſant veſtri à duritia, interpretatione tantum ſuâ mollire conantur. *Quod dicit, ex his augeri corpora noſtra,* inquit Roffenſis Fiſherus apud Feuardentium, *iſtuc opinor ſpectat, Vt ſicut tritici granum poſt mortificationem ejus auctius & multiplicius è terrâ ſurgit, ita & corpora noſtra, poſteaquam ad exinanitionem cinerum per mortem redacta ſunt, virtute tamen carnis ipſius vivificatricis, quâ paſti ſumus & unum effecti, cum illo capitali grano, tandem ad cumulatiorem reſurgemus gloriam.*

riam. Vel amplectere hanc Roffenſis interpretationem, vel aliam excogita commodiorem ſi lubet, verborum non ſatis commodé poſitorum ab Irenæo, vel redditorum ab Interprete: quæ vel ſic etiam ſunt ἀπροσδιόνυσα, cum non de ſacramento Euchariſtiæ, ſed Reſurrectione corporum tractet pater. Nec apparet ex iſtis Irenæum ſenſiſſe, vi verborum Conſecrationis, non vi Fidei per Manducationem fieri Euchariſtiam corpus Chriſti. Fidem non excludit. corpus fieri docet. Docemus & credimus, vi verborum & inſtitutionis Chriſti; fieri, quod fit, corpus Chriſti: *Accedit enim verbum, & tum fit*, quod non fuerat, *Sacramentum*. Neceſſe eſt præcedat participationem omnem conſecratio. *Quando percipit verbum, fit corpus*, ait Irenæus. ſed, *ex quo augetur carnis noſtræ ſubſtantia*. Quid ſi autem non augeatur, hoc eſt, non percipiatur panis conſecratus, illud erit an non, ſic conſecratum, confectum corpus? videtur, quod non Irenæo. tibi contrarium, ſed mirificè ſectaris λεπτολογίας. Non manducatio facit ut ſit corpus: ſed conſecratum, per fidem ex vi verborum & inſtitutionis divinæ fit participanti corpus. Hæc clariſſima ſunt apud Irenæum. Quid te malum, impulit ut perturbares omnia? ſed obſcure indicatum Irenæo, *Diſertius aſſeruerant alij Patres*. Greg. Niſſenus de Corpore Chriſti, *Pulchrè nunc verbo Dei ſanctificatum panem in corpus Dei, Verbi, credimus transformari*. ſed reſponſum eſt jam prius Nyſſeno. Tu nunquam efficies apud illum, ubicumque tandem latet illud opus Nyſſeni *de Corpore Chriſti*, μεταποίησιν eſſe μετουσίωσιν: aut qui rem docet & deſignat, rei quoque modum circumſcribere. aut qui μεταποίησιν verbo aſcribit, Fidem excluſam ablegare. Verbum ſi non eſſet, nulla foret Fides. ita ſtultè à te iſta diſpalantur.

Digrederis ad Fidem per prolepſin quandam, non magnopere tempeſtivam: *Objicies fortè*, ais, *ex Apoſtolo, fidem eſſe ſubſtantiam rerum ſperandarum, apparentiam non apparentium*, ἔλεγχον τῶν οὐ βλεπομένων. Et te quæſo, in Altari βλέπεται corpus Chriſti? Dic ſodes, quot vicibus vidiſti *corpus*, & non Panis & vini accidentia? Paniceus ille Deus, an te toties reſpexit vultu benigniore, & myſterium ilud præſens revelavit? Ita opus eſt omnino, ſi ſolâ vi verborum Chriſti, non aliquo prorſus fidei interventu: niſi tanquam aſinus ad molam acceſſiſti: ſi πράγματι & non πίστει, ſic quoque nuper locutus eras, corpus Chriſti fit, exiſtit, & repræſentatur. An Fidem negas ἔλεγχον τῶν μὴ βλεπομένων; *Argumentum*, transfers, *non apparentium*. Libenter negares ſi liceret: γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, negare non audes. radis ergo ῥῆσιν illam Apoſtolicam. *Ea verba non efficiunt, ut res abſens virtute Fidei præſens fiat*. Nimirum, Apoſtoli verba hoc non efficiunt. Quid tum mi homo, efficiunt ea verba? Prorſus nihil: inania ſunt, docent nihil. ſi quicquam docent, idem quod ſenſus, oculi, aures. Nam præſentia tantum Fides intuetur, abſentia certè non intuetur. Non enim, *virtute Fidei res abſens præſens fit*, & tanquam præſens repræ-

55.

Digitized by Google

repræſentatur. & tamen ἐλπιζόμενα ſint non præſentia. τὰ μὴ βλεπόμενα ſunt abſentia: cum non ſecundum locum aut diſtantiam, ſed κοινωνίαν & ἀκοινωνησίαν omnino ſit præſentia. Πίστει νοοῦμεν, ait Apoſtolus, κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας. Quaſi deducti in rem præſentem, cum ante tot ſæculorum ſæcula fundaretur Terra ſuper aquas. Præſens tum non interfuiſti divino illi opificio. Fides tamen efficit, ut abſens illa rerum creatarum productio, præſens tibi fiat, apud Moſen lecta, audita, credita. Niſi forſan ex animi ſententiâ loquaris, & quod minimè opinabamur, inter Eos nomen profitearis, qui, *Nihil de nihilo* oriri poſſe: & aliquid in Nihilum reſolvi non poſſe, arbitrabantur. age ergo, cum Galeno & Græcis omnibus apud Theodoretum, ſimplicitatem ſubſanna Chriſtianorum. Qui dicebant οὐδὲν ἄλλο λέγοντας ἡμᾶς προσφέρειν τοῖς τὰ θεῖα παρ' ἡμῶν παιδευομένοις, ἢ τὸ τῆς πίστεως περιγράφειν. nihil nos aliud ipſis offerre, qui rebus Theologicis apud nos Inſtruuntur, quam fidem, aut credulitatem. Nec cum Alexandrino Clemente, conſpira, Πίστις συνέχει τὴν Ἐκκλησίαν. Certè quàm proximè ad horum hominum ſarcaſmos, quos modo dixi, acceſſiſti: & penitus tranſiiſſes in eorum caſtra, ſi non μικρόν τι, & profecto quid exiguum, Fidei ſtatim indulſeras, *Niſi fortè per cogitationem*. Non efficit fides, ut quicquam abſens repræſentetur animo tanquam præſens (quicquid Apoſtolus obloquatur) niſi fortè per cogitationem, *quomodo ſolemus abſentes amicos, oculis animi cogitando intueri.* apage ergo Theodoretum, cui Fides eſt, ἑκούσιος ψυχῆς συγκατάθεσις. vel ἀφανοῦς πράγματος θεωρία. vel ἔνστασις περὶ τὸ ὄν. vel κατάληψις τῶν ἀοράτων. vel διάθεσις ἀναμφίβολος ἐν ταῖς ψυχαῖς. Apage illud Tertulliani, cum *Credimus, nihil ulterius deſideramus*: item Origenis, Οἰκεία ἀπόδειξις τοῦ λόγου. Illud Nazianzeni, πρὸς οὐρανὸν ἀνιπτάμενοι (remigio fidei) πεζὸς ὤν. imo illud Pauli, 1. Cor. 2. 4. ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως. & illam διαβόητον, ſed inanis tandem πληροφορίαν, nuda tantum fides eſt repræſentatio, non eſt ἔλεγχος non ὑπόστασις non apparentium rerum.

56. Iſta ut præter te alius effutiret Bulingere? Nyſſenum appellas. ille tamen reſpondet, (agnoſce vocem in excerptis) eſſe Fidem ἔρεισμα τῆς τῶν ἐλπιζομένων ἀδηλίας. *ſtabilimentum* vertis ipſe, *& firmamentum obſcuritatis rerum ſperandarum.* Ecqua nuda cogitatio fundamentum, firmamentum & ſuſtentaculum dicetur, hoc eſt, Paulo ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων. Ita tibi fortaſſis eſſet ἔρεισμα, ſi non Pontificatus, at ſaltem galeri Cardinalitij; Nam cogitationem illam animo tuo obverſatam aliquando non inficiabere, ſi non mentiarere, cum & Nobis interdum Hæreticis obverſetur. In rebus autem Chriſtianæ doctrinæ, *Accipe quod ſentitur, antequam diſcitur, nec per moras temporum longa agnitione colligitur*, ait Cyprianus, *Sed compendio Gratiæ maturantis hauritur.* et crede illum te affari, de Chriſti corpore & ſanguine, in ſacramento, quod dicitis altaris, per Gratiæ compendium repræſentatis. Ain' vero, tecum ut deſipiat, imo & blaſphemet Chryſoſtomus? idque

idque eo, non alio loco quam quo longè anguſtiora de fide beatus Apoſtolus in illa ad Hebræos prædicabat? deliras planè: ille, Oecumenius, Nonnus, alii, magnifica de Fide commentantur. Itaque velut transfuga in caſtra adverſaria: aut velut ἐμβρόντητος & mente captus, dilaberis ad illa, de quibus nemo dubitat. *Sunt quæ ſperantur, præſentia non in re, ſed in mente ſperantis.* Inſulſum caput. Hoccine propoſitum ab initio? Id volebat ſcilicet Exercitator: aut tu eum fingere poteras voluiſſe dicere, Revera & ὑποστατικῶς rem illam quam credimus adeſſe Nobis. Quaſi quis adeo tecum inſaniret? Ut quia credimus futuram Reſurrectionem carnis, ideo præſens ſit reipſa Reſurrectio. An alius à te aliquis τρισκαιδεκάπηχυς ἀνὴρ, iſtiuſmodi σκύβαλα ἀγεννῆ attulit aliquando? Mentem elevat, aſſenſum firmat, uſum fructum confirmat rerum ſperatarum fides, atque ita εἶναι καὶ παρεῖναι τρόπον τινὰ παρασκευάζει, quæ nondum ſunt opere adimpleta. Major eſt hæc evidentia, quam obtutus animi, vel intuitus in abſentium rerum formas. alîus generis præſentia, quàm eſt earum Idearum, quæ veluti inſomnia, obverſantur animo. ecquid auguſtius de quavis re poterit uſurpari, quàm eſt Nonni illius metaphraſtæ Fidei elogium in Diatriba, Πίστιος ἀῤῥαγέεσσιν ἐπυργώσαντο θεμέθλοις.

Fides eſt in cognitione. ita aſſentior: ubi γνῶσις & πίστις ſe invicem 57.
ſuſtentãt, & manuducunt, & mentẽ obfirmãt de ſperatis aliquãdo percipiendis. ſed & ſuppoſitâ piâ affectione voluntatis abſq; ullâ formidine, propter authoritatem revelantis, cui fides innititur ut objecto. Ideo nulla cognitio, ſcientia nulla, quippe de quarum ſubjectis rebus σκέψις & ἐποχὴ etiam in gradibus excellentibus haberi poteſt, ad Fidei πληροφορίαν aſcendit. Itaque in excerptis tuis B. Chryſoſtomus ait, *Neque Fides eſſe poteſt, niſi quis certior ſit de Veritate eorum quæ non videntur, quàm quæ videntur.* Ad quod aureum certè dictum mellitiſſimi ſcriptoris, gloſſam appingis maledictam. *Hoc ille vult, Fidem eſſe cognitionem, ſed obſcuram.* Ita vacillas incertus huc illuc: quod neceſſe fuit omnino, poſtquam à Veritate ad ineptias, ſi non blaſphemias, deſcenderas, ut Fidem, illam Hæreticorum Deam & τὰ πιστά omni modo depreſſam evacuare poſſis: ſed melius veſtri docent Theologi: cùm ſit triplex in rebus, quæ haberi poteſt, *certitudo*, Moralis, Evidentiæ, & Fidei. cumq; illa moralis in opinione potius & probabilitate conſiſtens admittat formidinem. Evidentiæ autem certitudo illam non admittat, ſive ſit exterior quæ de particularibus, & obviis per ſenſum acquiritur, ſeu etiam interior per principiorum intellectum & ἐνέργειαν: Illi tamen Certitudini Fidei maximam aſcribant, quemadmodum loquuntur, *adhæſionem & firmitatem, excedentem adhæſionem evidentiæ exteriorum ſenſuum, & ſcientiæ ac intellectus principiorum omnium, eo quod Virtuti, & promiſſionibus Divinis Fidei illa* πληροφορία *innitatur:* Eſt tamen hæc Fidei Evidentia evanida imbecillis: nihil agit, rem abſentem nequaquam ut præſentem repræſentat: Credita & ſperata non aliter proponit, quam

quàm quo modo phantaſia cogitantis, ſolem geminum & duplices ſolet Thebas repræſentare. aut, *veluti mens omnis aberrat, in vultus quos finxit amor.* Ut ſola cogitatio, & nuda phantaſia, firmamentum ſit, & συνεκτικὸν ἔρεισμα Eccleſiæ ſuper Petrâm ſolidatæ. Non enim aliter res abſentes, Deum, Chriſtum, Reſurrectionem, vitam æternam ſuggerit & repræſentat Fides Theologica, quam abſentem tibi Bonſium Cardinalem cogitatio, aut ſi vis, Cynthiam Poetæ umbro. Scutica & flagellis digna Theologia, ſive Pariſina, ſeu Piſana.

58. Fides eſt ὑπόστασις, hoc eſt, interprete beato Chryſoſtomo, χαρίζεται τὴν ὑπόστασιν. Imo potius non largitur tantum & impertit τὴν ὑπόστασιν, ἀλλ᾽ αὐτὴ ἐστιν οὐσία αὐτῶν. Quæ cum tu, ex ipſo illo Chryſorrhemone recitares, poſtquam prius meram eſſe phantaſiam dixeras Fidem, ſubiit animum cogitare, hoc eſt tuum πιστεύειν, peregrinatam a corpore tibi mentem fuiſſe. Ille enim pater ita ſtatuit. Ἡ πίστις ἐστὶν ὄψις τῶν ἀδήλων (non ait φαντασίαν eſſe, ſed ὄψιν, Fidem.) καὶ εἰς τὴν αὐτὴν τοῖς ὁρωμένοις φέρει πληροφορίαν, τὰ μὴ ὁρώμενα. *Eſt Fides, rerum abſtruſarum intuitus, quæ nequaquam ſubiecta oculis, in eandem deducit certitudinem cum iis, quæ cernuntur & uſurpantur oculis.* Neque ſatis fuit huc Fidem evexiſſe, addit, Εἰ μὴ τῶν ὁρωμένων σαφέστερον περὶ τῶν ἀοράτων πεπληροφόρηταί τις, πίστις εἶναι οὐ δύναται, *Fides nullo pacto eſſe poteſt, niſi quis per illam magis certus fiat de rebus invifibilibus quàm ſit, aut eſſe poteſt, de viſibilibus.* ſed ad hanc non aſpirat, ait idem alibi, niſi γενναία καὶ νεανικὴ ψυχὴ, καὶ πάντα ὑπερβαίνουσα τὰ αἰσθητά.

Πᾶσιν δὲ θνητοῖς θνηταὶ κόραι εἰσὶν ἐν ὄσσοις,
Ἀδρανέες δ᾽ ἰδέειν Δία τὸν πάντων μεδέοντα.

Omnibus mortalibus pupillæ mortales ſunt in oculis. Infirmæ autem ſunt ad intuendum omnium rerum moderatorem Jovem. Non eſt ergo mirum, ſi vertiginoſus, in incerta & contraria revolvaris, de fidei certitudine, & ἀμβλυωπίᾳ. Ut nimirum excuteres nobis de manibus, illud quod eſt τὸ πᾶν in myſteriis ſacris, & ad cogitationes χαμαιπετεῖς, à cœlo ad terram, ad cœnum deduceres. Fide credimus, apprehendimus, applicamus, fruimur. Τί δὲ βούλεσθε αὐτὰ ἰδεῖν; *Quid eſt quod oculis* (hæc myſteria) *uſurpare velitis*, aiebat de objecto Fidei in genere Chryſoſtomus. ἵνα ἐκπέσητε τῆς πίστεως, καὶ τοῦ δίκαιοι εἶναι. *ut ſic à Fide excidatis, & deſinatis eſſe juſti.* ὑμεῖς δὲ εἰ βούλεσθε αὐτὰ ἰδεῖν, οὐκ ἔτι ἐστὲ πιστοί. *Vos ſi illa oculis intueri vultis*, (carnali modo Chriſtum in Sacramento altaris) *non eſtis ulterius Fideles, ſed nec juſti.* Sed è diverticulo in viam, de Euchariſtiâ.

59. Bene habet autem, quod tandem non peſſimè ſenſerit de ſacramentis Eccleſiæ Exercitator. *Propius illa quàm verbum, gratiam animis noſtris admovent, & exhibent aliquanto efficacius. Canales* quoſdam opinatur Caſaubonus, & deducendæ derivandæque in noſtras mentes divinæ gratiæ, tubos atque ὀχετούς: non tantum pignora & arrhabonas divinæ nobiſcum ſtipulationis:

nedum

nedum nuda ſigna & σημειώσεις ſacramenta. Et quid quæſo docuere, aut etiamnum docent veteres Theologi & recentiores, noſtri veſtri, è diverſis tamen ut volunt eſſe partibus? Conſpirant opinor, & communi quodam conſenſu coëunt (nam μία vel etiam plures χελιδόνες ἐ ποιοῦσιν ἔαρ) contentine poteſtis eſſe hoc συμψηφισμῷ, & in cauſâ συγκαταβάσει. Tranſactum erit inter Partes, & concordatum. At veſtri, quæ illorum eſt fatalis in divinis myſteriis θεουργία, & σκεύεσι, *Organa* interponunt nobis *Phyſica*, non contenti quòd profiteamur Moralia illi muneri deſtinata & applicita, & ex deſtinatione inſervientia. Veteres moralitate organorum erant contenti: novitii, nuper nati, Oratores novi, & forſan etiam quod ſequitur ſtulti ad Antiquorum ſcita, Phyſicen operationem addidere. Quod ſi Phyſica concedantur eſſe, aufer hinc illam moralitatem, moralem uſum; cum φύσις & θέσις, Naturale & Morale toto genere diſparentur. Videant ergo *Theologi veſtri*, quomodo, *Organa, non moralia modò, ſed & Phyſica, Gratiæ efficiendæ eſſe defendunt* Sacramenta. Spiritus Sancti *Munus eſt*, ait Ambroſius, *gratiam implere myſterii*. Organis utitur & canalibus Sacramentis: ſed non credo de neceſſitate. & apertius B. Cyprianus: *Sanctificatis elementis effectum, non propria ipſorum Natura præbet, ſed virtus divina potentius operatur*. Hæc illi veteres. & iſtis adhuc multo recentiores, conſpirant; *Si vaſa ſint gratiæ ſpiritualis*, ait Hugo Victorinus, *Sacramenta, non ex ſuo ſanant, quia vaſa ægrotum non curant, ſed medicina*. Sunt inſuper *ſigna* ſacramenta, dixerat Caſaubonus, & aſſenſum præbes. Sunt & *teſſeræ* etiam ais militares.

In cap. 3. Lucæ.

De Chriſmate.

De Sacram. l. 4

In effectis Baptiſmi, è Chryſoſtomo metamorphoſin admittis cum Exercitatore. Sed Bonum factum, explicaſſes quo modo admittis. An corpora mutata in novas formas, ut Nicander, Bœus, Ovidius, alii olim commenti ſunt? abhorres, credo, modum tam craſſum & Naturalem: ad ſpiritum confugis & Cor novum, affectibus & illud, non ſubſtantiâ, innovatum: Quidni tu pari modo metamorphoſin ſimilem in ſacrâ tolerare potes Euchariſtiâ, hoc eſt ſpiritualem, quo in Baptiſmate, ἀνακαίνωσιν tolerabas? Dum Homini, Bonum *inviſibile redditur*, rectè uſurpat Hugo Victorinus, *foris ei ejuſdem ſignificatio, per ſpecies viſibiles adhibetur: ut foris excitetur, & intus reparetur. in ipsâ vaſis ſpecie, virtus exprimitur medicinæ*. Non tamen Phyſicâ operatione aliquâ, vel ex opere ut dicitur operato. Quod etiam non nemo è ſanioribus Scholæ magiſtris nobiſcum docuere. 60.

Fingebas credo in præcedentibus, & Exercitatorem mentitus es dixiſſe ſacramenta, velut *teſſeras* eſſe militares: *Pignora* bonorum: *ſigna* Gratiæ & Præſentiæ divinæ: *organa* donorum & canales divinorum: Nam ex ore tuo te condemnabo. Siquidem nihil allud vult panem Euchariſticum quàm λιτὸν ἄρτον, vinum, nihil 61.

Digitized by Google

hil aliud quam nudum vinum: auferas hinc oportet, ſigna, teſſeras, pignora, organa & canales. Negas mi Caſaubone, tua verba agnoſcis pag. 145. *Sacramentum Corporis Chriſti, aliud eſſe reipſa quam panem, qui panis ſignum ſit* (nudum) *Corporis Chriſti; quod per fidem, à piè communicantibus manducatur.* Hæc ego non concilio, ſed nec tute, tam incertus Bulingere. *ſigna* ſi ſunt, illa *ſymbola, teſſeræ* ſi ſunt, & *canales*, profectò receſſerunt in longè aliud, quam eſt merum vinum & panis nudus: non Naturâ immutata, aut μεταμορφωθέντα, ſed uſu, ſive, applicatione, & effectu differentibus. Merum vinum, nudum panem, tibi remittit Exercitator. Corpus ille Chriſti manducatum: Sanguinem Chriſti hauſtum agnoſcit: at hoc eſt, in quo tu nugas agis ſolenni more; quod appellat Manducationem, vel quemadmodum ſeſe explicat, è B. Paulo, κοινωνίαν, *Communionem Sanguinis & Corporis Chriſti.* σκιαμαχεῖς iccirco nugator tu, qui propriam Euchariſtiæ operationem definis *conjunctionem cum Chriſto*, cum *per manducationem* non aliud (neque enim de Cyclopicâ veſtrâ cogitabat) non quiddam commune, & Naturale, intelligeret. *Manducatio noſtra Conjunctio eſt.* Ideo manducamus ut conjungamur. & qui conjungimur, manducavimus: quod verò addis, *Cum vero & naturali corpore Chriſti*, παρεμπόρευμα eſt, figmentum è Laterano. Non ità rem conficit Cyrillus myſtagogus. *Nos non audemus dubitare*, ne quidem levi motu vacillamus, *Cum ipſe dixerit, Hoc eſt Corpus meum, panem eſſe ipſius corpus.* Sed ubi expreſſit Cyrillus *Naturale*? ubi verum & naturale? Idque ipſum, niſi obdurueris excæcatus, tuus te docuerit Auguſtinus apud Gratianum: *Quia Chriſtum vorari dentibus fas non erat, voluit Dominus, hunc panem, & hoc vinum in Myſterio, verè carnem ſuam, & ſanguinem ſuum conſecratione Spiritus ſancti potentialiter creari: Et quotidie pro vitâ mundi Myſticè immolari: ut ſicut de Virgine per Spiritum ſanctum, vera Caro, ſine coitu creabatur, ita per eundem, ex ſubſtantia Panis idem Chriſti corpus conſecretur. Myſticè*, dicit. non Naturali igitur vel craſſo modo. *Myſticè*, enim & φυσικῶς opponuntur. atque ideo maledicta tua gloſſa Bulingere, *Myſticè, id eſt, ſub ſpecie Panis cujus ſubſtantia in verum Chriſti corpus, & Naturale, tranſiit.* cum ſola ſigna & accidentia panis remanſerint: eo magis maledictum, eoque magis tu intolerabilis, quod flagitiosè beato aſcripſeris Auguſtino. Cujus aperta ſunt & ῥητὰ in contrarium. *Quis eſt panis de regno Dei, niſi qui dicit, Ego ſum panis vivus qui de Cœlo deſcendi? Noli parare fauces, ſed Cor. Inde commendata eſt iſta cœna: Ecce credimus in Chriſtum quem Fide accipimus. In accipiendo, novimus quid cogitemus. Modicum quid accipimus, & in corde ſaginamur. Non ergo quod videtur, ſed quod creditur paſcit.* Ingenuè profectò Bellarminus, qui cum Thomas Waldenſis teſtimonium, tuo ſimillimum, è libro vetuſtiſſimo, ut ipſe aiebat, recitaſſet, ſi non idem prorſus, quod videtur, fatetur, non eſſe illud, quod mentiebatur,

To. x. ſer. 33. de verbis Dom.

tiebatur, Auguſtini, ſed potius Alcuini. quò magis conſpuenda eſt Bullingeri improbitas, qui ſine ſcrupulo, nomen illud Auguſtiſſimum, hujuſcemodi rapſodiis præſcripſit.

Epiphanium legit Exercitator: & agnoſcit lectum quod à te commemoratur ex eodem: & affirmanti credit Epiphanio, qui 62.
nihil tale timuit, quod imaginaris. *Surrexit in Cœna Ieſus Chriſtus, & ἔκλασε τόδε,* Panem & poculum, & *cum gratias egiſſet, dixit, Hoc meum eſt.* Et, *Nemo eſt qui dicto fidem derogat.* Qui enim Deo dicenti fidem non adhibet, ἐκπίπτει τῆς χάριτος καὶ σωτηρίας: *à Gratiâ ſimul excidit & ſalute.* ſed τοῦτο, τόδε, quomodo fiat, amabo an explicat ille Epiphanius? *Videmus*, inquit, *quod non ſit* τοῦτο *æquale* τῷδε, neque in figurâ aut formâ ὅμοιον. τὸ μὲν γάρ ἐστι στρογγυλοειδὲς, καὶ ἀναίσθητον, ὡς πρὸς τὴν δύναμιν. *Illud enim eſt rotundæ & orbicularis formæ* (& tamen eſt τόδε. idque quod videtur, non ἀλλοειδές.) *ſenſus expers:* quorum neutrum Chriſti corpori adaptatur. Itaque cum eodem ibidem Epiphanio ἀπεριέργως καὶ ἀπολυπραγμόνητως πιστεύει τῷ Θεῷ ἀληθεύοντι ἐν πᾶσι, *ſimpliciter, & ſine ullâ curioſitate Deo fidem adhibet, qui in omnibus & per omnia verax eſt,* licet quibus ille *mediis* quicquam aut *quomodo* efficiat, non aſſequatur. Id enim animo ejus penitus inſidet, τὸ πῶς Θεῷ μόνῳ ἔγνωσται. cujus veſtigiis inhærentes, Nos cum Caſaubono τῷ μακαρίτῃ, modum Præſentiæ nequaquam ſatagimus ſcrupuloſè. Tu ſequere, quem laudas Epiphanium, neque ſis minus ſollicitus de ſalute illâ Caſaubonianâ. Cura tuam ipſius adhuc incertam ſaltem tibi, & in lubrico conſtitutam. Stetit ille Vivus in viis antiquis, & de ſemitâ bonâ interrogavit, invenit illam, & in illâ ambulavit. Credidit dicenti, *Hoc eſt corpus meum.* De dicentis poteſtate non vacillabat: Carnem ſe credebat toties, Chriſti, in ſacrâ ſynaxi participaſſe, & in verum Chriſti corpus, licet non Naturale, Conjunctione unitum arctiſſimâ, coaluïſſe. *Quoniam membra ſumus de corpore ejus.* Quomodo hoc fiebat, μόνον ὅτι ἐστίν, non inquirebat, non ſollicitabatur. Utinam tu, & tui congerrones, pari modo *ſaperetis ad ſobrietatem.*

Ρῆσις illa celebranda eſt ex Aſceticis, Quanto Chriſtus major eſt, & dignior Juvencis, τοσούτῳ δεινότερον ἐν μολυσμῷ ψυχῆς ἅψασθαι τοῦ σώματος Χριστοῦ ἢ ταύρων. Tantò majus piaculum eſt, ſi quis in pollutione conſtitutus, Corpus Chriſti contingat quàm taurorum. Pia ὑπόθεσις & Baſilio digna. Sic & nomini Divino major debetur reverentia, quàm de quibus dictum eſt, Ego dixi, Dii eſtis. Non tamen Nomen Dei, hoc eſt, ipſe Deus, ad eundem modum verſatur inter homines, cum hominibus eſt, ab iis cernitur vel etiam adoratur, quo modo Principes & μεγιστᾶνες. Ita γελοῖα te par eſt ὀλισθαίνειν, qui propter cultum exhibendum, aut exhibitum Corpori Chriſti in Euchariſtia corporalem παρουσίαν & φυσικὴν exiſtentiam deducis illius ipſius corporis, quod de ſanguine virgineo concreverat, & in lucem progignebatur. Non ſic inſaniebat Auguſtinus, ne tum cum ſcriberet, *Corpus Domini &* *Lib. 5. de bapt. cont. Donat. c. 8.*

Sanguis

Sanguis Domini nihilominus erat, etiam illis quibus dicebat Apoſtolus, Qui manducat indignè, judicium ſibi manducat. Neque enim numericè deſignavit, *Corpus* idem *quod in Cruce pependit*, aut, quod de *Virgine naſcebatur*. Nihil autem actum eſt per Auguſtinum, niſi Corpus ipſum idem doceat manducatum.

64. Hæc præmiſſa ſunt, infer tandem conſequentiam. Ex his liquido apparet propriam Euchariſtiæ operationem, non eſſe manducationem Corporis Chriſti per Fidem. Et tamen in his omnibus teſtimoniis, ne vel apicem audivimus in contrarium. Fidem audivimus, & Fidei τὸ πῶς aſcriptum, oris excluſam manducationem, & cordis invectam ab Auguſtino. Manducationem illam non eſſe opus aïs Euchariſtiæ, ſed noſtram cum Chriſto *conjunctionem*, quæ ſi ratione, re certè ipſâ non diſtinguuntur *Manducatio & Conjunctio*, per Fidem, Gratiam, Spiritum ſanctum, ſpirituales. an ullum produxiſti teſtimonium, an produxeris apud antiquos, (nam ſatis impudenter mentitus es Auguſtinum) in quo, Fide excluſâ, & ſpirituali modo, caro *manducantis*, naturali modo dicitur cum carne *manducati* copulari, hoc eſt, Tranſubſtantiari ſi velis? mitte ambages: rotundè tecum agam, vel unicum profer teſtem qui ſtabiliat, & en continuò ſubſcribam. ſed quid mihi faciendum, expectandum cum vacilles ipſe. Nam qui prius excluſeras omnino Fidem, *Non eſſe manducationem corporis Chriſti per Fidem*, quaſi recreatus è veterno et dicti pœnitens, Non tantum per Gratiam fieri *conjunctionem* illam doces. Nam certè qui *non tantùm* admittit, non excludit Fidem ab actione omnimoda, ſed in ſocietatem et communionem cum alio quodam agente ducit. Ita neſcis quid velis, quid velle debeas. Sed Ἔσθιε δαιμόνιε ξείνων καὶ τέρπεο τοῖσδε Οἷα πάρεστι. ſiliquas et γίγαρτα à bubulco, nec præstereà quicquam expectes. Nam & corpus Chriſti, et Sanguinem Chriſti in noſtra corpora coaleſcere contendit: ſatis Craſſe, Irenæi citato teſtimonio. ſed præterquam quod illud Irenæi, ut Medeæ abſyrtus miſerè diſcerpitur, & prout partes collectæ fuerant, coaguletur teſtimonium inconcinnè: Irenæi eo loco, quod jam ante diximus, ea ſunt prolata, quæ neſciebat Roffenſis excuſare: qui diſertè negat quod contendit Diatripta, carnem noſtram carne Chriſti nutriri, & in illam coaleſcere. *Alere multa dici poſſunt, quæ minimè tamen in carnem vertuntur quam fovent. Aurum enim & margaritæ gemmæque pretioſæ cum in medicamentis teruntur, multam aſſeruntur à Medicis virtutem & fomentum præbere corpori, nec tamen ipſa vertuntur in ſubſtantiam corporis. Et pari modo quid prohibet vivificatricem Chriſti carnem, illis à quibus piè ſumitur, potentiſſimâ quadam & ineffabili ſuâ virtute, præſtare fomentum, & modo quodam alere?* Ita explicat Irenæum, quem tu non capiebas Fiſherus Roffenſis: an in hac acquieſces Bulingere ἐκ δευτέρων τῶν φροντίδων. Nam per tuas priores illas animus tibi in patinis verſabatur. Si acquieſcas; non ulterius litigamus.

gamus. Nemo enim unquam, *ineffabile fomentum*: nullus, alitionem inexplicabilem negavit, [τῶν ἐν πίστει κοινωνέντων, per divinam illam, quæ eſt τὸν ἐν πᾶσιν omnipotentiam, operantem. ita ille Irenæum interpretatur: ita & nos.

Sequitur è magnâ Nyſſeni Catecheſi, magna & bene longa ῥῆσις, in quâ Chriſtum Dominum commiſtum eſſe docet ille cum corporibus Fidelium, καταμιγνύμενον τοῖς σώμασι τῶν πεπιστευκότων per carnem ſuam, quæ è vino & è potu conficiebatur. Malè autem Gregorius, *corporibus Fidelium commiſtum* docet, *Chriſti corpus*, quod è pane & vino conficiebatur. Neque enim corpus illud è pane & vino conficitur, vel in altari μεταμορφωθὲν, nec in utero virgineo σαρκωθὲν. Nam quod dicitur *confici* è duobus, tribus, pluribuſve concurrentibus ad idem opus ὑποκειμένοις, ita ſubſiſtit extructum & confectum, ut materiâ nequaquam alteratâ, ſed eadem remanente, formæ & figuræ varietas et novitas ab illâ priori inducatur. Confici non dicitis credo, non debetis certum eſt, dicere quod de ſubſtantiâ tranſit in ſubſtantiam. utputa ſtatuam ſatis confectam ex uxore Loti. Nec tranſubſtantiari vinum, quod infuſæ aquulæ permiſcetur. ubi è ſaltem duobus fit tertium, quod nec aquâ dici, neque vinum oportet, ſed τὸ κρᾶμα miſtum ex utroque. ſi volebat Chriſti corpus in Euchariſtiâ Gregorius confectum è pane et vino dici, proculdubio non admiſit μετουσίωσιν: aut indiget adhuc explicatione. Malè etiam Gregorius, hoc ſic confectum et commiſtum docet. Nam quod eſt è pane et vino confectum, non ſoli Fideles (et ille de Fidelibus ſolis loquitur, apud eos ſeponit commiſtionem iſtam, et comeſtionem) participant, ſed et vitâ qui ſunt contaminatiſſimi et omnibus flagitiis cooperti, ut Judas filius perditionis, cui buccellam in cœna Deus tradidit, *qui malè illam accipiendo, locum in ſe Diabolo præbuit*. Tertio ſic acceptum, ſic confectum corpus ἐν τῷ ἀναλαβόντι γενόμενον, πρὸς τὴν ἑαυτοῦ φύσιν τὸ πᾶν μεταποίησε. Atque ita Bulingere, non ulterius mortalitate indueris: ſed jamdudum tranſiiſti in ἀφθαρσίαν. μεταποίησε corpus tuum, μεταλαβόντος tui, corpus Chriſti, πρὸς τὴν φύσιν ἑαυτοῦ. id enim neceſſe eſt: φυσικῶς operatur illud corpus, non actione aliquâ reſtrictâ et morali. Quid tu igitur verſaris adhuc inter homines? neque enim vallis hæc lachrymarum, glorificatis corporibus, hoc eſt, μεταποιηθεῖσιν habitatio proportionata. Imo mirum non pridem ἐκκενωθεῖσαν τὴν οἰκουμένην, quum tot quotidiè Chriſtiani Utopiani in Naturam Chriſti corporis transfundantur. Quiſquis enim Chriſti corporis μετέλαβεν in Euchariſtiâ, jamdudum ſuperinduxit immortalitatem, plenam, perfectam, abſolutam numeris, non imperfectam et κλιτόμενον. Nam τὸ πᾶν μεταποίησεν, ait Nyſſenus. Totum ſuis partibus integrum, à calce ad caput μεταμόρφωσι. Hocce tu perſentiſcis Juli Cæſar? eris alter ab illo, Καῖσαρ ὁ θεός. 65.

An poſtquam reverſus ſis ad cor, et animus, in gyrum rationis rectæ reductus, Hæc omnia intelligis capienda, modo quodam à ſenſu 66.

à ſenſu remotiore et ſpirituali, non prout primâ facie προφαίνεται). Id ita eſt (Nam rectè profectò, quanquam aliud agens, vel invitus et coactus, ut quondam Caïphas ſpiritu Dei impellente, verbum protuliſti verum) *His verbis Gregorius Nyſſenus multis laqueis nos exoluit, quibus vulgò imperiti impediuntur.* Nempe, quibus alios, et voſmet etiam ipſos, diſputando ſoletis irretire. Docet enim imprimis, et dilucidè exponit, ut videtur tibi, cur pane et vino, ſymbolis et ſignis viſibilibus in ſacramento Euchariſtiæ Chriſtus ſit uſus. Ideò illud eſſe, propterea quod cujusdemum cunque corporis ſubſtantia et ὑπόστασις, è pane et vino conſiſtat et conſervetur. Si enim omnis corporis hypoſtaſis ſit ex alimento, ἄυλη δὲ βρῶσις καὶ πόσις ἐςὶν. ἔςι δὲ ἐν μὲν τῇ βρώσει ἄρτος, ἐν δὲ τῇ πόσει ὕδωρ ἐφηδυσμένον τῷ οἴνῳ, &c. Chriſtus autem ὁ λόγος, cum noſtram ſibi carnem et naturam, in Incarnatione ſuâ aduniſſet, et opus habuit, et etiam utebatur alimentis illis unde corpora conſiſtunt et nutriuntur. Rurſus autem idem Dominus, cùm et ſuum nobis corpus in vitæ æternæ alimonium exhiberet, illis ipſis uſus eſt ſymbolis et ſignis, è quibus corpora conſtituuntur, ut ratio illius eſcæ ſpiritualis nobis ἐναργέςατα conſtare poſſet. Panis et potus alimentum non ſuppeditant, niſi poſtquam in ſtomachum tranſierunt. Corpus quoque Chriſti, ad eundem modum non fit id quod alit & ſuſtentat, aut potius non transfert id quod alit in ſe, niſi ſumptû manducatumque, hoc eſt, poſtquam viſibile in ſignis & per ſymbola eſſe deſiit: ita ut videatur opinatus Nyſſenus, non vi verborum conſecrationis, ſed aliunde illam μεταῤῥύθμισιν adeptum. Id quod alitur per Chriſti corpus, non eſt corpus noſtrum, ſed eſt anima, ille vivens ſpiritus, alta eo pane, qui de Cœlo deſcendit, qui eſt ſpiritus, & vita. Et quemadmodum Chriſti corpus naturale τῇ ἐνοικήσει τοῦ Θεοῦ λόγου πρὸς τὴν θείαν ἀξίαν μετεποιήθη, per inhabitantem Deum Verbum, ad divinam dignitatem transformabatur; Non opinor, quod deſinat eſſe, quod fuerat, corpus, aut quod Omnipræſentiam & cætera Deïtatis idiomata induerit. ſed propter hypoſtaticam illam Unionem: Ita & Panis τῷ λόγῳ ἁγιαζόμενος, εἰς τὸ σῶμα τοῦ Θεοῦ μεταποιεῖσθαι creditur. Ita omnino. Hoc eſt, ait Nyſſenus, λόγῳ τινί. Non ut ſit idem, quod tu balbutis, cum eo quod in utero Virgineo formabatur: hoc nuſquam Gregorius cogitatum expreſſit, aut ſuſpicione leviſſimâ fovebat. Hæc ſunt retia & laquei apud Gregorium: à quibus bene ſatis expediti, non eſt ut tuis demum ſtrophis involvamur.

67. Addit autem adhuc σαφέςερον. Panis εἰς θείαν μετέβη δύναμιν, Non autem εἰς σώματος φύσιν: nec mirum, cum divina illa omnipotentia, cujus viæ omnes ſunt ἀνεξιχνίαστοι, omnia rectè, ordine & ſuaviter diſponat. ſed non fit corpus Chriſti, ne quidem κατὰ δύναμιν διαβρώσεως. rectè omnino: idque amplectimur. hoc eſt, Naturali quodam modo, & σαρκικῶς: ſed per potentiam ἀνεξεύρητον ipſius λόγου, qui cùm dixerit, *Hoc eſt corpus meum*, effecturus eſt omnino ut ſit

ſit *corpus* ejus. Et quæſo te, objectum hujus verbi, *Hoc eſt corpus meum*, ecquod eſt, aut poteſt eſſe, alind quàm Fides, quæ eſt ἔλεγχος & ὑπόστασις τῶν μὴ βλεπομένων, aut aliâ ratione poſſibilium. Et tamen tu, quæ tua eſt Prudentia, quaſi Nyſſenus hic excluſiſſet omnino Fidem, obſervandum commendas Exercitatori, Panem non fieri, *actu*, *corpus Chriſti*, per *manducationem*, aut per fidem *manducantis*: cùm tamen ait, οὐ διὰ βρώσεως προϊὸν εἰς τὸ σῶμα γενέσθαι τοῦ λόγου, meram & carnalem, & iſtam ἀνθρωπίνην excludens *manducationem*: & ad verbum Dei deducens *manducationis objectum*, ut quia dixit, *Hoc eſt corpus meum*, ideò fiat, Fide, opinor, operante, *corpus meum*. Et tamen per fidem nemo hoc dixerit factum, ut efficientem cauſam, ſed per Divinam virtutem operantem & exhibentem: per Fidem fieri tamen, ut per Inſtrumentum, neceſſariò ad hoc ipſum requiſitum. Applicat Fides re & actu, quod Chriſtus promiſerat ſub conditione: Ita utraque requiritur neceſſariò, licet non ſub eâdem ratione, aut reſpectu ſimili: Divina nempe virtus, quâ cauſſatur quod efficitur: et Fides apprehendens, ut effectum ſuum ſic cauſſatum ſortiatur.

De ſacræ Euchariſtiæ operationibus, nodum Cavillator in ſcirpo quæris: qui jam tertiò aut quartò, de *manducatione* interpellaſti. mentem ſuam et ſententiam ſatis Caſaubonus exponebat, cum propriam Euchariſtiæ operationem dixit, eſſe, Communionem corporis et ſanguinis Chriſti, hoc eſt, noſtram ipſorum cum Chriſto per illam communionem, συνδυασμόν: quod non eſt aliud, quàm quod Paulus exprimebat, Ut fiamus *Caro de carne ejus, atque os de oſſibus ejus*. Quid tu ad iſta? an hanc noſtram cum Chriſto, per ſacramenti organum conjunctionem negas finem eſſe, et operationem ſacramenti? Abi et ſapi. in te, non in Caſaubonum cudetur ἀτοπότης. Ais plures, hoc ut doceas, in Euchariſtiæ ſacramento eſſe operationes. Tres nimirum. Primam Sacerdotis proferentis verba. ſecundam Chriſti operantis miracula. Tertiam Euchariſtiæ ipſius, conjungentis. Aio ego fortaſsis ter tres reperiri. Quid ſi ter centenæ reperirentur? Caſaubonus de Actionibus non loquitur in Euchariſtiâ. Tu, quæ tua eſt fatuïtas, de ejuſmodi proponis Actionibus: atque ideò Sacerdotem præſultorem introducis. ſed de Actionibus Euchariſtiæ: cui ſano ſincipiti ſonabit idem: Actio in Euchariſtiâ, et Euchariſtiæ actio? Euchariſtiæ actiones non plures una, ne apud Diatribam conſtituuntur. Et quod mirum magis, eadem actio, quam conſtituerat ſugillatus Exercitator, addito quodam gloſſemate non ferendo. Tertia operatio eſt, Euchariſtiæ ipſius, quæ piè communicantes arctiſſimo vinculo, cum vero, et naturali Chriſti corpore, conjungit. Aufer hinc commentum illud tuum et aſſumentum, de quo tamen non litigas in iſtis, ſed de operatione, et Naturali, et narra mihi Cenſor moroſiſſime, ecquid repereris in Caſaubonianis, quod non 68.

in iſtis tuis confirmetur? Propriam dixit Euchariſtiæ, operationem. Non excludit alias minùs proprias, ſecundam, tertiam, quartam operationes, qui unam aliquam deſignat propriam. Quocirca, cùm in hoc ipſo conſentias, quod in illo reprehendis, Bonâ tuâ cum veniâ dicam, tuis enim verbis te affabor, mihi aliena, ne dicam abſurda, tua iſta viſa ſunt. ſi vocem cavilleris *manducationem*: eſt illa πολύσημος, ut ſunt pleræque. expreſſit apertius quid per *manducationem* intelligebat: id ipſum quod tu ipſe, *cum Chriſto conjungi.* Quod ſi potius effectus ſit quàm operatio, hæc per vinculum arctiſſimum copulatio: ignoſcemus tibi facilè, quamvis ἀκυρολογοῦντι: ita enim loqueris cum Caſaubono. Tu ignoſce Caſaubono vel tuâ ipſius cauſſâ. Nam certè cum de ſenſu & mente conſtet, idque etiam ponatur in confeſſo, ſyllabas captare, vel per voces nodos ſtringere, hominis eſt ad cavillandum & litigandum proſtituti. Quanquam ſcire te oportet, quod opinor non ignoras, *operationem* rei formalem, ſic cum *effectu* vel *fine* conjunctam interdum, ut verbis minimè diſtinguantur, quæ τὸ εἶναι & τὸ ἐργάζεσθαι ſic cohærent & commiſcentur.

69\. Illa autem tua à te eo in loco diſputata, ſepoſito, quo efflictim flagras, calumniandi & cavillandi propoſito & deſiderio erudita ſunt, & Bulingero expergefacto digna. Sed ideo fortaſſis eruditè diſputantur, cùm non recedant, ut jam dictum eſt, ab illis Caſaubonianis, de operatione propriâ Euchariſtiæ quam Communionem dixit cum Beato Paulo corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti, vel συνάφειαν cum aliis πρὸς Χριστόν. Ita ego illum capio: ſi quid aliud voluerit in ſequentibus, ego non magis quam tute capio. niſi fortè, ut in iſtis ambiguitatibus verborum neceſſe eſt fieri, laxius & ſtrictius loquendo, aliud atque aliud ſtatuiſſe viſus eſt. Certè operatio, propriè loquendo, actus eſt in actu conſtitutus, nondum ad terminum vel finem ſuum ultimatum perductus. Effectus non eſt operatio: ſed per iſtam pervenitur ad effectum. Communio, & συναφὴ cum Chriſto Jeſu, Effectus eſt, & opus Euchariſtiæ proprium. Operatio Euchariſtiæ qua hoc conſummat, *acceptio* eſt & *manducatio* corporis Chriſti, in myſticis illis ſymbolis repræſentati. Evolutis verborum caſſibus hæc plana ſunt. propter illam tamen ſummam communionem inter *opus* & *operationem*, fieri poteſt & factum eſt, ut indiſtinctè & indiſcriminatim adhibeantur. Puſilli eſt autem animi de vocibus μικρολογεῖν, cùm de ſenſu & ſententiâ res ſit expedita & evoluta.

70\. Iterum, Verba, inquis, ſunt Caſauboni, Sacramenta ſunt pignora quædam futurorum bonorum. Iſta non improbas, eò quòd deſcribere volebat, non autem definire Sacramentum. Quid attingis ergo, vel commemoras, qui non commentarios aut ἑρμηνείας, ſed reprehenſiones inſtituebas. Verius tamen dicis, Sacramentum deſcribi, ut ſit ſignum viſibile rei ſacræ ſanctificantis.

cantis. Non eſt ad regulas Dialecticas exacta definitio. ſcis opinor, *quid*, & *qualia* deſiderantur. verius non eſt ergò, ſaltem æquè verè: ſanctificat Sacramentum, ut inſtrumentum. ſanctificat autem in eum finem, ut ſic Deo grati & accepti, vitam æternam conſequamur. Verius ergo deſcriptum eſt Exercitatori: ſiquidem Finis rei ultimatus, rem propius attingit, illuſtrat clarius quam modus vel operatio qua conſequitur id ad quod deſtinatur. Infinitæ ſunt fortaſse deſcriptiones hujuſmodi: nulla Definitio adhuc formalis & completa. Occamus unus tecum facit: Thomas, Hugo, alii non aſſentiuntur. vix eſt è Theologis qui non aliter deſcripſit ſacramentum, quàm legerat deſcriptum apud vetuſtiores. Signa ſcio, non eſſe omnia unius generis. Sunt enim quædam nuda tantummodo ſigna: non ad aliud quicquam ſpectant, quam quod ſunt ad ſignificandum data: ut puta quæ Prophetis olim & Videntibus, per ecſtaſin & raptum offerebantur. Tum erant res ad certos & ſuos fines ordinatæ, quales erant olim Legis ceremoniæ. Tertiò, rem factam & præteritam ſignificantia. Quartò, rem deinceps conſummandam. Hoc præſtant Sacramenta novi fœderis: quæ ſigna non ſunt Naturalia, ut erant quæ commemorat Servator apud Judæos; Sed data & ordinata, *quæ ſuſtentant perſonas*, ut loquuntur, *earum rerum quas ſignificant*. Quæ in genere de ſignis Auguſtinus docuit. *De Civ. Dei.* 18. 48.

71. Omitti poterat de Pachymere Dionyſii Paraphraſta nugamentum. Pachymeres, dicebat Exercitator, eruditus interpres Dionyſii, cauſſam aliam affert, cur Euchariſtia dicta ſit communio. Hic tu: *melius ipſe Dionyſius*. Acutiſſimè. quaſi non bene Pachymeres, quia melius Dionyſius. ſed tum non omiſiſſet meliorem Caſaubonus interpretationem. Quaſi verò omiſerat. Quæſo te Bulingere, quis ſuggeſſit tibi locum Dionyſii? undè, et à quo transfuſum legimus in Diatribâ? annon ex hac ipſa Exercitatione? hac ipsâ ſectione Caſaubonianâ? docuit è Thomâ uſum illius vocis Communionis: ſed *Vberius*, ait, *longè Dionyſius tractavit hanc quæſtionem*. en ſcabiem & pruriginem calumniandi. Etiam in ingrato, Bulingero: qui & illa quæ ſequuntur è Chryſoſtomo, *anamneſtæ* debet Exercitatori. Bene ad extremum, & è mente noſtrâ. *Abſit enim ut dicamus*, ita verè nos profitemur, *ſacram illam Communionem, antitypon eſſe tantum Corporis Chriſti, nudum panem*, aut typum, aut figuram, ſed ipſum nos verè corpus (non tamen Naturale, aut φυσικῶς) & ſanguinem Chriſti Dei noſtri participare. *Firmam fidem myſteriis adhibentes*, inquit Cyrillus, *nunquam in tam ſublimibus rebus, Illud Quomodo, cogitemus, aut proferamus. Iudaicum etenim hoc verbum eſt. Ideo etiam Nicodemus cum diceret, Quomodò hæc fieri poſſunt? meritò audivit. Tu magiſter es in Iſrael, & hæc ignoras? Illorum itaque culpâ perdocti, cùm Deus operetur, non quæramus Quomodò? ſed operis ſui viam atque ſcientiam illi ſoli concedamus*. Cui ſi ſubſcripſeris Bulinge- *Lib. 4. c. 13. in Iohan.*

re, non eſt opus ut ulterius digladjemur. Modum neſcimus: non ſatagimus imperveſtigabilem: Rem factam credimus,& amplectimur quod αὐτὸς ἔφη, *Hoc eſt corpus meum,Hic eſt ſanguis meus.*

72. Ad cap. xxx. Exercitationis xvi. maximus ardelio, nugaris otioſiſſimè per totam hanc Diatribam. idque dupliciter. Verſaris enim totus vel in eorum probatione quæ nemo negat: ideoque nihil ad Bacchum ſpectant, & erant in ſuperioribus dicta, vel in ſequentibus repetita, nequaquam verò hic adducta in quæſtionem: vel nobis Exercitatorem integrum repræſentas, omiſſis, ut Epitomatores ſolent, quæ reſcindi poſſunt & ſemoveri. Nam præter Heſychii ſolius teſtimonium, ecquid affers in priore illâ parte, quod non ſit deſumptum ab Exercitatore? Ille multa eruditè obſervaverat, de *Cœnâ Dominicâ*, κυριακῷ δείπνῳ, δοχῇ, horâ cœnæ, convivio Domini: de cœnis paganorum, & agapis quædam. quæ omnia, tranſcriptis etiam Teſtimoniis, per plagium leguntur in Diatribâ. Non hoc faceres, credo, niſi cerebro laborares. Atque iſta quidem prius a te tractantur, inde ſtatim revolveris, per multo maximam Diatribæ partem ad ea, quæ conatu magno, ſolenni quadam quaſi pompâ, fine tamen irrito & fruſtraneo in ſuperiori à te capite tractabantur. *de præſentiâ Naturali in ſacrâ cœnâ.* ridiculè. ſed magis ab occaſione. recitaverat ex Eulogio Exercitator, *Vocatur hæc feſtivitas Cœna Domini, eo quod hoc die Dominus cœnaverit cum Diſcipulis: eisque ſacramentum Corporis & Sanguinis ſui tradiderit.* Cui Teſtimonio tu affingis Tuum, *Id eſt, Ipſiſſimum ſuum corpus & ſanguinem, ſub ſignis panis & vini.* unde arreptâ occaſione rem aggrederis, *Quod ita eſſe* aiens, *Patrum teſtimoniis quæ à te prætereuntur evincam.* Βιαιόλεγεν Bulingere. ſcripſiſſet Elogius, Epiphonema illud, *Id eſt*, aliquatenus te haberemus, & non ita tamen penitus, excuſatum. ſed cùm è tuo ſint occipite malè nata; non eſt quod de iis ſimus ſoliciti. Addam illud, ſi teſtimonia quibus in hoc *parergo*, & *parateremate* uteris, expreſſam Cœnæ feciſſent mentionem, non prorsùs abhorrerent ab omni excuſatione. Teſtimonia quippe iſta quiritari poſſis, fuiſſe omiſſa ab Exercitatore. ſed cùm nec illud ita ſit, magnas nugas magno conatu egiſti. ſed tamen vel ſic tecum ἀδολεσχεῖν neceſſe eſt.

73. Chryſoſtomus, de Judæ proditione loquens. *Hoc eſt corpus meum quod pro multis frangitur: ſciant initiati quæ dicuntur. Hic eſt ſanguis meus O Juda, quem triginta denariis vendidiſti. Chriſtus autem non recuſavit poſt tantum ſcelus hunc ipſum ſanguinem qui venditus erat, in remiſſionem peccatorum dare ei quæ vendiderat.* An putas dicturos nos alium ſanguinem, hoc eſt, alterius cujuſquam ſanguinem, quàm illius qui à Judâ vendebatur, in mundi Redemptionem expenſum Bulingere? σκέλεχος εἶ. ſolum illum ſanguinem ἀπολύτρωσιν, ſolum profitemur omnes redhoſtimentum. An verò ſanguis ille expiatorius, pro Judâ non minùs quàm pro Petro profundebatur, verſatur apud quoſdam in quæſtione.

one. Profuſum videri poteſt exiſtimaſſe ὁ χρυσορρήμων. Ὁ Χριστὸς δὲ καὶ μετὰ τοῦτο, οὐ παρῃτήσατο, non obſtante illius ſummâ ingratitudine, τοῦτο αὐτὸ τὸ αἷμα τὸ πραθὲν, adeò ſcilicet flagitiosè ab hoc ipſo proditore, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν δοῦναι τῷ πεπρακότι. Dare. ſed ubi. quando. quo in loco. an ſuper Crucem? vel in altari? eſt etenim ἀμφίβολον in recitatis. Et ita videtur in quadam oratiuncula interpretari, quod habetur de eodem argumento To. vii. & commendat hoc ipſum ut ille loquitur, Domini φιλανθρωπίαν. & ait, μετὰ τοῦτο: poſt cœnam illam myſticam. & in diverſa, ejuſdem orationis editione, To. 5. Etonenſis edit: pag. 559. prius effundit ſuum ſanguinem, & deinceps, ordine inverſo, Judæ ſi volebat, communicabat. τὸ ἴδιον αἷμα ἐξέχεε, καὶ τῷ πεπρακότι δέδωκεν, ſed nolo tecum agere ſummo jure. Eſto, donaverit αὐτὸ τὸ αἷμα, τὸ πραθὲν. Adeone inſanis, ut ſanguinem Chriſti nondum fuſum, & tamen ſacro calici infuſum, naturalem, & φυσικὸν arbitreris, nec alium quàm de Virgine derivatum? Hoc non affirmas, non potes factum, φυσικῶς. et tamen ita loquitur Chryſoſtomus tuus, ut neceſſe fuerit, vel non ſecundùm carnem hæc recitanda, vel Chryſoſtomum à ſenſu communi abhorruiſſe.

An verò κατὰ γράμμα intelligis illa, quæ habet author ſermonis de Cœnâ Domini. *Cruci hæremus? ſanguinem ſugimus: & intra ipſa Redemptoris noſtri vulnera figimus linguam.* Si quicquam tibi ineſſet humani ſanguinis, vel intellectus: non aliter linguam tuam vulneribus infixam Ieſu Chriſti, aùt ſanguinem illius de calice ſuctum diceres, quàm quomodo Cruci, in quâ Paſcha noſtrum immolabatur, adhæſiſſe te. Adhæſiſti nunquam Cruci Chriſti, niſi ut ille Panthoides erat Euphorbus Trojani tempore belli, ita tu Longinus, vel miles vel centurio, qui Cruci adhærebas. Admonere poterat, non mente captum te, Cruci adhæſionem Chriſtianæ, non eſſe κατὰ γράμμα intelligendam, quæ de ſuctu ſanguinis, & infixâ linguâ vulneribus, comminiſceris. Ille autem author quiſquis erat, nihil aliud quàm Chryſoſtomus in Johannem: vult ille Communicantes exiſtimare ſe os ſuum ad Chriſti latus applicare, & ex ejus latere pendentis in Cruce bibere νομίζειν, quoties Altari ſe admoverint. Neque enim tum in Cruce Chriſtus pendebat, cùm μεταλαβοῦσιν iſta Chryſoſtomus inſinuaret ſuffoſſo latere, & effluente ſanguine. aut etiamnum aliquando pendet. hoc indicat ipſe, paulò poſt. Hoc enim eſt ὡς: non reipsâ, ſed modo quodam quem norunt οἱ μυσταγωγούμενοι, ait ipſe ſæpius Chryſoſtomus, ut in illâ modo per te recitatâ oratione de Judâ proditore: & hiſce hoc ipſo loco laciniis. et explicat ſeipſum beatus vir, qui Regenerationem per aquam, & nutritionem per ſanguinem & carnem Chriſti συνδυάζει. Neque enim σωματικῶς immutantur: ut nec φυσικῶς nutriuntur. 74.

Ait Photius apud Oecumenium. *Quid eſt panis?* δηλονότι σῶμα Χριστοῦ. reſpondet idem prorsùs Novator quiſpiam: *Panis eſt Corpus* 75.

pus Chriſti. ſed non aliter panis fit corpus Chriſti, *quàm corpus*
fiunt Chriſti qui comedunt panem. ita idem Photius apud Oecu-
menium: τί δὲ γίνονται οἱ μεταλαμβάνοντες; δῆλον ὅτι σῶμα Χριστοῦ. neutrum
craſſo modo, & naturali. Non in naturale corpus transforma-
mur ipſi: Non ergo ille panis μεταβληθεὶς, induerat corpus natu-
rale Chriſti. ita nihil prodeſt Photius apud Oecumenium.
μετέχοντες γὰρ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡμεῖς ἐκεῖνο γινόμεθα. *Cùm enim par-*
ticipamus corporis Chriſti, etiam ipſi efficimur corpus Chriſti. ita
Photius apud Oecumenium: nec diverſum à Photio Oecu-
menius. ὁ προκείμενος in Altari Chriſtus eſt. τοῦ προκειμένου μέγεθος
ſuſpiciendum eſt. fatemur utrumque. ſed magnitudo non con-
vincit carnalitatem: & quod πρόκειται in Altari: non hoc vel
illo modo προχείρως, determinatur. nec qui manibus indignis tracta-
ri dicitur, & σώμασιν ἀνάγνοις προσφέρεσθαι, eo modo per omnia agi, ferri di-
citur, quo à Judæis crucifigentibus raptabatur. ſimilitudo eſt in
impietate: non Identitas in Actione. Itaq; οἱ μὲν ἐφόνευσαν, ait Oecu-
menius, verè illum & reipsâ Judæi occiderunt: at μεμολυσμένοι τὰς
καρδίας, atq; ita indignè communicantes, φονεύειν δοκοῦσι, hoc eſt, per-
inde faciunt acſi olim vivum in terris crucifixerant. nec ὁ θυόμενος
(quanquam ἄργον eſſet ῥῆμα vel ſic acceptum) apud Oecumenium,
quod falsò tibi fingis in Altari præſens, ſed olim in Cruce, erat
ſacrificatus.

76. Audiamus Hieronymum, *Panem illum quem fregit Dominus*
deditque diſcipulis ſuis, fuiſſe corpus Domini ſervatoris. non quia
Hieronymus hoc proclamat, ſed quia Dominus hoc edixit, *Hoc*
eſt corpus meum. Fidem affirmanti adhibemus, quia non eſt im-
poſſibile πᾶν ῥῆμα. ſed quomodo panis ille quem tenebat Chri-
ſtus, cùm benediceret, & diſtribueret; idem eſſet & non aliud, vel
alius, quàm qui diſtribuebat: Hæreo: non expedit Hierony-
mus: æternum hærebo inexpeditus. *Panis ille idem de cælo*
deſcendit. ſed quomodo de Cœlo panis? an ἀρτοποιοὶ in Cœlo pa-
nes coquere in clibano ſolent? atque ita per σειρὰς Homericas
illas, in hæc inferiora demittere? Hæreticos tranſcendis, ſi Pa-
nem pronuntias κατὰ γράμμα. de Cœlo deſcendiſſe. Hæreticus es
cum primis, ſi de corpore intelligas adunito τῷ λόγῳ. Invenit
enim λόγος in terrâ corpus: non de Cœlo ſecum deferebat in
terram. ſi de Mannâ ceperis, ἠλίθιος εἶ. figura fuit corporis,
non ipſum corpus: ut & panis in Altari corpus eſt. quocunque
modo delirus es, ſi πρὸς τὸ ῥητὸν hic reſpexeris. Nondum conſe-
cratus Panis, erat panis. ἄρτος λιτός. hoc vult Ambroſius: con-
ſecratus Panis, alius quidam eſt: Corpus Chriſti, qui fuerat pa-
nis. agnoſcimus in Ambroſio Auguſtinum. *Accedat verbum ad*
Elementum, & fiet Sacramentum.

77. In ſequentibus declamator es & ſcholaſticus, hoc eſt, merè nu-
gator ut in cæteris: quaſi ſancti Patres de Sacramento corporis
Chriſti aliud ſenſerint, crediderint quàm credidit & ſenſit Exer-
citator ultra *Veritatem præſentiæ*, ne unus è Patribus progreſſus
eſt:

eſt: horrent *modum*, & abhorrent. provoco te, vel unum deſignatorem *modi*, & *menſuræ doce:* ſi ſtatus hujus litis controverſæ eſſet ita comparatus, ut ex adverſo opponerentur Patres & Exercitator, rotundè τῷ ζητοῦντι reſponderem: Unus potius ἐῤῥέτω deceptus quàm Unitas. Tot tam illuſtres ingenio, ſancti vitâ, doctrinâ exculti, in ſcripturis verſati, ſpiritu afflati Veritatis ad Veritatem ipſam, dubio procul, potius quàm ille Unus, aſpirarunt. ſed ἐκ ἔςι ταῦτα: conſpirant. verum, ut *Antiquis & veternoſis, quæ lutea non ſunt, æquè ac lutea videntur. Sic inſanis ſani, & furioſis videntur eſſe inſani*: de Te Bulingere dictum Varroni apud Nonium. De *ſignis*, quod ſubinfers, & *ſignificatis rebus* frigidum eſt. Jam enim profeſſus eras Exercitatorem, ultra *ſigna* & *figuras* aſcendiſſe in auguſtiſſimo Sacramento. & aſcendit ſanè. dubitanter accuſas: quocirca addis, *ſi pro nudo ſigno accipias.* Quid opus hoc ſtrepitu? non ignoras Caſaubonum, nudum ſignum non admittere. Narras è Theophylacto nobis. ὁ γὰρ ἀντίτυπον σώματος ἐςὶν ὁ ἄρτος. agnoſco. ſed oppono majorem tibi Theophylacto. Clementem Romanum in διαταγ: Ἀντίτυπα μυςήρια τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος. 5. 14. & iterum. Ἀντίτυπον τοῦ βασιλείου σώματος Χριςοῦ. pag. 106. & tertio. Οἱ καὶ ἀντίτυπα ταῦτα ἐπιτελοῦμεν. pa. 113. Baſilius in Liturg. ἀντίτυπα & ἄρτον etiam poſt Conſecrationem vocat. Sic & alii in Liturgiis ſuis. Marcus etiam poſt Conſecrationem orat, ut fiant σῶμα & αἷμα Χριςοῦ, pag. 51. quod omnino intelligi debet, μεταλαβοῦσι: ut ſic Fides conſtruatur; commentum ſubvertatur, de converſione Naturali. An non iſti erant è vetuſtis Patribus? Tute videris, & concilies. Nos ſcimus quid hoc in loco reſpondendum.

Tertullianus certè erat è vetuſtiſſimis. *Acceptum*, inquit, *panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum, illum fecit, Hoc eſt Corpus meum, dicendo.* Sed nequaquam apud Tertullianum, *Hoc eſt corpus meum*, excludit Figuram corporis mei: addit enim Tertullianus. *Id eſt, figura corporis mei.* Non nuda tamen: hoc profiteor. *Figura enim*, addit, *non fuiſſet, niſi Veritatis eſſet corpus, cùm res vacua, quod eſt phantaſma, figuram capere nequeat.* Et Theodoretus in ἀσυγχύτῳ. Εἰ τοίνυν τοῦ ὄντος σώματος τὰ ἀντίτυπα, ἐςὶ τὰ θεῖα μυςήρια, σῶμα ἄρα ἐςὶ καὶ νῦν δεσπότου σῶμα, οὐκ εἰς θεότητος φύσιν μεταβληθὲν, ἀλλὰ θείας δόξης ἀναπλησθέν. *Quod ſi verò divina myſteria veri & exiſtentis corporis ſint antitypa, Corpus neceſſe eſt etiamnum ſit Domini noſtri corpus; non in Naturam Deitatis transfuſum, ſed divinâ gloriâ repletum.* vocantur eodem modo, & ſymbola. ἄρτος & ποτήριον: *Panis & vinum* paſſim ab antiquis, etiam poſtquam dictum eſt, *Hoc eſt corpus meum.* Quoties ergo nugator ingeminandum eſt tibi? ludis operam: malè horas tuas collocas: ridiculè in nos effundis Adverſaria tua; et oppoſitos tibi confingis in causâ Adverſarios, ubi nulli ſunt. Quod à nobis negatur, non attingis; nuſquam omittis, quod non controvertitur. in πολυλογίᾳ eſt μωρολογία: quod in te Bulingere, experimur plus ſatis.

78. Cont. Marcion. 4. 40.

Ita

Ita eſt, mi homo, tangit pupillas oculorum veſtrorum, qui vel leviter ſtringit maledicentiſſima veſtra animalia. Maldonato licuit debacchari, vel furere potius, non unâ vice in totam nationem, uti & tu garritas, *Calviniſtarum:* Sine fronte, pudore ullo calumniari. nobis non licet deprecari convitia: quin malè audimus,& dies nobis dicitur, ſi non plauſtra maledictorum ab hominibus odio efferatis, in vitam mores, quid non congeſta, admiſerimus? ita homo inſanus C: olim Fimbria, neſcio quem à ſe flagitiosè vulneratum accuſabat, quod non totum telum corpore recepiſſet. Quorſum verò non eadem operâ, & eadem fideliâ nigrum hominem, portentoſiſſimum nebulonem Iohannem Caco-dæmonem dealbabas? quem in cauſsâ privatâ, graviter læſus, perſtrinxit vehementius, Exercitator eodem loco quo Maldonatum deſignabat? Fortaſsè te pudebat. ô actum bene ſi ſic, illius Alaſtoris & carcinomatis, in quo præter colluviem & ſentinam quandam nequiſſimarum improbitatum, nihil penitus intuebare: Cùm Maldonatum, aliàs virum probum laudaverint, viri omni laude ipſi majores, & à Veritate hiſtoricâ cum primis commendati. Certè hominem fuiſſe ingenio acerrimum,; variâ eruditione excultum, ſummâ induſtriâ Maldonatum: attuliſſe iſta omnia, & cum iſtis alia, ad ſacras literas explicandas: à cujus laudibus detractum aliquid per Caſaubonum, improbè & impudenter ais. Negat illum in Theologiâ eruditiſſimum? Eruditum non negat. an hoc te pungit, ſi non per omnia de veſtris ὑπερῷῳ? *Doctum hominem* fatetur. et quæſo te, in quo ſtudiorum genere doctum vel eruditum, ſi non in illâ, quam profitebatur, Theologiâ? *acerrimi ingenii ſine controverſiâ, hominem:* ecquem tu è Catholicis veſtris vel moderatiſſimum & modeſtiſſimum mihi nominaveris, qui tam honorificum dederit teſtimonium homini Hæretico & Novatori? & tamen ſunt inter illos, quidni, tuo Maldonato non inferiores. Equidem profiteor, me noſſe neminem. Maldonati defenſionem, immeritò exagitati, quis unquam ægrè feret te ſuſcepiſſe, extra limites & lineas cùm modeſtiæ, tum etiam veritatis emanſorem? ferendum non eſt. corripiendus es & conſtringendus Bulingere. Dixit Caſaubonus, Maldonatum pluries in ſuis commentariis Calvini & Bezæ ſcrinia compilaſſe: multò plurima ex eorum ſcriptis in ſuos commentarios tranſtuliſſe. Non hoc tamen loco ita ſcripſit Caſaubonus: quod à te tanquam hoc in loco dictum accuſatum deſignatur. Accuſationem non diffiteris veram. Laudas quinetiam: nec vitupero. Communia ſunt enim, vel ut mutuò ſumantur, Muſarum ſacra. an illud laudas, quod ingratus homo nunquam agnoverit, quibus tot & tanta debebat. nuſquam nominat patronos ſuos, doctores ſuos, ἱερανιζομένους, niſi in illum ſolum finem, ut diris devoveat execrationibus, immani conviciorum diritate confodiat, & lædoriarum plauſtris oneret? Impiè, & flagitiosè. quis negat? ſi non, quod memini me dixiſſe, perſonatus aliquis

quis R.P. ſocietatis ad convitiandum productus ſit in Lenæis ſub perſona Johannis Maldonei.

Et tamen tibi homini miſericordi res eſt levicula, nam ſilentio tranſilis, in eum opinor finem, ut ad tuas collectiones, iterum in Nos, è chartis conſpurcatis evomendas, viam tibi poſſes præmunire; de *nudo, ſimplici, mero* pane in Euchariſtiâ: de ſolâ figurâ, & ſigno corporis Chriſti, quia nos nullam omnino realem præſentiam agnoſcere, ſi non per calumniam, quod potius arbitror, mentiris: at per craſſam inſcitiam, & pudendam deblateras ignorantiam. Sufficiat dixiſſe, (neque enim quoties tibi libet ineptire, vel inſanire, toties ſunt iſta regeneranda) falſa ſunt omnia, mendacia ſunt omnia, calumniæ meræ, de non præſentiâ in Euchariſtiâ. Rem agnoſcimus: volentes profitemur. non audemus modum determinare. Fidei opem advocamus & auxilium, quam tu, contra omnes antiquos Patres, excluſiſti. manus, oculos, os, dentes, à myſteriis ſummovemus: & è recto ſenſu, & mente ſanâ Patrum quædam dicta, non repugnantibus ipſis, interpretamur. *Te miſeret & tædet noſtrarum opinationum.* et nos tuarum ineptiarum. Opinationes illæ, nullæ noſtræ ſunt, cerebri tui et aliorum ſunt ἐκτρώματα. Quiſquamne ſanus, aut inſanus etiam præter Te, prolatis è Chryſoſtomo teſtimoniis nos premeret, de Myſterio, menſâ myſticâ, menſâ ſpirituali, Chriſto myſticè propoſito, cœnâ tremendâ? Omnium bipedum nugaciſſime: quos tibi tu Andabatas ex adverſo? quos ſcindapſos, vel Cobalos, tibi fingis? homo ridicule, neſcis, an diſsimulas quæ de ſacramento hoc tremendo et adorando tuentur, credunt, amplectuntur Novatores? Qui *realem* nuper præſentiam negaſſe, ſatis imperitè dicebamur, jam vel à myſticâ abhorrere per ſummã væcordiam impudenter dicimur. ſed neceſſe eſt, hæc enormia devoremus. Quid fiet, mihi narra, communicantibus, ſi quod citatur è Chryſoſtomo, πυρὸς γέμει ἡ τράπεζα, *Igne referta ſit menſa ſacra?* ita clavum clavo propulſum oportuit. Quæris enim, acutiſſimè, *ſi nudus ac ſimplex panis eſt: quis ille in ſacrà menſâ ignis eſt?* quanquam et aliter reſpondemus, tu reſponde ſi poſſis quæſtioni noſtræ: Panis in menſâ illâ non eſt nudus. ignis in menſâ illâ non ardeſcit: neque enim eſt vel hic noſter, vel ille in mundo elementaris. myſticus eſt ignis & metaphoricus: qualis ille apud Prophetam, *Ignis comburens eſt Deus noſter.* Rogo te, vir ſolertiſſime, quid impedit, quo minus ad eundem modum, *corpus* et *ſanguis* ſit in menſâ: & ſanguine illud Altare imbuatur? Corpus ibi Chriſti profiteris. Ego tecum idem profitebor. Sed quale corpus? Naturale contendis. & quidni ignem materialem? Quidni Deum ipſum igneum craſſo modo? Qua licentiâ non corporalem ignem in Altari conſtituis, agnoſce corpus non Naturale. Animi morbus eſt, & perverſus error, nolle dare manus huic Veritati. Offert ſe Chriſtus in Altari ſacro ἀντὶ τῆς ἀλόγων σφαγῆς ſed an σφαττόμενον ad eundem modum? ſcio, deteſtaris τοῦτο ἄτοπον: quid ergo tanquam ἄλογον ſubintroducis; certè 80.

φυσικὸν quoddam ἱερεῖον. ideò ſacrificium iſtud μεγαλοπρεπέστερον quia tanto præſtantius ἱερεῖον. ideò modus ſacrificii φρικωδέστατος: quia non eſt cum ſenſu, aut Naturâ conjunctus.

81. Athanaſium εἰς τὸ βασίλειον ἱεράτευμα, nullum legi. neque tu, ut videtur, cum aliquâ curâ. verba illius ſunt inter alia, ἱερεὺς δὲ, ὡς ἑαυτοῦ θύτης τε καὶ προσαγωγεύς. ὁ γὰρ αὐτὸς ἱερεύς τε καὶ ἱερεῖον. *ſacerdos autem, utpote qui ſe ſacrificium obtulit, & perduxit ad Altare. Eſt etenim idem cùm ſacerdos, tum etiam ſacrificium.* Hæc verba, quo medio viſionis rectè diſpoſito *animadvertebas, non de ſacrificio Crucis cruento exaudienda, ſed de ſacrificio corporis ſui, quod in Cœnâ peregit Dominus.* ipſa πρᾶξις opinor ſacrificulorum, ad verborum ſeriem relata, te refellet. Non eſt enim αὐτὸς ἑαυτοῦ θύτης in ſacramento Altaris προκείμενος, ſed offertur à ſacerdote Deo Patri, in illo veſtræ myſſæ ſacrificio. In arâ Crucis erat ipſe ἱερεὺς & ἱερεῖον. obtulit enim ſeipſum Deo Patri: at in Altari non eſt ἱερεύς: offertur à ſacerdote Deo Patri. En te Hypſeâ cæciorem Bulingere. de δείπνῳ ἀρχισυμβόλῳ, eruditè notas, & amplector. non item admiror admirationem tuam, cur Pachymeres & Maximus Dionyſii ſcholiaſtæ, μυστικὸν ἄρτον in ſacris, & τέλειον diſtinguant à Myſteriis celebratis: ut illis adhiberetur κοινωνὸς Ἰούδας, ad myſteria verò ipſa non admitteretur. ſed interroga Chryſoſtomum, quid in mentem ipſi venerat, qui μυστικὸν δεῖπνον non aliter tractat, quàm quaſi quiddam diſtinctum à myſteriis ipſis. mirare & beatum, ſi lubet Auguſtinum, qui Judam participem admittit *primæ Euchariſtiæ.* Primam qui nominat, à ſecundâ diſtinguit: cùm niſi propter ſecundam non eſſet prima. Qui primæ Euchariſtiæ participem facit, videtur mihi excludere à ſecundâ. hoc eſt, ἀπὸ τῶν μυστηρίων, non perinde autem à cœnâ myſticâ. Accepit etenim *panem Domini,* non comedit *panem Dominum. Tum enim erit unicuiq; corpus & ſanguis Christi,* ait idem alibi, *ſi quod in ſacramento ſumitur; in ipſâ veritate ſpiritualiter manducetur, ſpiritualiter bibatur.* at eundem appellas, Lib. 5. cap. 8. contra Donatiſtas. imperitè, & indefinitè. diceres, de Baptiſmo contra Donatiſtas: quaſi contrarium ſibi ipſi ſtatuiſſet beatus Auguſtinus: *Sicut Judas cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, ſed malè accipiendo, locum in ſe Diabolo præbuit: ſic indignè quiſque ſumens Dominicum ſacramentum, non efficit ut quia ipſe malus eſt, malum ſit: aut quia non ad ſalutem accipit, Nihil acceperit. Corpus enim Domini & ſanguis Domini nihilominus erat illis, quibus dicebat Apoſtolus, Qui manducat indignè, judicium ſibi manducat.* Erat illis, deſtinatum ſcilicet, & conſecratum in eum finem, ut eſſet verè corpus ſaginando animum, & vitam æternam largiendo. *Panis ſanctificatus,* apud Cyprianum. μυστικὸν δεῖπνον apud Chryſoſtomum. ita ipſe ſemet explicat Auguſtinus de Patribus in deſerto, non morientibus, ut dicebat ille: *Manducaverunt ibi multi, & mortui non ſunt, quia Domino placuerunt. Quare? quia viſibilem cibum ſpiritualiter intellexerunt, ſpiritualiter eſurierunt, ſpiritualiter guſtaverunt,*

Ser. 2. de verbis Apoſtoli.

Digitized by Google

guſtaverunt, ut ſpiritualiter ſatiarentur. Sic & nos hodie accipimus viſibilem cibum, ſed aliud eſt ſacramentum, aliud virtus ſacramenti. Tra. 26. in Joh.
Omnia. ἅπαντα, ſpiritualiter: ſatis à commento tuo, alienè. Quod ipſum ſic & alibi intelligendum eſt, ut te ſymbolâ etiam noſtrâ adjuvemus: contra Liter. Petiliani: 2. 47. *De menſâ Domini vitam ſumunt, ſicut Petrus, non judicium ſicut Judas: & tamen ipſa* (menſa) *utrique fuit una, ſed non utrique valuit ad unum, quia ipſi non erant unum.* Una nimirum, propoſitione ſacramenti, non exhibitione gratiæ. ſi enim attenderis ad Verba Chriſti, prius dicitur, *Accipite, comedite,* & tum ſecundo loco, *Hoc eſt corpus meum.* de ſacramento uno intelligendus eſt, non Chriſto uno in ſacramento. ita ipſe ſtatim Auguſtinus: *Cum ambo unum ſumpſiſſent, non iis impar ſacramentum, ſed impar fuit meritum.*

Cyprianus, vel quiſquis author extitit Libri illius de Cœnâ Domini, de pane ſanctificato, ita loquitur, ſcio, quemadmodum habetur in Diatribâ: et inde tibi refricanda eſt memoria, Panem appellari τὸ σεσημειωμένον ab authore illo antiquo, etiam poſtquam fuit dictum, *Hoc eſt corpus meum.* Quòmodo autem Judas panem illum ſumpſerat, ex conſenſu veteris Eccleſiæ ſtatim docet. nempe ſacramentum, non rem ſacramenti indigni comedebāt. *Sed quamvis ab indignis ſumi ſe,* ait author, *& confringi ſacramenta permittant, non poſſunt tamen ſpiritus eſſe participes, quorum infidelitas & indignitas, tantæ ſanctitudini contradicit.* Corpus ſumunt & ſanguinem bibunt, ex difertâ ſententiâ Auguſtini: ſed quo ſenſu, diſcendum ex Auguſtino, *Corporalia ſacramenta, quæ portant & celebrant, etiam ab unitate Corporis Chriſti ſeparati, formam pietatis habere poſſunt, virtus verô inviſibilis & ſpiritualis ita in iis eſſe non poteſt, quemadmodum ſenſus non ſequitur membrum quando à corpore amputatur.* Neque aliter alii Patres ſunt intelligendi, id quod diſcere poteras à Theodoreto, qui cum verbis expreſſiſſimis negaſſet panis μεταβολὴν, ait tamen, ut à te citatur, οὐ μόνον τοῖς ἕνδεκα ἀποστόλοις, ἀλλὰ καὶ τῷ προδότῃ μετέδωκε τοῦ τιμίου σώματός τε καὶ αἵματος. *Proditori communicavit pretioſum corpus & ſanguinem ſuum, non ſolis undecim Apoſtolis.* ſatis, maximus iſta & Pachymeres, ex ſententiâ vetuſtatis intelligebant, ideoque panem myſticum, & ſanguinem myſticum, à myſteriis rectè diſcriminabant. Vides hoc, ſed μύωψ. videre piget, ideo diſſimulas. quia nuperum hoc commentum Caphernaïticum, repugnat antiquitati ἐκ διαμέτρου. Maximum miraris diſtinxiſſe: mirare & Chryſoſt. diſtinguentem. μυστικοῦ ille δείπνου participem facit Iſcariotem: nuſquam facit myſteriorum. Interim illud diſcimus à Chryſoſtomo, Laïcos olim poculi participes factos, niſi fortè Reges, (eò quòd in Oriente, de more obtinerent, ut intra cancellos admitterentur, quod Mediolani non erat uſu receptum,) referendos cenſeas inter ſacerdotes. & habemus tibi gratiam de Auguſtino, è quo dicimus, ſacramentum eſſe hocce *commemorativum.* de Hilario re-

82.

Lib. de blaſph. in ſpir. ſanct.

Digitized by Google

ſponſum eſt prius. *Subſtantia* nihil aliud ipſi eſt quàm *Veritas. Nam per ſacramentum*, ait, *communicatæ carnis, in eo ſumus*: et hoc aliud eſt opinor per carnem illam φυσικὴν, in quam panis tranſiit, remanentibus ſolummodo accidentibus.

83. Quæ ſequuntur teſtimonia, cum larvis luctantur: depugnant contra nuda ſigna. Eſt hoc commentum tui cerebri Bulingere; non *opinatio*, quod fingis, Caſauboniana. quocirca defungi hoc labore poteras nullo producto teſtimonio, vel ſaltem manum, quod aiunt, de tabulâ, uno vel altero recitato. Oppoſuit ſua Caſaubonus Exercitator Johanni Maldonato, neceſſitate impulſus, ut, *Cœnam Dominicam*, quod negabat ille in odium Calviniſtarum, confirmaret, antiquorum ſcriptis uſurpatam: Tua tu congeris nullo ordine, methodo, judicio nullo, ut, quod ais, inſtitutum tuum, ineptiendi credo, *teneas*, & Chriſtum probes *nunc realiter*, quod nemo negat noſtrum, *adeſſe in ſacramento*: *nunc Corporaliter*, (nam confundis tanquam non ἀσύμβολα) quod nemo veterum cogitavit. Hoc commentum indigebat confirmatione: nullam video. Illa Veritas eſt, nec de eâ controvertitur. Samonam, Innocentium, authorem hujus monſtri habe tibi in ſinum, cæteroſque μελαγχολικωτέρους. ſtandum eſt arbitrio Vetuſtatis, factionem in Eccleſiâ non moramur.

84. Cum diſputatione de corpore Chriſti, conjuncta eſt ejuſdem corporis participatio. Illa olim ab origine & inſtituto primo *Cõmunio* fuerat, plurium, ad eandem ſynaxim convenientium: progrediente tẽpore et improbitate, ſolus ſacerdos, *cõmunicabat*, non poſſumus dicere, ſed τὸ προκείμενον abliguriebat. Hanc craſſiſſimam rei ſacræ profanationem, *Communionem*, vocat *ſine communicantibus*: *miſſas privatas* & angulares, quaſi opus aliquod non Lucis ſed tenebrarum, recentes abuſus nominavit. Verè abuſus: recentes verè, & Papales. neque tu revinces è vetuſtis Patribus, & Eccleſiæ praxi, veterem fuiſſe Dei cultum & legitimè uſitatum. Confidenter aggrederis: *Facilè*, ais, *evincam. B. Hieronymus in Ep. ad Damaſum, Chriſtum quotidiè immolari à ſacerdotibus docet.* addo: ait idem in Epiſtolam ad Titum, *Sacerdotes quotidiè pro peccatis populi, ac ſuis ſacrificare.* Et poteſt hoc privatim dici uſurpari, reſpectu eorum qui ſolenniter ſtatis diebus celebrabant. immolabatur quotidiè à ſacerdotibus. à pluribus nimirum, per plures locos. non ait ab eodem ſolo, & ſolitario ſacerdote. Cantantur horæ Canonicæ a ſacerdotibus quotidiè. ergo ſolus ſacerdos cantat horas & ſolitarias, in unaquaque Eccleſiâ, in quocunque ejuſdem Eccleſiæ angulo. ſed acutè videras objectionem, & occurris per πρόληψιν. *Fideles quotidiè non communicabant*, ergo ſequitur, ſolitarium communicaſſe ſacerdotem. Portentoſum acumen. Quaſi non poſſent abſentibus Fidelibus, plures ſimul ſacerdotes communicare. Non negat hoc Hieronymus. quippe ni affirmat, quotidiè Chriſtum immolatum à ſacerdotibus, ſed reſpondeo: In quibuſdam locis verum

Digitized by Google

verum eſt, Fideles quotidiè non communicaſſe. nec neceſſe nobis eſſe Hieronymum ita coarctare, quin interpretemur ad iſtum modum, in alio & alio loco Chriſtus, alicubi quotidiè immolatur. Et certè moris erat etiam tum, ut quibuſdam in locis quotidiè communicarent. Ex ore tuo te revincam. Hieronymus ipſe hoc fatetur ſtatim. *Vitulus pinguis, qui quotidiè immolatur, pro ſalute pœnitentis ipſe ſalvator eſt, cujus quotidiè carne veſcimur, cruore potamur.* ſed fortaſſe quia loquitur de Cruore potis, ad ſacerdotes ſolos hoc retuleris. ſiquidem ſoli ſacerdotes eſſent Credentes, aliquid in cauſſam hoc attuliſſes. *Hoc convivium* ait idem, *quotidiè celebratur: quotidiè Pater Filium recipit* (habet alios quàm Sacerdotes) *ſemper Chriſtus Credentibus immolatur.* Et adhuc explicatiùs. *Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut Fideles ſemper Corpus Chriſti accipiant, quod nec reprehendo nec probo.* Labili te fuiſſe memoriâ oportet, aut in procinctu hoc effudiſſe in chartas, ſtantem jam & paratum ad Italicum iter, qui tam paucis interjectis lineis, Hieronymum ſibi facis ἐναντιότατον. Duraſſe hunc morem apud Romanos poſt collectum ad Patres Hieronymum, Gregorius docet, Caſſium Narnienſem quotidiè celebraſſe. Locupletiſſimus hujuſce rei *Epiſt. 118. c. 2.* teſtis eſt, & interpretationis firmator, Auguſtinus, à teipſo etiam allegatus, *Alia verò quæ per loca terrarum, regioneſque variantur: ſicuti eſt quod alii jejunant Sabbato, alii verò non: Alii quotidiè communicant corpori & ſanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur: alibi Sabbato tantùm & Dominico: alibi tantùm Dominico.* Rem eandem doctiſſimus idem Pater, alibi quoque conſignavit. Locus eſt illuſtris, & quaſi quidam Aſteropæus utrumque tuum, per hoc ca- *Epiſt. 23.* put, commentum refellit, de miſſis illis angularibus: et carnali & craſſâ μετουσίᾳ. *Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo? & tamen in ſacramento, non ſolùm per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur* (ait *populis*, non *ſacerdotibus* Bulingere) *neque utique mentitur, qui rogatus, eum reſponderit immolari.* Et hoc ipſum ad Hieronymum, de quo agitur, quem acerbum poterat, mentitus modo fuiſſet, commonitorem expectare. Perſequitur contra delirium tuum alterum. ſi enim ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum ſunt ſacramenta, non haberent, omnino non eſſent ſacramenta. *Ex hac etiam ſimilitudine plerumque rerum etiam ipſarum nomina accipiunt. Ergo ſicut ſecundum quendam modum, Sacramentum corporis Chriſti, Chriſti corpus eſt, ſacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt: Ita ſacramentum fideì fides eſt.* Cyprianus in Epiſtolâ 54. eundem morem viguiſſe ſuo ſæculo docet, *ſacerdotes qui ſacrificia Dei quotidiè celebramus, hoſtias Deo & victimas præparemus.* ſed de ſolis ille loquitur ſacerdotibus, certè celebrantibus, & offerentibus: Nam Laïci communicabant. ſed Pamelius annotavit uſu tum receptum, ut quotidie ſacrificia celebrarent.

Digitized by Google

lebrarent. fortaſſe bis in eodem die ex epiſt. 63. certè quotidiè apud eundem ſect. 13. in orat. Dominicam. *Hunc autem Panem dari nobis quotidiè poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam, quotidiè ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abſtenti & non communicantes, â cœleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur.*

85. Sed Chryſoſtomi authoritas in contrarium eſt. Imò conſpirat & conſentit per omnia ὁ χρυσοῤῥήμων, ait enim: πολλοὶ τῶν μυστηρίων ἅπαξ μεταλαμβάνουσι τοῦ ἐνιαυτοῦ. multi ſacramẽtorum participes fiunt ſemel tantùm in anno. rectè, de multis, non de omnibus loquitur. Eò quòd multos ait id uſurpaſſe, certiſſimè demonſtrat, *Non omnes.* Accedit interpres illi Auguſtin9. *Cur poſt annũ illũ ſumas, quod jam modo Græci in Oriente facere conſueverunt.* πολλοὶ erant, οἱ in Oriente conſtituti. ſed nec omnes. ſaltem per ætatem Baſilii, qui in tuis excerptis contrarium docet. Conciliat utrumque aliter Auguſtinus, ſuppar ætate, Epiſcopatu anterior Chryſoſtomo. Nam uterque σύγχρονοι, ſed minores ambo Baſilio: *Jam modò Græci per Orientem.* ab Exceſſu Baſilii inoleverat mos & conſuetudo. Non eſt autem hanc provinciam ut exornem ego. ſtrenuè, quæ tua eſt ἠλιθιότης, egiſti partes Novatorum. Contra tuas miſſas angulares, Unum addam, Pamelii veſtri annotamentum, ad locum illum recitatum è Cypriano. Quæ ratio fuerat jugis hujuſce ſacrificii, optimè docet ibi Scholiaſtes. *Satis hinc perſpicuum eſt, quotidiè adhuc ætate Cypriani, communicaſſe Fideles, quod jam inde ab Apoſtolis uſitatum fuiſſe, patet ex Actis Apoſtolorum non uno loco. Perduravit ea conſuetudo, uſque ad D. Hieronymi ætatem Romæ, & in Hiſpaniis, vel ipſo teſte, in Epiſtola ad Lucam Bæticum, & apologiâ ad Pammachium, pro libris contra Jovinianum. Mediolani, ad Divi Ambroſii uſque ætatem, quemadmodum colligere eſt ex ultimo capite libri* iiii. *&* v. *de Sacram. & in Africâ, uſque ad Divi Auguſtini ætatem, ut patet ex epiſtolâ* 118. *Atqui in Oriente jamdudum deſierat conſuetudo: ut patet; tùm è dicto Lib.* iii. *Ambroſii de Sacram. & Lib.* ii. *de Serm. Dom. Auguſtini. tum ex Divo Chryſoſt. hom.*61. *ad populum Antiochenum: tertiâ, in Epiſtolam ad Epheſios, &* xvii. *in illam ad Hebræos, ubi varias adfert obſervationes cum eorum qui in ſolennitatibus communicabant in Adventu, & Quadrageſimâ, tum eorum qui in Paſcha duntaxat, aut bis aut ter in anno: tum heremitarum qui ex humilitate quadam, ſemel quotannis aut ſingulis bienniis. Quare non tam urgent D. D. Hieronymus & Chryſoſtomus communionem quotidianam, quàm dignam Euchariſtiæ ſumptionem.* Hæc vir doctiſſimus, de totâ illâ, tam diverſâ ratione communicandi. unde tua miranda eſt ἀβελτηρία, qui propter quotidianas quorundam ſynaxes, & aliorum rariores, Miſſas nobis privatas & angulares, Communiones non communiones extundis, unde nunquam Bellarmini vel induſtria, & acumen, vel τεχνίχα protraxiſſet. ſolus hic ſapis inter omnes, reliqui vagantur velut umbræ.

Itane

Itane verò, *ratione inter multos maximè valere Exercitatorem,* quem toties ἀλόγως & ἀλογίστως ab omni Pietate, ſenſu, ratione receſſiſſe vociferaris? Calculus quidam tibi putatorius eſt, vir doctiſſimus. interdum, millibus è multis unus: interdum, εἴτ᾽ ἐν λόγῳ, εἴτ᾽ ἐν ἀριθμῷ. valet in præſenti Ratione ut videtur, ut capax eſſe poſſit, tuæ planè ἀλογίστου rationis. Ages enim cum illo, inquis, ratione; de re irrationabili, angulari miſsâ. ſacrificium miſſa eſt, vel non eſt. R. & eſt & non eſt. Ἀναίμακτον eſſe fatemur. tu ſanguine conſperſas nobis aras dediſti. Commemorativum, & Euchariſticum agnoſcemus. Tu idem quod in arâ Crucis mactabatur. ſed aufer hinc ambages: eſt ſacrificium Chriſtianorum: Tum, infers, *vel publicè vel privatim, licèt communio populi non miniſtretur, honor ille ſacrificii Deo præſtari poterit.* R. ratione loci poterit. ratione Temporis non abnuerim. ratione reſpectivâ communicantium: Neque enim ſemper tota ſimul Eccleſia communicat. ratione etiam finis, ut agente quodam in extremis: ſed non ratione ſolitudinis. Neque enim ſacrificium eſt ſacrificium, niſi debitis circumſtantiis obſervetur. ad Naturam iſtius ſacrificii ſpectat, ut ſit, ἐν τῷ πλήθει τῶν συνελθόντων. neque enim vel λῆψιν, vel κοινωνία alioquin eſt. Ideò fatetur Cardinalis controverſor, *Nuſquam expreſsè legimus, à veteribus oblatum ſacrificium ſine communione alicujus, vel aliquorum, præter ipſum ſacerdotem.* quod poſitum ab illo eſt in confeſſo amplectimur. Conjecturæ tam vanæ ſunt, quam incertæ quas ſuggeſſit in contrarium: ipſi eas ideò condonamus. Veteres illi proceres εὐλαβέστατοι, ad Chriſti inſtitutum advertebant animos, & Paulinam ejuſdem explicationem. Utrinque τὴν σύναξιν animadverterunt, & ad illam omnino adhæſerunt. 86.

Errore factum dixerim tuo, an Typographi, Bulingere, ut verba Caſauboni perversè referres? ſcripſerat Caſaubonus, *Chriſtus in eodem actu, & Deum Patrem laudavit, & gratias illi egit, & hoc amplius panem ſanctificavit, ut eſſet in myſterio Corpus, ſive caro & ſanguis Chriſti.* Tu reſcribis, *Panem ſignificavit.* conſulto conſilio, ut opinor, ſequitur enim in Diatribâ, Id eſt, ex ſententiâ tuâ, *Ut panis ſignum eſſet corporis Chriſti:* quaſi qui Theologicè tibi non loquitur, ne quidem Latinè ſciret loqui. vel ut viam tibi ipſi faciliùs communires, ad tua Nobis denuo Adverſaria, de Chriſti corpore, explicanda. Ubi ut, in principio & in genere tibi reſpondeam, tecum, more ſolito ludis & garritas. Neque enim Caſaubonus poſt Conſecrationem illam ſolennem, *nuda ſigna,* quod jam toties regeſtum eſt, agnoſcit, ſed & inſtrumenta & canales. Neque profitetur *Panem merum, nudum,* ſed *corpus Chriſti* in ſacramento, carnem, ſanguinem adeſſe rebatur, prout ipſe Chriſtus confirmabat, ubi dixit, *Hoc eſt corpus meum.* tantùm eò non proceſſit vel temeritatis vel audaciæ, ut modum illum determinaret, quo, *Hoc eſt corpus meum,* eſt mutatio, converſio, μεταστοιχείωσις in ſacramento, per dextram excelſi. 87.

celſi. Nuſquam legitur Tranſubſtantiatio. Certè *nupera* non eſt *opinatio Caſauboniana*. ſed ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exortu agnita, & in confeſſo poſita. Eſt etiam antiquiſſimus ille error, damnatus, ejectus ab ipſo Eccleſiæ fundatore: in Judâ & Capharnaïtis: ſed error ille quid ad Caſaubonum? Nuda ille *ſigna* non contendit eſſe: ſi verum eſſet illos ita contendiſſe. ſed agamus tecum preſſius de Chryſoſt. qui fundus ille tuus eſt de hoc errore. Chryſoſt. ais, hom. 46. in Joh. ita eſt è Lat. verſione: ſed tu qui Chryſoſt. referebas Græcè, cur non ho. 47. ad exemplar Græcum proſcribebas? Nec dicta de Capernaïtis. jam enim abſoluta erat apud illos in ſynagogâ diſſertatio. ſed nec quæ Judam prorſus & omni modo pertingunt, quicquam habent cum illâ diſſertatione commune. Annectuntur, non ignoro: & ἐνταῦθα ὠρυλῶσαι. falſum eſt tamen hinc concludi, Judam & Capernaïtas de nudis *ſignis* vel omnino *ſignis* cogitaſſe. alieni erant prorſus cum à *ſignis*, tum etiam à *ſignatis* Capernaïtæ: & in ἀνθρωποβορίᾳ inſiſtebant. *Quomodo*, aiunt, *poteſt iſte carnem ſuam nobis communicare*? Cogitabant non de myſtico aut ſpirituali aliquo modo: non de ſignis, ut dixi, ſed ipſa carne quam intuebantur; ipſo corpore (quomodo vos ſoletis) quod de matre naſcebatur. Quid Judas cogitabat incertum eſt. Chryſoſtomo certum ut videtur, non idem ſenſiſſe, cum Capernaïtis: Diſtinguit tempora ex Euangeliſta. diſtinguit illum, & ἀφορίζει, nec ingredi illorum χόρον ἀξιοῖ, hoc eſt, Apoſtolorum, qui profeſſi erant ex ore Petri, illam aliquando Profeſſionem, Tu es *Chriſtus, filius Dei vivi*. Non autem ab eorum choro, qui crediderant & agnoverant, *Quod tu das nobis carnem tuam comedendam*. Si enim Apoſtoli hoc credebant, credibile eſt Judam idem cum illis crediſſe. Nondum etenim occupaverat Sathan illius animum, aut tradendi illum, immiſerat deſiderium. Certè illa omnia, *Chriſtus Dominus, cum animadverteret Judam ſibi fidem non habere commendanti carnis ſuæ manducationem*, tua ſunt παραχαράγματα ad Chryſoſt. non illius νομίσματα, hoc non oportuit. Si Piſis ad hunc modum Ducis Hetruriæ pecuniam adulteres, quomodo illius melliti Scriptoris, in cruce corvos paſceres, nec injuriâ. Poſtremo, ſi ad Judam & Caphernaïtas conjunctim quod opinaris, aliquorum proximè accedat opinatio, noſtra non eſt, qui cum Caſaubono rectè ſentimus: veſtra eſt, qui nullam *Chriſti manducationem corporis*, niſi oralem profitemini.

88. Ignatii teſtimonium illud apud Theodoretum invenimus. non invenimus in illâ ad Smyrnenſes impreſſa & vulgata: Euchariſtiam Simoniani & Menandriani reſpuebant. negabant enim Carnem eſſe & ſanguinem Jeſu Chriſti. Cur vero? quia Chriſtum negabant λόγον incarnatum. Verbum factum carnem, apud Johannem, non admittebant. Quid horum delirium & impietas, ad Sacramentariorum, ſi qui tales ſunt, nuda ſigna? Non minus erant veſtræ Pontificiæ εἰκονολατρείας & Ἀγγελοδουλείας authores:

thores: qui ab Angelis mundum conditum contendebant, & Imaginibus utebantur: Simonis quoque effigiem venerabantur, qui ab illo hauſerant impietatem. Horrendam Gnoſticorum fœditatem quid erat quod vel animo cogitares, niſi te delectat λαγνεύοντα καὶ ᾄδειν ejuſmodi emblematis orationem tuam vermiculari. Egregium verò fundamentum, authores omni exceptione majores tibi fæcem & ſentinam Hæreticorum Gnoſticos non invidemus. *Hoc eſt corpus meum*, intellexerunt de corpore naturali. Euge. & cum Gnoſticis, & primi à Gnoſticis, Pontificii quidam Sathanæ πρωτότοκοι illi: quo loco vos cenſendi videant alii. Ejuſdem furfuris & farinæ eſt & *urbicus* ille apud Auguſtinum. Nullum enim memini apud illum Urbicum, præter patrem Manichæorum, illum Manem qui prius in Græciâ Urbicus dicebatur, quàm ſe conferret ad Perſas: & alium in 86. epiſt. ad Caſulanum, qui ſcripſit ineptiſſimè de Jejunio Sabbathi. Et is eſt, quem hic inſinuas, qui nunquam à te adductus fuiſſet, in hanc ſententiam, ſi vel ante prælum, vel à prælo hanc confuſam farraginem & informem, lambere, ut ſolent urſæ ſuos fœtus, ſuſtinuiſſes. non enim legitur apud Auguſtinum, dixiſſe iſtum, *Nudum panem & vinum ſumi in Eucharistiâ:* contrarium potius. Ait ille, *Ceſſiſſe pani pecudes:* hoc eſt, legalibus & umbris ſucceſſiſſe ipſas ſubſtantias. Panem benedictionis in altari, & poculum εὐχαριστίας ſanguini pecudum apud legem antiquam. ſed ſi panem nudum & poculum commune crediderat ille, nunquam ſanguini & pecudi dixiſſet ſuperinducta, neque opinionis vanitatem tacuiſſet Auguſtinus: tantum oblivionem & ignorantiam perſtringit, non autem contrariam opinionem, *Non cogitans nunc ſe accipere in poculo ſanguinem.* longè autem aliud, Non cogitare, & diverſum opinari. Opinabatur autem: quid tum? Caſaubonus, cum illo non opinabatur. potius ſic Auguſtinus opinabatur. *Quantò melius autem & congruentius*, ait, ſcriberet, *Panis pani, pecori pecus ceſſiſſe*? Panem vocat, audis, non corpus: ne quidem in arâ conſecratum. ſed rectè Auguſtinus & orthodoxè, Nam qui panem pani dicit, ſanguini ceſſiſſe ſanguinem; Nobiſcum ſentit, in Veritate: à vobis abhorret in *modo* transubſtantiati: itaque annectit, *Videmus quippè in his omnibus carnalem vetuſtatem ſpirituali cedere novitati:* Spirituali, ait, & non corporali. tu contra: à ſpiritu ad corpus, à ſpiritu ad literam fugis.

Concilium Epheſinum, ut allegares, non erat opus. jam 89.
centies diximus; & tu cum larvis luctaris, nos fateri libentiſſimè, & agnoſcere, ſanctum, vivificum, & incruentum in Eccleſiis Sacrificium fieri, credentes id quod proponitur, non eſſe corpus unius alicujus vulgaris ac communis hominis; ſimiliter & ſanguinem pretioſum: expendit verba iſta Exercitator, & geminum olim eorum ſenſum agnovit, ante malam conceptam hanc farraginem: fatebatur eſſe corpus ζωοποιοῦντος λόγου. ſed non *quale: quantum: quomodo* Chriſti corpus. Mentiris Ignatium & teipſum.

non oſtendiſti *damnare illum eos qui Euchariſtiam, veram Domini carnem in cruce paſſam eſſe negarent.* oſtendiſti ſecundum mentem Ignatii *Euchariſtiam eſſe carnem Chriſti in cruce paſſi:* hoc libenter amplectimur cum Ignatio: ſed longè aliud tintinnat, *Caro in cruce paſſa:* & *caro in cruce paſſi:* illud delirium eſt Bulingerianum: hoc, ex Ignatii calamo, veritas. Caro Chriſti in Altari participatur. Chriſti in cruce paſſi caro. illa autem ipſa Caro quæ in cruce patiebatur, non eſt in Altari participata. Origenem contra Celſum cavillari poſſimus, non de Euchariſtia, eo loco locutum, ſed de pane vulgari in conviviis per Orationem & gratiarum actiones ſanctificato. nolumus autem. eſto ut vis. σῶμα γίνονται οἱ ἄρτοι διὰ τὴν εὐχὴν, per Orationem panis fit corpus. non tamen σῶμα tranſubſtantiatum. Ergò idem pater paullò poſt pag. 428. editionis Græcæ, vocat tamen Εὐχαριστίαν. Ἔστι δὲ καὶ σύμβολον ἡμῖν τῆς πρὸς τὸν Θεὸν εὐχαριστίας, ἄρτος εὐχαριστία καλούμενος. Cyrilli illa verba, ſi Cyrilli, jam alias expendimus, ſemel atque iterum. oblitus es te prius illa ingeſſiſſe: non eſt opus ut hic denuò veſtigium figamus. expendimus ſimiliter Tertulliani *ſtationes: euchariſtiam:* & *corpus Domini.* indigentiſſime nugator, qui ſententias toties repetitas, ad ravim ingeminas, *Audi: expende: ſiſte gradum.* In beato Ignatio non eras Lynceus. Euchariſtiam, ut ſolet, ἄρτον appellat & ποτήριον. corpus Chriſti nuſquam nominat. docet, unam eſſe Euchariſtiam: illam, licet ſit, non tamen ibi docet eſſe, *carnem & ſanguinem Jeſu Chriſti.* ſanguis fundebatur, & erat ille εἷς. corpus frangebatur, & erat illud ἕν. item εἷς ἄρτος & ἓν ποτήριον, dabatur & effundebatur. Ideò autem unam eſſe Euchariſtiam, quia corpus, ſanguis; panis, poculum, erant omnia ἕν. Quaſi diceret, ob id ipſum, quod ἀντίτυπα *ſanguinis & carnis Chriſti, Panis atque vinum, unum & idem* ideo ſunt, quod res ſymbolice figurata una eſſet, ἓν αἷμα & μία σάρξ. Vocat autem Panem jam conſecratum. & ποτήριον πᾶσι διανεμηθὲν, poculum omnibus & ſingulis diſtributum. poſt conſecrationem ergo, ſi poſt diſtributionem, non ut vos peccatis, ſolis diviſam & factam ſacerdotibus. ad eundem modum loquitur penultima epiſtola, ubi ἄρτον κλῶντες de Fidelibus ait. quem Panem, φάρμακον appellat ἀθανασίας. & iterum in eadem illâ ipſâ Epiſtola. Ἐὰν μή τις ἐντὸς ᾖ τοῦ θυσιαστηρίου, ὑστερεῖται τοῦ ἄρτου Θεοῦ. Tu hæc mihi verba notes, & altè conſideres, ut te tuo apopthegmate poſſim affari.

90. Dionyſium fatetur Exercitator, σύμφημι κἀγὼ, authorem antiquiſſimum. non fatetur autem, ſed refragatur tam fatuæ aſſertioni, illum eſſe Dionyſium ex Areopago. Dionyſii illius, cujus demum cunque authoris teſtimonium, cap. 6. habetur, non 8. ut perperam refertur in Diatribâ, loquitur de Communione ordinatorum. Laudat illam ὡς κεφάλαιον omnium conſecrationum & ἱεροτελεστιῶν ἀποπεράτωσιν. *De corpore Chriſti*, quanquam ſit reverà corpus Chriſti, ne mutit quidem. ut niſi foret in propoſito tuo τῆς ἁγίας κοινωνίας citare encomium, fruſtra iſta huc tranſcripta ſintè Dionyſio.

Dionyſio. Docuit ex profeſſo, non ita dudum Caſaubonus, τελετῶν, & ſacramentorum omnium caput atque apicem eſſe Euchariſtiam. Quocirca niſi ipſum illud volebas confirmare ab Exercitatore profectum, fruſtra tam illuſtre teſtimonium de Dionyſio recitabas. Juſtinus ſequitur: atque ille quidem dupliciter facit pro Caſaubono. ἄρτον etenim appellat, & ἀνάμνησιν *Panem*, & *commemorationem* mortis Jeſu Chriſti. panem oblatum in commemorationem Jeſu Chriſti mortis. quaſi Novator purus putus. & tamen adhuc magis in ſequenti loco, qui in fine habetur apologiæ. Totus enim ibi noſter eſt. *Diaconi dant*, inquit, *unicuique adſtantium, communionem panis conſecrati, & vini aquâ mixti.* audis Bulingere μετὰ τὴν εὐχήν, cum jam fingitur illa εὐλόγησις *Panem & vinum*, appellari, id quod aſtantibus diſtribuitur. *vinum* aſtantibus, non ſolum *panem*, diſtributum. ſequitur, & in illis hæres. ſed ut ἅμαξα ἐν βορβόρῳ. Noſtra enim omnium eſt confeſſio, *Non enim ut communem panem, neque ut communem potum iſta ſumimus: ſed quomodo per verbum Dei incarnatus Jeſus Chriſtus ſervator noſter carnem & ſanguinem pro ſalute noſtra habuit, Ita & cibum benedictum per orationem verbi Dei ab ipſo: ex quo cibo, caro & ſanguis per mutationem alitur; carnem & ſanguinem illius Chriſti incarnati eſſe docemur.* neque aliter à magiſtris noſtris, & informatoribus Hæreticorum filii edocemur. ſimilia idem Martyr non ibidem, falsò hoc affirmas, ſed in illa cum Tryphone diſſertatione docet, ubi Malachiæ vaticinium, ad Sacrificium hoſtiæ incruentæ, quod ais, vocat, θυσίαν ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου, ſacrificium panis Euchariſtiæ & poculi: quæ putares profecta ab Hæretico. & ſimiliter pag. 82. appellat ἄρτον ὃν παρέδωκε ποιεῖν εἰς ἀνάμνησιν τοῦ τε σωματοποιήσασθαι αὐτὸν διὰ τοὺς πιστεύοντας εἰς αὐτὸν δι' οὓς καὶ παθητὸς γέγονε· καὶ περὶ τοῦ ποτηρίου, ὃ εἰς ἀνάμνησιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ παρέδωκεν εὐχαριστοῦντας ποιεῖν. *Panem quem dedit ad recolendum commemorationem ipſius qui corpus ſibi ſumpſerat propter illos qui credebant in illum, quorum cauſa factus eſt, & paſſibilis. & de poculo, quod in recordationem ſui ſanguinis, juſſit ut cum gratiarum actione faceremus.* ubique *poculum*, & *panem* conſecratum. utrobique Commemorativam oblationem ſive mavis ſacrificium.

Neque aliter πολυμαθέστατος Clemens, quem cur huc advocaris me latet ratio. nuſquam ille *corpus*: *ſanguinem* nullum commemorat. *vini* meminit & τοῦ κράματος. & quicquid agebatur, ait factum μυστικῶς. Hoc ſolum in pædago. in 4. Stromatum, id tantum docet, Melchiſedechum obtuliſſe *panem* & *vinum*, εἰς τύπον εὐχαριστίας. volebas nos docere te legiſſe Clementem (quanquam & per Sylburgiam ψευδόθυρον irrepere poteras.) neque enim erat cauſa, niſi forſan iſta, cur de Clemente admoneremur. fortaſſis & fucum volebas facere lectori, quaſi illa (nam non diſtinguis) quæ ſequuntur, à Clemente dimanarent; *ſed res figurata dignior eſt figura. ſit igitur in Euchariſtiâ aliquid pane nobilius neceſſe eſt, quod nihil aliud eſt niſi corpus Chriſti.* Tua ſunt iſta παρεγχειρήματα. 91.

Clementina illa ῥῆσις, eo uſque non progreditur. Quanquam hæc ipſa vera ſunt: præſtat res ſignificata typis: veluti ſubſtantia præcellit umbris. & eſt in Euchariſtiâ quid nobilius *Pane* illo & *vino* Melchiſidechianis. Corpus eſt Chriſti πολύτιμον, & auguſtum, quis inficiatur? ſed modo ineffabili, hoc eſt excellentiſſimo auguſtiſſimoque. Iterum βαύζεις in Irenæo. *expendit* aliquoties illum locum. non & *communis panis* in Euchariſtiâ. ex duabus rebus conſtat Euchariſtia, cœleſti & terrenâ. Quid tum? concluſio ſequitur, magnus Bambalio Bulingerus. Abrade, ſi ſapis, teſtimonium Hieronymi. delumbatam configit *communionem. ſacerdotes qui ſerviunt Euchariſtiæ, & ſanguinem Domini populis dividunt*, (nec quicquam præterea Stridonenſis pater) non erant miſſificantes veſtri, qui ut Bitias ille apud vatem primum, ſpumantes calices exiccant ſoli, & toto ſeſe auro proluunt, populis ſiti interim areſcentibus. Iterum iterumque Irenæum delaſſas: qui (præterquam quod non ſemel reſpondimus) nihil prorſus de modo conſignavit, neque docet præſentiam corporalem. Originem in Marcum non vidi Græce. nihil eſt in excerptis tam benè longis quod cedat in damnum Novatorum. Exiſtimant illi cum Origine ſe μεταλαμβάνειν in ſacrâ Euchariſtia, corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti, neque πρὸς τὴν φύσιν ἀφορῶσι τῶν προκειμένων, nec reſpiciunt ad naturam in menſa propoſitorum, Panis nudi et vini meri in Euchariſtia. Innituntur promiſſis veritatis: et verbo ſimul Omnipotentiæ. Opinantur et credunt omnia omnino vera eſſe, vera futura quæ pactus eſt cum ſuis. largiri vitam per ſacramenta, quæ præſtant quod offerunt: moraliter tamen et non phyſicè. Credunt ſe per fidem et ſpiritum ſanctum mirifice ἐνεργοῦντα deduci ad participationem ζωοποιοῦ αἵματος καὶ σώματος ἐν ἄρτῳ καὶ οἴνῳ. Vocat σύμβολα etiam poſt benedictionem eorum quæ per Chriſti paſſionem erant ὑποσημανθέντα. Docet per Panem eos μεταλαμβάνειν τοῦ σώματος. quod nunquam diceret qui non inſaniret, qui crederet ipſum panem eſſe corpus. Poculum ait eſſe ἐν τάξει τοῦ αἵματος. hoc longè diverſum eſt quàm αὐτὸ αἷμα. Opus ait eſſe Fidei (quod tu tantopere averſabaris) non autem ſenſus, aut etiam corporis. ad extremum, nam multa ſunt ulterius portentoſum hoc commentum ἐκλιπόντα, cum ſe non poſſet explicare, ait, ὅπερ μυστικοὶ ἴσασι. Intelligunt ſoli, qui initiantur. Ita tibi libuit inſanire. Nos putas unà tecum mittendos Anticyras. Duodecim Apoſtolos 12. Aronis tintinnabulis et 12. fontibus in Elim anteponimus. hoc eſt, typos ad res ſignificatas non μεγαλωσύνῃ. Ideò προσφορὰν σεμιδάλεως, aut cineres vaccæ ruffæ, nemo dixerit cum ſanguine illius agni immaculati componendos. ſunt hæc omnia μικρὰ et φαινόμενα ἀντὶ μεγάλων καὶ κρυπτομένων, exigua, viſibilia pro magnis et occultis. ſemper autem verum eſt, quod ni fallor, commemorabam è Macario, εἰ τῆς προτυπώσεως ἡ δήλωσις τοιαύτη, τῆς ἀληθείας ὁποία ἡ φανέρωσις! ſi prædeſignationis declaratio talis, manifeſtatio veritatis qualis eſt! Adverſarios tibi fingis, nullos invenis Bulingere.

gere. Concedimus omnia : et quid tum poſtea? meminiſti me dix-
iſſe ἀρχόμενον τῆς διατριβῆς, Quæſtionis tibi ſtatum te commentum
eſſe, de non nudo *pane* poſt τὴν εὐλογίαν. in quo non ſecus ludis
operam quàm qui ψυλλῶν πηδήματα in comœdia metiebatur apud
Ariſtophanem.

Sequitur deinceps novum quoddam ζήτημα, de θυσία αἰνέσεως in 92.
Græcorum Liturgiis : an uſquam legatur apud illos hoc ſacra-
mentum eo nomine appellatum? Negas appellatum, ſi te rectè
capio. quis enim te capiat omnia permiſcentem, et mirificè
perturbantem? Scripſerat Caſaubonus, *Judaico populo in more
fuiſſe poſitum; convivium Paſchale illo poculo claudere, quod Cos
hillel*, vel ποτήριον τῆς αἰνέσεως dicebatur. Et, *In Græcorum Liturgiis
non uno loco, dictum hoc ſacramentum*, θυσίαν αἰνέσεως *ſacrifitium
laudationis*. Reſpondeo ad hæc, inquis, Synodo 7. act. 4. θυσίαν
αἰνέσεως explicari, καρπὸν χειλέων ὁμολογούντων τῷ ὀνόματι Χριστοῦ, *fructũ labio-
rum nomini Chriſti confitentium*. Negas ergo theſin, de ſacramento
Caſaubonianam: nuſquam dici in Græcorum liturgiis θυσίαν αἰνέσεως
hoc ſacramẽtum? quidni negas appellari εὐλογίαν; quid θυσίαν λογικὴν;
λατρείαν; & λειτουργίαν; Baſilius in ſuâ Liturgiâ orat : ἵνα ἀκατακρίτως
στάντες ἐνώπιον τῆς ἁγίας δόξης σου, nimirum (ſacerdotes ad Altare)
προσάγωμέν σοι θυσίαν αἰνέσεως. ut incondemnati ſtantes ante tuum
altare, (hoc enim per ſanctam gloriam intelligit) offeramus
tibi ſacrificium laudis. quæ θυσία non eſt alia quàm προσφορὰ in
Altari conſecrata. et apud Germanum in Protheoria poſtquam
dixerat ſacerdos, ἀκούσωμεν τῆς μυστικῆς ζωοθυσίας, myſticum audiamus
ſacrificium : Populus acclamat, Eleon, εἰρήνης, θυσίαν αἰνέσεως.
et in illâ quæ Petro inſcribitur Liturgiâ. : οἵτινες προσφέρουσι ταύτην
τὴν θυσίαν, legimus τῆς αἰνέσεως, ὑπὲρ ἑαυτῶν, &c. ut niſi inficiari ve-
lis *ſacrificium* eſſe oblatum pro multis, ſacrificium Laudatio-
nis negare non poſsis. quæ totidem penè verbis apud D. Gre-
gorium inveniuntur in Miſsâ. pag. 16. edit: Pariſinæ. ſed & in
Canone ita nuncupatur. *Quam* θυσίαν Sever[illegible]us apud Duran-
tum, *oblationem Dominicæ paſſionis* interpretatur. ſed cum
Concilio Nycæno, negas. Illud, Act. 4. (ſed quâ ſeſsione, quo
numero? longior etenim eſt illa actio. nec eſt pretium operæ
legendo inveſtigare) vocat καρπὸν χειλέων. Et quis ignorat? Sed
an Concilium excludit, ab hac nomenclaturâ, τὴν προσφοράν; θυσίαν
quid appellat? Laudationem oris? cùm θυσία ſit vel Pecus, vel
etiam Panis μετουσιωθείς. An non vocatur Εὐχαριστία? quæ tamen
ipſa τῶν χειλέων καρπὸς eſt, non minus quàm θυσία illa αἰνέσεως; di-
ſtinguitur interdum hoc *ſacrificium laudationis*, ab incruento
corporis Chriſti ſacrificio. ita quoque & Εὐχαριστία. ita et λατρεία
λογική. interdum autem non diſtinguitur. modificatas oportet
adhibere dictiones, propter τὸ ἐνδεὲς vocum propriarum. et quod
ponitur in vicino, deſignat interdum quod juxta eſt : ut ſignum
puta, rem ſignatam. Quomodo, θυσία αἰνέσεως dicitur et Εὐχαριστία,
quod ex animo grato, et in Deum religioſo, cum laude divinæ
Boni-

Digitized by Google

Bonitatis, & gratiarum actione offeratur. Ideò rectè eſt alio loco ab Exercitatore obſervatum, apud ſanctos Evangeliſtas, uno eodemque verbo εὐχαριστεῖν plures actiones ſibi invicem conjunctas denotari; ut ſunt, Dei laudatio; Gratiarum actio; Precatio, & Conſecratio ſymbolorum. Clementem pronuntias, meminiſſe θυσίας ἀναιμάκτου. fateor. an hinc infers, non eſt ergo θυσία αἰνέσεως? vocat idem ibidem θυσίαν μυστικήν. urgeo te tuâ ratione, non ergo ibi corpus agnovit naturale. nam vel tute confeſſus es, ἀντιδιαιρεῖς, adhuc urgentius: ſymbola appellat σώματος & αἵματος. non credebat ergo Clemens eſſe αἷμα & σῶμα. vide quàm inconvenienter hæc à Te diſputantur: cum poſitâ unâ parte, quod tibi frequens eſt, reliquæ quotquot ſunt, pernegantur. mones ipſe non multis interjectis, θυσίαν dupliciter uſurpari. Propriè, & impropriè. hoc eſt, ſtrictâ quadam, & laxiore ſignificatione. propter hanc conjunctionem, nempe cum τῇ αἰνέσει, quidni θυσία αἰνέσεως denominetur? ſacrificium Deo gratum & acceptum dicitur, cùm τὸ θέλημα per omnia adimplemus. Offerimus Deo, κατὰ τὴν διαταγὴν, Nos, noſtra; atque eam ob cauſam, πρόσδεκτον θυσίαν προσφέρομεν. Ita ipſe Clemens Lib. viii. in B. Jacobi διαταγῇ. προσφέρομέν σοι τῷ βασιλεῖ καὶ Θεῷ, κατὰ τὴν αὐτοῦ διάταξιν, τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, εὐχαριστοῦντες σοι δι' αὐτοῦ. *Offerimus tibi Regi & Deo, ſicut ipſe ordinavit, Panem hunc, & calicem hunc, gratias agentes tibi per eum, quia à te digni habiti ſumus, qui conſiſtamus in conſpectu tuo, & tibi fungamur ſacerdotio.*

93. Clementem ſequuntur Athanaſius, Cyrillus, Nazianzenus, Euſebius. qui omnes θυσίαν ἀναίμακτον appellant: Et ideò negant, ſic enim oportuit, θυσίαν αἰνέσεως in Græcorum Liturgiis, nam id quærebatur, dictum hoc ſacrificium ſacratiſſimum, quod in Altari μυστικῶς peragitur. Vide, Lector, & καταμυκτήριζε hunc bardum Bambalionem. Quod ſi volebas, congeſtis Patrum teſtimoniis evincere, ſacrificii nomine, ſacram hanc actionem deſignari, quærendi ſunt quibuſcum conteſteris litem. Nos, ne ignores, non ſumus inter eos qui dubitant. Illud tamen te commonefieri par erat, de ſacrificio, è Theologis tuis definito, cavendum ne per tuam incogitantiam, in caſtra delabaris adverſariorum. Nam ſi *res viſibilis in ſacrificio deſtruitur* (& illis videtur deſtruendam eſſe neceſſariò, ita ut alioquin non ſit ſacrificium) certè corpus Chriſti non ſacrificatur, cùm deſtrui nequeat, immortale factum. nec ſit viſibile in ſacramento, niſi paucis, quos æquus amavit Servator. Viſibilis panis eſt, & ſub ſenſus cadit. idem deſtruïtur. ut quondam ἱερεῖον, in cruentis Judæorum ſacrificiis: Panis ergo ſacrificatur, & quicquid adhuc garriiſti de corpore Chriſti naturali, tranſubſtantiato, præſtigiæ erant meræ & μαγγανεύματα. ſic tua ſunt omnia. Nam & illa quæ ſequuntur fucum faciunt. *Sic apud nos verum Corpus Chriſti, verus ſanguis ſub ſpecie Panis & vini à ſacerdote publico certo ritu, Deo offertur, immolatur, manducatur, bibitur.* Ubi illud, quod eſt

τὸ πᾶν,

τὸ πᾶν *deſtruitur*? Deſtrui dicebatur ſacrificium, non offerri, immolari, &c. at illud *deſtrui*, tam citò an deſtructum; alia, ſed omnia ὑλοτόμημα, proſeminavit? Vitium eſt, et fraus manifeſta Bulingere. *Nulla Lex unquam ſine ſacrificio:* damus. in perfectiſſimâ Chriſti politiâ perfectiſsimum, concedimus ſacrificium. Non tantùm ratione οὐσιωμένης: quod ſit longè præſtantiſsimum ἱερεῖον: ſed et ἱερεύσεως, modi offerendi, quem mirantur, adorant, contremiſcunt Angeli, myſticum, divinum, ſenſum omnem & rationem tranſcendentem. τὴν ἱερωσύνην τὴν θυσίαν, τὴν τυπικὴν λατρείαν ἑτέρως μεθεποίησε. *Sacerdotium*, ait Clemens, *ſacrificium, & loco aſtrictum cultum immutavit. Pro ſacrificio, quod cum ſanguine offerebatur, rationale, incruentum, myſticum inſtituit, quod in mortis Chriſti commemorationem, per ſymbola corporis & ſanguinis ſui celebratur.* Sanctum, ac vivificum, incruentumque, verba ſunt Cyrilli in anathem: in Eccleſiis celebramus ſacrificium: non hominis alicujus communis corpus, & ſanguinem eſſe quod proponitur credentes, ſed magis tanquam proprium vivificantis verbi corpus & ſanguinem accipimus. Διατ. ε. κγ.

Sed audiamus, inquis, & quidem è tuis rapſodiis, *Patrum de hoc ſacrificio oracula.* Auguſtinus in primis citatur, contra Fauſtum Lib. 20. 18. Is duo, nobis ſuggerit ſacrificia, utrumq; in Chriſtianorum χρήσει conſtitutum. Unum in Cruce, non ſine ſanguine. alterum incruentum, in Altari. accedimus ad ſententiam Auguſtini, eoque magis quod hoc ſecundo loco poſitum, de quo ſolo litigamus, nobiſcum facit *commemorativum*, non ut vos inſanire ſoletis, *Naturalis corporis* προσφορά. *Unde*, inquit, *Chriſtiani jam peracti ejuſdem Sacrificii* (ſcilicet in Cruce, pro ſalute mundi) *memoriam celebrant.* en tibi ἀναμνητικὸν, ex Auguſtino, à Chriſto ipſo ſacrificio & ſacrificante inſtitutum, in ſacroſanctâ oblatione & participatione corporis Chriſti. perinde profitemur in Liturgiis. Non ait, ejuſdem corporis oblatione, quod in utero virgineo ἐσαρκώθη. non ejuſdem oblationis participatione naturali, quæ in arâ Crucis immolabatur. Ita ſemper nobiſcum facit Auguſtinus. Epiſt. 23. ad Bonifacium. *Nonne ſemel Chriſtus immolatus eſt in ſeipſo, & tamen in ſacramento, non ſolum per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur. Neque mentietur, qui interrogatus reſponderet Immolari. ſi enim ſacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum quarum ſunt ſacramenta non haberent, omnino non eſſent ſacramenta.* Satis ſe explicuit vir doctiſſimus, de communicato nomine ſacrificii. addit autem ad iſta: *Ex hâc autem ſimilitudine plerunque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundum quendam modum, ſacramentum corporis Chriſti, eſt corpus Chriſti: ſacramentum ſanguinis Chriſti, eſt ſanguis Chriſti: ita ſacramentum fidei, eſt fides.* Et quidni ſacrificium ad eundem modum: licèt non quo olim erant ἱερεῖα apud Moſen. Crederes Auguſtinum mercede conductum ab Exercitatore, contra Miſſæ veſtræ, 94

ut

ut vos depravatis, tranſubſtantiationis monſtrum Novatorum partes ita ſtrenuè egiſſe in Epiſtolis. Rem verò hanc ulterius illuſtrabat exemplo quodam è vitâ communi, & populari uſu deprompto: *Sæpe*, inquit, *ita loquimur, ut Paſchâ propinquante dicamus craſtinam vel perendinam Domini paſſionem, cum tamen ille ante tam multos annos paſſus ſit, nec omnino niſi ſemel illa paſſio facta ſit. Nempe ipſo die Dominico dicimus, Hodiè Dominus reſurrexit, cum ex quo reſurrexit, tot anni tranſierint. Cur nemo tam ineptus eſt, ut Nos ita loquentes arguat mentitos, niſi quia iſtos dies, ſecundùm illorum, quibus hæc geſta ſunt ſimilitudinem nuncupamus, ut dicatur iſte dies qui non eſt iſte, ſed revolutione temporis, ſimilis ejus, & dicatur illo die fieri propter ſacramenti celebrationem, quod non illo die, ſed jam olim factum eſt.* Hæc appoſitiſſimè, de totâ hac quæſtione Auguſtinus: quæ nos facilè expeditos reddunt, ab illis laqueïs quos tu nuper commemorabas, quibus in hac cauſsâ irretimur.

95. Locum illum, non Concilii Epheſini, ſed Cyrilli in anathematiſmis modò uſurpabamus. Modus ibi tacetur ſacrificii. expoſuit modum Auguſtinus, cui libenter adhæremus. Noli dubitare, nos cum ſanctis illis Patribus, ſanctum, vivificum, incruentumque in Eccleſiâ profiteri ſacrificium. Corpus illud, quod πρόκειται, ſimiliter & ſanguinem illum pretioſum, *non communis cujuſpiam hominis eſſe*, nobiſque ſimillimi profitemur, ſed verbi æterni corpus, quod vivificat & illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem. Quomodo id fiat, ipſe noſtrâ vice Cyrillus reſpondebit in Johan. 4. 13. Locum ante deſcripſimus, nequaquam hic denuò repetemus. Malachiæ illa *pura & ſancta oblatio* poteſt non incommodè ad Leviticos ſacerdotes transferri. Cap. enim 3. verſ. 3. ubi eandem adhuc tractat oblationem, ut dicat, Filios Levi eſſe illud oblaturos. Sed nolo hæc ad ſtateram revocare. Sint illi Levitæ, Chriſtiani, ut meo animo ſunt. offerunt illi ſacrificium & oblationem: hoc eſt, θυσίαν αἰνέσεως *in corde grato*, atque ita Revelat. 5. 8. θυμιάματα dicuntur, Sanctorum orationes. Seipſos ſacrificant θυσίαν ἐυδέσεων *in corde contrito*. Unde & olim Pſaltes, *Sacrificium Deo acceptum eſſe* illud dixit. Pſal. 51. Irenæus in hanc ipſam conceſſit opinionem. *Quoniam* ergo *nomen Filii Patris proprium eſt, & in Deo omnipotente per Jeſum Chriſtum offert Eccleſia, bene ait, ſecundùm utraque. Et in omni loco incenſum offerem nomini meo & ſacrificium purum.* Incenſa autem Johannes in ſua Apocalypſi, ait eſſe Sanctorum orationes. Ridiculè iccirco, furioſus ille Theologus Feuardentius, ad locum illum Irenæi illuſtrandum Chriſti ſacrificium in Cruce cruentum, incruentum illud alterum Chriſtianorum attulit, cùm ex ſententiâ Irenæi Malachias non de illo *commemorativo*, ſed de altero, *Laudis* & *orationis* loqueretur. Irenæum ſequuntur alii ex antiquis. et non tantùm Liturgiæ veterum, ſed quod modo obſervabamus, etiam Miſſæ Romanæ canon.

canon. *Memento Domine*, ita loquitur, *omnium circumadſtantium, qui tibi offerunt hoc ſacrificium Laudis pro ſe, ſuiſque omnibus.* Largiemur autem tibi, quod probare forſan nequis, de ſacrificio intelligendum Chriſtianorum, & illo per Eccleſiam frequentato in Altari, eò quòd ſit ἄμεμπτος θυσία & εὐανάφορος. ſed an ideò Chriſti corpus & ſanguis Naturalis? imò verò myſticos & ſpiritualis ideò. Quam oblationem, ait miſſæ canon, tu *Deus benedictam, & acceptabilem facere digneris, uti nobis corpus et ſanguis Jeſu Chriſti fiat.* Rectè: Fiat nobis, de modo nihil. nihil de prolatis, *Hoc eſt corpus meum.* imò de modi determinatione, ne ſomniavere Canonis conditores. *Panem* enim *ſanctum vitæ æternæ:* & *calicem ſalutis perpetuæ*, etiam à Conſecratione vocant. Neque enim Canoni ſubolebat id, quod vulgò & blaſphemè jactabatur, *ſacerdos eſt creator Creatoris ſui.* horruiſſent Canonis conditores, ad hanc tam horrendam blaſphemiam.

Agnoſcis ingenuè, & vide vim Veritatis Juſtinum Martyrem apud Tryphonem διαλογιζόμενον, de pane & poculo εὐχαριστίας loqui. 96.
ubi ſacrificium illud explicat Malachiæ. non ergo de carnali ſacrificio. neque enim ſacrificatis vos, Panem & poculum, ſed *ſanguinem* atque *corpus* Jeſu Chriſti. omnino vetuſtiſſimus author Juſtinus Martyr, non aliter loquitur de hoc ſacrificio, quàm quivis è cœtu Novatorum. Sacrificium laudis & precationis: Sacrificium etiam *commemorationis*: ſacrificium in Euriſtiâ *panis & vini*, liquidò agnoſcit non φυσικὸν veſtrum, aut ad modum aliquem carnalem oblatum, Ὅτι μὲν οὖν καὶ εὐχαὶ, καὶ εὐχαριστίαι ὑπὸ τῶν ἀξίων γινόμεναι, τέλειοι μόναι καὶ εὐάρεστοί εἰσι τῷ Θεῷ θυσίαι, καὶ αὐτὸς φημι. ταῦτα γὰρ μόνοι καὶ Χριστιανοὶ παρέλαβον ποιεῖν, καὶ ἐπ' ἀναμνήσει ἢ τῆς τροφῆς αὐτῶν ξηρᾶς τε καὶ ὑγρᾶς, ἐν ᾗ καὶ τοῦ πάθους ὃ πέπονθε δι' αὐτοὺς ὁ Θεὸς, τοῦ Θεοῦ μέμνηται. &c. et paulò prius, πάντας οὖν διὰ τοῦ ὀνόματος τούτου θυσίας ἃς παρέδωκεν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς γίνεσθαι, τοῦτ' ἔστιν, ἐπὶ τῇ εὐχαριστίᾳ τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου, τὰς ἐν παντὶ τόπῳ τῆς γῆς γινομένας ὑπὸ τῶν Χριστιανῶν προλαβὼν ὁ Θεὸς, μαρτυρεῖ εὐαρέστους αὐτῷ ὑπάρχειν: in quibus longè receſſit ab inſomniis Bulingerianis. Animadverterat autem doctiſſimus Caſaubonus, neque opus illà tua παραινέσει, apud Cyprianum, *Chriſtum obtuliſſe* Epiſt. 63.
Deo ſacrificium in arâ Crucis: ad menſam ſacram. Item ſacerdotes Chriſtianos, qui Chriſti jam in Cœlis regnantis ſunt τοποτηρητὰς, offerre Deo ſacrificium, verum, plenum. ſed an tu ſimul animadvertebas, eſſe illud ſacrificium, non Re, ſed refricatione, nimirum ἀναμνηστικόν, atque id ex inſtitutione divinâ? Admonitos autem hos ſcias, ut in calice offerendo, Dominica traditio ſervetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro Nobis Dominus prior fecerat. Ut calix qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. Sacrificium, ſed nec corporale. verum *panis* atque *vini*, cujuſmodi Melchiſedech offerebat, qui non *corpus* et *ſanguinem*, magnus ſacerdos, ſed *panem* et *vinum* proferebat. concludit demum Cyprianus: *Et quia paſſionis ejus mentionem in ſacrificiis noſtris omnibus facimus,*

Rr *paſſio*

paſſio Domini ſacrificium eſt, quod offerimus, ubi miror ſtuporem, vel frontem tuam potius Juli Cæſar. Quid enim expreſſius dici poterat, contra veſtras depravationes, qui in calice Dominico ſanctificando, &, non poſſum dicere Plebi, miniſtrando non hoc *facitis quod Jeſus Chriſtus, ſacrificii hujus author & doctor fecit & docuit,* ſed ab eo, *humanâ, & nuperâ inſtitutione receſſiſtis.* ſed antiquum obtines. prævaricaris in cauſsâ Euchariſticâ. Noſtra ſunt hæc omnia Cyprianæa. Qui verum & plenum ſacrificium offerimus Deo Patri, quod ſic offerimus, ſecundùm quod ipſum vidimus obtuliſſe. Chriſti inſtitutum ne neſcias, nobis Novatoribus ſola eſt Cynoſura. In loco illo, de lapſis, ἐϛὶν ἀνώνυμ. Hiſtoriam narrat Pater ille ſanè memorabilem. Neque enim ſancta ſunt projicienda canibus: nec myſteria illa φρικτὰ & ἀκοι-νώνητα, per inſigniter turpes profananda. ſed an attendebas animum, bone vir? *Nominat ſanguinem,* ais, *vinum Euchariſticum*: & quidſi autem. quaſi *ſanguinem* Chriſti non biberent? & non de carne communicarent, communicantes Euchariſtiam? *Nominat actionem illam ſacrificium,* & nominet ſcilicet: ita eſt. Tu diſce quid velis, ſaltem quid velle debeas; tunc te componas licet ad dimicandum. Certè ſi Chriſtus non eſſet crucifixus, ſacrificium ipſius corporis nullum eſſet. ſed quod peragitur à ſacerdote, id jam, ut ait Auguſtinus, ab omnibus appellatur *ſacrificium,* quia ſignum eſt veri ſacrificii, in quo caro Chriſti offerrebatur Patri. Miraculum de lapide apud Dominum (non Cyrum) Theodorum prodromum, ἱμεγάλων fidem de Spiritu ſancto, ab impio Macedonio profligatam, καθαρὰν θυσίαν appellat ille. addo ego, καθαρτικὸν eſſe verè. ſed quidni commemoras ἅγιον appellari, conſecratam rem? Hoc jugulum tuum petit, qui panem negas: non illud meum, qui fateor ſacrificium.

97. In loco Irenæi, fidem tuam vis deſiderem, an diligentiam? Locus ille integer à te delumbatus ita ſe habet. *Sed & ſuis diſcipulis conſilium dans primitias Deo offerre, ex ſuis creaturis non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi nec ingrati ſint, eum qui ex creatura panis eſt accepit, & gratias egit dicens, hoc eſt corpus meum. Et Calicem ſimiliter qui eſt ex eâ Creaturâ, quæ eſt ſecundùm Nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & novi Teſtamenti, Novam docuit oblationem, quam Eccleſia accipiens ab Apoſtolis in univerſo Mundo offert Deo. Si qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuorum munerum in novo Teſtamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias ſic præſignificavit. Non eſt mihi Voluntas in Vobis.* Non ita hic loquitur Irenæus: non tam rotundè quàm apud Diatribam. Oblationem *de quâ,* ita ibi ſcriptum. ſed, *de quo,* legimus apud Irenæum. Et multis interjectis, poſt oblationem, non interpretatur, quamnam oblationem directè, totâ hac periodo dixerat. Videtur illam ἀναμνήσεως potius quàm quamcunque aliam, & non multis iterum interjectis, *Orationes Sanctorum,* interpretatur. Meminit ille *primitiarum.*

tiarum. meminit *calicis,* & *panis.* offerebantur illa μετ' αἰνέσεως. Oblata erant tanquam, & dicebantur eſſe θυμιάματα, rectè poſſunt, (jam ante id docuimus) hæc ſic intelligi. Cùm verò exquiſitius adhuc quæratur, quid velit propriè Irenæus, & κατὰ σκόπον πρῶτον, Illa, *Magnum in gentibus nomen meum:* et, *Glorificatur,* &c. nihil aliud indicant, quàm ex ſententiâ B. Irenæi, ſacrificium laudis, illud ipſum quod à Græcorum Liturgiis amandabas, aliò eum intellexiſſe. Euſebius in primo ἀποδειξ: poſtquam locum illum commemoraverat Prophetæ Malachiæ toties dictum, concludit demum, ita θύομεν δῆτα τοιγαροῦν τῷ ἐπὶ πάντων Θεῷ θυσίαν αἰνέσεως. Summo Deo ſacrificium laudis offerimus. en *ſacrificium cordis grati.* θύομεν, τὸ ἔνθεον, καὶ σεμνὸν, καὶ ἱεροπρεπὲς θῦμα. θύομεν καινῶς κατὰ τὴν καινὴν διαθήκην τὴν καθαρὰν θυσίαν. θυσία δὲ τῷ Θεῷ πνεῦμα συντετριμμένον εἴρηται. *Divinum, & venerabile, & ſanctitate excellens ſacrificium ſacrificamus. offerimus novo modo ſecundum novum teſtamentum puram & mundam oblationem. Sacrificium autem Deo placens, dicitur Spiritus contritus et tribulatus.* En hic alterum Eccleſiæ ſacrificium, *Cordis* nimirum *humiliati.* καὶ δὴ καὶ θυμιῶμεν προφητικὸν θυμίαμα. nimirum illud ipſum Malachiæ, ἐν παντὶ τόπῳ προσκομίζοντες αὐτῷ τὸν εὐώδη καρπὸν τῆς παναρέτου θεολογίας διὰ τῶν πρὸς αὐτὸν εὐχῶν ἀναφέροντες: ad ſententiam beati Irenæi ſacrificium *cordis devoti,* quæ ſunt Sanctorum orationes. Propheticam oblationem etiam offeramus: *In omni loco afferentes illi fructum virtute omnigenâ abundantis Theologiæ per preces noſtras ad illum fuſas bene redolentem.* Ita ſunt aliena ab inſtituto tuo quicquid mutuantur ex Euſebio. Cypriani locus de Cœnâ, cento malè eſt conſutus. non cohærent inter ſe in authore, ea quæ huc & hoc modo ſimul ſunt transfuſa in Diatribam. *Appoſuit diſcipulis Chriſtus, cibum inconſumptibilem.* an quiſquam tantâ phreneſi laboravit Bulingere, ut *panem vitæ* dicat *conſumptibilem. Eſt alimonia immortalitatis.* rectè. Nam non guſtabit mortem (æternam ſcilicet & ſecundam) quiſquis guſtaverit de illâ alimoniâ. *Corporalis ſubſtantiæ retinebat ſpeciem.* hoc eſt, formam, materiam, non nuda & ſola accidentia: erat enim panis ὁ ἐπιούσιος, quo corpora aluntur, ne deficiant. *ſed virtutis divinæ inviſibili efficientia probans adeſſe præſentiam.* Probat certè, et ἐνεργεστάτην, ſed non ait Cyprianus, per tranſubſtantiationem. Mirificè deliras ſi è Noſtris quenquam arbitreris *præſentiam* ſeparaſſe à ſacramentis, aut *poteſtatem* Dei vivificantem. *Significantia olim à tempore Melchiſedech ſacramenta prodeunt.* Ita legimus in diatribâ. ita ſunt, quod non probas, & erant olim *panis* et *vinum,* ſigna impertitæ & infuſæ gratiæ. ſed *ſignificata,* invenies apud Cyprianum. tua fraude an incuriâ, ſurreptitia illa vocula ſe ſubſtituit? *ſignificata* jam olim, & rectè quidem, à tempore Melchiſedech prodeunt Sacramenta: *& filiis Abrahæ facientibus opera ejus, ſummus ſacerdos panem & vinum profert. Hoc eſt, inquit, corpus meum.* en ῥητῶς ſigna ſacramenta: licèt non nuda apud Cyprianum. audis non corpus &

 ſanguinem

ſanguinem φυσικῶς, ſed Panem & vinum prolata. à ſummo prolata ſacerdote, Chriſto: & prolata filiis Abrahæ, non ſecundum carnem, id fieri non potuit; ſed ſecundum ſpiritum, & interiora.

Et hæc ſunt in tuam cauſſam quanto judicio, quo acumine, advocata per Centonem, è Cypriano teſtimonia. Neque ſola, nec ſolitaria. *Ipſe Chriſtus*, ita pergis, *pincerna porrexit hoc poculum*. ſcio. nam teſtantur Euangeliſtæ, & ut eſt alibi in eodem opere, *Ante verba illa, cibus ille communis tantum corpori nutriendo accommodus erat; & vitæ corporali ſubſidia miniſtrabat: ſed ex quo à Domino dictum eſt, Hoc facite in meam commemorationem, Hæc eſt caro mea, & hic meus ſanguis, quotiescunque his verbis, & hac fide actum eſt, Panis iſte Superſubſtantialis, & Calix ſolenni benedictione ſacratus ad totius hominis vitam, ſalutemque proficit, ſimul medicamentum, & holocauſtum, ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates exiſtens.* Hæc amplector, ſed nuſquam video ſacrificium carnale, non hoſtiam ullam corporalem: *ſanguinem ſugimus* (& de iſto jam tertia vice admonemur) *cruci hæremus*. ſed quem ſanguinem? illumne, quem lanceâ Longinus emiſit olim, de quo litigant inter ſe ſophiſtæ veſtri, quid factum effuſo illi ſanguini? ne ulterius litigent: concluſum eſt enim magiſtraliter, *Nos illum ſugimus:* recollectum fuiſſe par eſt credere, in apothecis quibuſdam repoſitum, ut ſugentibus deinceps αἱματικῶς ſufficere poſſet in mundi conſummationem. Cruci autem illi, quæ in Golgotha olim figebatur, etiamſi vel nuſquam ſit, vel non ubique ſit, *omnes* ubique *adhæremus*. Nos adhæremus fœliciores ſcilicet, quàm qui cum Apoſtolis olim vixerant, & collecti erant ad plures ante Helenam, cum non inventæ Cruci, non poſſent adhærere. Hæc tu, ita ut ſonant, & quæ ſimilia ſequuntur capis, ἐνθέως Bulingere. & tamen credo nunquam, vel in Galliis, vel per Italiam, cum beato Apoſtolo Thomâ, *lateri manum inſeruiſti:* nedum lingua linxiſti vulnera. *Mira ſunt quæ ſentit, quem agnus ipſe Paſchalis inhabitat.* & certe mira quæ garrit, quem non inhabitat. Certum eſt te non inhabitare. non enim paciſcetur tecum de inquilinio, tam craſſo, & ſtupendo. mirum nihil ſentis. Quippè fieri nequit ut ſentias, cum rem totam ad ſenſus, & carnem devoces, ſpiritu & Fide exulare juſſis. Cyprianus ſtatim in ſequentibus, *Qui manducat ex hoc Pane* (conſecrato arbitror, nec tamen corpus vocat) *ultrà non eſuriet*. & tamen idem propter illum Panem, *Chriſti bajulum* appellat eum edonem & phagonem. Bajulum autem, non ore, dentibus, aut ſtomacho: ſed in pectore, ſed in mente bajulum. *ſpirituali nos inſtruens documento* (ita enim loquitur ſect. 9.) *& aperiens ad rem adeò abditam intellectum, ut ſciremus, quod manſio noſtra in ipſo, ſit manducatio, & potius quaſi quædam incorporatio, ſubjectis obſequiis, voluntatibus junctis, affectibus unitis.* Hæc ſunt illa, quæ dixit, *Mira*. & certè ſi hæc mira non ſint, neſcio prorſus quid

ſit

ſit mirum. *Agnus Paſchalis perpetuò hunc inhabitat.* Et quid te quæſo, hoc effatum tibi ſuggerit aliud: quam Myſterium hoc τὸ μέγα, à corpore & carnali modo avocandum. *Eſus carnis hujus quædam aviditas eſt: & quoddam deſiderium manendi in ipſo, per quod ſic imprimimus & eliquamus in Nobis dulcedinem Charitatis, ut hæreat palato noſtro, & viſceribus ſapor dilectionis infuſus, penetrans & imbuens omnes animi receſſus corporiſque.* Hæc & plura in eandem ſententiam Cyprianus. Te verò videtur Bulingere, tuoſque deſignare contribules, & veluti alienos ab hiſce lautitiis excludere. *Inter Dominicæ menſæ convivas animalis homo non admittitur. Quicquid Caro & ſanguis dictat, ab hoc cœtu excluditur. nihil ſapit, nihil prodeſt, quicquid humani ſenſus molitur ſublimitas.*

Sed ſatis excuſſimus Cyprianum. Nicænæ prioris Synodi verba, à quibus demum ſciolis & illiteratis, & qualiter ſunt interpolata, quia magnus tu magiſter non doces, erimus contenti ignorare. Vidimus Cuthberti Tonſtalli eruditiſſimi viri, Epiſcopi quondam Dunelmenſis nec Hæretici, interpretationem. vidimus Romanam illam nuperam è Vaticano: & expreſſam è Rom. Colonienſem editionem tractavimus. vidimus, & codicem Manuſcriptum, apud virum Illuſtriſſimum doctiſſimumque, Savilium: in quibus nulla eſt interpolatio, neque opus eſt certè ut eſſet aliqua. ſed monendus eſt Lector, improbè & fraudulenter poſitum à te eſſe in Diatriba, *In Synodo Nicænâ hæc verba leges*: Non enim legi poſſunt in illa Synodo. in collectis Gelaſii inveniuntur: cujus viri collectiones, nondum obtinuerunt authoritatem Nicænæ Synodi. illorum vero author dicitur ab editoribus Romanis non magnæ fuiſſe authoritatis. & rectè! neq; aliter de illo ſentiebat Photius accuratiſſimus librorum Cenſor. Secundò, cum Pietate conjuncta eſſe aio, quæ de animis ſurſum attollendis ſancivit illa διανόησις. à *pane* nimirum & *vino* προκειμένοις, ad *agnum* Dei tollentem peccata Mundi. Solennia enim verba erant in vetuſtis Liturgiis, & ſunt etiamnum in noſtrâ Hæreticorum Anglicanâ, *ſurſum corda*, reſpondere ſolet, ut olim populus, *habemus ad Dominum.* vocat Synodus tua, ἄρτον & ποτήριον. Ita enim ſunt, τῇ φύσει ſuâ. vocat σῶμα τίμιον, & αἷμα. & ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ. Ita ſunt, ſed ὑψώσασι τὴν διάνοιαν, qui animi vires atque aciem intenderint, ſed λαμβάνομεν ἀληθῶς: hoc non eſt è vi verborum Pontificis, ſed πίστει νοήσασιν illi qui Fide apprehenderit, quem modum vehementer, ſi memineris, averſabaris & à communicantibus removebas. Hæc omnia te pungunt, ſi nec occalluiſti Bulingere. Offertur ſacrificium à ſacerdotibus multiplex & multipliciter. nam & Nos etiam populus ejus, licet non in hoc actu, ſumus quodam modo Sacerdotes. Nos noſtra offerimus. ſe ſua, ſacerdotes. Chriſtum quoque & Chriſti. Chriſtum, ſed non naturalem, non corporalem: non ſic, ut in cœnâ olim præſentem. Merita Chriſti offert Deo Patri, et Paſſionem: vulnera quoque et mortem offert: Dei et Hominum mediatorem per Fidem

99.

Fidem in altari cordis grati et contriti, et devoti: in quo ſe quiſque μεταλαβὼν ἀληθῶς et ſua, animum, corpus, omnia Deo conſecrat et devovet per Jeſum Chriſtum. Athanaſio jamdudum, quisquis eſt, ſatisfecimus recoctos nobis panes Panifex non præſtantiſſimus, Boulengere, ad nauſeam apponis. Verum eſt, et rectum quod noſtri ſolent vulgo reſpondere, *Sacrificium crucis unicum eſſe Chriſtianæ Eccleſiæ ſacrificium.* Eſt, et non eſt Bulingere: aliqua tibi alia nominavi. ſed nullum tale, æquipollens nullum, aut ἰσόῤῥοπον ſacrificium, ne tu ipſe, qui tantum Sacrificiis attribuiſti vindicabis, cætera ab illo et eſſentiam et efficaciam derivantia. *Perfectiſſimum Sacrificium eſt, quo Chriſtus ipſe ſeipſum obtulit Deo in odorem ſuavitatis. & propter hoc omnia alia ſacrificia Deo offerebantur in veteri Lege, ut hoc unum & ſingulare, & præcipuum ſacrificium præfiguraretur tanquam perfectum per imperfectum,* ait Thomas. 1. 2. qu. 102. in Concluſ: Tu, quid hic *dixeris*; quid cavillando, *reſponderis*, non multum refert. Perfectiſſima omnium victima Chriſtus: eo autem perfectius ſacrificium, quod eo nondum incarnato, nedum in arâ Crucis immolato, tantâ efficaciâ Deo placuit, debitores Patri conciliavit, ut agnus fuerit occiſus ob origine mundi, heri, hodiè, idem et in æternum. Unicus hic idem utrobique Sacerdos: vis et efficacia, non diverſa: victima proſus eadem pro iiſdem, in eundem finem, reconciliationem, et ſalutem animarum. *Ut ſciamus antiquos etiam juſtos, quicunque eſſe potuerunt, niſi per eandem fidem non eſſe liberatos, per quam liberamur et nos: Fide ſcilicet Incarnationis Chriſti, quæ illis prænunciabatur, ſicut à Nobis facta annuntiatur. Eadem enim eſt Fides noſtra & illorum: quoniam hoc illi credidere futurum, quod nos credimus eſſe factum*, inquit alicubi in epiſtolis Auguſtinus.

100. Quodſi igitur reſpondeas cum Johanne, *Chriſtum ab origine mundi*, immolatum fuiſſe, rectè reſpondes: nec enim aliud ἱλαστήριον erat, præterquam illud in Cruce factum. ſi dixeris *fuiſſe ſacrificium Crucis, finem Legis vetuſtæ, initium novæ*, dictum à te Novator reprehenderit. Neque enim aliud vel aliud: ſed nec alium et alium ſubſtitueris, manebit quod à Nobis in causâ ponitur, unicum ſacrificium Chriſtianorum Deo εὐάρεστον eſſe illius qui in arâ Crucis, ſe ad mortem uſque humiliavit. Illa enim omnia variis et multis modis unum ſacrificium ſignificarunt, cujus nos nunc memoriam celebramus. Rectè inquit Auguſt. contra Fauſtum, *ſacrificia viſibilia, inviſibilis ſacramenta ſacrificii fuere. Nam quod ab antiquis Patribus talia ſacrificia facta ſunt in victimis pecorum, quæ nunc Dei populus legit, & non facit, nihil aliud intelligendum eſt, niſi rebus illis eas res fuiſſe ſignificatas, quæ aguntur in Nobis ad hoc, ut inhæreamus Deo.* En unicum omni tempore ſacrificium, præfiguratum, memoratum, ſacrificandum, ſacrificatum. *Iſto enim revelato*, verba ſunt ejuſdem contra Fauſtum Auguſtini, in eodem loco, *& ſuo tempore oblato,*

Lib. 6 cap. 5. & de Civ. Dei lib. 10. c. 5.

illa,

illa, de agendi celebritate ſublata ſunt, ſed in ſignificandi authoritate manſerunt. Quoniam, *quod nuper recitabam, hoc illi crediderunt eſſe faciendum, quod nos credimus eſſe factum.* Quod ſi illa addideris, non lecta vel inventa apud Auguſtinum, ſed ex ingenii tui, animique ſententiâ, quid reſtat, niſi ut affirmem, te non credere Jeſum Chriſtum, in Arâ Crucis ſanctificatum. Credis autem, credo ego, et profiteris. Quid ergo tam horrende, mentitus etiam Auguſtinum, nugatorem agis, qui ut illa habeat, de divino cultu, non habet quæ ſequuntur à te adjecta, de nullâ victimâ, nullo ſacerdote, in illo Judæorum parricidio execrabili. Chriſtus obtulit illam victinam ὁλοκαυτωμάτιον. En tibi illuſtrem ſacerdotem! ſeipſum obtulit Deo Patri: en & victimam πολυτίμητον! Idem erat ſacerdos (nam ita viſum olim) qui & victima. Neque obſtat Judæorum Parricidium. Is enim qui de tenebris creat lucem, per ipſorum malas voluntates, operatus eſt ſalutem in medio terræ. Aſſur, virga furoris Domini. is ipſe non ita cogitabat. Judæorum laniena, & tyrannis, ex diſpenſatione divinâ, aliud longè quam volebant, operabatur. *Unde jam Chriſtiani*, verba ſunt ibidem Auguſtini, *peracti ejuſdem ſacrificii Memoriam celebrant ſacroſanctâ oblatione, & participatione Corporis & ſanguinis Chriſti.* Ita fuit victima, ſed temporalis: erat Sacerdos, ſed non in æternum. Hæc ſunt tuæ Theologiæ præclara illa τερατεύματα, in diſputatione de jugi illo ſacrificio, in quo veſtri ſacrificuli, ſui Creatoris, creatores, Jeſum offerunt in Altari Deo Patri. Temporalis enim erat victima. *Nam ritus ſacrificii cruenti in Cruce per aliquot tantùm horas perduravit.* Ritus hoc in loco, non ipſam oblationem credo, non affixionem, transfixionem, illuſionem, pœnam intelligis, ſed quod erat τὸ πᾶν in ſacrificio. præmiſſum enim à te fuerat, *Cujuſcunque Legis ac religionis ſacrificium, cum ipſa Lege debere perennare.* ſic enim Aaronicum, cum antiqua Lege & incepit & concidit ſimul. Chriſti Legem & religionem illam ſancitam in æternum, adæquatum ſibi habere ſacrificium debuit. hic jam conſectarium illud tuum ſequitur, Crucifixi Chriſti ſacrificium, ad horulas neſcio quot, non certè multas, perduraſſe conſtat, ut non poſſit dici novæ Legis ſacrificium: veteris autem non erat, ita fiet, ut nullius fuerit: hoc eſt nullum ſacrificium.

Lib. 20. in Fauſt. cap 21.

Non ſanabunt hoc apoſtema *ritus Sacrificii.* ſunt παρείσακτοι illi ritus, per fraudem huc intruſi & ſubintroducti. Propoſitum erat de Sacrificio ζῶντι, non de Ritibus ullis ſacrificii. eſt ἄλογος igitur quicquid de illis, præter propoſitum hic garritas. Effectus ſacrificii Chriſti ſciunt omnes αἰωνιζόμενοι, ad præſentia, præterita, futura ſæcula prolatandos. ſed aliud quiddam eſt Res: et effectus Rei aliud. Nam ſi non aſcenderis ultra efficaciam, Aaronicum ſacrificium non erat Legi vetuſtæ, et religioni Judaïcæ ſacrificium: quod tamen fuiſſe concedis, imò et contendis: cum Efficientia nimirum ſacrificii Chriſti, quod pronuntias 101.

tias etiam, et veriſſimè, ad præterita tempora, licet non fortaſſis, quoad omnes ſuos effectus, æqualiter pertingeret. Ita erunt veſtri ſacerdotes ſiquidem id munus eſt offerentis, Mediatores novi fœderis, Jeſus autem ille Chriſtus κωφὸν tantum non πρόσωπον, qui productus ad aliquot horas in ſcenam, neſcio quibus Ritibus obeundis, lampada tradidit ſucceſſoribus ſuis. Quàm ſunt illa jam enormia, quæ tales nobis fœtus peperere! Athanaſiana illa cepiſti male. *Ipſe eſt Sacerdos et victima.* eſt, inquis, in ſacrificio Euchariſtiæ, non eſt ergo in arâ crucis. Imo quia erat in ara crucis verus Melchiſedech, victima vera: ob eam cauſam eſt in menſâ ſacrâ ſacrificium ſanctificans: ſed non eodem modo. per applicationem illius valoris, ejuſdem pretii, fuſi ſanguinis in arâ crucis. qui, fatente teipſo ad omnes Fideles, in omni Lege extendebatur. Ais *ſacrificium Crucis*, non magis novæ legi quam veteri fuiſſe proprium. ſtultè ais, ſi de ipſo ſacrificio. imo impiè, cum contrarium Apoſtolus ait. ſi de virtute & efficaciâ, ambiguè & falsò ais, quoad effectus adæquatos, illuſtres, & præſentes magis erat proprium ſacrificium novæ Legi. Imperitè etiam garris de duratione cujuſcunque Legis ſacrificii. nam Ritus, ut appellas, hoc eſt, mactatio offerendi animalis, in nullâ Lege durabat vel durare poterat, quamdiu ſubſiſtebat ipſa Lex. ita enim ad annos non paucos Aaron vel Eleaſar in eodem animali mactando; imòuſque ad Templi deſolationem, occupati eſſent. ſed ritus, hoc eſt, modus ille colendi & placandi Deum, tamdiu ſubſiſtere omnino debuit, quamdiu Lex illa non refigebatur. Chriſti in arâ Crucis mactatio, quod ipſum attinet ſacrificii ritum, cum cujuſdam, cujuſcunque animalis oblatione componi à te debuerat, & comparari, non per fraudem vel per imperitiam, ita omnia confundi & permiſceri. *Ritus ſacrificii in cruce per aliquot tantùm horas perduravit.* verum. & Ritus etiam ἱεροθυσίας alicujus animalis vix per ſemihorulam duravit in Lege veteri: Efficacia θυσίας in *ara crucis*, oblatæ non iterandæ, ad Legis uſque τέλος et conſummationem protendebatur: quemadmodum, ſanguis taurorum et hircorum ad περιοχὴν Aaronicam extendebatur. An vides Bulingere ἀλογισίαν, et ab illa derivatam, impiam tuam opinationem? Tollis ſingulare, proprium, πολυτίμητον, cruentum novæ Legis ſacrificium. Non eſſe Jeſum Chriſtum proprium hujus Legis ſacerdotem doces, quippe nec offerentem proprium ſacrificium: ita non eſt futurus omnino ſacerdos, nedum, *ſecundum ordinem Melchiſedech*, melioris tabernaculi, in his quæ ſunt ad Deum in æternum.

102. Quàm diverſa ab iſtis vetuſti Patres prodidere! Ἡ τοῦ σωτῆρος θυσία ἅπαξ γενομένη τετελείωκε τὸ πᾶν, καὶ πιστὴ γέγονε, μένουσα διὰ παντός. Καὶ Ἀαρὼν μὲν εἶχε τοὺς διαδεχομένους. καὶ ὅλως ἡ κατὰ νόμον ἱερατεία χρόνῳ καὶ θανάτῳ παρήμειβε τοὺς προτέρους. ὁ δὲ κύριος ἀπαράβατον καὶ ἀδιάδεκτον ἔχων τὴν ἀρχιερωσύνην, πιστὸς γέγονεν ἀρχιερεὺς παραμένων ἀεί. *ſervatoris noſtri ſacrificium*, ait Athanaſius, ὁ γνήσιος, *ſemel factum, omnia conſummavit, & fidele*

dele extitit, in æternum permanens. Aaron certè ſucceſſores habuit. & ſacerdotium quod erat ſecundum Legem, temporis tractu per mortem ſucceſſores habuit antecedentibus ſubmiſſos. Dominus autem, cum obtineret ſacerdotium intranſitivum, & ſine ſucceſſoribus ullis, fidelis factus Pontifex, manet in æternum : docet id Apoſtolus ad Hebræos, ubi infirmitatem demonſtrat, & ἀλυσιτελῆτα vetuſtiorum in Moſaïcâ politiâ ſacrificiorum, ad peccata abolenda, eò quòd ſæpius repetita repetebantur tamen denuò, uſque ad finem, cum Chriſti ſacrificium, cruentum non repetitum, peractum autem ſemel, ad abluendos vel commaculatiſſimos omnes ſufficeret per omnia tempora. Nimis es φιλοσώματος, Bulingere, qui ad res corporeas etiamnum, & craſſiores oculos tuos, ita applicas, animumque, cum noſtra omnia ſint μυστηριώδη & ſpiritualia. ſed, *ubicunque ais eſt Sacerdos, ibi eſt & ſacificium.* aio, & amplector. & è converſo. ſed qualis ſacerdos ſacrificium tale, & etiam è converſo. Quia omnes fatemur Chriſtum extitiſſe ſacerdotem, eſt neceſſe ut fateamur, Chriſtum obtuliſſe ſacrificium. ſacrificium perennans: quia & ſacerdos eſt perennans. In lege Chriſti ſunt ſacerdotes. ſunt: non tantum illâ laxâ ſignificatione, quâ, quotquot Jeſu Chriſti ſumus ἐπώνυμοι, Chriſtiani nominati, ſumus etiam & dicimur Sacerdotes : ſed & illâ magis ſtrictâ, quâ qui *Populo acquiſitionis* præſunt, ἐν νόμῳ θεοῦ καὶ εἰς θεὸν, Dei ſunt & populi μεσῖται. Qua, ſecundum Apoſtoli φησιν *omnis ſacerdos ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis :* qui cum ſint ἐντὸς θυσιαστηρίῳ, imò illi aſtent ἱερουργοῦντες, offerunt hoſtias, & munera. Ubi autem Sacerdos & ſacrificium, ibi quoque neceſſe eſt, & Altare ſtatuminari. habemus autem et Altare. non tantum quod *ſanctificat* quicquid appropinquat; ſed et ad quod offerimus oblationes et ſacrificia, *Commemorationis, Laudationis, Orationis, Nos, noſtra* Deo per Sacerdotem. ſed tu vehementer et immaniter aberras, qui nulla admittis, niſi Chriſti corpus, ſacrificia. nullas Sacerdoti partes concedis, cum ſapias carnem et non ſpiritum, niſi Chriſtum offerendo, quaſi rurſus crucifigendo, Deo Patri. aliud ſentiebat Auguſtinus, qui novi teſtamenti ſacrificium nominat ſacrificium Laudis. *Certè & hic ſacrificiorum veterum aperta mutatio. Illa enim Deus accepturum ſe non fuiſſe prædixit, omnibus cultoribus ſuis ſacrificium laudis indixit.* & ſtatim: *Ad hoc enim Domino ſacrificium laudis ab ejus cultoribus immolatur, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. & hoc ad Chriſti Archi-ſacerdotis imitationem. Ipſe enim Sacerdos & victima laudis implevit ſacrificium.* & iterum in Pſal. 43. *Apud me Oratio mea, Deo vitæ meæ. Non enim ut ſupplicem Deo, empturus ſum de locis tranſmarinis: aut ut exaudiat me Deus meus navigabo, ut de longinquo offeram thura aut aromata, vel de grege vitulum adducam vel arietem. Intus habeo victimam quam immolem : intus habeo thus quod imponam : intus habeo ſacrificium, quo flectam Deum meum.*

Orat. 3. c. Arianos.

To. 6. c. Iudæos ca. 7.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. quod ſacrificium ſpiritus contribulati, intus habeo. Hic jam aliud ſacrificium novæ legis. et alio loco. *Quid voveatis? quid reddatis? An forte animalia illa quæ ad aras aliquando offerebantur? Nihil tale offeras. inte eſt; quod voveas, quod reddas. de Cordis arca profer Laudis incenſum: de cellario bonæ conſcientiæ profer ſacrificium Fidei: & quicquid profers accende Charitate.* Hoc aliud eſt jam ſacrificium, et quidem, jugi Chriſtianorum.

In Pſ. 55.

103. At in lege Chriſti eſt *Ara,* inquis. eſt. & *aræ* congruit *ſacrificium.* et quidem multiplex, cum Patribus jam agnovi. *Ara,* neque unica. Ne te deludam, τὸ κρινόμενον quod ipſe facis, declinando, ὁμόσε χωρῶ: *aram* habemus, ſeu potius Altare, *menſam dominicam.* quibus nominibus vetuſti proceres, locum illum in quo τὰ προκείμενα vocabant, ſed *menſam* frequentius: quod obſervandum eſt contra Novatores negantes ex imperitiâ vel malitiâ, poſt tempora Conſtantini: ab Apoſtolicis temporibus per annos pene CCC. Altare ſemel tantùm, & tantùm ſemel vox τράπεζα legitur apud Areopagitam. In illâ *Arâ,* multiplex illud Chriſtianorum offertur ſacrificium. Αὐτίκα γοῦν ἀντὶ τῶν πάλαι θυσιῶν καὶ ὁλοκαυτωμάτων τὴν ἔνσαρκον τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν, καὶ τὸ καταρτισθὲν σῶμα προσενεχθῆναι τῷ Θεῷ διδάξας, τοῦτό τε αὐτὸ τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ εὐαγγελίζεται, ὡς ἂν μέγα μυστήριον, ἐν κεφαλίδι, τῇ προφητικῇ φωνῇ προανατεφωνημένον. *Loca vetuſtiorum olim ſacrificiorum & holocautomatum, præſentiam Chriſti carnalem & adaptatum ipſi corpus docens offerendum Deo, hoc ipſum Dei Eccleſiæ annuntiat, ut magnum illud myſterium, breviter & ſuccinctè Propheticâ voce annuntiaretur nondum perfectum.* ita

In ἀποδείξ. Euſebius. Victimam in Eccleſiâ narrat: et, omnem aliam victimam καλλιερεῖται. Quia verò iſta victima, unâ tantùm vice oblata fuerat, & tu oblationem perennantem, cum ſuo ſacerdote efflagitas importunè, habe tibi quæ ſequuntur. τούτου δῆτα τοῦ θύματος τὴν μνήμην ἐπὶ τραπέζης ἐκτελεῖν διὰ τῶν συμβόλων τοῦ τε σώματος αὐτοῦ, καὶ τοῦ σωτηρίου αἵματος, κατὰ θεσμοὺς τῆς καινῆς διαθήκης παρειληφότες πάλιν, ὑπὸ τοῦ προφήτου παιδευόμεθα λέγειν, Ἡτοίμασας ἐνώπιόν μου τράπεζαν ἐξ ἐναντίας τῶν θλιβόντων με, ἐλίπανας ἐν ἐλαίῳ τὴν κεφαλήν μου, καὶ τὸ ποτήριόν σου μεθύσκον με ὡς κράτιστον. Διαῤῥήδην γοῦν ἐν τούτοις, καὶ τὸ μυστικὸν σημαίνεται χρίσμα, καὶ τὰ σεμνὰ τῆς Χριστοῦ τραπέζης θύματα. δι᾽ ὧν καλλιεροῦντες τὰς ἀναίμους καὶ λογικὰς αὐτῷ τε προσφιλεῖς θυσίας διὰ παντὸς βίου τῷ ἐπὶ πάντων Θεῷ προσφέρειν διὰ τοῦ πάντων ἀνωτάτω ἀρχιερέως αὐτοῦ δεδιδάγμεθα. *Hujuſce autem ſacrificii commemorationem peragere, in menſâ, juxta leges novi teſtamenti, per ſymbola corporis & ſanguinis ipſius qui edocti fuimus, iterum per Prophetam dicere docemur, Præparaſti in conſpectu meo menſam, ex adverſo eorum qui tribulant me, Caput meum oleo pinguefeciſti, & poculum meum valde me inebriavit. Expreſſimis verbis hoc in loco, divinum illud Chriſma ſignificatur, & veneranda menſæ Chriſti ſacrificia. Per quæ ritè facta et oblata, ſacrificia incruenta, et rationalia, et accepta illi atque grata offerre Deo illi qui ſuper omnes deos eſt, per omnem vitæ noſtræ curſum inſtituimur, in & per*

omnium

Digitized by Google

omnium excelſiſſimum Pontificem Jeſum Christum. Audis hic obloquentem è Novatoribus aliquem: Habes hic abundè ſacrificiorum, ne vel vacua tibi Altaria oblinantur muſco; vel φεῦ καὶ ſint & abeant ſacerdotes.

Similis autem es ſemper prævaricanti. Ambroſius diſertis 104.
verbis, non aliud agnoſcit ſacrificium, quàm noſtrum commemorationis, *Quid ergo Nos? nonne per ſingulos dies offerimus?* (noli ſomniare, de privatis miſſis & angularibus) *offerimus quidem, ſed Recordationem facientes mortis ejus. et una eſt hæc hoſtia, non multæ, quia ſemel oblata eſt in ſancta ſanctorum. Hoc ſacrificium exemplar illius eſt, id ipſum ſemper offerimus, nec nunc quidem alium agnum cras, alium hodie, ipſum ſemper.* Audiſne εἰς ἀνάμνησιν, non *idem ſacrificium*; non, *ipſum occidentes*; non, *corpus quotidiè ſacrificantes*? Sacrificamus, licèt non quotidiè, iſto modo. Modò, ſi recordaris, de Chriſto ſacerdote abſurda garriebas, diſce ab Ambroſio piè loqui, rectè ſapere. *Chriſtus*, ait ille, *eſt ſacerdos propter victimam quam pro Nobis offerebat.* olim in Cruce, non ſacerdos quotidiè in Altari. ſatis illud, ut ſacerdos eſſe diceretur. Tu tamen blaterabas, *Quæ verba, Ipſe enim eſt ſacerdos, & victima, non ad ſacrificium Crucis, ſed ad Euchariſtiæ ſacrificium ſpectant.* Tibine credemus, an Ambroſio? ſequitur Baſilius in Liturgiâ: Si modo reperiantur recitata in Liturgicis Baſileanis. Ego certè quæſita in editione Romanâ Demetrii Ducæ, non inveni. Quod ſi extent alicubi, & ab ipſo Baſilio profecta inveniantur, nihil habent quod non in noſtris quoque Hæreticorum Liturgiis non invenies. Εὐλογίας admittimus. τὸν ἄρτον, τὸ σῶμα, τὸ ποτήριον, τὸ αἷμα, ut nobis fiat μεταβληθῆν, oramus & obtinemus. à ſacrificii voce, et ſacrificati memoria, non abhorremus. Nam quod ibi βασιλεὺς βασιλευόντων, dicitur προέρχεσθαι σφαγιασθῆναι, procedere ut immoletur Fidelibus, id non aliter intelligendum eſt, quàm quomodo προηγοῦνται Angelorum chori, ut participes fiant ſanctificatorum: aut quàm, nos Domino adunimur dum dignè ſuſcipimus hæc ipſa myſteria. Quodſi autem ad Liturgias provocaveris, jam tranſacta res erit, & partes confirmatæ Novatorum. In illâ, beati Petri quæ dicitur. Μνήσθητι Κύριε τῶν δούλων σου, καὶ τῶν δουλίδων σου, καὶ πάντων περιεστηκότων, ὧν σοι ἡ πίστις δήλη ἐστὶν, ἡ δὲ πρόθεσις φανερὰ, οἵτινες προσφέρουσι ταύτην τὴν θυσίαν τῆς αἰνέσεως ὑπὲρ ἑαυτῶν. Memento Domine, ſervorum, & ancillarum tuarum, & adſtantium omnium, quorum Fides tibi nota eſt, oblatio manifeſta, qui offerunt hoc ſacrificium Laudis pro ſeipſis. ſacrificium habes hic Liturgicon, ſed aliud à tuo figmento; commentitio ſacrificio Naturali: Laudis nimirum, quod profitemur. Mox idem appellat προσφορὰν τῆς δουλείας ἡμῶν: oblationem ſervitutis noſtræ. et ſtatim in ſequentibus, θυσίαν ἁγίαν, θυσίαν ἄμωμον, ἄρτον ἅγιον, σωτηρίας αἰωνίου, καὶ ποτήριον ζωῆς αἰωνίου, ſacrificium ſanctum, ſacrificium irreprehenſibile, panem ſanctum ſalutis æternæ, & poculum vitæ æternæ; etiam poſt conſecrationem &

εὐλογίαν. Habet & aliam προσφορὰν; ſacrificium Domino εὐάρεστον: Noſmet ipſos noſtro Domino in oblationem repræſentandos. quem Gregorius in Miſsâ ſuâ paſſim ſequitur. nec recedunt ab hoc tenore, quotquot ſunt Liturgiarum concinnatores.

105. Idem Baſilius, ſi tamen idem, Lib. 2. quæſt. 2. de Baptiſmo, tua enim claudicant in Diatriba, ad ſacerdotale munus, & officium ſpectare ait, & partem eſſe non poſtremam dignitatis iſtius, ἱερατεύειν τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου, ſacrificare corpus Domini. nuſquam ait, idem corpus quod in Cruce pependit. non enim tam craſſo errore Baſilius implicabatur, ſed explicat deinceps quo ſenſu dixit Corpus, cùm rem eandem & actionem efferret ἱερουργεῖν τὸ μυστήριον τοῦ Κυρίου, ſacrificare myſterium Domini. quaſi eſſent iſta omnia, quod verum eſt, myſticè, & non σαρκικῶς ſubaudienda. Ἄρτον ποιεῖν, in ſequenti è Juſtino, teſtimonio, interpretatus eſt Caſaubonus, Conſecrare. Reſpondes, te Juſtini totum locum ſuperius adſcripſiſſe. Ubi autem. indica. an ibidem non aliter quàm hic deſipias, qui Panem facere non aliud intelligis, vel aliter, quàm Panem convertere in corpus Chriſti. eſt autem panem facere, panem conſecrare, ſacrificare. Sunt iſta quærenda. tum ferenda ſententia. intereà de converſione tam immani, ampliandum. ad Nyſſeni μεταποίησιν jam reſpondimus. veram extare in opere hoc ſancto μεταποίησιν. ſed nuſquam extare apud Nyſſenum, μεταποίησιν iſtam eſſe μετουσίωσιν: ſubſtantiæ Panis, in ſubſtantiam Corporis Chriſti mutationem. imò contrarium planè conſtat, ut et apud Cyrillum & Baſilium. Veritatem docent, modum non demonſtrant. Veritatem confirmant à Potentiâ, cùm in opere extrà ordinem miraculoſo: tum in alio per naturam ordinario. Liturgiæ, hoc ſatis explicant abundè, qui Panem ſic *factum*, et oratione conſecratum, etiam à Conſecratione, et converſione Panem vocant, quod eſt toties à Nobis, obſignatis tabulis, indicatum. Poteſt proculdubiò Spiritus ſanctus, id quod jecur humanum vi quadam inſitâ à Naturâ poteſt, mutare panem in ſubſtantiam corporis alicujus. ſed quid poſſit Spiritus ſanctus non quæritur. verum quid velit ſtatuendum. Quanquam ſuo modo et more uterque agens; Jecur ſuo, hoc eſt, Naturali et σωματικῷ. Spiritus autem ſuo: non corporali, ſed ut ſit et vita et ſpiritus, id quod accipitur. Increduli, vocandi ſunt ad Potentiam Deï. ſed illa incredulitas verſabatur in *re*, (Contra Atheos enim diſputant cum Samonas, cum Damaſcenus) non autem in modo rei, ad quem non poterant aut debebant inſtrui, qui rem ipſam non concoxerant. Diximus Caſaubonum expoſuiſſe Conficere Chriſti corpus, εὐλογεῖν, et conſecrare. Imò, inquis, ut Patres uno ore profitentur, Conficere corpus, eſt Panem convertere in corpus Chriſti. Certè non è vi vocis. non è conſuetudine locutionis. Neque enim in re confectâ, *ſubſtantiæ* aliqua *novitas*, ſed *formæ diverſitas* introducitur.

Vino

Vino luſtriſque confectus Antonius, apud Ciceronem non dicitur, quia is qui fuerat homo eſſe deſierat Antonius, et in aliud μεθιστατάι. Cita autem nobis de Nomine Patres. Tu Cæcili Cypriane prodi. *Panis iſte* (ſic ille profitetur de Cœnâ Domini) *quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed Naturâ mutatus, omnipotentiâ verbi factus eſt caro.* Audio loquentem & profitentem: ſed non propoſitum, bone vir; ubi illud, Conficere, eſt Convertere? Neutra vox occurrit, apud Cyprianum; ſi tamen ille author ſit Cyprianus. Sed vocis ſubjectum utriuſque. Et cùm vox non occurrat, hæc, illa: undè terminorum hæc tranſlatio. De Conficere inſtituta erat quæſtio: reſpondet Cyprianus de mutatâ Naturâ. Malâ fide ita recitas authorem tuum. ſed ut optimâ Fide recitaſſes: Natura, non eſt ſubſtantia; quod fingis: ſed conditionem notat & effectum. Noſtra etenim cum illo conjunctio, nec miſcet perſonas, nec unit ſubſtantias, ſed affectus conſociat, & confœderat voluntates. Neque enim ſubſtantia corporis Chriſti, ſacramento viſibili, ſed divinâ ſe infudit eſſentiâ ineffabiliter. ut idem ille tuus Cyprianus. Panem enim illum Angelorum, quem ſub ſacramento manducamus in terris, ſine ſacramento manifeſtius, (nec tamen Chriſti corpus glorificatum,) edemus in cœlis, non miniſterio corporali. Factus ille panis eſt corpus Chriſti. quis negat? ait ipſe, *Hoc eſt corpus meum:* non ait, hoc modo factus eſt corpus Chriſti: non enim effatus eſt hoc Chriſtus. Precatur in Liturgiâ Chryſoſtomus, ποίησον τὸν ἄρτον τοῦτον τὸ τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σοῦ, &c. μεταβαλὼν τῷ πνεύματί σου τῷ ἁγίῳ. Fac panem iſtum auguſtum corpus Chriſti tui, Spiritu tuo ſancto, immutans. Rectè precatur, ex intuïtu divinæ vocis, Hoc eſt corpus meum: & præcepti divini, Hoc facite. Ita nos precamur: neque dubitamus, exaudiendos nos eſſe: aut panem atque vinum futura, corpus & ſanguinem Chriſti communicantibus. ſed converſio non dicitur, extra Nos facta. Non dicitur facta per mutatum panem, ut non ſit deinceps Panis; ſed Corpus illud ipſum quod Cruci ſuppangebatur. Quid premis Nos vel iſto, vel ſimilibus è Baſilio, & aliis Liturgicis teſtimoniis? quæ, quoſcunque tandem pungunt, ad Nos non ſpectant, qui eodem modo libentes volentes rogamus Dominum: ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον. 106.

Ambroſii diſputatio de Initiatis, videtur vehementius hoc aſtruëre, quod aſſeritur. ſed ſeipſum explicat in Concluſione ſuâ Ambroſius. *In illo ſacramento Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti: non ergo corporalis eſca ſed ſpiritualis eſt.* Itane autem? Non ergò corporalis? imò, igitur eſt corporalis eſca, ſi modo non ſit quod *Natura formavit*, ſed *quod Benedictio conſecravit.* et ſi benedictione Natura ipſa mutatur. ſed formatio Naturalis, efficaciam reſpicit, & non ſubſtantiam. corpori alendo deſtinatus panis, per Benedictionem cedit in alimentum animæ. Non eo aſſurgebat, 107. Cap. 9.

gebat Naturalis illa vis & potentia ſubſtantiæ indita triticiæ. ſed Benedictio accedens inſuper, ſupernaturali quadam efficaciâ donatum, paſcendis animabus conſecrat & ſufficientem facit. atque ita, Natura, hoc eſt illa δυνάμεως vis et efficacia Naturalis (Nam de ſubſtantia ſtatuit diverſum beatus Ambroſius) per *conſecrationem* immutatur, in ſublimiorem traducta et elevata. ſequitur icircò in eodem Patre: *Unde & Apoſtolus de typo ejus ait. Quia Patres noſtri eſcam ſpiritualem manducaverunt, & potum biberunt Spiritualem. Corpus enim Dei, eſt corpus ſpirituale. Corpus Chriſti, corpus eſt divini ſpiritus, quia ſpiritus eſt Chriſtus.* Ad hæc inſuper illa addit quæ ſubſtantiam non docent immutatam. *Cor noſtrum eſca iſta confirmat, et potus iſte lætificat cor hominis.* Quæ non poſſunt ſpectare, ad craſſam illam μετουσίωσιν. ſpecies autem illa Elementorum quæ mutatur, nihil aliud eſt quàm τὸ φαινόμενον, et facies, et aſpectus. *Hæc quæ ſunt in ſpecie poſita, in te Sulpiti,* ait Orator, *divina ſunt.* ut hic ſit ſenſus et non alius beati Ambroſii, Elementa quæ videntur, non eſſe quod videntur, non efficere quod ſolent quæ videntur: ſed auguſtiora multò, quam eſt ſimplex *panis*, reverà repræſentare: et efficaciori poteſtate quadam vim ſuam et ἐνέργειαν effectui adæquato et convenienti impertire. Quid verbis alienis et non ſuis loquatur Auguſtinus, non magnopere refert. Et tamen vel ſic in rem tuam planè nihil ait. Quis negat quemvis panem Chriſti corpus non fieri? non in clibano coctus. non ſubcinericeus. non cibarius. non à propola aut decupa, præſtantiſſimus, eſt Chriſti corpus. Non collices, collabi, naſti, ſeſamitæ, chariſii, dipyri: nullus horum: non alius quivis fit vel à Piſtore, aut Panifice, corpus Chriſti: ſed qui benedictione illâ, ſolus conſecratur. Illum fieri, multis diſputat beatus Ambroſius Lib. 4. cap. 4. de ſacram. et nihil eſt in illis cui non libenter ſubſcripturi ſumus. Veritatem aſtruit: non procedit ultra: Veritati, nemo quicquam derogat, modum admiratur Veritatis. Non audet Ambroſius modum illum, tuum Tranſubſtantiationis introducere. imo illum excludit, ut videtur. *Mutat*, inquit, *Deus inſtituta Naturæ.* Quid hoc eſt aliud quàm ſubſtantiâ ſalvâ, hoc eſt, manente ſpecie, finem alium, et effectum diverſum introducit. Non aliter mutat Deus *panem et vinum*, quàm, quemadmodum hominem in Creaturam novam. Tu ipſe eras olim, ὑφιστάμενόν τι: ſed eras tum vetus Creatura. poſtquam Deo per Baptiſmum ſacrabaris, cepiſti eſſe nova Creatura. Quæro jam ex teipſo Bulingere, ſenſiſtine Te tum, aut ex eo tempore? Noſtin' alium aliquem in regeneratione Tranſubſtantiatum?

108. Baſilius in illo ad Amphilochium, idem eſt qui fuerat in Liturgiâ. hoc ſolum adjicit, ultra τὸ γεγραμμένον, & τὰ ἐγγράφως παραδεδομένα, multa verſari in Eccleſiæ praxi, et uſu quotidiano, etiam in re ſacra, et negotio ſancto, quæ ſunt πατροπαράδοτα, et ad Nos, de manu in manum demiſſa devenerunt. Invocationem illam, quis non

non rectè adhibitam confitebitur? ſcimus illam in omnibus Liturgiarum formis adhiberi. & ſecundum illam ipſam ἐπίκλησιν, ſancta illa dona conſecrata, in *corpus*, & in *ſanguinem* Chriſti tranſire. quo tamen, hoc in loco, non provehitur Baſilius, ſed tantum, ut faciat *panem* & *poculum*, *carnem* eſſe & *ſanguinem* Jeſu Chriſti: quod ipſius ῥητὸν, de uſu poteſt, & operatione non tantum explicari, ſed & intelligi. Agnoſco Chryſoſtomum ſcripſiſſe. Qui dixit *Hoc eſt corpus meum*, & τῷ λόγῳ τὸ πρᾶγμα βεβαιώσας, re ipsâ, id quod dixit adimplevit; dixit etiam, *Eſurientem me vidiſtis & non refeciſtis*, &c. Ita enim ſequitur in Chryſoſt. Quomodo igitur Parvuli illi, de quibus loquitur, Corpus Chriſti dicebantur, & erant, eodem modo putandum eſt (hoc eſt ſpirituali) & Panem benedictionis eſſe corpus ejus. Hæc enim, ait ibidem, πνεύματος γέμει ſpiritu abundant. Gregorii Nyſſeni locum integrum, pag. 146. ad fugam credo vacui, allinebas chartis. in illa longâ ῥήσει hæc ipſa verba tua, tunc viſebantur. quid malum hic regeſta ſubinfercis, cum & nos, τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ ἁγιαζόμενον ἄρτον, εἰς σῶμα τοῦ θεοῦ λόγου μεταποιεῖσθαι πιστεύομεν. ſed quo modo fiat, Non aſſequamur: temerè quicquam ſtatuere, neque pium, neque tutum arbitremur. Theodorus ille, non Theodoretus, Graptes, mihi nondum viſus. nec valde laboro de ſcriptore novitio, & iconolatra. verba ejus ſunt, quemadmodum .n. Panis, & vinum, & aqua, Naturæ vi et virtute, in corpus & ſanguinem comedentis et bibentis tranſmutantur, neque dicere nobis licet, aliud eſſe corpus illud, ἄλλω δὴ καὶ ταῦτα ὑπερφυῶς, ἐπικλήσει τοῦ ἱερεύοντος, καὶ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος, εἰς σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ μεταβάλλεται. Ita certè et iſta ſupranaturali modo, per ſacrificantis Invocationem, et acceſſum deſurſum, ſpiritus ſancti in corpus & ſanguinem Chriſti immutantur. Hæc, ultra rem ipſam, factam, creditam, minimè controverſam, non aſſurgunt. de modo non loquuntur, nedum quid ſtatuunt, tranſmutationis. modum non attingit author, ultra, ὑπερφυῶς; ſupra naturam, illud fieri ſtatuit quod verum eſt. per Tranſubſtantiationem non ſtatuit fieri, nam id falſum eſt. Neque enim, hoc poſito συμβόλων δημιουργὸς, quod à Te ſtatuïtur, Sacerdos dici et nominari poterat, ſi vere et corporaliter, quod non eſt ὑπερφυῶς, Panem et vinum tranſubſtantiaret, ſed Χριστοῦ δημιουργὸς, aut σώματος δημιουργὸς, vel etiam θεοῦ δημιουργὸς, & κτίστης κτιστοῦ, dici debuit. Quomodo qui loquuntur ſunt inventi. Panem et vinum non ἐδημιούργησε. Nec in quantum Panis et vinum ſunt. Nec in quantum Symbola ſacramentalia. Hæc enim non cadunt ſub rationem δημιουργίας: illa debent ſuam ſubſiſtentiam aliis. Neque ille, quiſquis erat Dionyſius Hierarchiæ author, Antiquus ſanè, Sacerdotem, ſed Chriſtum, appellavit δημιουργὸν συμβόλων. Quanquam et ſenſu ſano haud abnegaverim, dici poſſe et Sacerdotem illorum δημιουργὸν, qui Panem cōmunem, et vinum profanum, ad uſus ſacros ſeparatum, ἐπικλήσει ſuâ, vi verborum Chriſti, *Hoc eſt corpus mecum* μεταβάλλει in eum finem, ut ſint ſymbola Significatorum, Corporis et ſanguinis Jeſu Chriſti.

Hom. 50. in Mat.

Quod

109. Quod adjicitur de Antitypis verum eſt. Patres negant interdum Corporis et ſanguinis antitypa, eſſe illa in Altari conſecrata. hoc eſt, nuda ſigna. ſic Theophylactus, et Samonas, recentiores. ſed ipſum Chriſti corpus. Interdum affirmant eſſe ἀντίτυπα quia ſignificant id quod ſunt: et ſunt, id quod ſignificant. Non per Tranſubſtantiationem: hoc non dicunt Patres: quomodo jam ulterius antitypa non eſſent. Hæc rectè à te dicuntur, quamvis perturbatè et confuſim: et parum ad fidem Tridentinam, vel Lateranam. Non eſt certè τύπος εὐχαριστίας, quod rectè docuit Magnes vetus author apud Turrianum, hoc eſt, nudum ſignum, neque aliquid amplius, quod et olim nonnulli, et forſitan Non nemo, neque enim liquidò conſtat τῶν μεταγενεστέρων, uſurpaſſe commemorantur: ſed μᾶλλον σῶμα καὶ αἷμα Jeſu Chriſti: quod ad aras uſque tueri, contra quosvis ſumus paratiſſimi. Redis tandem poſt illam de antitypis digreſſionem, et nos tecum unà, ad illam, ſanè quàm admirabilem, ſed non in *pane* et *vino*, per Tranſubſtantiationem, mutationem. Auguſtini ῥῆσιν quam recitas, non agnoſco. Neque enim ille ſermo xviii. de verbis Domini eſt Auguſtini. In Poſſidii indiculo non habetur. nihil de eo certi habet Poſſevinus: Cujuſcunque tamen fuerit, nequaquam repudiamus quod aſſeritur, Panem, qui fuerat ante Conſecrationem, appellari corpus Chriſti poſt conſecrationem. Germanus quæ dixit, ſcripſit, recens author et εἰκονοκλάστης, curæ nobis non eſt. quanquam cauſæ non adverſatur, quam propugnamus; de veritate corporis et ſanguinis Chriſti, non determinato modo μεταποιήσεως. Ambroſii locus ſubjectus à Caſaubono, errorem illius nullum notat aut perſtringit. tu pro more tuo adimplendas chartas, longum ab Ambroſio ſermonem *tranſcripſiſti*; qui tamen totus, quantus quantus, non pertingit ad *illa* breviuſcula, per Caſaubonum accerſita, *Hoc quod Conficimus corpus ex virgine eſt.* Id eſt, ſacramentum corporis. Hunc patrem cum exſcriberes, otioſus eras plane in negotio. Ante Conſecrationem aliud dicitur: nempè Panis & vinum. Poſt conſecrationem, nuncupatur aliud, Corpus et ſanguis Domini. Cui Amen & Euge, acclamamus: quamque ſæpius apud patres & in Liturgicis etiam poſt conſecrationem, dona, panis, & vinum dicantur. Quod os loquitur, viz. *Hoc eſt corpus meum*: mens interna fatetur, ita eſſe. ſed an tu modum hic repereris et conditionem, ſignorum et ſymbolorum mutatorum? Et tamen hic lis vertitur, non in illo τῷ εἶναι καὶ μεταποιηθῆναι. Euſebius Emiſſenus hom. 5. de Paſchate; dicit multa ſcilicet: quod ad rem imprimis pertingit, eſt: *Inviſibilis Sacerdos viſibiles Creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, verbo ſuo, ſecreta poteſtate convertit.* En tibi patronum equidem egregium Tranſuſtantiatorum Elementorum, quem non invidemus, Arianæ impietatis aſſertorem, et ſigniferum: nam talis erat Euſebius Emiſenus. Sed ille, licet impius, huc τῆς ἀβελτερίας non aſcendit. Nam imprimis, falsò aſcribitur

Euſebio,

Digitized by Google

Euſebio, quod ab homine Latino effutitum, non ſapit Euſebii Græcicitatem. Ignoti cujuſdam Monachi, in Galliâ Lirinenſis ἔκτρωμα fuit, & ſubverbuſti ſtigmatici παραλήρημα. ſunt qui volunt Fauſtum Rheginenſem has compoſuiſſe homilias. alii Cæſarium Arelatenſem. Alii Eucherium Lugdunenſem. hæc homilia, Cæſario aſcribitur, & Hieronymo, reverà neutrius. extat utrobique. incertis natalibus, & vago parente educata & excluſa: indigna quæ ferat teſtimonium. in cauſſâ juris controverſi. Qui ſequitur, Leonem, & quidem Magnum agnoſco. Leonis Librum 2. ad Movinium neſcio. non legi, non audivi. neſciam æternùm neceſſe eſt, niſi à te edocear, quo climate mundi vagatur ille, liber vel compeditus.

Deſultor dein redis ad antitypa. & ab antitypis ad mutationem illam admirabilem. Iterum redeamus ad antitypa, & quæ exciderant ſubjiciamus. Quorſum verò? quid opus? vix nominaverat Exercitator illa: & tu cados nobis totos onerabis. Quam iſta levia & futilia, de Commentariis quotidianis tibi exciderunt, non in alium finem, niſi ùt legiſſe te multa animadverteremus. In quo tamen ipſe, ſi conſtiteris alicubi, vel nullus es, vel ἐναντιοματαιολόγος. Rei antitypon, non eſt ipſa res. ut nec Imago Socratis, Sophroniſci filius. Imago autem non eſt, niſi rei ſubſiſtentis. Unde Tertullianus contra Marcionem, corpus Chriſti probavit non fuiſſe φανταστικὸν, quod dicente Chriſto, prodebatur, *Hoc eſt corpus meum.* id eſt, Figura corporis mei. Figura autem non fuiſſet, niſi Veritatis eſſet Corpus. Tu expende iſta verba, & redi cum mente tuâ in gratiam Bulingere: Parum refert, quo tu modo interpreteris, cùm tam liquidò animi ſui ſenſum revelet Tertullianus: ſed profectò mallem ego Augiæ ſtabulum repurgare, quàm tecum longiores ineptias ludere. Cætera deinceps λήρων ὅρμαθον, legant qui volunt operam perdere, ego ab iſtis, quæ recocta toties repoſuiſti, inſipida, inſulſa, aliena, ad alia tranſeo, de Eulogiis. 110.

Cum ad hanc de Eulogiâ diſſertatiunculam aggrederere, rumor ais, percrebuërat, de exceſſu Caſauboni eruditiſſimi. Et certè εὖγε tibi καὶ καλῶς quod obierit, ante prolata tua in lucem hæc ληρήματα. Viveret enim ille vir, rerum omnium antiquarum callentiſſimus, puerum te Juli Cæſar, verberibus caſtigatum, Piſas, ad profeſſionem relegaſſet. Sibi ſatis, & exiſtimationi vixit, vir ille, cum paucis memorandus: ſuis, Eccleſiæ, reique literariæ publicæ, ſi Deo fuiſſet ita viſum, non ita diu vixit. ſed ad rem, *Ait Caſaubonus*, inquis εὐλογίαν, *interdum ſimpliciter pro Euchariſtiâ ſumi.* Ait: pag. 521. recitato è Cyrilli ad Caloſyrium teſtimonio. tu iterum recitas. quem in finem quæſo? ut nos doceres, & tamen ſolummodo è conjecturâ doces, Cyrillum, de Meſſalianis locutum. quid ad rem? Caſaubonus de Eulogiis acturus, decerpſit quod in cauſſam ſpectabat, de circumſtantiis non ſollicitus. Tu nimis diligens, ſupplementum 111.

Digitized by Google

addis. cui fini ? bono? Nos ſcimus, Euchitas illos vel Enthuſiaſtas, præter orationes, à ſuis fuſas, nihil prorſus admiſiſſe in religione operativum. Neque τῇ εὐλογίᾳ ſoli, ſed & lavacro etiam regenerationis, vim omnem adimebant, & efficaciam. ſecundo εὐλογίαν ſumi docuerat ille pro ſingulis hoſtiis, vel particulis hoſtiæ conſecratæ, quæ communicantibus porrigebantur. repetis iſta totidem verbis. ut & authoritates quibus id probaverat, è Concilio Epheſino, Clementis διαταγαῖς: Maximo ſcholiaſte Areopagitæ: ne mutata vocula. Tertiò docuit Caſaubonus εὐλογίας eſſe & illas portiunculas conſecrati panis, quas ad vicinos mittebant; ἐπιδημοῦσι porrigebant, ut pignus conſpirationis animorum. repetis omnia: cum teſtimoniis. ὡς ματαιολογεῖς; ab ineptiis ad calumnias pergis. Putat, inquit, Caſaubonus εὐλογίαν non eſſe niſi *conſecratum panem*. at eſt, *benedictus*, non *conſecratus*. ſtultè: & malevolè. nam audi Caſaubonum ſtatim. Latini *Eulogias dixerunt fruſta panis, Benedicti quidem, ſed non in uſum Euchariſtiæ.* Ecquid apertius dici poterat? O frontem! At fortaſſe putavit ille Latinos ſolos hiſce εὐλογίαις uſos, non Græcos. putavit: Tu refellis, è Concilio Laodiceno, quem locum ſuggeſſit ipſe tibi Caſaubonus. περὶ τοῦ μὴ τὰ ἅγια εἰς λόγον εὐλογιῶν, κατὰ τὴν ἑορτὴν τοῦ πάσχα, εἰς τὰς ἑτέρας παροικίας διαπέμπειν. ne ſancta pro Eulogiis, ad feſtum Paſchale, in alias Parœcias tranſmittantur. Ἅγια, inquis, erat panis conſecratus in Euchariſtiam: differebat ille ab Eulogiis. imò verò non, εἰς λόγον εὐλογιῶν, non eſt *loco Eulogiarum*. ſed ob Benedictionem, benedicendi cauſſa. Quod & Balſamon docet, ſi ſpecilla adhibueris: & apertius adhuc Zonaras, in ſuis commentariis, μετὰ γὰρ τὸ πάσχα, ἐπέμποντο ἐκ παροικίας τὰ ἅγια, ἤγουν μερίδες τοῦ ἁγίου σώματος τοῦ Χριστοῦ χάριν εὐλογίας, οἳ ἐστέλλοντο. Vides ergo, quid ille dixerit λόγον εὐλογιῶν: & quàm futilis fuiſti reprehenſor! At etiam in Literis Juris 70. εὐλογίαι ſunt munera miſſitata vulgò. fateor. quia μετ᾽ εὐλογίας, data, & accepta. Non tamen ſequitur apud Græcos, partes panis conſecrati, nuſquam εὐλογίας nominari. Erant ἅγια, in illâ actione ſacrâ, ceſſante actione & Euchariſtiâ, erant tantùm εὐλογίαι. Neque enim veteres, ut vos deliratis, mutationem illam tranſubſtantiationem fingebant, aut per ſomnium imaginabantur. Hoc fieri tandem vetitum eſt, & loco τοῦ ἁγίου, hoc eſt, *panis conſecrati*, *benedictus panis* ſucceſſit. His expoſitis, quæ Caſaubono facem prælucente, obambulas, revolveris eodem Bulingere, & repetitis decies quæ repetita diſplicebant, ad nauſeam ingeris, de Fide quam appellas, veterum, Chriſti corpore in Euchariſtiâ. Eſt illa Fides Veterum. ſed & noſtra, non minus quàm tua: licèt modeſtiùs, moderatiùs; ſanctiùs culta. Quid ergo toties eandem nobis occinis cantilenam? Multus es, fateris. at falleris, qui ſic reris, Nimius eſſe non poſſum. ſi fides illa Veterum eſſet propugnanda, nimius eſſe non poſſes. at nemo labefactat, inficiatur nemo, quocirca non nimius tantùm, ſed φλυάρος & φλύαρος

es:

es: Nos te nec ſequemur, nec imitabimur: cum Caſaubonum quod attingat, in battologiis illis tuis, nihil ſit.

Quid opus opinione illa tua? Doctiſſimus Caſaubonus diſertis verbis expreſſit quid voluerit. Tu iiſdem repetitis, quaſi ille loquutus involutè fuiſſet, ex conjectura interpretaris, *Hoc vult opinor.* aufer hinc illud tuum *opinor.* dixit apertè Caſaubonus, ſe hoc velle. velle, quia ſic loquutus Auguſtinus: ſic Origines, ſic Concilium Nicænum: Quæ ipſa ad opinionem tuam confirmandam tranſcripſiſti. Ecquid aliud eſt hoc quam nugari? ſed ideo uſurpaſti, quia *ferri* poſſunt: illa ſunt intolleranda quæ ſequuntur. Quænam vero? Obſervat ille, Corpus in Chriſti inſtitutione ſignificare *carnem: Hoc eſt corpus meum.* id eſt, Caro mea: quia ſequitur, *Hic eſt ſanguis meus:* Hoc intolerandum. vindicate ignes expurgatorii. At cum dicunt Patres, Sacramentum corporis Chriſti, Corpus non eſt caro, ſed totum illud, Caro & ſanguis, quod ſumitur in Euchariſtia. Hoc quoque intolerandum fortaſſis. ſed illud magis, Cum appellatur hoc myſterium corpus Chriſti, nomine rei ſignificatæ, ſignum affici. et tamen ita Patres locuti ſunt. *Dominus non dubitat dicere, Hoc eſt corpus meum, cum ſignum daret corporis ſui.* verba ſunt Auguſtini contra Adimantum. *& Chriſtus Judam adhibuit ad Convivium, in quo Corporis* (id eſt carnis) *& ſanguinis figuram commendavit.* ait idem in Enarrat. pſal. 3. Tacito priori teſtimonio, ad ſecundum, de Judâ reſpondet Bulingerus, in ſuperiobus plura de figurâ à ſe dicta, Nec quæ ſemel abunde dicta ſunt ad nauſeam inculcari debere. Certè plura quàm, vel par vel opus fuerat, de antitypis, loco ſatis alieno, qui verò ſemper ad nauſeam inculcat regeſta repetita, hic loco ſuo, et conveniculi, quædam non ineptè repoſuiſſet. ſed eſto hæc ut velit. de Judâ reſpondet ex eodem Auguſtino, nempè in pſal. 10. Chriſtum Primam Euchariſtiam, à ſe confectam dediſſe Judæ. reſpondet ex Hieronymo, Anaſtaſio, Theodoreto, &c. Judam factum participem corporis Chriſti: Quis negat? an ergo vel Auguſtino imputavit falſitatem Exercitator de figura Corporis Chriſti? vel ipſi Auguſtino culpam impingit Bulingerus, qui parum ſolidè de figura tinniat, cum de Corpore deberet muſſitare? Imo planè doctiſſimus Auguſtinus, quod obſervat eruditè Exercitator, *ſignum, & ſignatum* ἀδιαφόρως: Corpus, & figuram corporis indiſtinctim adhibuit. Ita partes agit iſte vir Caſaubonianas. Admonuit, ait ſemel atque iterum, Euchariſtiam appellari Figuram propter ſigna quæ perſeverant. Rectè: neque enim Exercitator docuit *ſigna* illa prorſus evanuiſſe. Imo piè & ſolidè aſſertioni de *ſignis* ſubnectit, quod cum dicimus, neque venerandi hujus Sacramenti virtuti atque efficaciæ, per quam, modo ineffabili, Carne Chriſti et ſanguine paſcimur, & ut loquitur Tertullianus, *Anima noſtra Chriſto ſaginatur*, quicquam imus detractum. Neque præſentiam Chriſti in Euchariſtiâ, negamus, ſicut lucu- 112.

 lenter

lenter ſuo loco ſumus oſtenſuri. Nam planè cum antiquiſſima Eccleſia ſentiebat: quæ poſt Ignatium Apoſtolorum σύγχρονον unâ voce profeſſa eſt, Ἄρτον τοῦ θεοῦ θέλω, ἄρτον οὐράνιον, ἄρτον ζωῆς, ὅ ἐστι σὰρξ τοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ τοῦ γενομένου ἐν ὑστέρῳ ἐκ σπέρματος Δαυὶδ, καὶ Ἀβραάμ, καὶ πόμα θέλω τὸ αἷμα αὐτοῦ ὅ ἐστιν ἀγάπη ἄφθαρτος, καὶ ἀέναος ζωή. Panem Dei, volo. panem cœleſtem, panem vitæ, qui eſt, Caro Chriſti Filii David, qui natus deinde fuit, è ſemine David & Abraham. et potum volo, ſanguinem ejus, qui eſt amor incorruptibilis, & æternum durans vita. Quid amplius deſideres Bulengere? Illud te malè habet, Tantum dicimus, Patronos Tranſubſtantiationis, malè ad novæ defenſionem doctrinæ trahere ejuſmodi Patrum loca, ubi hoc Sacramentum appellatur *Corpus Chriſti*. Cur ergo non inſtas? non urges Tranſubſtantiationem? Monſtrum hoc verbi, rei è patrum ſcriptis appone. infer, conclude. Nimius es in veritate Corporis & ſanguinis demonſtranda, quam nemo negat: luculentis verbis fatetur Caſaubonus. Hic toties tua in nos evomis adverſaria. at in Tranſubſtantiatione, magis mutus quàm piſcis, et tamen, *hic Rhodus: hic ſaltus*. An non hoc eſt ἀδολεσχεῖν. Quodſi reris poſita veritate Corporis & Sanguinis, ſequi neceſſariò Tranſubſtantiat: hic jam planè μελαγχολᾷς. nam πολύ γε καὶ δεῖ, ſtultum eſt quod garris de exceptione, Rem ſignificatam pro ſigno poni: obſignatis patrum tabulis hanc formulam loquendi docuit, apud illos uſurpatam. tamen non ſic uſurpatam, quaſi veritati quicquam detractum vellent. Neque enim ait, ideo præſentiam Chriſti in Euchariſtiâ negamus. Quam pie, & Theologicè, ὦ μεταβολίζοντος. Hoc item ex Auguſtino prius agnoverat, ad quem, ſemper perplexus, extra oleas revolveris, qui in 3. de doctrinâ Chriſtianâ Cœnam Dominicam appellaverat, *Celebrationem corporis & Sanguinis Chriſti*: Tu reſpondes, *verè & piè id quod erat appellaſſe*. Quaſi aliter quàm, ut verè & piè dictum recitaſſet Caſaubonus. Certè recitat & ſubſcribit. Tu tamen aliunde ex Auguſtino, rem minimè dubiam probas? Nam quis negat? & tamen, quæ eſt tua infœlicitas, obſcuriori metaphora. Non enim Corpus & ſanguis nominatur Lib. 9. Confeſſ. 13. ſed *victima*. Conſcius porro inſulſi tui argumenti, interrogas, *Quæ eſt illa victima, Caſaubone, quæ diſpenſatur ex Altari Domini, niſi Corpus Chriſti*? Sanè eſt. nemo negat: ſed ſacramentum tamen: ut in eodem ipſo teſtimonio Auguſtinus. Imo in Altari Sacramentum, victima in Cruce: In Altari ejuſdem ſola commemoratio et repræſentatio: *Unde ſciret diſpenſans victimam ſanctam, quâ deletum eſt chirographum*: verba ſunt Auguſtini, etiam in excerptis tuis: quaſi, quod per illud κειμήλιον in altari, in memoriam revocaret victimam illam qua deletum eſt chirographum. ita nihil de ſacrificio corporali tranſubſtantiato Auguſtinus, ſed ſolo commemorativo. Verba Caſauboni erant, *In verbis Domini* (dicentis hoc eſt Corpus meum) *corpus ſignificare carnem certum eſt*: carnem Chriſti, non ſanguinem: alioquin, inquit, Super-

Digitized by Google

Superflua eſſet; quæ ſtatim ſubjicitur, mentio ſanguinis. Addit, tamen ex Eccleſiæ uſu, *At quoties hoc myſterium ſimpliciter appellatur, corpus Chriſti, Totum illud ſignificat, quod in communione percipiunt Fideles.* hoc eſt, totum Chriſtum, atque adeo omnia ejus munera. Quid hic reprehenſor? Minus malè loquitur Caſaubonus. Euge autem. et cur non optimè, qui ſecundum ſcripturas atque patres. de Corpore carne, juxta ſcripturas: de Corpore τῶ ὅλῳ juxta Patres? Qui tamen myſterium hoc ſimpliciter corpus Chriſti non appellant, inquis: fugit enim hic ratio aſſertorem. Factum enim non arbitrans. & tamen ponitur in confeſſo ſacramentum Corporis Chriſti uſurpatum. hoc eſt, dimidiati Chriſti. Dicunt ſacerdotes *conficere Corpus.* hoc eſt, carnem vel ſanguinem ſeparatim, & divulſa Chriſti munera. Dicunt dare communicantibus corpus Chriſti. ſed non cum ſuo Comitatu forſan. ſed hæc poſtquam dixerint, totum hoc myſterium non intelligunt. Quid ergo? hoc ſaltem nos non celaſſent tuæ obſervationes. Quid volunt per, ἱερατεύειν τὸ σῶμα; per, διδόναι τὸ σῶμα; per, μεταλαβεῖν τοῦ σώματος, &c? appoſitè, an ſecus locuti ſint: Tute videris. ita locutos, non audes inficiari. Fateris fideles, quoties ritè ſumunt Euchariſtiam, totum Chriſtum, & omnia Chriſti, percipere. Qui tamen participes fieri dicuntur corporis Chriſti: ut neceſſe ſit τὸ *corpus*, illud, Totum, et comitatum denotare. apud vos præcipuè, ubi Fideles Laici, *corporis* ſolius, non autem *ſanguinis* fiunt participes. ſed tædet me harum ineptiarum: præcipuè cum, inconſtanter adeò, ad illa te conferas reſumenda, quæ prius erant expedita. his igitur omiſſis ad caput 36. aggrediamur. Exercitat. xvi.

Primæ ad Corinthios 10. 21. ſanctiſſimus Apoſtolus ſcripſit. 113.
οὐ δύνασθε τραπέζης κυρίου μετέχειν, καὶ τραπέζης δαιμονίων. Hic menſa Domini, eſt ipſa Euchariſtia. probat hoc Exercitator teſtimonio vetuſtatis, apud optatum Lib. 5. legitur, Miniſtri qui menſæ Domini famulantur. addit, Leonis, Auguſtini, aliorum teſtimonia. At falleris Caſaubone, opponis tu. In quo verò tandem Bulengere fallitur? In ſententia Patrum ritè percipienda? an explicatione loci Paulini? in utroque, ut videtur. & certè fallitur. Nam menſa, ut tu inquis, Dominica propriè Altare Domini eſt, in quo, Domini corpus, Sacerdotes, ſacro ore conficiunt. Ita Communicantes in Eccleſia Chriſti, nam id forſitan verebare, ut olim Trojani, menſas inter ſe Domini, hoc eſt altaria, conſumebant. Certè χαλκέντεροι ad unum omnes. Synecdochicè tamen, ut cum Contentum ſumitur pro re contentâ, menſa Domini pro Corpore Chriſti ſumi poteſt. at at. adeone bardum credidiſti Exercitatorem, ut propria locutione putaſſe illum opineris locutos Patres, vel Apoſtolum, cum de menſâ Domini loquerentur? fungus es & fatuus ſi credidiſti: ſi non ineptiſſimus ματαιολόγος. Multis ille egit Teſtimoniis. unum deſumis, ut arrodas. Leonis 1. hom. 6. in ſejun. 7. menſis. *Sic ſacræ menſæ communi-*

nicare

nicare debetis, ut nihil prorſus de veritate Corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis. Mordes, hic, *Tu ambigis Caſaubone, & inficiaris.* ſtultè, & falſò: qui inficiatur nequaquam ambigit, certus eſt, iccirco negat. ridiculè ergo qui inficiatur, non ſubſcribet. agnoſcit Caſaubonus veritatem Corporis paſſim, ubique. mentiris ergo, non tuo more, veritatem, vel falſitatem Tranſubſtantiationis. tamen veritatem, Fingis ambigere, ut ſic aliquid agas, et in nos tuas notas effundas de chartaciis. Jubes advertere nos, Præter Altare fuiſſe menſam, ubi Laïcis erogabatur communio Corporis Chriſti. ſcilicet, Corporis, hoc eſt, carnis: non autem *ſanguinis.* aut quid fiet dimidiatæ Communioni? ſed illa digna animadverſione obſervatio. Propter, nimirum, raritatem, imo falſitatem. Ubi verò κεῖται hæc obſervatio? in Chryſoſtomo? at nuſquam δεδηλωδεὶ κεῖται in Chryſoſtomo. Phantaſma eſt. tui cerebelli imaginatio. Adeamus locos. ὅταν μετὰ φόβου καὶ φρίκης, κατὰ τὴν ὥραν ἐκείνην μάλιστα τῇ φοβερᾷ τραπέζῃ προσιόντες. hic eſt Prior Chryſoſtomi locus: in quo geminam menſam ne ipſe quidem Lynceus deprehenderit: ſed nec latet poſt aulæum in ſecundo loco. vide Lector, et mirare acumen hominis, δυνησόμεθα καὶ μετὰ καθαροῦ συνειδότος, τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ προσιέναι, καὶ τὸν ἁπάντων δεσπότην ἔνοικον δέξασθαι, &c. poterimus cum pura conſcientia, ſacram menſam adire, et univerſorum Dominum Inquilinum ibi accipere. ſcimus fuiſſe, & accuratè id notavit Exercitator, apud Græcos deinceps, recentiores, duas menſas, non tamen Altaria bina. unam πρόθεσιν dicebant: in qua oblationes fidelium repoſitæ jacebant, undè προσφοραὶ ad Communionem, conſecrandæ, in Domini menſam tranſmittebantur. ſed de menſâ illâ ſecundâ, in quâ Laïcis communio dividebatur, non obſervaſti credo apud *illos.* Poteſtne illud Chryſoſt. hom. 35. in 1. ad Corinth. huc transferri? non poteſt. ἴδε πρὸς ταύτην τὴν τράπεζαν. Loquitur de menſâ ad quam vocabantur, communicaturi: verum. ſed illa erat unica, Clericis & Laïcis deſtinata, quam Altare voceris licet, nihil enim impedimus, imò vocem illam Altare, non illibenter adhibemus. Non diſtinxit Altare à menſâ, quaſi de unâ ſacerdotes, de alterâ Laïci participarent.

114. Quæ de Altaribus in Caſauboni ſupplementum diſſeris, multa ſunt, ſed momenti non magni. De iiſdem ille alibi dicturus erat ad Baronium. nos hic pauca de tuis delibabimus. De Altaribus enim nos omnia latiſſimè proſecuti ſumus in noſtra Thyſiaſteriologia. Locus eſt Apoſtoli ad Hebr. 13. *Habemus Altare de quo non poſſunt edere, qui tabernaculo deſerviunt:* hunc tu ſine controverſiâ prorſus omni, de materiali, ut vocant Altari, ξύλινον & κατὰ σχῆμα πρῶτον interpretaris. In Eccleſiâ enim (inquis, & fundus tuæ ſententiæ eſt ille locus Pauli;) eſt Altare viſibile, in quo viſibile offertr Sacrificium neceſſario. De ceſpititio, an de lapideo cupis? Quo authore? Nam certè Pontificiis dogmatibus addictiſſimi aliter Altare illud intellexerunt. de Chriſto ſcilicet, fide

fide apprehenſo, ante mota Certamina Lutherana. De Corpore Chriſti in Altari: De Eccleſiâ, in quâ illud Corpus participatur. Vide gloſſas, Lyrani, Hugonis, Lombardi, quorum nemo, in illam tuam ſententiam deſcendit. Haymo apud Bellarminum dicitur hic Dominicam menſam intellexiſſe. ſed ſolus, ut videtur, & ſolitarius, contra loci ſententiam? quam acutè & eruditè explicat gloſſa apud Lyranum? ipſe magnus magiſter Controverſiarum, quandoquidem alii per Altare intelligunt Crucem, alii Chriſtum ipſum in Cruce oblatum; locum noluït urgere. hujus tu Prudentiam imitare. Nec abſurdè & extra rem argumentare; Eſt viſibile ſacrificium, quia Altare eſt viſibile, Non enim locus intelligendus eſt aliis de Altari viſibili, ſed non videndo. Et cùm habeamus viſibilia alia, non iſtud, Altaria, habemus & ſacrificia viſibilia. ſaltem ſenſibus uſurpanda, vitulos nimirum labiorum. Noſmet ipſos Deo oblatos, in holocauſtum. Panem & vinum: Quæ omnia offerimus, ſed non eodem modo. Quorſum teſtimonia, Auguſtini, Chryſoſtomi, Tertulliani, Sidonii? Quaſi dubitaret è nobis aliquis, vetuſtos Eccleſiæ primitivæ proceres menſam Dominicam, Altare nominaſſe. Fatemur à naſcentis Eccleſiæ incunabulis, apud omnes antiquiſſimos Patres, ſacrâ Scripturâ non repugnante, illam nomenclaturam obtinuiſſe, quemadmodum & ſacerdotis ac Levitæ appellationes: quanquam redi ad adverſaria, & Petrum Chryſologum rectè nobis notato. neque enim Serm. 5. de Filio prodigo, tua illa excerpta reperiuntur. Quid ſibi voluerit Minutius Felix, cùm negaret ulla templa, aras ullas extitiſſe apud Chriſtianos, quæſitum eſt olim & hodiè quæritur: reſponſum verò ſemper variè. addendum, quod fortaſſis appoſitiſſime reſpondetur, reverà nullas aras propriè extitiſſe lapideas, ubi pecudes immolarentur, ligneas tantummodo fuiſſe ad Celebrandum. Certum eſt enim, nec negari poteſt, aut debet, per illa tempora Minutiana, & Arnobiana, (nam & ille verſatur in eâdem de aris opinione) menſas omninò fuiſſe ligneas. nec ante Conſtantini Halcyonia lapideas. ſed nec tum paſſim, verùm in Eccleſiis metropoliticis, & urbanis celebrioribus, quanquam ante Conſtantinum Altaria frequentius quàm menſæ dicebantur. quod alio loco à nobis declaratur. Libenter verò, te interrogem Bulingere, quodnam opineris *Altare illud unicum, toti Eccleſiæ*, de quo memoras neſcio quid ex epiſtolâ Ignatianâ ad Philadelphenſes. Chriſtumne putas? ſaltem de ligno vel lapide, Non eſt, non erat, unum aliquod toti Eccleſiæ. neque enim extat illud Romæ. & tamen extare debebat Romæ, ſi ut olim templum unicum toti Judæorum nationi fuerat, ita & eſſet Altare unicum omnibus Eccleſiis ad offerendum deputatum. ὡς ἠλιθίως in hoc teſtimonio Ignatiano: adjuvabo imprudentiam. et πάσῃ ἐκκλησίᾳ interpretor, ſingulis Eccleſiis, Nimirum, uti eſt ſingulis Eccleſiis, unicus Epiſcopus. Non ab hac factione unus:

unus: alius ab alterâ, quod ſæpiùs, & diu in Eccleſiâ Romanâ factum: Ita neque Altare debebat eſſe contra Altare. Jam tandem inclinat in tuam rem vetuſtiſſimus ille Pater: Non tamen ut fuerit Pontificius. Altare enim illud fuit menſa Domini, non de lapide conſtructa, ſed è ligno. Locum illum è Concilio Nicæno, vehementer miror, adhibere voluiſſe te. Animum enim planè abſtrahit à carnali præſentiâ, à ſenſu corporali, quem tantopere commendas, quam ſolam agnoſcis: & ad præſentiam ſpiritualem, ad διὰ πίστεως participationem nos invitat. Rurſum in divinâ mensâ, hic ne ad panem & poculum propoſitum humiliter & abjectè attendamus, ſed cogitationes elevantes, per fidem intelligamus propoſitum eſſe in ſacrâ hâc mensâ agnum Dei, incruento modo. Fidei ergo τὸ πᾶν quod obſervas, aſcribitur: ubi illud, viſibile, & corporale?

115. Magis adhuc erras in Concilio Laodicæno. καὶ μόνοις ἐξὸν εἶναι ἱερατικοῖς εἰσιέναι εἰς τὸ θυσιαστήριον καὶ κοινωνεῖν· belliſſimam hujus Canonis explicationem tuam audiamus. Aliud fuiſſe Altare ad quod ſolis Clericis & τοῖς ἱερατικοῦ τάγματος patebat aditus: aliam menſam ad quam vocabantur Laïci. Erraſti prius hunc errorem, de Altari duplici in unâ eâdemq; Eccleſiâ: hic jam fontem indicaſti illius erroris, Canonem Concilii Leodiceni. Verum ſcis, opinor, Juli Cæſar Bulingere, θυσιαστήριον non eſſe tantummodo Altare, vel Dominicam menſam: aut τὰ ἀγιαζόμενα & conſecrata in Altari. ſed & locum illum in quo ſtatuëbatur Altare, cancellis quibuſdam circumſcriptum. Locum illum, ἄβατον per tempora vetuſtiſſima omnibus hominibus extitiſſe, niſi ſolis hominibus conſecratis. unde, ἐντὸς εἶναι θυσιαστηρίου & τῆς ἱερατικῆς εἶναι τάξεως, pro eodem ſumitur. Neque enim *Monachi olim apud Græcos* cancellos illos ingredi debebant, *niſi ad lumina accendenda*. ſequutis tēporibus aliter obtinuerūt Monachi admiſſi, quod ἱερατικοὶ eſſe cenſerentur. Imperatores admiſſi, quòd Rex eſſet perſona non mera Laïca. hæc apud Græcos diutiùs obtinuerunt: aliter autem apud Latinos Balſamon notat, cùm ad Canon: illum Laodicenum, tum ad 69. Trullanum: Περὶ δὲ τῶν Λατίνων μανθάνω, ὅτι οὐ μόνον λαϊκοὶ ἄνδρες, ἀλλὰ καὶ γυναῖκες εἰς τὸ ἅγιον βῆμα, (quod idem erat, ac θυσιαστήριον) εἰσέρχονται, καὶ καθέζονται ἰσχυρῶν πολλάκις καὶ τοῦ ἱερουργοῦντος. Comunicabant ergo intus ſacerdotes ſoli: extra communicabant & Laïci. Non tamen ad menſam aliam: ſed, quod diſcere poteras, (quanquam diſſimules iſta potiùs quàm ignores) è Liturgiis deferentibus ad illos Diaconis *panem* & *vinum* conſecratum. Hæc eſt ergo ratio, non tua commentitia, quæ nulla eſt, cùm nuſquam ante Gregorii primi ætatem, duo haberentur Altaria, in unâ eademque Eccleſiâ cõnſtituta. Frangere ſolebant Donatiſtæ Altaria: Quæ vox ipſa te docere poterat fuiſſe *lignea*. et ſanè erant, ut probamus alibi, ejuſdem Optati teſtimoniis. Ejus generis Altare fuit illa Nazianzi, quod acceſſit Gorgonia valetudinaria. nam indifferenter vocat ille vel τράπεζαν illam, vel θυσιαστήριον.

Euſebius

Digitized by Google

Euſebius ille Emiſſenus, Elogio illo commendatus, quod, *Æqualis temporibus beati Ambroſii fuerat*, Arianæ impietatis ſignifer erat: ſed mentitur nomen Euſebii hic quiſquis eſt, vel Eucherius Lugdunenſis, vel Cæſarius Arelatenſis, vel etiam Fauſtus Rhegienſis, vel Monachus neſcio quis Leirienſis: vel horum nullus ſed incertus author, non tamen ineruditus. Quiſquis ille fuit, tibi parum eſt, tuæque cauſſæ propitius. Altaris meminit, à quo non abhorremus. quin utimur & voce, & ſubjecto vocis. at Fidem reſpicit in Euchariſtiâ percipiendâ, non dentes, ora, corporales actiones. totus abit ad internam, & myſticam ille manducationem; quæ utraque cane pejus & angue oderis. miraretur vir cordatus, in tuam farraginem relatum fuiſſe hoc teſtimonium: niſi conſuetudinem perverſam illam tuam notam haberet, qua, non quæ, aut qualia, aut quàm appoſita, ſed quàm multa undique congeras in Diatribas tibi curæ eſt, licèt centies repetita. In loco Hieronymi, inſulſa eſt lectio, ſive à te, ſeu à Typographo profecta. *ſi niteret ad Altare?* Non etenim de cultu ſollicitus Nepotianus fuit, quaſi vellet ut niteret ipſe ad Altare: aut ut ὁλοτόρους rem divinam faceret. ſed illius cura & ſollicitudo fuerat, ut niteret Altare. Volebat enim, qua fuit ſingulari pietate, & curabat, & exemplum aliis præïbat, ut res ſacræ, & Deo conſecratæ, omni curâ, à munditiâ lautitiáque procuratæ commendarentur. Pompam enim externam in rebus ſacris, nedum honeſtatem, cultum, munditiem, nemo ſanus averſabitur: Et nos in noſtris cum docendo inſtructione, tum jubendo exigendoque Cenſurâ vindicamus. Polluïmus *panem*, id eſt, corpus Chriſti, quando indigni accedimus ad Altare; & ſordidi mundum ſanguinem bibimus, ait idem in 1. cap. Malachiæ. In loco Auguſtini addidiſſes & iſta, *Ipſum verò ſacrificium Corpus eſt Chriſti, quod non offertur ipſis, quia hoc ſunt & Ipſi:* Docuiſſent te hæc, myſticè eſſe illa intelligenda, quæ peraguntur ad Altare: niſi fortè & communicantes, tuo animo dicantur Tranſubſtantiari in corpus Jeſu Chriſti. Cæteri ex Auguſtini loco, ſanè plures, rem non tangunt, nec nos feriunt. referunt Altaria quæ & nos habemus. Meminerunt Chriſti *corporis*, cuï & nos fatemur communicare. Quid opus igitur illâ Adjuratione tuâ, *Quæſo te Lector, &c.* ut loca Patrum congeſta ſine judicio ullo, diligenter, & æquo animo expendamus: Poſtquam expenderimus, illud ſolùm agnoſcemus, habuiſſe Patres vera Altaria, ais. Itane verò? Neque enim *lapidea* habebant ea: nec ad ſanguinem effundendum per ſacrificia illa adhibebant. offerebant dona in Altari. Se: ſua: Chriſti memoriam & commemorationem recolebant. Etiam offerebant Chriſtum, ſed ἀναίμακτον Deo Patri. Non eum eo corpore veſtitum & indutum per Tranſubſtantiationem, quo in arâ Crucis, immolabatur. Chryſoſtomus etenim, cujus ſunt præ aliis ἐναργέστεραι ῥήσεις, non erat à te craſſo modo, utpote Orator vehemens, & ad perſuaden- 116.

 dum

dum compoſitus, capiendus. Niſi fortè putes exiſtimaſſe eum, per ſingulas ſynaxeis, Altaria ſacra, ſanguine Chriſti fuſo, inundata. Et tamen ille qui ſcripſit, τοῦτο τὸ ἐν ποτηρίῳ ὄν, ἐκεῖνό ἐστι τὸ ἀπὸ τῆς πλευρᾶς ῥεῦσαν. hoc quod in calice habetur; illud eſt quod de latere in Cruce fluxit. addit etiam, τὸ ἐμὸν θυσιαστήριον τῷ ἐμῷ φοίνισσε αἵματι. Altare meum meo rubefac ſanguine. acſi ſacerdos ipſe inter conſecrandum, ferro ſanctum latus fodicaret, & ſanguinem ſacratiſſimum effunderet, uti olim Longinus ille cæcus & centurio pendentis in Cruce. Benè autem habet, quod illi ipſi, qui iſta docent, ἀναίμακτον ubique ſacrificium appellant, Perieramus enim, ſi non hoc ἔπος fugiſſet illorum ἕρκος ὀδόντων. ſed ſi iſta typicè, & myſticè ſint intelligenda, quidni & illa etiam bone Bulingere.

117. Paulus 1 Cor. 10. 3, 4. ſacramenta veteris legis appellat βρῶμα, καὶ πόμα πνευματικόν. Fuere inquis, figuræ, non Sacramenta: non quidem novæ legis: quis ſomniavit? figuræ & τύποι illius erant. tamen veteris, ſacramenta. Fateor de typis locutum Apoſtolum μελλόντων deinceps μυστηρίων, Corporis et ſanguinis Jeſu Chriſti, quod ipſum fuit, βρῶμα καὶ πόμα ſpirituale: non ergo corporale, aut ſenſibile, cum illius τύποι ita appellentur. Εἰ γὰρ αἰσθητὰ ἦν τὰ γινόμενα, ἀλλὰ πνευματικῶς παρείχετο, οὐ κατὰ φύσεως ἀκολουθίαν, ἀλλὰ κατὰ δωρεᾶς χάριν. ſi enim ſenſibilia erant, quæ gerebantur, tamen ſpiritualiter exhibebantur: non ſecundum naturæ ſequelam: ſed ſecundum doni gratiam. Erant figuræ, et tamen nomenclatura figurati iiſdem imponitur in uſu ſancto. Ἐπειδὴ βούλεται, Chryſoſtomus ait ibidem, & canon eſt in iſtis generalis, τὸν τύπον ἐγγὺς τῆς ἀληθείας ἀγαγεῖν, οὐ λέγει οὕτως, ἀλλὰ τοῖς τῆς ἀληθείας ὀνόμασι κέχρηται καὶ ἐπὶ τοῦ τύπου. Quia voluit typum vicino veritatis conſtituere, non ita dicit, ſed utitur verbis veritatis cum de typo loquitur. Noli nobis ſuccenſere, ſi ab iſtis et ſimilibus Patrum veſtigiis, in re ſacramentariâ non receſſerimus. Nam Præclarè Leo magnus de Tranſubſtant: an non noſtrâ in carnem Chriſti? certè perinde atque Panis in illius corporis. *In illa myſtica diſtributione cœleſtis alimoniæ hoc ſumitur, ut accipientes virtutem cœleſtis cibi, in Carnem ipſius, qui caro noſtra factus eſt, tranſeamus.* Rectè ideo Theodoretus vocat θείαν τροφήν. Quæ non eſſet μετουσιωθεῖσα. Nec ſecundum Leonem, ſubſtantia noſtra mortalis, in illam immortalem convertitur. Non tam [illegible] erant illi Judæi, qui cum non comediſſent, aut comeſturi eſſent humanam ullius carnem, ſequebantur tamen illum, qui de ſua carne comedenda commentabatur quædam: quæ ſpiritualiter ab ipſo dicta, ſpiritualiter, ut ille volebat capi, intelligebant. Quod ſi βρῶσις ſit πνευματική, quemadmodum ex Origine ad Marcum allegatur, quomodo βρῶμα carnale fuerit, Ego me profiteor ignorare. Te, & tuos illos [illegible] videtur alloquutus Adimantius, μὴ τοῖς σαρκικοῖς ὀφθαλμοῖς ὁρᾶτε τὰς δεδομένας παρὰ Χριστοῦ τροφάς, ἀλλὰ τοῖς νοητοῖς. nolite carnalibus oculis intueri, eſcam à Chriſto

à Chriſto exhibitam, ſed mentis oculis Caſaubonus carnem Chriſti ſpirituale alimentum putat. Tu non putas carnale. Quid ergo ? ſtatue medium. verbo tenus, non revera ſtatuis. Niſi hoc ſit: cum Patres certo certius ita ſtatuant, quæ eſt illa diſcrepantia, in quâ tantopere diſconveniatis ? Caſaubonus putat ita dici, quia ſpiritualiter per fidem ſumitur. an Tu contra Patres, quia carnaliter ? ἐχ ἔτω τελύφωσι. Cum illis ergo, quia paſcit animam ſpirituali gratiæ cibo. Tum quia carnem facit immortalitatis capacem. & an negat Caſaubonus utramq; aut utramvis rationem ? impius eſſet, ſi negaret. Tu improbus, ſi negare illum affirmes. Tertiam illam tibi tuiſque remittit, de Chriſto Inviſibili ſub ſpeciebus. Omni ævo vetuſtiori, inaudito portento: de Quantitate, non per modum quantitatis, in omni rectâ ratione exibilanda deliramenta, quæ non opponitur ſed conſpirat cum Theologia. *Cum cepiſti cibum corporeum*, ait Chryſoſtomus, *poſt menſam converteris ad orationem. Cum cibum ſumpſiſti ſpiritualem, qui ſuperat omnem Creaturam, non manes gratias agens verbis & factis*, & iterum, *Poculum ſpiritale, poculum ſanguinis Dominici. illud venerabile eſt Angelis, terribile dæmonibus, pretioſum hominibus, amabile Domino, quia fluxit è Petra ſpiritali.* Quæ de vero Chriſti corpore, verè, hoc eſt, ſpiritualiter participato capiet Exercitator: ſed modo tamen incognito, nec cognoſcendo. Chriſto fidem adhibet affirmanti. non ſatagit curioſius quo modo dabit effectum quod promiſit, ἄφὶ τῶν καὶ διαλογισμόν.) Benè monebat, qui non ita pridem ſcripſit. *Ne curioſus quære cauſas omnium Quæcunque libris vis Prophetarum indidit Afflata cœlo plena veraci Deo.* Animo (ut immutem tui Hieronymi verba) cœleſti pane nutrita fota, ſaginata: ac Chriſti ſanguine irrigata, ut refecta & nitida, ſequatur ſponſum ſuum. In Eccleſia Bulengere, apud nos. In omnium ore tam conſonum eſt, ut nec ab Infantum linguis veritas Corporis & ſanguinis Chriſti inter communis Sacramenta Fidei teneatur.

Verba Bulengeri. *ſatis igitur eſſe putas Caſaubone, ut communionem ſub unâ ſpecie quæ apud nos hodiè uſurpatur improbes, quod Frangere panem apud Hebræos convivari, & cibo potuque uti ſignificet.* Omnino ſatis eſt Bulingere, ad communionem illam veſtram detruncatam & mutilam adhuc minutius dearticulandam: quod frangere Panem ita uſurpari ſoleat apud Hebræos. Nimirum quia veſtri homines eruditè ſcilicet, et Theologicè, contendant. Frangebat panem Chriſtus: diſcipuli frangebant: ideo ſub unâ tantum ſpecie Panis, & non Vini communicabant. Jam verò ſi doceatur, non id eſſe Frangere panem, quod rentur, ſed κατὰ γλῶσσαν cibo atque potu uti, utroque paſcere ſe, ac reficere, annon illa delumbata communio, inde ſtabilienda concidet, & deficiet ? ſi quis tui ſimilis Literator, contendere vellet Græcos ſolo vino in conviviis & cœnis ſuis lautioribus ſe ingurgitaſſe, nihil prorſus autem cibi bel- 118.

 lari-

Digitized by Google

lariorumve deguſtaſſe in ſympoſiis, eo quod vox illa de vino potuque ſolo accipiatur ſecundum nominis etymologiam: ac è claſſicis authoribus demonſtraret aliquis contrarium, nempè totam & integram actionem denotari: annon ridiculam illius magiſtelli inſaniam, ſatis & abundè refutaret? ſed oſtendes Patres loca illa quæ recitavit Exercitator, de Communione, ſub ſola ſpecie panis accepiſſe. *Rem magnam praſtas Zoile.* nec credo pollicitationibus, magnis magis auſis excidere velle. Quid enim? an quia ſanctus Auguſtinus ait, *Ut cum iis panem benedictum porrigeret, oculi eorum aperirentur*, rem confectam putas de dimidiatâ communione? ridiculè. Quidni enim prius, è voce illâ Euangelica *frangere panem.* aut ſi diceres Chriſtum docuiſſe, Panem tantummodo à Deo expoſcendum in oratione Dominica: cætera undecumque habeamus, ſeu habeamus necne, nihil intereſſe. Meminit *panis* ſolius Auguſtinus, eo quod Evangeliſta, quem refert, Panis fractæ meminerat, κατὰ γλῶσσαν, cum à Phraſi Euangeliſtæ, non eſſet Auguſtino recedendum. ſed an exprimit illud Auguſtinus, Chriſtum contentum fuiſſe ſolâ ſolius *panis* in Euchariſtia fractione? poculum in manus ſuas non ſumpſiſſe. Neque aliter alicubi Auguſtinus, qui vel parvulis ſacramentum Euchariſtiæ, ſi modo dandum omnino, ſub utraque ſpecie jubet porrigendum in hypognoſtico, ſi modo ille author ſit. Tres illi ab Auguſtino tranſcripti loci, delumbatam communionem, non aliter probant, niſi quod *fractionis* ſolius meminerunt. at reſpondemus illam *fractionem*, ſynecdochicè, integram communionem deſignare. Hoc erat τὸ ζητούμενον, in ſuperioribus. quod non aliter probas quam identicâ probatione. *Tandem* argumentum en ἀποδεικτικόν. Delumbatæ communionis Patriarchæ & promicondi, ſceleſtiſſimi Hereticorum Manichæi prodiere. Vinum illi arbitrantes *fel Draconis*, ſub unâ ſolâ ſpecie communicabant. Vos, ſub unâ ſolâ ſpecie, ab iiſdem edocti, communicatis licet forſan in abſurdâ illâ ac impiâ potius opinione non verſemini, vinum omne eſſe Fel Draconis. Nec abnuere videris ab illis edoctos vos ſacramentum præſtare dimidiatum, cum novus adeò prodeas profligatiſſimorum Hæreticorum advocatus. Non eſſe illos hoc nomine à Leone vel Auguſtino reprehenſos & caſtigatos. Quid igitur? laudatos, & ſummis præconiis in cœlum uſque elatos ais portentoſiſſimorum ſcelerum architectos nebulones? Ubi pudor tuus Bulengere? ubi frons & verecundia Chriſtiana? Quid ſibi iſta volunt apud Leonem? Laudes ſonant an reprehenſionem? *Cumque ad tegendam infidelitatem ſuam, noſtris audeant intereſſe myſteriis, ità in ſacramentorum communione ſe temperant, ut interdum tutius lateant. Ore indigno Chriſti corpus accipiunt,* (hoc eſt carnem) *ſanguinem autem redemptionis noſtræ, haurire omnino declinant. Quod ideò veſtram volumus ſcire ſanctitatem, ut vobis hujuſcemodi homines, & his manifeſtentur indiciis, & quorum deprehenſa fuerit*

ſacrilega

Digitized by Google

ſacrilega ſimulatio, notati & proditi, à ſanctorum ſocietate, authoritate ſacerdotali pellantur. Hactenus Leo, in laudem proculdubio Manichæorum: non enim inquis unquam eos caſtigavit.

Sequitur Sozomeni teſtimonium ex viii. Hiſtoriarum cap. v. de muliere quâdam Macedonii errore infectâ, quæ ingeſtum ori ſuo *panem* ſenſit mirabili mutatione in lapidem converſum. 119.
Illius maritus πνευματομάχων hæreſi pollutus itidem, audito Johanne Chryſoſtomo, dum contra illorum hæreſin diſſereret, converſus eſt ad catholicam fidem. Egit etiam cum uxore ſua, ut abjuratâ hæreſi, fidem & Eccleſiam amplecteretur. ſed illam, mulieres ut ſolet fieri, vicinæ & γνώριμοι, illius hæreſis fuligine tinctæ, non patiuntur redire ad ſanitatem. Tandem maritus, *Non eris*, inquit, *vitæ thorique mihi conſcius, niſi fueris & religionis meæ.* Hic jam mulier marito ut fucum faceret, rem cum ancilla communicat, fingit ſe profectam in Eccleſiam Orthodoxorum, in ſacrâ ſynaxi communicaturam. Itaque dum myſteria peraguntur, ἡ μὲν, id eſt, mulier, ὅπερ ἐδέξατο κατέχουσα, ὡς εὐξαμένη ἐπέκυψε, famula verò quæ juxta conſiſtebat, λάθρα δέδωκεν ὃ μετὰ χεῖρας ἦλθε φέρουσα, τόδε πρὸς τοῖς ὀδοῦσι λίθος ἐπήγνυτο. *Clam porrigit illud, quod manibus attulerat, illud autem maſticatum inter dentes, in lapidem obdurabatur.* Hinc *panem* ſolummodo Laïcis impertitum concludis, eruditè: non autem *vinum*. ſed falleris. περὶ δὲ τὸν καιρὸν τῶν μυστηρίων, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι ὃ λέγω, ἡ μὲν ὅπερ ἐδέξατο κατέχουσα, ὡς εὐξαμένη ἐπέκυψε. *Tempore myſteriorum*, ita transfers, *norunt initiati quod dico, illa, quod acceperat ore tenens, tanquam precatura caput pronum demiſit.* παρεστῶσα δὲ αὐτῇ θεράπαινα, λάθρα δέδωκεν ὃ κατὰ χεῖρας ἦλθε φέρουσα. τόδε πρὸς τοῖς ὀδοῦσι, λίθος ἐπήγνυτο. περιδεὴς δὲ γενομένη ἡ γυνὴ δρομαία ἐπὶ τὸν ἐπίσκοπον ἐλθοῦσα, ἑαυτὴν κατεμήνυσε. *Aſtans autem ipſi ancilla clam dedit panem quem manu ferebat, quem cum in os indidiſſet, ad dentes lapis concrevit. Mulier exterrita, curriculo ivit ad Epiſcopum, ſeque ipſam indicavit.* ὃ κατὰ χεῖρας φέρουσα ἦλθε. Panem transfers. quo authore? Quis enim tibi dixit, non & vinum quoque domo extuliſſe? Quidni fuerat buccella vino intincta? Panem attulit: non inficior. Panem ſumpſit. eſto. undè reſciſcis non ſumpturam & vinum, ſi de Pane fraus ſucceſſiſſet. Quid impedit quo minùs poſſent & *Latices lapideſcere ſacri*? Loquitur laxè & indefinitè Sozomenus. Tu pro tuâ authoritate reſtringis. Negas ſumpturam & poculum. Cur? Quia ſub unâ ſpecie communicabant. At hoc eſt hic τὸ κρινόμενον. Quia non potuit. Atqui ſcis, Fraudes muliercularum non ſunt de trivio. Quæ ſumpto Chriſti corpore, vel in os de manu Epiſcopi: vel in manum de manu, caput ſtatim inclinabat, & forte, ut fit, & in more poſitum eſt alicubi, obducebat faciem linteo, oratura: eadem fraude, & vinum in os ſumptum non deglutitum, inclinato capite egerere poterat, & expuere. Porro locus ille videtur ſaltem tranſpoſitus, ſi non & mutilus. Legendum proculdubio, ὃ λέγω, παρεστῶσα μὲν

αὐτῇ

αὐτῇ ἡ θεράπαινα λάθρα δέδωκεν, ὃ κατὰ χεῖρας ἦλθε φέρουσα. ἡ δὲ ὅπερ ἐδέξατο κατέχουσα, ὡς εὔξατο τὴν ἐπέκυψε. τὸ δὲ, &c.

120. Urges ex Euſebii 5. 25. miſſam Euchariſtiam à Romanis Pontificibus in alias parœcias, Pacis pignus. Agnoſco morem vetuſtum: & in Oriente quoque uſurpatum. Sed Laodiceno Concilio prohibitum. Quanquam mos ille Romanus apud Euſebium paulò forſan diverſus. Non enim ait Hiſtoricus, miſſum hunc *panem* ad Epiſcopos in ſuas parœcias, ſed ad aliarum παροικιῶν Epiſcopos Romam adventantes: etiam tum, cùm à ritibus Romanis in Paſchate & jejuniis diſſiderent. Secundò, non inſinuat miſſam in hoſpitium Euchariſtiam: ſed in Eccleſiâ conſtitutis & communicaturis tranſmiſſam; & in manus traditam per ſacerdotes. Tertiò, Falſum eſt ſolum panem etiam de Eccleſiâ mitti ſolitum: nam & vinum quoque quod oſtendimus alibi mittebatur. Quartò, ἀνακόλουθον eſt, Panis ſolus ad ἐπιδημοῦντας tranſmittebatur, ergo in ſolo pane communicabant. Poſtremò, Te interrogo. Num olim communio dimidiata, Epiſcopis porrigebatur? Illiſne etiam ut Laïcis interdictus calix? Certè ſi Euſebii locus quicquam probet, hoc illud eſt, Epiſcopos cum Laïcis à Communione calicis ſecludendos: Nam ad Epiſcopos refert ille, & non ad Laïcos Euchariſtiam, hoc eſt, Panem ſolitarium tranſmiſſum.

121. Inſtas adhuc: Veteres Chriſtiani, Euchariſtiam ſub unâ tantùm ſpecie panis domos ſuas ſecum deferebant. Ait enim Tertullianus Lib 2. ad Uxorem, *Neſciat vir tuus, quid mane ante omnem cibum ſumas.* Et tu ſcis mulieris arcanum, quod neſciebat maritus? Quidni enim vinum vel ſolum, vel cum pane ſumeret? An hoc negat Tertullianus? Quid ſi nec Vinum, nec panem Euchariſticum? Quid ad te, vel cauſſam tuam quid illa ſumeret? De communione, actione ſacrâ, publica Liturgia ſacerdotali agimus in Eccleſiâ, tu de cruſtulis blateras ex arculis mulierum, & myrotheciis. Fuerit autem panis: fuerit conſecratus: domum de Eccleſiâ delatus: ſolitarius: ſine vino, nego ſequi, quia ſolum panem deferebant domum, ſolum panem in Eccleſiâ communicabant. Id enim & nos ſolemus aliquando facere, qui tamen ſub utraque ſpecie rem divinam facimus. Cypriani illa mulier jam iterum producta in ſcenam, duos tibi parietes, ſuâ unicâ fideliâ dealbavit: utrobique ſucceſſu, non admodum felici. Hic, ſanctum Domini recondidit in arcâ (bene habet autem, quod non ſanctum Dominum) hoc eſt, panem conſecratum. Et quid tum verò? Arcæ mulieris cum Eccleſiâ Dei, quodnam conſortium? Quidni & calicis ἀπόῤῥωξ ſub ſancto illo Domini, deliteſcat? Quaſi non ſoleant mulieres obbas, lagenas, phialas, &c. in arcis recondere. Tu negas plebibus impertitum calicem. ideò de calice nihil recondiderat. Hoc probas: quia de calice nihil recondiderat, ideò calix Laicis non communicatus. En circulum & inſaniam. ſed ut os tibi de calice occludamus:

damus: Lege adſis Cyprianum eodem in loco, & ὁμολόγει. *Vbi vero, ſolennibus adimpletis*, ait Cyprianus, *Calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris, locus ejus*, (puellæ ſcilicet, de quâ inſtituitur narratio) *advenit*, &c. *Calicem recuſare. Perſiſtit tamen Diaconus, & reluctanter licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus, & vomitus. In corpore atque ore violato, Euchariſtia non poterat permanere.* En Euchariſtiam, de utraque ſpecie: ſaltem de vino. En vini participem puellam: Laïcam ideò, non in ſacris ordinibus conſtitutam. et tamen tu, quâ fronte Bulingere, advocas teſtem nobis hunc Cyprianum, delumbatæ tuæ Communionis?

Auguſtinus, ſi tamen Auguſtinus, ſer. 252. de Tempore, non magis in rem, quàm ſuperiores advocatur. Scribit ille mulieres nitida linteamina ad ſacram menſam attuliſſe, ubi exciperent Chriſti corpus. Quid tum porrò? fortè & mundatas phialas, in quibus reciperent Chriſti ſanguinem. Non negat Auguſtinus, qui tacet. et ſi negaret, non ſequitur, ideò Panis ſolius participes factos in Eccleſia, qui ſolum panem domum ſecum deferebant. Hæccine ſunt illa tua μεγαλοφώνως promiſſa? ſic tu Patres oſtendis, de ſolâ Chriſti carne participatâ, et non de ſanguine in ſacrâ ſynaxi communicato loquutos? Hæc ſunt illâ, quæ Herbam porrigendam, & ἰὼ triumphe merentur. ridiculè. ſed pergis; ad Canon. 49. Concilii Laodicæni, illum denuò deductum in arenam. in quo, ſi tibi placet, oſtenditur, olim per quadrageſimam miſſam celebratam modo fuiſſe, diebus Sabbati & Dominicis, reliquis diebus in uſu fuiſſe Præſanctificata. ſub ſolâ panis ſpecie. Canon ille, ſic ſe habet. Ὅτι οὐ δεῖ ἐν τῇ τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν, εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ καὶ κυριακῇ μόνον. Nec ulterius quicquam habet Canon. de Præſanctificatis, nulla mentio. Quid ſi meminiſſet eorum Canon? τὴν λειτουργίαν τῶν προηγιασμένων, ἀναίμακτον θυσίαν οὐ λέγομεν, ἀλλὰ προσαγωγὴν τῆς ἤδη προσαχθείσης καὶ τελεσθείσης θυσίας, καὶ τελείας ἱερολεσίας: ait Balſamon, ad Canon. 52. Concilii Trullani. Quocirca, cùm de Communione perfectâ ſit differendum, ſcopæ ſunt diſſolutæ prorſus, quæ de panibus afferuntur præſanctificatis. Erat autem fortaſſis ejus generis panis quem puer deferebat, ad agentem jam animam ſuam Serapionem. Extra Communionem, de Pane frequentiùs ſumebant conſecrato, quod multò faciliùs tranſmitti poterat, interdum de vino ſolo ſine pane. interdum de utroque. vel pane ſaltem vino intincto & macerato. Negas Serapioni porrectum vinum. ait enim καταβρεχθεῖσαν, non ῥοφῆσαι. cùm illa vox de vino non adhibeatur. Græcas tuas literas Bulingere, an non Heſychius exponit καταπίνειν; an tu vocem illam ἅμα τε ἐνέχεε, de pane uſurpabis? Vertis ipſe, *Infudit in os.* Piſis ſcilicet ſoletis ſic panem forte bis coctum in os infundere, languentibus. abi ergo cùm tuâ hinc correctione, abi cum diſtortâ, quocunque tandem modo exponas, καταβρεχθεῖσαν, applicatione.

Quæ

123. Quæ refert in Martyrologio Beda, de Tharſicio deferente ſecum Euchariſtiam, & evolante illâ, ne in manus Gentilium perveniret, fides eſto penes authorem. factum non negaverim. Jam toties dixi extra communionem geſtatam Euchariſtiam: idque non ſemper in ſolo pane. frequentiùs tamen. Quàm pueriliter Euagrii locum, Lib. 4. cap. 37. περὶ παίδων ἀχράντων, quaſi de communicantibus puellis interpretaris? Non illi, ad ſcholas itantes, communicabant: ſed conſecrati panis fragmenta, ramenta, & particulas quæ ſuperfuerant, extra communionem comedebant: Apud noſtros hodiè hic Novatores in more poſitum eſt, ut ſimiles panum particulas, ſacerdotes & Diaconi, ſibi habeant. Tu eruditè ſcilicet, & invictè concludes, ideò in Angliâ ſub unâ tantùm ſpecie communicabant *Hæretici, non* ulterius in hoc Hæretici opinor. abi & *ſapi.* Ruffinus *Lib.* 10. Hiſt. cap. 6. Et tamen ille tot libros nequaquam ſcripſit: ſed tamen Ruffinus ubi, ubi, Canonem Nicænæ Synodi profert, quo jubentur Diaconi, abſentibus ſacerdotibus, Euchariſtiam dare petentibus. adſervabatur enim ſub ſpecie Panis. Quis tibi moleſtus erit de ſervato pane? ſervatus panis non infert communionem delumbatam. Servate etiamnum, ſi libuerit. Linteaminibus involvite. mittite clinicis & decumbentibus. non impedimus. ſi Eccleſia juſſerit, factitabimus. Tantum, ubi publicè ſacramentum in Eccleſiâ miniſtratis, nolite communionem detruncare. Olim, ſævientibus adhuc perſecutionum procellis, & Tyrannis in Eccleſiam ferro flammâque debacchantibus, eò quòd nec tutò poterant in Dominicâ convenire, neque erant ſemper ad manum & in procinctu ἱερουργοί, qui ſanctorum cœtui adminiſtrarent, ut ne penitus ſuo viatico, abiturientes ad Deum, deſtituerentur, ſubitò deprehenſi, ducti, mactati, Eulogias illas domo ſecum efferre ſolebant. Qui quidem adeò invaluerat mos, ut cùm Pax fuiſſet per Eccleſiam conſtituta, per Halcyonia illa Conſtantini, Valentiniani, Theodoſii, &c. Eandem adhiberent conſuëtudinem. Antiquata erat tandem Hormiſda Pontifice, & prohibita ſub Anathematis interdicto: ſed invaluit iterum. atque hanc invaleſcentiam ſpectant illa, Zonaræ, Gregorii Turonenſis, Optati, ſi modo aliquid, teſtimonia, quæ ſunt à propoſito omnia aliena. Synodus Laodicæna hoc idem ſuggeſſit nobis, in præcedentibus teſtimonium, pag. 172. ſed mutavit ſententiam, hic quod videtur. Ibi enim τὰ ἅγια & εὐλογίαι differebant. hic ſunt idem, utraque. Extra communionem mittebantur: cùm εὐλογίαι, tum etiam ἅγια. ſed τὰ ἅγια ſunt panis & calicis benedicti portio. Εὐλογίαι, tantùm Panes. Erant binæ. μικρὰ & μεγάλη. Neutram conficere Diaconus poterat: ita docet Clemens in Διατ. Lib. 8. cap. 13. ubi Paſtophorium vocat locum in quo aſſervabantur. Et quid ſi ſic? ſed non eſt ita. Nam de menſâ mittebantur τὰ ἅγια. non autem vel ἀπὸ προθέσεως, vel παστοφορίῳ. ſed πλεονάσαντα eò deferrebantur. reliquiæ nimirum

nimirum panis & vini conſecrati, finita communione. Tu Bulengere κλάσματα tantùm interpretaris, eò delata. more tuo, ineptè. Quid factum reſiduo ſacri calicis? Porcis ſorbendum relinquebatur? An & ſacerdotes tum quoque ſub unâ ſpecie communicabant? Malæ fidei impoſtor, recurre ad Clementem: pag. 145. Καὶ μετὰ τοῦτο μεταλαμβανέτω ὁ ἐπίσκοπος (ubi formam docet & conſuëtudinem communicandi) ἔπειτα οἱ πρεσβύτεροι, καὶ οἱ διάκονοι, καὶ ὑποδιάκονοι, καὶ οἱ ἀναγνῶσται, καὶ οἱ ψάλται, καὶ οἱ ἀσκηταί. Καὶ ἐν ταῖς γυναιξὶν, αἱ διακόνοι, καὶ αἱ παρθένοι, καὶ αἱ χῆραι, εἶτα τὰ παιδία, καὶ τότε πᾶς ὁ λαὸς κατὰ τάξιν μετ᾽ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας ἄνευ θορύβου. Hujus participet Epiſcopus, tum Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi, Lectores, Pſaltæ, Aſcetæ. Inter mulieres, Diaconiſſæ, Virgines, Viduæ, tum pueri: & tum demum totus populus ordine ſuo, cum verecundiâ, timore, ſine ſtrepitu. Vides in univerſum omnes communicantes. vide quid communicabant Laïci non minùs quàm de Clero. Καὶ ὁ μὲν ἐπίσκοπος διδότω τὴν προσφορὰν λέγων. σῶμα Χριστοῦ. καὶ ὁ δεχόμενος λεγέτω, Ἀμήν. Ὁ δὲ διάκονος κατεχέτω τὸ ποτήριον ζωῆς. καὶ ὁ πίνων λεγέτω, Ἀμήν. Et Epiſcopus oblationem det, dicens, Corpus Chriſti: Et qui accipit, dicat, Amen. Diaconus teneat poculum vitæ, & qui bibit, dicat, Amen. Vides ἱεροτελεστίαν, ſub utraque ſpecie. non decurtatam communionem. Inter communicandum, Pſalmus recitabatur 33. ſequitur autem, his peractis, de reliquiis relatis in Paſtophorium: Καὶ ὅταν πάντες μεταλάβωσι, (nempè, cum corporis, tum etiam ſanguinis Chriſti) καὶ πᾶσαι: λαβόντες οἱ διάκονοι τὰ περισσεύσαντα, εἰσφερέτωσαν εἰς τὰ παστοφόρια. Et cum ſinguli & omnes communicaverint, Diaconi, quod reliquum eſt, aſſumant, & in paſtophorium deferant. Quod ipſum nunc Nos etiam factitamus. Et finito Pſalmo 33. Diaconus dicat, Μεταλαβόντες τοῦ τιμίου σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ Χριστοῦ εὐχαριστῶμεν. Qui participes facti ſunt venerandi corporis, & honorandi ſanguinis Chriſti, Gratias agant. En fidem tuam ſubleſtam Bulengere. En communionem ἀρτίαν, integram utrinque, non deformatam.

Et tamen hæc περισσεύματα, non ubique ad eundem modum aſ- 124.
ſervabant relata in παστοφόριον. Igni tradebant alicubi, ne in manus profanorum forte pervenirent. teſtatur hoc Iſychius in Levit. lib. 2. cap. 8. at non teſtatur ſub unâ tantum ſpecie fideles communicaſſe. quod nec affirmat ad Pammachium Hieronymus. quo loco docet, Romæ juxta veterem conſuëtudinem, Fideles ſemper, hoc eſt, quotidiè, accepiſſe corpus Chriſti: Nam à parte, totum denominavit. Quomodo & noſtrates loquuntur, qui tamen integram ſub utraque ſpecie adimus communionem. Emigraturo jam jam in Cœlos beato Ambroſio, offerebat corpus Domini Honoratus presbyter. Ergo quid? Communionem ſub unâ ſpecie celebrabant? Itane & ſacerdotes? etiam epiſcopi erant μονοσύμβολοι; Fuiſſet ille Laïcus, attuliſſes plus: nihil tamen ſolidi: Nam qui ſcis non oblaturum fuiſſe calicem, ſi diutius in vivis ſubſtitiſſet? ſtatim enim emiſit ſpiritum. ſed cum extaret ſacer-

dos, magnas agis nugas. Aliud eſt porrò in Eccleſia communicare: aliud intra parietes privatos de Eulogiis ſumere. Concil. Nicen. can. 13. de ſeparatis à Communione loquitur. Noluerunt Patres, per rigorem diſciplinæ, talibus in extremis conſtitutis, μετάληψιν & viaticum interdici: hinc Sixtus Papa 3. in Epiſtola quadam: Baſſus à Synodo condemnatus eſt, tamen ut in ultimâ die viaticum ei ne denegetur. ἐφόδιον vocat. Euchariſtiam deſignat. τὰ ἁγιάσματα. Panis & vinum, ſunt ſanctificata. non ſolus ille Panis ἐυχαριστίας. Baſilius in Epiſtola illa ad Cæſaream in edit: Pariſina 289. de Anachoretis ita loquitur, ut ais Anachoretas in ſolitudine agentes Euchariſtiam ſecum deportaſſe. affirmat autem idem, non de illis tantum, ſed Laïcis paſſim per Ægyptum & Alexandriam, imò & de omnibus per perſecutionem Chriſtianis. ſed diſtinguit illam μετάληψιν privatam, ab altera publica in Eccleſiis, non excludit alicubi uſum calicis, licèt de Pane ſolo loquatur expreſſè. Locum iſtum uſurparunt Bulengero antiquiores Tonſtallus, vir doctiſſimus, Dunelmenſis olim in Anglia Epiſcopus, & magnus Annalium pater Baronius. Non eſt actio iſta τελεστική, nec propriè communio, de qua ſola diſputamus. ſed ut in Concilio Gerundenſi dicitur, *Benedictio Pœnitentiæ*, S. Ambroſii frater germanus Satyrus, non ipſe, ſecum detulerat, neque enim erat adhuc τελειούμενος, ſed acceptum ab initiatis collo ſuo appendit orario involutum, ut ne in extremis poſitus, viatico ſuo deſtituëretur. Et certè panem illum Euchariſticum velut quoddam ἀποτρόπαιον, vel etiam πάνχρηστόν τι credebant & uſurbabant priſci Chriſtiani, cum adhuc Dominus mirabilis eſſet in ſanctis & ſanctificatis etiam ſuis. Ideò Monachi Conſtantinopolim navigantes, Gregorio magno inſtitutore docti, Euchariſtiam ſecum detulere.

125. Clementem Alexandrinum improbè gloſſaris. Loquitur ille, in 2. pag. 1. lib. ſtrom. de more ſumendi Euchariſtiam uſurpato, non de reſervatâ Euchariſtiâ aſportandâ. Τὴν ἐυχαριστίαν τινὲς διανέμαντες, ὡς ἔθος, αὐτὸν δὲ ἕκαστον τοῦ λαοῦ λαβεῖν τὴν μοῖραν ἐπιτρέπουσι. Euchariſtiam quidam diſtribuentes ſecundum conſuëtudinem permittunt ſingulos de præſenti multitudine partem ſibi aſſumere. aufer hinc tuum illud, *ut ſcilicet domum deferat*: notat enim morem ſumendi in Eccleſia, ubi de manu ſacerdotis, vel de patinâ ſumebant, non inſerebat ori Sacerdos. Verum eſto hæc ut velis, & quæ ſequuntur teſtimonia: nos non abnuimus κατὰ πλεῖστον de *pane* intelligenda. Sed aliud eſt in Eccleſiâ myſteriorum peragere communionem: aliud, ab Eccleſia conſecrati *panis* partem, vel *vini* benedicti portionem, ſecum domum deferre ad privatos uſus. Nec tamen ſequitur, quia panis interdum ſolus ſumebatur privatim, ideò & publice ita ſumptum in Eccleſiâ ſemper. aut quia ſolum panem interdum ſignificet, ideò nunquam ſignificare integram communionem. At vinum non poterat tamdiu, inquis, conſervari. Itane? Quid fiet vino Opimiano? ſed

addo,

Digitized by Google

addo, Nec tam commodè circumgeſtari: & tamen poterat in Eccleſiam ex œnopoliis deferri. poterat ſatis diu conſervari. Dabatur infantibus. ergo quorſum in præcedentibus, de ſolo pane? Cyprianus, quid ſcripſerit de puellâ τὰ ἅγια regerente, nuper diximus: tecum operam non ludemus repetendo. Falleris autem prorſus qui pronuncias ita confidenter, pueros non ſumpſiſſe ſub panis ſpecie. Tu facis οἰνοπώλιον de Eccleſia; qui συμπίτας agnoſcis in hac actione ſacrâ. Vini uſum profiteris, extra tamen actionem ſacram. quaſi *panem* ſolitarium, non etiam *vinum* Sacerdos conſecraret. Ἀπόλοιτο ἡ χεὶρ γέγραφε. verè dixi γέγραφα. Nam quis niſi βαλανηφάγος, Amphilochii teſtimonium advocaret in vitâ S. Baſilii, maſtigiam, à magiſtris etiam noſtris ſtigmatiam? ſcatet mendaciis, ait, Annaliſta, ad annum 363. 55. Haud dignus qui manibus teratur eruditorum. ad annum 378. ſect. 10. Bellarminus in Catalogo, ſuppoſititium affirmat: & tamen melioribus deſtitutus, non ſemel illius laudat teſtimonium. At verus extitiſſet Amphilochius: quid ille aliud de Baſilio dixit, quod non ante in Ambroſio legebamus? Addo, de Cliniciś & moriturientibus poſſe fieri, ut abhorreant ab alterutrâ ſpecie: alteram tamen inhient & amplexentur. Hic jam ſi deſiderio fiat ſatis, & ſub unâ tantùm ſpecie communicentur, Caſus ille, eſt ſingularis, nec trahendus in Legem aut exemplum vulgare. Ridiculus homo eſſes, ſed & blaſphemus, ſi propterea quod de vitâ exierunt nonnulli, ſolo baptiſmo *flaminis* aut etiam ſanguinis loti, non autem illo *fluminis* ordinario irrorati, & inevitabilem & invincibilem neceſſitatem traheres in exemplum, & communem legem, & Baptiſmi ſacramentum inſuper habitum vili æſtimares.

Communionem Laïcam, non ignoro, non ſemel occurrere in antiquis canonibus. Hoc interpretatur Balſamon, Tanquam Laïcos communicare. Tu pro Imperio jubes credi: *Non ergo ſub utraque ſpecie communicabant.* Laïca Communio, non eſt alia, quàm Tanquam Laïcus communicare. ut ſæpiſſimè uſurpatur Cypriano. de quâ eſt Canon, ὡς λαϊκὸς μόνον καὶ κεῖνος κοινωνείτω. Laïci autem à ſacerdotibus, non per ſolum panem in ſacrâ ſynaxi diſtinguebantur. ſed quod iſti ἐντὸς τοῦ θυσιαστηρίου: illi extra cancellos communicabant. ideò quam vulgò vocant Laïcam, Patres Agathenſes *peregrinam* vocant. Non enim admittebantur peregrè venientes, niſi admodum raro, ἔνδον τοῦ βήματος καὶ θυσιαστηρίου, ſed μετὰ τοῦ λαοῦ communicabant. Hæc eſt Laïca illa communio, ſub utraque ſpecie: non quam tu ſomnias ſub unâ tantùm. Nam & apud veſtram Eccleſiam opinor, ſacerdotes omnes non ἱερουργοῦντες, ſub unâ tantùm ſpecie communicabant, qui tamen non obibant communionem Laïcam, cùm in ſacerdote hoc ipſum, mulctæ & pœnæ nomine habeatur teipſo authore: in quo tamen falleris atque fallis de unâ tantùm ſpecie. Nam can. 70. Concilii Eliberitani, nulla prorſus occurrit *Laica communio*: Can. 76. 116.

habetur mentio: ſed de unâ tantùm ſpecie, è tuâ mendaciorum procuſum eſt, officinâ. Verba Canonis: *Quod ſi alius detexerit, poſt quinquennium, actâ pœnitentiâ, accipere communionem Laicam debere.* In nullo cap. 5, Concilii Sardicenſis, ſecundùm quamlibet editionem, communionis Laïcæ habetur mentio. nuſquam omnino dicitur Communionem Laicam ſub unâ tantùm ſpecie, impertitam, quod imponit his Conciliis, ut & Agathenſi, Bulingerus. Futiliſſimum ſequitur è Bedæ commentariis παραλήρημα, Ethnici enim illi, Chriſtiani Patris filii, intererantne ſacrorum ſolennibus, ubi Panem illum album (non ergo Chriſti corpus) obſervaverant? Ignoras ἀμυήτους fuiſſe indè excluſos. etiam Catechumenos, nedum Paganos. Non erat igitur in Communione *Panis* ille exhibitus, ſed extra ſacrum officium. et quid hoc ad unam ſpeciem? Quæ et ipſa imperitiſſimè hinc aſſeritur, ob id, quod niſi panis, nil commemoretur. Hoc te docere poterat illorum hominum mos, quos & prius, pro tuâ conſuëtudine, appoſueras, & hic denuò reponis ex Hieronymo, qui cùm rem habuiſſent cum uxoribus ſuis, Eccleſias adire atque ingredi non audebant, vel ſacris ſynaxibus intereſſe, qui tamen intrepidè corpus Domini, domi ſuæ deguſtabant, ut neceſſe fuerit ſecundùm vulgatam opinionem, illum panem conſecratum, quem domum de Eccleſiis ſecum deferebant, non pari veneratione habitum, aut æquè ſanctum exiſtimatum, quàm cujus in Eccleſiâ per ſynaxeis participabant, à communi pane diſtinguebatur. Eſto. diſtinguamus. ad Corporis Dominici ſacrationem nequaquam aſcendebat. *Alius* non erat Chriſtus domi: *alius* in Eccleſiâ. verum eſt. ſed *aliud* quod Chriſtum exhibebat in Eccleſiâ: aliud quod domi Eum inter parietes privatos repræſentabat. Cyrillus, Catecheſi v. ais, ſcribit, Laicos ſacrum calicem manu ſuâ non attigiſſe. nedum ſanguinem ideo domi aſſervaſſe. & quid ſi non? ergone in Eccleſiâ ſub unâ tantùm ſpecie communicabant? apage inſanias. Nam nec ſacrum corpus alicubi contrectabant ipſi: utpote quibus ſacerdos vel Diaconus, certè miniſter in os inſerebat. vel mulieribus in mundatis ſtrophiis aut ſudariotis dabant, non in os, non in manus, nam varia fuit impertiendi conſuetudo. ubi tamen & de *pane*, ac etiam de *calice* participabant. ſed audiamus Cyrillum integrum, non ab hoc mangone demutilatum. Εἶτα μετὰ τὸ κοινωνῆσαι σε τοῦ σώματος Χριστοῦ, προσέρχου καὶ τῷ ποτηρίῳ τοῦ αἵματος μὴ ἀνατείνων τὰς χεῖρας, ἀλλὰ κύπτων. Deinde poſtquam de Chriſti corpore communicaſti, accede ad ſanguinis poculum, nequaquam manus porrigendo, ſed incurvando. Hauriebant ergo calicem in Eccleſiâ. Non refert autem an domum detulerint, modò nobis hoc teſtatum ſit. Addit Cyrillus. Ἁγίαζε καὶ ἐκ τοῦ αἵματος μεταλαμβάνων τοῦ Χριστοῦ. ἔτι δὲ τῆς νοτίδος ἐνούσης τοῖς χείλεσί σου, χερσὶν ἐπιψαυόμενος, καὶ ὀφθαλμοὺς, καὶ μέτωπον, καὶ τὰ λοιπὰ ἁγίαζε αἰσθητήρια. Sanctifica te & de ſanguine Chriſti ſumens. & dum liquor in labiis tuis continetur, manibus illum contingens, oculos, frontem,

frontem, cætera tibi ſenſoria ſanctifica. Ecquod clarius expectet quis de calice teſtimonium ? Innocentii primi panis præſanctificatus, οὐδὲς ἔπος ἀξίῳ. ſcimus hunc panem apud vetuſtiores loco Corporis Chriſti, per Quadrageſimam dari ſolitum. ſcimus ſacram ſynaxim, niſi certis quibuſdam diebus, hoc eſt, Sabbatis, & Dominicis, & Annuntiationis feſto, non celebratam. & ut verum eſſet, panem ſolum ſanctificatum, non etiam poculum delatum domum, id non ideò contingebat, quia unus tantùm calix, hauriendus ſacerdoti conſecrabatur. Nam falſiſſimum eſt quod affertur, teſtimonio omni caret. et unus potius *panis*, quàm unicus *calix* ſacrabatur in Altare & in paſtophorium deferebatur. Cum panis fragmina & reliquiæ, tum reſiduum etiam vini, de Altari. non ubique tamen, ſed in locis quibuſdam. Nam ut ait Balſamon in reſponſis ad quæſita Monachorum, τὰ μὲν τῆς ὑψωθείσης κλάσματα ἐχὶ (ſcilicet comedere nequaquam poterat, vel debebat ſacerdos,) ἀδιαφόρως καὶ ὡς βόλεται, καὶ ὡς ἄρτον κοινὸν, ἀλλ' ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ μόνῃ ἐσθίειν, ἕως ἂν ἅπαντα δαπανῆσαι. Alicubi verò, quod dictum eſt, flammis abſumebant. Poſtremò, ut hæc omnia ita vera eſſent, tamen ſunt à Quæſtione propoſitâ aliena. Gregorius tertius, in tomis Conciliorum bis reperitur ſcripſiſſe ad Bonifacium, apud Binium. nuſquam meminit de duobus calicibus conſecratis, Quod ſi clariſſimè in delinquentes illos animadverterat, vos illius ἐπίπληξιν, quibus eſt tanti, reveremini. Nos nec Gregorii authoritas, neque factum movet, utpote poſtnati, & partiarii, deſtitutum praxi & authoritate antiquorum.

Atque ita ſunt magnâ quidem pompâ, & majore cum inſcitiâ, 127.
convaſatæ authoritates : per quas herbam flagitat, & triumphum canit, quæ tamen nihil minus docent quàm quod præſumitur, in veteri & primitivâ Eccleſiâ, communionem ſub unâ tantùm ſpecie adminiſtratam. Provocat ad Hæreticos, abſentes, decumbentes, qui extra Eccleſiam τὸ φρονηματισμένον, de loculis, de collo, aliundè acceptum manducabant. atque ita rem confecit μάλα ἐμμαχῶς contra omnes omnium Novatorum exceptiones. Quàm dextrè verò rem confeceris Bulengere, habe tibi, ut intelligas, Patrum teſtimonia, contra delumbatam communionem non ommuni, ſed eorum quæ à bibliothecâ abſenti, notæ ſuggerebant. Illud perſpici poteſt in hac etiam Prophetiâ, de pane fieri mentionem, quem nobis Chriſtus noſter conficiendum tradidit, ut corpus eum factum recordaretur, eorum cauſſâ qui in ipſum credunt, propter quos etiam patibilis extitit. Et de poculo quod recolendi ſanguinis cauſſâ conficiendum, gratias agentibus tradidit. Juſtin. Martyr, contra Tryphon. Cypriani Epiſtola 54. Quomodo docemus aut provocamus eos, in Confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi iis militaturis, Chriſti ſanguinem denegemus ? aut quomodo ad Martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſiâ poculum Domini, jure communicationis admittimus ? Hieron.

in

in Sophon. cap. 3. ſacerdotes quoque qui Euchariſtiæ ſerviunt, & ſanguinem Domini populis ejus dividunt. Et rurſus contra Luciferianos, Ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſque conficitur. Proſper in ſententiis, Quum frangitur hoſtia, dum ſanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quàm Dominici corporis in Cruce immolatio, ejuſq; ſanguinis de latere effuſio deſignatur? Neque aliter obtinuit conſuetudo apud Veteres, ad mille & quod excurrit à Chriſto annos; producatur mihi vel unicus locus in contrarium, & omnibus Bulengeri ineptiis ſubſcribam.

128. Ad extremum res agi rationibus cepta, quas deinceps attendamus. Corpus Chriſti vitâ præditum eſt, atque ideò ſine ſanguine non poteſt eſſe. et vivi corporis vivifica *inſtituta eſt participatio.* quocirca non deberet abeſſe in *illâ participatione,* ſanguinis repræſentatio: cum exangue non poſſet eſſe corpus vivum. Perfectum corpus non eſt ſine ſanguine. Ita fruſtra ſacramentum Laïcis ſub utraque ſpecie communicatur. Imo non mi homo. eò quòd ſacramenti conſtitutio ab inſtitutione dependeat; in quâ, utriuſque neceſſitas ab Inſtitutore firmabatur: ut de Concomitantiâ, ſit inanis diſſertatio. Deïnde & ſacerdos, ὁ χανδὸν ἀναφορήσας: quorſum ille in vivo corpore ſanguinem deſiderat? an mortuum ſolum Chriſtum ſoli participant ſacerdotes? An perfecto perfectius; vivo magis vivum deglutit? Certè aliquid vel accedit hic, perfecto, ἐν τῇ ἐλλείψει: vel redundat ἐν τῇ ὑπεροχῇ. aut duplex ille captat ſacramentum in corpore, non exangui, quod manducavit. in ſanguine ſine corpore, quem deinceps ſorbet. Deus Dominus *inſtituit ſacramentum ſuum ſub utraque ſpecie.* Et tu *hoc ipſum negas?* os tam profanum! ſed celebratur à ſacerdotibus ſub utraque ſpecie. Cur non ab omnibus & univerſis? Inſtitutio divina, non ſolos reſpexit ſacerdotes. Nam non illorum ſola portio, Jeſus Chriſtus. Illine, οἱ πάντες ad quos, Edite, Bibite, dicebatur? ſoline qui Chriſti Domini ἀνάμνησιν recolere debebant? tum ſoli fælices ſacerdotes. & tamen Apoſtoli ſacerdotes non erant, cùm ſui ſacrificium illud commemorativum inſtituebat Chriſtus. Inſtitutio pendet à voluntate inſtituentis. Hoc non negas. Quis enim ogganniat Ieſu Chriſto, Cur ita eſſe volebas, jubebas? Sacramentum tamen refertur ad utilitatem recipientis. Et quæſo te, ô ſubtilitatum magiſter, in hoc inſtituto, annon illa quæſita eſt utilitas? Qui inſtitutum tranſponit ergo, aut delumbat, utilitatem transformat, & ſuccidit. Cum utilitas procedat ab inſtitutione, non ulla efficacia ſymbolorum in ſe. At in ſacrificio omni ſanguis eſt aïs: ſic opinor Paulus ad Hebræos, 9. Cur ergo ſine ſanguine fit ſacramentum apud Laïcos participandum? In ſacrificio, ſi alterutrum, caro vel ſanguis abfuiſſet, mutilum erat ſacrificium, & claudicabat. At in ſacramento non eſt idem. et tamen veriſſimè ſacrificium audit. Quæ eſt hæc Theolo-

Theologia, omnibus Veteribus inaudita? Sed te tuoſque mutilatores divini inſtituti, illi relinquamus caſtigandos, qui pronuntiavit, addentes & detrahentes maledictioni eſſe ſubjiciendos. Nec tamen deſinis ita inſanire. Scripſerat Caſaubonus, Illi qui iſtis Lucæ teſtimoniis ad deſenſionem communionis ſub alterâ ſpecie, pueriliter errant. Diſplicuit Bulengero: qui ſic erravit. excuſat factum per Auguſtinum. *Aliquid ſupra puerum ſapere Auguſtinum tute ipſe fatebere*: Caſaubonum alloquitur. Certè & longè ſuprà Bulengerum. qui tamen deſipuiſſet, ſi ſcripſiſſet iſta. Non ſcripſit autem. Nec profert teſtimonium de ſcripto Bulengerus. Theophylactum non appellat puerum. Certè. niſi præ Auguſtino, ſimpliciter, ſuprà pueros ſapiebat: et audiamus virum ultra ingenium puerorum ſapientem. Αἰνίττεται, ὅτι τοῖς μεταλαμβάνουσι τοῦ εὐλογημένου ἄρτου διανοίγονται οἱ ὀφθαλμοὶ εἰς τὸ ἐπιγνῶναι αὐτόν. μεγάλην γὰρ, καὶ ἄφατον δύναμιν ἔχει ἡ τοῦ Κυρίου σάρξ. Inſinuat, quod qui panis conſecrati participes fiunt, oculi illis aperiantur, ad cognoſcendum eum. Domini enim Caro, magnam & inexplicabilem vim habet. ſupponit Theophylactus, quod negant alii, Chriſtum Emaunte agentem cum duobus diſcipulis ſuis, corpus ſuum fregiſſe & diſtributum communicaſſe: Panis verò ſolius fractionis meminit: vini effuſi nulla mentio. Eſto. ſed nec vini excluſio. Tacet: ergo negat, vel excludit. Puerilis eſt hæc ipſa ratiocinatio. Author operis imperfecti, docet Chriſtum fregiſſe *panem corpus ſuum*. ſed an excludit *ſanguinem ſuum*? Quæritur an Patres, qui corporis Chriſti, aut etiam panis fracti meminerunt, loquantur excluſivè. Negatur. Probat adverſarius: Quia ſic loquuntur. Reſpondeat, ad ſimile argumentum. Fides juſtificat. non ergo Opera. Nam Paulus loquitur de Fide, ad eundem modum quo Patres de Corpore. neutri locuti ſunt excluſivè. Operum alibi fit mentio apud illum: et alibi ſanguinis, apud iſtos. Grandis eſt hæc Diatriptæ ἀσυλλογισία, ſcuticâ, non calamo refutanda.

Patres loquuntur de fractione panis. ergo in ſynaxi ſacrâ, ſolus panis frangebatur, non autem adhibebatur vinum. Quod ſequitur, Laïca communio dicebatur à nonnullis, propterea quod ſacerdotes cenſurâ notati, inter Laïcorum τάξιν reponebantur, undè tibi excidit Juli Cæſar. Diximus id ita nobis viſum. Tu modò contrarium ſtatuebas. Cur? Diſtinct. enim 50. cap. 7. Epiſcopi, & ſacerdotes qui capital admiſerant, de ſuo dejecti ſacerdotio, jubentur eſſe Laïcâ communione contenti. Canon ille habetur in Concilio Agathenſi. Qui non disjungit tanquam diſtinctas pœnas, quod falſo fingitur à Bulengero, veluti depoſitionem, & Laïcam communionem: Et vox illa etiam non eſt in Canone, Præterea: ſed Tantummodo. ut neceſſe ſit hoc, nec quicquam aliud intelligi, Eos qui ejecti ſunt extra βῆμα, & loco ſuo ſacerdotali moti, in τάξει λαϊκῶν, non autem Clericorum communicare. Fuit igitur Laïca communio, diverſa à communione 129.

Digitized by Google

munione Clericorum: non quoad communicata. vinum & panem, non panem ſine vino, ſed tantummodo quoad locum, & formam communicandi. Id docet Baſilius ad Amphilochium: can. 32. Οἱ τὴν πρὸς θάνατον ἁμαρτίαν ἁμαρτάνοντες κληρικοὶ, τοῦ βαθμοῦ μὲν κατάγονται, τῆς κοινωνίας δὲ τῶν λαϊκῶν, οὐκ ἐξείργονται. Duplex erat pœna: eaque diverſa. Quidam enim, & ab omni communione prohibebantur: nec inter Laïcos participantes. καθαιρηθήσεται de gradu, οὐκ ἀφορίζεται à Communione. Gradum ſequebatur locus dignior, dejectionem inferior locus. ἀφορισμὸν verò locus inter πιστοὺς non ſequebatur. ita falleris omninò de communione. Cyrilli teſtimonium ſuperius tranſcripſimus. Satin' tu ſanus, qui tam paucis interjectis, legi voluiſti, tam exertum de ſanguine communicato teſtimonium. ſed vacillas fortaſſis in illâ tuâ nuper fide: aut aliud agens παραφρονεῖς. Nam quid malum de *Leonis* edicto garris? ante quod erat liberum ſub unâ ſpecie communicare. Ergo quorſum ſub unâ nunc communicatur? ergo non erit liberum propter illud edictum, non obſtante edicto Jeſu Chriſti. Quod ſequitur non eſt editum in Concilio Toletano, ſed Cæſarauguſtano primo. penè antequam Judæi, certè diu antequam Hiſpaniam Saraceni penetrarent, per ætatem Damaſi Pontificis, de cujus Canonis ſententiâ, vapulabis magiſtro tuo Cardinali in notis ad Auguſti 15.

130. De ſuſceptâ Euchariſtiâ nunc σαυρομάτας: nunc vaſe, linteamine, cavâ manu quæ adducis extra choream ſaltant, niſi in quantum domum, & ſic etiam peregrinæ, deferebantur. Si qui mentiantur miſſam προηγιασμένων, tibi ſe tradiderunt illi in diſciplinam, qui & illam, & aliam τῶν ἁγιασμάτων, & omnes omninò mentitus es. Verùm Tute ipſe is es, *qui mentiris illam miſſam*, & non iſti. Poſtquam panem acceperat *Sacerdos*, & illum ſacro diſco impoſuerat, dicens, credo Domine, & confiteor, Ἐν τῷ ἁγίῳ ποτηρίῳ ἐγχέει οἶνον καὶ ὕδωρ ὅσον ἀρκεῖ, οὐδὲν λέγων. Quid hæc ſibi volunt? Putabaſne nobis minimè viſam illam miſſam, aut ſaltem non lectam præſanctificatorum. ſed οὐδὲν λέγει. Quid tum? Nec in prioribus panem conſecrabat: tantum pronunciabat. Credo & confiteor. ſed mi homo, ſi non erat in hac Miſſâ *calix*, quam ob cauſſam reminiſcitur verborum Chriſti, Qui comederit carnem meam, & ſanguinem biberit, in illâ Oratione, cujus initium, ὁ τῶν ἀρρήτων, &c. Quid gratias agunt, οἱ μεταλαβόντες, ἐπὶ τῇ μεταλήψει τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. pag. penult. in edit. Græcâ Romanâ. Abi hinc & minus confidenter pronuntia, de rebus vel ignotis, vel non animadverſis diligenter.

131. Ignatii teſtimonium adhibuerat Caſaubonus ex illâ, ad Epheſios, Ἕνα ἄρτον κλῶντες, ὅ ἐστι φάρμακον ἀθανασίας: Elogio condecoras: benè ſubjungis, infero. Da ergo quod deſtruitis. Primum, ἄρτον vocari poſt Conſecrationem. tum, & ἄρτον eſſe φάρμακον τῆς ἀθανασίας. Vos de corpore naturali, & tranſubſtantiato

tiato turbas cietis. Poſtremò, ex Ignatianâ phraſi, qui Panis commeminit & non vini, interpretare Patrum illa teſtimonia, qui locuti ſunt ad eundem modum. Ita enim explicat ipſe ſe Ignatius in illâ ad Philadelphenſes. Bonâ fide locum integrum ſubjeciſti, παρακαλῶν ὑμᾶς μιᾷ πίστει, καὶ ἑνὶ κηρύγματι, καὶ μιᾷ εὐχαριστίᾳ χρῆσθαι. μία γάρ ἐστιν ἡ σὰρξ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, καὶ ἓν αὐτοῦ τὸ αἷμα τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἐκχυθέν. Εἷς καὶ ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη, ἓν θυσιαστήριον πάσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ. Adhortans nos, unâ fide, unâ prædicatione, unâ Euchariſtiâ uti. Nam una eſt Caro Domini Jeſu: et unus ejus ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt. Panis unus omnibus fractus eſt: Et unum poculum omnibus diſtributum, unum altare omni Eccleſiæ. Amplecteris ergo hæc Ignatiana? Ita videris velle. non enim arrodis, nec reſpondes omnino aliquid, cùm tamen de utraque ſpecie, omnibus impertitâ pronunciet. Torſit locus iſte Bellarminum. et is ſe transformat in figuras omnes. Et imprimis corruptos, ait, codices Græcos. improbè: miſerè. ut ſcilicet Latinè ſint integriora omnia Græcè ſcripta. ſi corrupti ſunt ulli, Latinos eſſe depravatos eſt veroſimile. Nam Romani mangones, ab aliquot retro ſæculis, illam artem depravandi antiquorum ſcripta calluerunt, ubi erroribus ipſorum quærebatur patrocinium. Differt Ignatius, ut nunc extat, ab illo qui citatur in beatis Patribus. Ergo Bellarminus cauſſam aget Novatorum, qui per hoc idem argumentum, confectum dediſſe ſe putant, Ignatium eſſe ſcriptorē cõmentitium, ideò nullam ei deferunt authoritatē. Taceant ergo Pontificii inæternum, nec in rebus fidei controverſis, illius nitantur teſtimonio, cùm magiſter ipſe Controverſiarum os occluſerit contribulibus ſuis, hoc effato. Differt Ignatius qui nunc extat, ab eo qui citatur in beatis Patribus. Sed utcunque legantur quædam à Patribus citata, quæ deſiderantur hodiè apud Ignatium, non tamen ſequitur nihil in Ignatio ſincerum reperiri, ſed quædam illius deſiderari. hæc autem ipſa reperiuntur, in omnibus codicibus, Græcis, Latinis, ſcriptis, quos vidi, & excuſis. Vidit Bellarminus miſellum hoc refugium: reſpondet ergo in ſecundis beatum Martyrem docere, eſſe reverà unicum *calicem*, non autem omnes de illo bibiſſe. Facetus homo. ait Ignatius, illud unum ποτήριον, τοῖς ὅλοις fuiſſe diſtributum. quid hoc eſt? fractum in ſegmina poculum fortaſſis fictile, ut ſinguli fideles portiunculam domum deportarent. Iterum τοῖς ὅλοις diſtribuebatur. et ſinguli, eodem atque pari modo, illo fruebantur. ſi bibebat aliquis, bibebant omnes. ſi non omnes, tum nec aliquis. Eodem modo, ad eundem finem erat unus calix, quo fuit unus panis. ad comedendum & bibendum. Omnes de pane comedebant: cur non de calice bibebant omnes? Vidit fatuitatem iſtius reſponſi vir ille prudens: ideò reſilit, & innititur reſponſo tertio: ut καταποντιζόμενοι, quicquid occurrerit, apprehendunt. Ait ergo concedendum, neque enim inficiari poterat, fuiſſe in more poſitum

per illa tempora, cùm pauci eſſent admodum Chriſtiani, ut omnibus daretur potus calicis. Planiſſimè futilis & fatua reſponſio. Quaſi Chriſtus Sacramentum illud inſtituerat, ut eſſet ἐν τοῖς πρός τι, & ſecundùm plures, atq; pauciores, mutaretur. Quidni ergo, ubi pauci ſunt communicantes, permittitur iis calix, in parochiis non valdè magnis. Videtur Chriſtus in ſacramento inſtituendo, ſecundùm controverſores noſtros, pretium *vini* ſupra *panem* reſpexiſſe, atque ideò ſecundùm utilitatis rationem, Eccleſia deveniſſe putanda eſt, ad mutilandum ſacramentum. Ita deſipere neceſſe eſt eos, qui rejectis divinitùs inſtitutis, ad humanas ſe accommodant rationes. ſed ſtudent illi fruſtra apud ſuas impoſturas: nos intereà quod conceditur libenter arripimus, Antiquiſſimam Eccleſiæ vetuſtiſſimæ praxin, à partibus conſiſtere Novatorum. Quæ ſequuntur, *de micis & particulis diviſæ* Euchariſtiæ. Quæ de modo & formâ dividendæ Euchariſtiæ, ſunt ab Exercitatore obſervationes profectæ, non immanis iſtius omnium ſcriptorum plagiarii, cujus ſcripta, tot & tanta, meræ ſunt tranſcriptiones.

132. Vocari Euchariſtiam panem, fractionem panis. ſacramentum panis. Carnem & ſanguinem, propoſuerat in ſuis Exercitator: Bulengerus tranſcribit. Auguſtini, Cypriani, Tertulliani, Ambroſii, Cyrilli Hieroſolymitani, teſtimonia advocavit Bulengerus, omnia repetit. Uno verbo ut expediam, Omnia per hanc Exercitationem diffuſa, & illa per ſequentem, ad cap. 40. vel ſunt è Caſauboni ſchedis compilata, vel ab eo indicata, ſic ut confirment illa quæ dicta ſunt ab illo de Pane noſtro, ἐπιουσίῳ, ſubſtantiali, ſuperſubſtantiali. Pane Angelorum, &c. adeò omnia regerit nauſeabundo Lectori *maximus omnium nugator. Omnia quoque probat in Exercitatore, niſi quod ille ſymbolis corporis* illius vivifici, Pani nimirum & vino, cum ſanctis Patribus, ex illorum ſententiâ nomen attribuebat εὐχαριστίας. et tamen Origeni, Cypriano, nihil reſpondet. Quia ſcilicet actum aliis nolebat agere; homo ſui temporis, patientiæ Lectoris parciſſimus: qui tamen in minimè neceſſariis, ſexcentiès eandem recoctam cramben repoſuit. ἔστι δὲ σύμβολον ἡμῖν τῆς πρὸς τὸν Θεὸν εὐχαριστίας. verba ſunt Origenis contra Celſum Caſaubono recitata, ἄρτος εὐχαριστία καλούμενος. Legiſtin', aliquid dilucidius, contra chimæram illam veſtram? ἄρτος εὐχαριστία καλούμενος. Poſt conſecrationem, non ait σῶμα, ſed ἄρτος, Panis, qui dicitur Euchariſtia. Protervus nimium ſit oportet; qui hic ad tam aperta, refragetur.

133. Racemationes tuæ jejuniſſimæ, & exiles, περὶ λειψανῶν, ad diligentiam Caſaubonianam non aſcendunt. et ſunt ab illius penu locupletiori mutuata, quæcunque collegiſti. Puerilis & *ridicula* eſt illa adjuratio, ut congeſta teſtimonia cum affectu legant, in quibus pro ſacrificio Corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti ponitur ἡ λειτουργία, eò quòd hoc Caſaubonus diſſimulavit. Itane verò diſſimulavit, qui propoſitis & explicatis non paucis vocabuli

iſtius

Digitized by Google

iſtius ſignificationibus concludit, *Obtinuit tamen ut Liturgia peculiariter dicatur, quæ celebrationem Chriſti corporis continet.* Itaq; Juſtinianus novella vii. ἱερὰν λειτουργίαν deſcribens, duas commemorat iſtius partes: ἀνάγνωσιν τῶν ἱερῶν γραφῶν, τήν τε ἱερὰν καὶ ἄρρητον μετάδοσιν τῆς κοινωνίας. Hæc cùm ita ab illo diſputentur, qui fuit tuus candor Bulengere, cùm ab illo diſſimulatum mentirere, Liturgiam alicubi vel aliquando, pro celebratione corporis & ſanguinis Chriſti adhiberi. Hoc potuerat ille adjeciſſe, Non tam eſſe vetuſtam hanc acceptionem, quàm ſunt illæ aliæ quas commemoravit. Nec in tuis Diatribis, quæ cum maximâ pompâ & ſolennitate appinguntur, λειτουργίαν pro ſacrificio ſemper repræſentant. Synodi Trullanæ Canon 32. λειτουργίαν non admittit iſto ſenſu. Nam Baſilii habet alia præter ſacrificium corporis Chriſti oblatum. Deſcribitur totum officium, quo ſecundum uſum illum Baſilianum (& uſum nos vocamus etiamnum Sarisburienſem, Eboracenſem, Bangorenſem, &c.) Græci celebrabant. In illo ipſo Baſilii loco, ἱερουργία, pars eſt τῆς θείας λειτουργίας, ut neceſſe ſit Totum integratum, latius quâlibet ſuâ parte patere. Sic et per alia tibi adducta teſtimonia deſipere deprehenderis, quæ non excuteremus niſi Bellarmini ſuſcepto patrocinio, cujus alios puduit viros eruditos, ſatis imprudenter affirmaſſes λειτουργίας vocem, vix aliter apud Græcos Patres uſurpatam, quàm pro Actu illo miſſifico ſacrificandi. Excute illa plurima, quibus uſus eſt, vir ille doctiſſimus, teſtimonia. vide num in uno aliquo hallucinetur. In Canone Trullano 32. Liturgiæ Jacobi, & Baſilii fit mentio. in eorum Liturgiis traditur ratio peragendi ſacrificii: quis negat? an ideò Liturgia, nihil aliud ſonat, quàm illud ipſum ἱερουργεῖν? ineptè. diſtinguuntur in illo Canone, λειτουργία, & ἱερουργία, ut pars, & totum. Hippolytus neſcio quis; nec ſcio cujus ætatis, non enim illum arbitror antiquiſſimum Hippolytum, non intelligit λειτουργήσαντας ſacrificantes, ſed divina officia obeuntes. Neque enim ἱερουργία, erat actus continuatus, dies atque noctes perpetuus, qualis eſt in Hippolyto Liturgia, ſed interciſus, & repetitus. Deinde apud illum quem demum cunque Hippolytum, duo ſunt inter ſeſe diſtincta, λειτουργεῖν, & τὸ τίμιον αἷμα καὶ σῶμα θύειν. Id quod conſtat certiſſimo ex Luc. 1. ἐπλήσθησαν ἡμέραι τῆς λειτουργίας. Nam nequaquam immolabat victimas Zacharias: ſed obibat per ſortem officium ſacerdotale. Vox eſt quædam generalis, omne Leviticum & ſacerdotale miniſterium complexa, quemadmodum videtur & in Victruvio illo tuo, cui potueram ſatisfacere, ſi vel de nomine mihi notior extitiſſet. Ita planè deſipis in Paulinis locis. nam σκεύη λειτουργίας, Hebr. 9. et πίστεως λειτουργία, Phil. 2. non reſpiciunt tantummodò ſacrificandi ritum: ſed ut, neſcio quî tranſtuleris, *miniſterium*. In loco Theodoreti lapſus es apertè. Non enim per ætatem Theodoreti veſpertinum illud ſacrificium, Chriſtiani ſacerdotes offerebant. Eſto ῥήματα λειτουργίας, verba miſſæ, apud Nazianzenum. Nam & miſſa

 patet

per illa tempora, cùm pauci eſſent admodum Chriſtiani, ut omnibus daretur potus calicis. Planiſſimè futilis & fatua reſponſio. Quaſi Chriſtus Sacramentum illud inſtituerat, ut eſſet ἐν τοῖς πρός τι, & ſecundùm plures, atq; pauciores, mutaretur. Quidni ergo, ubi pauci ſunt communicantes, permittitur iis calix, in parochiis non valdè magnis. Videtur Chriſtus in ſacramento inſtituendo, ſecundùm controverſores noſtros, pretium *vini* ſupra *panem* reſpexiſſe, atque ideò ſecundùm utilitatis rationem, Eccleſia deveniſſe putanda eſt, ad mutilandum ſacramentum. Ita deſipere neceſſe eſt eos, qui rejectis divinitùs inſtitutis, ad humanas ſe accommodant rationes. ſed ſtudent illi fruſtra apud ſuas impoſturas: nos intereà quod conceditur libenter arripimus, Antiquiſſimam Eccleſiæ vetuſtiſſimæ praxin, à partibus conſiſtere Novatorum. Quæ ſequuntur, de micis & *particulis diviſæ* Euchariſtiæ. Quæ de modo & formâ dividendæ Euchariſtiæ, ſunt ab Exercitatore obſervationes profectæ, non immanis iſtius omnium ſcriptorum plagiarii, cujus ſcripta, tot & tanta, meræ ſunt tranſcriptiones.

132. Vocari Euchariſtiam panem, fractionem panis. ſacramentum panis. Carnem & ſanguinem, propoſuerat in ſuis Exercitator: Bulengerus tranſcribit. Auguſtini, Cypriani, Tertulliani, Ambroſii, Cyrilli Hieroſolymitani, teſtimonia advocavit Bulengerus, omnia repetit. Uno verbo ut expediam, Omnia per hanc Exercitationem diffuſa, & illa per ſequentem, ad cap. 40. vel ſunt è Caſauboni ſchedis compilata, vel ab eo indicata, ſic ut confirment illa quæ dicta ſunt ab illo de Pane noſtro, ἐπιουσίῳ, ſubſtantiali, ſuperſubſtantiali. Pane Angelorum, &c. adeò omnia regerit nauſeabundo Lectori maximus omnium nugator. Omnia quoque probat in Exercitatore, niſi quod ille ſymbolis corporis illius vivifici, Pani nimirum & vino, cum ſanctis Patribus, ex illorum ſententiâ nomen attribuebat εὐχαριστίας. et tamen Origeni, Cypriano, nihil reſpondet. Quia ſcilicet actum aliis nolebat agere; homo ſui temporis, patientiæ Lectoris parciſſimus: qui tamen in minimè neceſſariis, ſexcentiès eandem recoctam cramben repoſuit. ὅτι δὲ σύμβολον ἡμῖν τῆς πρὸς τὸν Θεὸν εὐχαριστίας. verba ſunt Origenis contra Celſum Caſaubono recitata, ἄρτος εὐχαριστία καλούμενος. Legiſtin', aliquid dilucidius, contra chimæram illam veſtram? ἄρτος εὐχαριστία καλούμενος. Poſt conſecrationem, non ait σῶμα, ſed ἄρτος, Panis, qui dicitur Euchariſtia. Protervus nimium ſit oportet; qui hic ad tam aperta, refragetur.

133. Racemationes tuæ jejuniſſimæ, & exiles, περὶ λειτουργιῶν. ad diligentiam Caſaubonianam non aſcendunt. et ſunt ab illius penu locupletiori mutuata, quæcunque collegiſti. Puerilis & ridicula eſt illa adjuratio, ut congeſta teſtimonia cum affectu legant, in quibus pro ſacrificio Corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti ponitur ἡ λειτουργία, eò quòd hoc Caſaubonus diſſimulavit. Itane verò diſſimulavit, qui propoſitis & explicatis non paucis vocabuli iſtius

Digitized by Google

iſtius ſignificationibus concludit, *Obtinuit tamen ut Liturgia peculiariter dicatur, quæ celebrationem Chriſti corporis continet.* Itaq; Juſtinianus novella vii. ἱερὰν λειτουργίαν deſcribens, duas commemorat iſtius partes: ἀνάγνωσιν τῶν ἱερῶν γραφῶν, τήν τε ἱερὰν καὶ ἄῤῥητον μεταδιδομένην κοινωνίαν. Hæc cùm ita ab illo diſputentur, qui fuit tuus candor Bulengere, cùm ab illo diſſimulatum mentirere, Liturgiam alicubi vel aliquando, pro celebratione corporis & ſanguinis Chriſti adhiberi. Hoc potuerat ille adjeciſſe, Non tam eſſe vetuſtam hanc acceptionem, quàm ſunt illæ aliæ quas commemoravit. Nec in tuis Diatribis, quæ cum maximâ pompâ & ſolennitate appinguntur, λειτουργίαν pro ſacrificio ſemper repræſentant. Synodi Trullanæ Canon 32. λειτουργίαν non admittit iſto ſenſu. Nam Baſilii habet alia præter ſacrificium corporis Chriſti oblatum. Deſcribitur totum officium, quo ſecundum uſum illum Baſilianum (& uſum nos vocamus etiamnum Sarisburienſem, Eboracenſem, Bangorenſem, &c.) Græci celebrabant. In illo ipſo Baſilii loco, ἱερουργία, pars eſt τῆς θείας λειτουργίας, ut neceſſe ſit Totum integratum, latius quâlibet ſuâ parte patere. Sic et per alia tibi adducta teſtimonia deſipere deprehenderis, quæ non excuteremus niſi Bellarmini ſuſcepto patrocinio, cujus alios puduit viros eruditos, ſatis imprudenter affirmaſſes λειτουργίας vocem, vix aliter apud Græcos Patres uſurpatam, quàm pro Actu illo miſſifico ſacrificandi. Excute illa plurima, quibus uſus eſt, vir ille doctiſſimus, teſtimonia. vide num in uno aliquo hallucinetur. In Canone Trullano 32. Liturgiæ Jacobi, & Baſilii fit mentio. in eorum Liturgiis traditur ratio peragendi ſacrificii: quis negat? an ideò Liturgia, nihil aliud ſonat, quàm illud ipſum ἱερουργεῖν? ineptè. diſtinguuntur in illo Canone, λειτουργία, & ἱερουργία, ut pars, & totum. Hippolytus neſcio quis; nec ſcio cujus ætatis, non enim illum arbitror antiquiſſimum Hippolytum, non intelligit λειτουργήσαντας ſacrificantes, ſed divina officia obeuntes. Neque enim ἱερουργία, erat actus continuatus, dies atque noctes perpetuus, qualis eſt in Hippolyto Liturgia, ſed interciſus, & repetitus. Deinde apud illum quem demum cunque Hippolytum, duo ſunt inter ſeſe diſtincta, λειτουργεῖν, & τὸ τίμιον αἷμα καὶ σῶμα θύειν. Id quod conſtat certiſſimo ex Luc. 1. ἐπλήσθησαν ἡμέραι τῆς λειτουργίας. Nam nequaquam immolabat victimas Zacharias: ſed obibat per ſortem officium ſacerdotale. Vox eſt quædam generalis, omne Leviticum & ſacerdotale miniſterium complexa, quemadmodum videtur & in Victruvio illo tuo, cui potueram ſatisfacere, ſi vel de nomine mihi notior extitiſſet. Ita planè deſipis in Paulinis locis. nam σκεύη λειτουργίας, Hebr. 9. et πίστεως λειτουργία, Phil. 2. non reſpiciunt tantummodò ſacrificandi ritum: ſed ut, neſcio quî tranſtuleris, *miniſterium*. In loco Theodoreti lapſus es apertè. Non enim per ætatem Theodoreti veſpertinum illud ſacrificium, Chriſtiani ſacerdotes offerebant. Eſto ῥήματα λειτουργίας, verba miſſæ, apud Nazianzenum. Nam & miſſa

patet latius quàm ſacrificium. Ad Baſilium reſpondimus: ſed & apud eundem in eâdem illâ miſſâ, ad aliud quoddam ſacrificium offerendum deſtinatur. Laudis nimirum & benedictionis. Καταξίωσας ἡμᾶς γενέσθαι λειτουργοὺς τοῦ ἁγίου σου θυσιαστηρίου. - Quorſum verò? Ἵνα ἀκατακρίτως στάντες ἐνώπιον τῆς ἁγίας δόξης σου, προσάγωμέν σοι θυσίαν αἰνέσεως: neque meminit ulterius in eo loco, ſacrificii alicujus. Apud Anaſtaſium μυσταγωγία ſic recenſetur, ut agnoſcas partem τῆς λειτουργίας. Theodoretus, in dubiis, ſine dubio diſtinguit, λειτουργίαν ab ἱερουργίας, ut ſpeciem à genere ſuo. apud Proclum ille ordo intelligitur, qui continebat olim divinum officium. illum enim varii, Chryſoſtomus, Baſilius, &c. edidere. Germanus nominavit λειτουργίαν hanc partem: ſed quatenus ἐλειτουργεῖτο ob miniſterium, non ſacrificium. Marcus ille Epheſius, recens author, qui tamen animi ſui ſenſum explicat, dum Clementis nominat λειτουργίαν, in quâ, præter ſacrificium inſunt non pauca: Inter tua ipſius teſtimonia cùm ſint tam multa, quæ ſpectant alìorſum, inanis, imò planè ridicula eſt illa adjuratio, ***Adjuro omnes in quorum manus ſcripta hæc pervenerint*** (quaſi ageres exorciſtam in Eccleſiâ) ***ut hæc Patrum teſtimonia cum affectu & ſtudio veri indagandi legant: nec præjudicatæ opinioni animæ ſuæ ſalutem gratiſicentur.*** Quaſi ſine periculo ſalutis æternæ non poſſimus profiteri, pueriliter & ineptè Bulingerum hallucinatum. Nam fateris λειτουργίαν, officium intelligi divinum, laxiùs. Et nos fatemur preſſiùs, interdum ſumi pro ſacrificio. ſumus ergo pares. & luſit operam ridiculè, Bulengerus. Bellarminus, qui vix aliter, interpoſuit, anſam dedit Caſaubono demonſtrandi, ſæpè aliter ſumi λειτουργίαν apud Patres, quàm pro ipſo Actu ſacrificandi.

134. Synaxis vox eſt in uſu frequentiſſimo Antiquitatis. Caſaubonus arbitratur vetuſtiſſimos Chriſtianos hac formâ dixiſſe, & non συναγωγήν, prout ratio poſtulabat τῆς ἀναλογίας, ut à Judæorum diſtinguerent ſynagogis. uſurpatam verò vocem non unâ notione: aliquando enim ipſum cœtum populi convenientis: interdum, in illo cœtu corporis & ſanguinis Chriſti participationem ſignificare. in quâ ſolâ ſignificatione, adhibetur apud Dionyſium Areopagitam. Non reclamat Bulengerus: ſed tranſcriptis è Caſaubono non paucis, unum aut alterum è Socrate teſtimonium adjungit, ut Miſſæ mentionem inculcaret: quod tamen ipſum, totam populi convenientis actionem denotabat: nec vel leviter ſugillabat Exercitator. Caput 43. de Myſterii voce multa complectitur: Laudat, doctiſſimè ſcribentem Caſaubonum Bulengerus, de μύειν. μυεῖσθαι. Myſterio, Dei, regni, iniquitatis, Imperii. Tranſilit multa, ad Chryſoſtomum uſque qui myſteria non eſſe prophananda docet, λόγοις ποιητοῖς. ſanè apprehendenda, quæ in ſacris illis myſteriis exhibentur. ὃν καὶ καλῶς. Nam, οὐ τῇ ὄψει κρίνω τὰ φαινόμενα, oculis non dijudico quæ apparent: certè nos non judicamus. at Bulengerus non aſcendit ultra oculos. ne nos quidem Bulengere, ἀλλὰ τοῖς ὀφθαλμοῖς τῆς διανοίας. In

myſteriis

myſteriis enim, ἕτερα ὁρῶμεν, ἕτερα δὲ πιστεύομεν. Hoc Patres in ſacroſanctâ Euchariſtiâ ſervandum docent. Ita nos rem ſenſu non æſtimamus, ſed fide. Tu velis idem. rectè. ſed non conſonè prioribus, ubi Fides excluditur: ſenſus advocatur, ad corpus naturale contemplandum in ſacramento. Verum ita eſt. ut Polypus aut Chamæleon mutant colores: ita rebus tractatis, accommodantur à magiſtris noſtris ἀποφάσεις. Credimus fide, adeſſe Chriſtum. eſſe corpus Chriſti participatum: ſed μυστηριωδῶς: Myſterium enim eſt. ideò hic oportet μύειν τὸ στόμα, et fibulam imponere curioſitati.

135 Miror te non excanduiſſe in Euſebium Emiſſenum. Vocat ſacramentum corporis & ſanguinis conſecratum. ſacramentum rei, non eſt Res. ut ſignum, non eſt Res ſignata. ideò addit expreſsè, *Corpus hinc ablatum, ex oculis, & ſideribus illatum. Ideò, conſecrabat ſacramentum*, ait Euſebius, *qui rem erat ablaturus*. Et tamen tua eſt profeſſio, Rem abſtulit. Offerebatur in pretium: ille ait. Olim, ſemel. Vos dicitis, Offertur, quotidie: Miror Euſebium, in cauſsâ tantopere diſparatâ, ſperatum advocatum. *Ut coleretur jugiter per myſterium*, ait ille, quod *ſemel offerebatur in pretium*; Ita dicimus, ut Coleretur. ſed, Quà, quatenus? *Ut perennis illa victima vivat in memoriâ, & ſemper præſens eſſet in Gratiâ*. Sacrificium ergo: ſed commemorativum. Præſentia, ſed non Corporalis. Et ut planè habeamus Hæreticum hominem, dimidiatam explodit communionem. Proculdubiò, ut Bertramum, ita & Euſebium nobis Emiſſenum, Hæreticus aliquis Oecolampadius, aut ſimilis farinæ homo, mentito titulo obtruſit. balbutit enim linguâ ſacramentaria. Anſelmus in hac cauſsâ, quid, quale, παρεγκλίνει. non moramur. Lanfranci diſcipulum agnoſcimus. Fatuè, in cauſsâ ſacramentariâ, Anſelmi laudatur, hominis partiarii, teſtimonium. Age laude, & tertii Innocentii illius Tranſubſtantiationis, φιλολάτορος. De Cyrillo, terve quaterve dictum. Non προσέχωμεν ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ οἴνῳ. Corpus etenim & ſanguinem Chriſti profitemur, κατὰ τὴν δεσποτικὴν ἀπόφασιν. *Hoc eſt corpus meum.* Fide autem rem metimur. ſenſuum judicium, in magno hoc myſterio, παραιτοῦμεν. Credimus Deo, nec reſiſtimus. licèt res ſenſui ſit contraria; Ipſe dixit, & factum eſt. Dicimus cum Theodoreto, Dial. 2. Οὐ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως. Μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους. Καὶ ὁρατά ἐστι, καὶ ἁπτά, οἷα καὶ πρότερον ἦν. νοεῖται δὲ ἅπερ ἐγένετο, καὶ πιστεύεται, καὶ προσκυνεῖται, ὡς ἐκεῖνα ὄντα, ἅπερ πιστεύεται. Poſt ſanctificationem, myſtica ſymbola non egrediuntur naturam propriam. Manent quippe in ſubſtantiâ priori, in formâ, & figurâ primis. Nam viſibilia ac tangibilia ſunt, uti prius erant. Id quod ſiunt, mente concipitur, creditur, ac adoratur, utpote quæ illa ſint, quæ creduntur eſſe. An hic ulla nubecula? Docet ille, quis negat, non eſſe immorandum in nudis ſignis, Pane, aut Vino. Et quis te docuit voluiſſe Caſaubonum, aut crediddiſſe?

mentiris

mentiris inſigniter mentem Theodoreti, in allatis teſtimoniis. quaſi crederet ſubſtantiā panis & vini mutatam in ipſam Chriſti ſubſtantiā naturalem. Cur non oculis tuis fidem, cur non auribus accòmmodas, lecto, vel audito præſenti hoc teſtimonio? Affirmat expreſsè, ſymbola poſt conſecrationem, non exiſſe è naturâ ſuâ primâ, ſed manere illibatam, ſubſtantiam, quæ fuit, priorem. Tibine credendum eſt, aliud Theodoreto affingenti? Sed *adorantur*, ait ille. ait. At non illâ veſtrâ ἀρτολατρείᾳ. ſed adorant participantes, animis, quibus adeſſe intelliguntur, & creduntur illa quæ corporali modo, nec adſunt, nec videri poſſunt. Certè, niſi verè glandivori eratis, & χοιροβιῶται, iſtam quercum non frequenter ita atque ſtupidè excuteretis, ex quâ præter glandes, nihil eſt caducum.

136. Auguſtini verba, è 9. cap. de Catechizandis rudibus, arietant directè in illam arcem, ad quam expugnandam componuntur. Docent, ſi quid adhuc Latinè intelligas: nam ſtupor iſte myſticus, omnem tibi pene literaturam expectoravit: Rem ſacramenti, communicatam olim multis, quibus ratio ſymbolorum non fuit expreſſa. *De ſacramento, quod accepturi ſunt, ſufficit prudentioribus audire quid res ſignificet: cum tardioribus autem pluribus verbis, & ſimilitudinibus agendum eſt, ne contemnant quod vident:* maximè autem ſi & accederent illa quæ promuntur ab eodem, ibidem Auguſtino. Sacramenta eſſe ſigna, quæ ſignificant aliquid, quod utrinque ponitur in confeſſo, eſſe de naturâ ſigni. Addis, veſtros Theologos docere, non tantùm ſignificare, verumetiam efficere quod ſignificant. Et tu ignoras à noſtris hoc idem doceri? ſed non Phyſico modo. Aſſentior. an veſtri ita docent? Negas ipſe. omnes, vel moraliter, inquis, vel Phyſicé. Craſſiores Popæ: Monachorum haræ, Phyſicam fortaſſis effectionem credunt. at ἀσεῖοι, & eruditiores, non niſi moralem. quibus nos accedimus non illibenter. Auguſtini ῥῆσιν agnoſco, è 3. Concione in 33. Pſalm. *Dat nobis manducare corpus ſuum.* Credimus. accipimus: manducamus ad vitam. *Manducant idem corpus*, ait idem ibidem Auguſtinus, *& Angeli. manducant ſupernæ virtutes: manducant cæleſtes ſpiritus: & manducant & ſaginantur: & integrum manet, quod illos ſatiat, & lætificat.* ſed quomodo tandem? audi eundem. *Vbi dicitur, quomodo eſt. Non intelligitur. Tenebræ ignorantiæ ſunt. Ignorantia & ſtultitia in perſonâ Regis Achis.* Quocirca, ne de modo nos interroges. nedum pro Imperio ſtatuas. Nam ut idem Auguſtinus: *Quis homo poſſit ad illum cibum?* Ne David, quod jamdudum fecit, avertat ſuam faciem, & abeat. ſugillas Caſaubonum, qui pa. 561. integrum Epiphanii locum non attulerat. ſed non erat opus. ſatis indicabant allata, τὸ ζητούμενον: myſticè myſtica enunciari ſolita. Tuam fidem ſugillet multò magis Lector, qui ad textum Epiphanii tuam gloſſam accommodas. qui ἀναίσθητον, ita reddis, ſenſu carens, quaſi poſt conſecrationem non careret ſenſu, ute-

pote

pote, σῶμα τὸ αὐτότατον, de Virgine natum, quòd non ſomniavit Epiphanius. ſed multò magis ſtoliditatem, Papiſta quivis, qui Parentes nobis indicas Gnoſticorum fæcem, opinionis illius. Verum hominis ſanguinem in myſteriis adhibendum. Non enim quia Maximus & Pachymeres, ad 3. cap. Eccle. Hierar. ſcribunt, Πολλοὶ μὲν εἰς μόνα τὰ θεῖα παρακύπτουσι σύμβολα ἅτε μὴ δυνάμενοι ὑψηλότερόν τι ἐννοῆσαι. Multi ad divina ſymbola tantùm limis attendunt; utpote qui ſublimius quid cogitare nequeunt. at ſacerdos illa πρωτότυπα reſpicit, honorandum corpus & ſanguinem. ſacerdos autem πρὸς ἐκεῖνα τὰ πρωτότυπα αὐτὸ τὸ τοῦ Κυρίου τίμιον σῶμα καὶ αἷμα ἀνάγεται, ideò, imaginabatur ille præſentiam corporalem in Altare. Aſcenſus eſt etenim, ἀνάγεται πρὸς τὸ σῶμα. eſt motio animi ſurſum, ad corpus in Cœlum. non autem corporis de ſurſum in Altare. nec quia πιστεύει ὅτι τὰ προκείμενα εἰς ἐκεῖνα μεταβλήθησαν, ob eam cauſſam ἡ μεταβολὴ, quam & nos concedimus, fieri debet neceſſariò per Tranſubſtantiationem: Illam credidit Caſaubonus, mitte hanc de pectore curam, illam ſequebatur, non hanc mirificam ſeu monſtroſam magis, Cœnam Domini. Dionyſius ἀρχισύμβολον δεῖπνον nominavit, ſuo more, διθυραμβικῶς. hoc eſt omnium cœnarum quæ fiunt, cœna prima, ut Græci exponunt ſcholiaſtæ. Ego rectiùs puto, aiebat Caſaubonus. In quâ ſunt inſtituta ſymbola rerum quæ fiunt: Bulengerus, In quâ ſunt primaria & digniſſima ſymbola myſteriorum quæ fiunt. probo. non enim quod κυριώτατον exprimebat ille. cætera περὶ τελετῶν demonſtrant πολυπραγνωσίαν, cauſſam non infirmant Caſaubonianam.

Quid hoc, Quod de voce χάριτος, *& gratiæ obſervas, ut ab homine Theologiæ imperito, probo.* Itane? ut Theologa? ut verè prolata? ſi probes, ut profecta à Theologo probas. quia ſecundùm illam rationem vera: alioquin improbè, minus proba probas: Gratiæ vocem & χάριτος pro Baptiſmo interdum ſumi, & Euchariſtia docet. Hoc tu probas ergo. et tamen improbas. *Peritus* enim *Theologiæ*, inquis, *nunquam agnoſceret propriè Gratiam ſumi, pro ſacramento corporis Chriſti.* Captioſè. nam nec Propriè dicebat ille. ſtultè imò & ridiculè. Nam quid hæc ſibi volunt? *ſed latâ ſignificatione, gratiam quæ percipitur in omnibus ſacramentis, jam de hoc; jam de illo ſacramento: maximè verò de Gratiâ Euchariſtia, ſub quâ latet Auctor Gratiæ.* An peritum Theologiæ ſapiant iſta, neſcio: produnt profectò, loquendi imperitum. Nam quid volebas balbutire? ſcio quam tui ſimilis in ſequentibus, Corpus Chriſti, (Tuum vocas inſtitutum ſic ineptire) contendis, quod nemo negat, in Euchariſtiâ, & eſſe, & communicari. Hoc non eſt hominis ratione rectâ, nedum Theologiâ præditi. Quid ſi autem Gratiæ auctor, in Euchariſtiâ detur? Ideone non eſt χάρις Euchariſtia? Quaſi Auctor ille Gratiæ, non ſit Gratia, etiam ſecundùm illam Theologorum Regulam; *Quod eſt in aliquo per Participationem, eſt in alio per Eſſentiam.* Gratia enim non eſt ſola communicata. ſed & inſuper Eſſentialis.

137.

τῆς

τῆς θείας χάριτος μεταλαμβάνειν, Te interprete, eſt ipſiſſimum Chriſti corpus comedere: Eſt ergo, quod tamen, ſtupendè negas, χάρις Euchariſtia, corpus Chriſti: τὰ ἁγιάσματα, ſanctificata, & ſanctificantia. per εὐλογίαν, ſanctificata, ad uſum illum longè diviniſſimum. per efficaciã ſanctificantia, velut inſtrumentũ divinæ Gratiæ. An hoc malè cepit Exercitator? prorſus ſic videtur. Non enim panis ſanctificat, qui abiit in ſubſtantiam corporis Chriſti, ſed ipſum Chriſti corpus conjunctum cum Divinitate. Hoc non vult Origenes, imponis Lectori: προσαχθέντας ἄρτους ἐσθίομεν σῶμα γενομένους, ἅγιόν τι καὶ ἁγιάζον, τοὺς μετὰ ὑγιοῦς προθέσεως αὐτῷ χρωμένους. Panes oblatos comedimus: corpus factos, ſanctum quid, & ſanctificans eos, qui cum ſano propoſito eo utuntur. Non ergo ſingulos & univerſos. Nam impuris non fit σῶμα ἅγιόν τι. agnoſcit Origenes. Chriſti corpus agnovit & Exercitator. non per modum Trans, hoc agnovit ille: ſed nec apud Origenem tu repereris.

138. Inter alias ſacramenti appellationes, Bonum, τὸ ἀγαθὸν repoſuit Exercitator, laudato Baſilii teſtimonio ad Amphilochium, Can. 55. ubi Balſamon exponit τῆς μεταλήψεως. Cavillaris. Communio cum Bono, communio eſt cum Deo, quia ſolus Deus Bonus eſt: uti docet Dionyſius. Illius ergo potius Te fateris σοφιστὴν, quàm Jeſu Chriſti, qui Matth. 17. idem ipſum docebat, & Dionyſium, & Nos cum Dionyſio Chriſtianos. ſed dic ſodes. Anne à Deo nihil bonum? Cùm tamen fateare neceſſe eſt, non Atheos, Omnia opera ipſius fuiſſe καλὰ λίαν. Quaſi nos rudiores Novatores neſciremus, Solum bonum eſſe Deum per Eſſentiam. hoc eſt, ſummè & perfectè Bonum. Cætera in genere quæque ſuo bona, per communicationem, & dependenter. *Quam rem cùm Vos expedire nequeatis*, alloquitur Auguſtinus ita Manichæos, *videte quàm expedita ſit ſententia Catholicæ diſciplinæ, quæ aliud docet Bonum, quod ſummè ac per ſe Bonum eſt; & non participatione alicujus Boni, ſed propriâ ſuâ naturâ ac eſſentiâ. aliud quod participando Bonum & habendo Bonum eſt. Habet de illo ſummo bono, hoc, ut bonum ſit. in ſe tamen ſubſiſtente illo Bono, ac nihil de eſſentiali Bonitate amittente.* Hæc cùm tam facilia ſint, & in promptu, miramur, indicari. Non poſſe dici bonum quod à Boho eſt, quod Bono nos adunit & conſociat. Facit hoc modo quodam excellenti Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. Ἑκάστης ἱερατελεστικῆς πραγματείας καὶ τὰς μερικὰς ἡμῶν ζωὰς εἰς ἑνοειδῆ θέωσιν συναγούσης, καὶ τῇ τῶν διαιρετῶν θεοειδεῖ συμπτύξει, τὴν πρὸς τὸ ἓν κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν δωρουμένης. Cum unaquæque ſacra myſtica actio, per vitam noſtram variè diſpertita, deducat unà, in unicam unitam Deitatem, & per divinitus viſam complicationem rerum differentium communionem cum uno & adunitionem conferat. Cùm hoc ita ſit, quærit Dionyſius cap. 3. de Cœleſti Hïerarch. cur nomen illud κοινωνία, καὶ σύναξις huic, quaſi modo quodam peculiari, tribuatur. Reſpondet autem: Ὅτι ταῖς τῶν ἄλλων ἱεραρχικῶν συμβόλων μεθέξεσιν, ἡ τελείωσις ἐκ τῆς ταύτης θεαρχικῆς καὶ τελειωτικῆς ἐστι δωρεῶν. Quod aliorũ divinorum ſymbolorum

rum participationis perfectio ab iſtis à Deo ortis & conſummantibus donis proficiſcitur. Unde ſæpenumerò apud eundem, ἑνοποιὸς κοινωνία. τὸ ἑνιαῖον τέλειον. Et inter cætera: ἡ δὲ θειοτάτη τοῦ ἑνὸς καὶ ταὐτοῦ καὶ ἄρτου καὶ ποτηρίου, κοινὴ καὶ εἰρηναία μετάδοσις ὁμοτροπίαν αὐτοῖς ἔνθεον ὡς ὁμοτρόφοις νομοθετεῖ. Hæc minimè fuerant vel arrodenda, vel allatranda.

Sed fucum tibi facit Exercitator. Si ſic, quid ni Cretizet cum Cretenſi? Tu toties feciſti fucum vetuſtis Eccleſiæ Patribus: Scripturæ ſanctæ: patientiæ Lectorum. Eruditionis tuæ expectationi. Fucum verò quem fecit vir eruditus? Quia Chriſtum, ait, percipimus in myſterio. Non enim credebat in ſubſtantiâ Chriſtum percipi. Nec credebant Apoſtoli, vel ſancti Patres. imponit: non qui credit in Myſterio Chriſtum percipi: ſed qui credit fieri converſionem panis atque vini, in ipſum Chriſti corpus. ubi enim hic, τὸ μυστήριον, quod μύει τὸ σῶμα. cùm & modus in confeſſo, & res ipſa corporaliter adimpleatur? Myſterium illud verè quod fides apprehendit: non quod ſub ſenſu cadit, aut ratione. Myſterium formidabile & tranſcendens eſt, ὁ καθήμενος ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς, ἐν ταῖς δεξιαῖς εὑρίσκεται τῶν ἀνθρώπων. Chryſoſt. in 3. de ſacerdot. nam in ſacratiſſimâ illâ actione, porrigebant ſacerdotes, & quidem manu dextrâ, corpus Chriſti communicantibus. Ita moris erat ævo Tertullianeo: ita & noſtro quoque ſæculo obſervatur. Tertullianus, corpus Domini, Baſilius σῶμα & τὸ αἷμα nominant. Non abnuimus. Nullus veterum, de modo vel hiſcere voluit. Ante tertium Innocentium in Laterano præſidentem, nemo hoc credere cogebatur. Et poſt Innocentium, niſi illum metuiſſent in Eccleſiâ loquentem, illiusque ſucceſſores καθακυριεύοντας, non credidiſſent. Doctor ſubtilis, Roffenſis, Caietanus: alii. Corpus ſuum ad comedendum familiaribus ſuis, ſanguinem præbuiſſe ſuum ad bibendum, cum Nyſſeno profitebimur. non autem Tu ſacramenti delumbator. 139.

Ad eundem modum nugaris περὶ τελείου. Legitur in Concilio Ancyrano ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον. ad eundem modum quo in Dionyſio τελείωσις, dicitur Euchariſtia. Locus eſt, Can. 4. illius Concilii. Balſamon exponit, τουτέστι, καὶ τῶν θείων ἁγιασμάτων μεταλάβωσι, cui conſentit expreſsè, interpres alter, Zonaras. λεπτολογεῖ Diatribarum author, qui Perfectum interpretatur Deum. Quis negat? ſed Deus non αὐτὸς hic recipitur. Diviniſſima illa myſteria ὀχετηγεῖ. atque ideò dicuntur τέλεια, quod τελειοῦσι. Paſchaſii teſtimonium, nec infirmat, nec attingit, τὸ τέλειον. Corpus Chriſti ſupponit in Euchariſtiâ. Et cum illo, Hugo Victorinus. ſic et Thomas, & tota natio Pontificiorum. Non credidit Ambroſius, cum Aquinate, ne tum cum in Libr. de iis qui myſteriis initiantur, cap. 9. ſcriberet, *Quid hic quæris Naturæ ordinem in Chriſti corpore? cùm præter naturam ſit ipſe Dominus natus de Virgine.* Rectè curioſitati humanæ patibulum fixit, qui modum Deo figere præſumpſerunt. Veram ait extitiſſe Chriſti carnem. Ne- 140.

 mo

mo ambigit. at non ſub ſpeciebus Panis & vini; ſubſtantiâ mutatâ. Hoc non dicit, ſed *Veram*. Nam qui de Phantaſiâ blaſphemabant, erant multi. Sequitur enim in Ambroſio. *Verè ergo illius carnis ſacramentum eſt*. Vera illa Caro quæ naſcebatur, crucifigebatur. illius ergo Carnis, Sacramentum *verum*. Cyrilli ῥῆσις jam quoties ſucceſſit. ὁ φαινόμενος ἄρτος οὐκ ἔστιν ἄρτος. Rectè. Non qui fuit. non qualis fuit. nec vinum vinum. ſcilicet cujuſmodi vendebatur in œnopolio. Hoc eſt, ut ſemet explicat in eadem Catecheſi, non eſt ψιλὸς ἄρτος: ut certè non eſt.

141. Obſervat Joh. Damaſcenus ſacramentum communionis μετάληψιν vocari. δι' αὐτῆς γὰρ Ἰησοῦ θεότητος μεταλαμβάνομεν: Ampliùs obſervat Damaſcenus ſubſtantiam Panis & vini, vi verborum Chriſti, tranſire in ſubſtantiam, ait Bulengerus, corporis & ſanguinis Chriſti. ſed mentitur improbè Damaſcenum. ultra iſta nihil ille, ἐπειδὴ ἔθος τοῖς ἀνθρώποις, ἄρτον ἐσθίειν, ὕδωρ τε καὶ οἶνον πίνειν, συνέζευξεν αὐτοῖς τὴν αὐτοῦ θεότητα, καὶ πεποίηκεν αὐτὰ σῶμα καὶ αἷμα αὐτοῦ. Quandoquidem hominibus in more poſitum eſt, panem comedere, aquam & vinum bibere, iiſdem conjunxit ſuam divinitatem, & fecit ea corpus & ſanguinem ſuum. Nihil ille de ſubſtantiâ immutatâ. de Veritate docet. Nos fatemur. modum nullum attingit præter σύζευξιν τῆς θεότητος: qui quidem eſt veriſſimus: ſed nimium generalis, ut ad Tranſubſtantiationem referatur. Addit Damaſcenus ut adhuc conſtruat veritatem rei. ſi verbo Domini, cœli firmati ſunt, &c. Nonne poteſt τὸν ἄρτον ἑαυτοῦ τὸ σῶμα ποιῆσαι? Póteſt proculdubiò. & effectum dat: ſed an tu Bulengere mihi modum deſignabis in particulari, quo Cœlum ille & Terras de nihilo fecit? ἄπορον τοῦτο. Quidni & ἐκεῖνο; Eſto πᾶσα ergo λύσις ἀμφοτέρων. Narro & ego tibi, narratum à te Caſaubono, ſpiritus ſanctus ſupervenit, & hæc facit myſteria divina, ſupra rationem, & cogitationem, Corpus Chriſti: hic ſubſiſte: nec limites vetuſtiores transfer: en pedem pede premimus, in procinctu. Lectum in ſecundis notat Exercitator, in Juſtino Apol. 2. μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου. nimirum panis dicitur à conſecratione. neque obſtat quod legitur apud eundem Juſtinum, de quo omiſſo cavillatur Bulengerus. Ait enim, non eſſe κοινὸν ἄρτον. Et profectò non eſt. ſed σάρκα καὶ αἷμα τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ. Planiſſimè. Credimus, qui Legimus, *Hoc eſt corpus meum*. Qui ſilet de modo quo fit corpus; ſtatuere non audemus. ſunt verba Caſauboni. Μετάληψις, quando eſt nomen Euchariſtiæ, non jam actionem ſignificat, verùm ipſa ſymbola. Bulengerus in oppoſitum. à Vero, inquit, aberras. μετάληψις ſemper actionem ſignificat communicantis, nunquam ipſa ſymbola. Itane? Erit ergo Actio, & Res circa quam eſt actio idem. ſic oportet eſſe. aliud volebas. attendendum erat ad τὸ ῥηθέν. non enim contradicis Caſaubonianæ aſſertioni. Hoc negas ergo, μετάληψιν ullatenus pro ſymbolis, ſemper pro actione uſurpari. At quid tum fiet ῥήσει Damaſceneæ. Μετάληψις λέγεται, δι' αὐτῆς γὰρ Ἰησοῦ θεότητος μεταλαμβάνομεν.

λαμβανόντων. Hoc ſiquidem non actio, ſed Corpus Chriſti facit participatum. Quid illi? μεταλήψεως μετέχειν· μετ' ἐνιαυτόν. Corrigis icciro inconſultè dictum: ſaltem vacillas. Aut ſi certè ſignificat non Actionem, corpus ipſum Chriſti quod participatur ſignificat. Accedo. ſed modum non dicit participati corporis, non docet idem corpus μετάληψιν appellari, quatenus illud Ore manducatur, quod in Cruce pependit: quod ad dexteram Dei ſedet. Hic tibi pes figendus erat: non diſcurrendum per incerta, & incognita. In ſequenti capite nihil aliud occurrit, quàm quod, ut ſæpè, ſemper alias, à propoſita συζητήσει, ad Veritatem dilaberis oſtendendam, corporis Chriſti & ſanguinis ζωοποιούντων, in ſacramento ſacratiſſimo. In quo Novatores nos, te comitabimur, non quod Tibi fingis, oppugnaturi.

Si nobiſcum, ait, ſentires, nobiſcum, Caſaubone loquerere. Rectè. ſermo namque, ut eſt index animi, ita quoque quædam quaſi obſtetrix, per quam in lucem efferuntur, τὰ διανοούμενα. veſtra autem ἀποκυήματα ſunt ἠλιτόμηνα, nec ætatem præferunt perfectivam. Nemo olim Veterum ſic de Corpore Chriſti tranſubſtantiato balbutiebat. non balbutit Caſaubonus, de pane nudo, de figurâ nudâ, non ζωοποιῶ, quod eſt corpus Chriſti. Myſticum appellat, eò quòd communicetur ἐν μυστηρίῳ. eò quod in finem planè myſticum, eò quòd modo μυστικωτάτῳ: ad quem non poſſumus aſpirare. Concilium Epheſinum, in declaratione anathematis II. non in ipſo anathemate, rectè docet in Eccleſiis προκειμένην τὴν ζωοποιόν, καὶ ἀναίμακτον θυσίαν. Quaſi titulo huic Caſaubonus adverſaretur: aut de nudâ figurâ deliraret. M. Epheſius in Concilio Florentino, recens author: in aliis, te ipſo authore Hæreticus, in hoc eſto, ſi lubet: quanquam ejus μεταποίησις, non eſt Romanæ Eccleſiæ μετουσίωσις: ut neque Germani μεταβολή. Chryſoſtomus tibi Ipſe reſpondere poterit: qui videre ait ſuos auditores, ſpiritum ſanctum ἐφιπτάμενον τοῖς προκειμένοις. Tu credo hoc vidiſti tuis, Lyncei oculis. nam & νέρθεν γαίης tuis oculis deprehendiſti, quemadmodum ille olim Aphereïdes; nedum Chriſti ipſum corpus in Sacramento. Chryſoſtomus loquitur ὑπερβολικῶς. ſpirat phraſis affectum, non intendit τὸ ῥητόν. μέγαλα certè τὰ προκείμενα. Dei magnalia, ſi quæ unquam alia. at μείωσις eſſet illa, τῶν ὄντως μεγάλων, ſi tam arctè cubaret in ſacrâ menſâ, ſub exiguâ particulâ fracti panis. Quodſi verè ſint ſymbola cœleſtium illa ἅγια δῶρα, ut rectè Maximus apud Dionyſium: non ſunt iſta cœleſtia. Ἡ γὰρ εἰκὼν, ut Theodoretus, οὐ πάντα ἔχει ὅσα τὸ ἀρχέτυπον. ſymbola ergò rei non ſunt res. Ad Chryſoſtomum te remitto, in tuis excerptis, qui Chryſoſtomi nobis mentem vel ibidem explanet. ſic ἔστιν ἀνθρωπίνης δυνάμεως ἔργα, τὰ προκείμενα. neq; modi, aut modificationis humanæ. Ideò non ſequitur, quod συλλογίζεις. ſi Chriſtus offertur, & offert, tum non eſt panis qui offertur. Neque enim ullus ſyllogiſmus admittit idem, offerens & oblatum, ſervatis legibus oppoſitorum. Caſauboni eru-

 ditio,

niſi inter molares & χαυλιόδοντας. In Altari, dum cubat, ſalvus eſt adhuc. ſacramentum, non ſacrificium. In motu ad ſacrificium, non ſacrificatus. Nam, Mutatio, tu dixiſti, non eſt immolatio. Κοσμεῖ τὴν τράπεζαν præſentiâ ſuâ, & hoc fieri poteſt abſque ſacrificio. Eſt etenim ἀμνὸς λογικὸς, intellectu atque fide apprehendendus. Ἄλογοι & ſunt, & haberi debent, qui tam craſſo modo, divina myſteria & ſacra circumſcribunt. conveniam te verbis Auguſtini, ut agnoſcas deinceps, quid ſit ſacrificium. & proficias in frugem meliorem: ſi non nuperus, at certè nugaciſſimus Theologus. *Verum ſacrificium eſt omne opus quod agitur, ut ſanctâ ſocietate Dei inhæreamus. relatum ſcilicet ad eum finem Boni, quo veraciter beati poſſimus eſſe. unde & ipſa miſericordia, quâ homini ſubvenitur, ſi propter Deum non fit, non eſt ſacrificium: Etſi enim ab homine fit vel offertur, tamen ſacrificium res divina eſt, ita ut hoc quoque vocabulo id Latini veteres appellaverint: Undè & ipſe Homo, Dei nomine conſecratus, & Deo devotus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, ſacrificium eſt.* Vide cætera apud Auguſtinum de Civit. Dei. 10. 6. Neque opus eſt pro ſacrificio Altaris, ad Chriſti confugere mactationem. Ita olim Bertramus obſervabat, è Fulgentii ad Petrum Diaconum commentario. *In illis carnalibus victimis, figuratio fuit carnis Chriſti, quam pro peccatis noſtris, ipſe ſine omni peccato fuerat oblaturus, & ſanguinis quem erat effuſurus, in remiſſionem noſtrorum peccatorum. In iſto autem ſacrificio gratiarum actio, atque commemoratio eſt carnis Chriſti, quam pro nobis obtulit, & ſanguinis, quem pro nobis effudit idem Deus & Homo. & iterum. In illis ſacrificiis quid nobis eſſet donandum ſignificabatur, figuratè. In hoc autem ſacrificio quid jam nobis donatum ſit, evidenter oſtenditur. In illis ſacrificiis prænunciabatur filius Dei, pro impiis occidendus: in hoc pro impiis annunciatur occiſus.* Vides ultra τὴν ἀνάμνησιν, non progreſſos antiquos ſcriptores. nec myſteria noviſſe, tuæ tam abſtruſæ Theologiæ: quæ nullum admittit ſacrificium, niſi reale σωματικὸν Jeſu Chriſti.

145. Quod ſcriptum eſt, 1 Cor. 5. 7. *Paſcha noſtrum Chriſtus immolatus eſt*, non de Arâ Crucis, ſed Altari myſtico, contendit Bulengerus intelligendum, & Catholicos omnes ſententiæ ſuæ contendit aſtipulatores. Romano more ſcilicet. nam alioqui Catholicus erat Auguſtinus, qui ſer. 49. aut quiſquis erat author, inter appendices de diverſis quærit, *Et ubi immolatus eſt? dicito, In altitudine Crucis. Novum eſt Altare hujuſce ſacrificii, quoniam & Immolatio nova eſt, & admirabilis. Ipſe enim & hoſtia erat & ſacerdos.* Catholicus erat Athanaſius, & ille tamen interpretatur de Cruce. Τὸ δὲ, Χριστὸς ἐτύθη, πανταχοῦ προδήλως κεκήρυκται. Τὸ πάσχα ἡμῶν, &c. Quem locum adducit ex Apoſtolo, ut probet, Chriſtum niſi in Cruce oblatum non fuiſſe: adverſus Theopaſchitas, Tom. 2. pag. 261. Catholicus erat beatus Ambroſius. Ille tamen de Cruce, & non Euchariſtiâ capiebat. Ita cæteri Catholici.

lici. Mentiris ergo. ut & Patres, quaſi ſubſtantiam Panis, in ſubſtantiam corporis Chriſti docerent tranſiiſſe. Hieronymus, qui citatur, longè abeſt ab hac abſurditate, in Comment. ſuper illam ad Titum. Ait Panes propoſitionis à corpore Chriſti tantum differre, quantum Imago à Veritate. Ubi hic mutatio ſubſtantiæ in Altari? Nam Chriſti corpus potuit intelligi in Arâ Crucis. & ut demus, de participato, in Altari: nihil ait de modo, quo adeſt ibi verus & totus Chriſtus. *Ipſe noſter cibus eſt*, ait idem in Pſalm. 80. Non ipſe cibus de pane factus. ſed Panis ſubſtantiâ remanente, cibus. *hortatur panis, ut comedamus.* ergo Panem vocat poſt conſecrationem. neque aliter ad cap. Eſaiæ 66. Carnem nominat & ſanguinem, ſed non mutatum, tranſubſtantiatumve. Ludis operam, qui proponis de mutato pane, & ultra carnem non progrederis. Chryſoſtomus hortatur ut non niſi reconciliatâ cum fratribus gratiâ, menſam ſacram accedamus, & ſanctum illud corpus attingamus. audio, & exoſculor. ſed nihil tinnit de illâ mutatione Pater. In hom. 24. 1. ad Cor. multus eſt in evehendâ myſterii hujus dignitate idem Pater; & tanquam δεικτικῶς, communicantibus oſtendit in menſâ ſacrâ. nuſquam tamen, quod eſt τὸ ζητούμενον, panem docet mutatum, in Chriſti corpus tranſiiſſe. multo minus homil. 6. ad Populum Antiochenum. illo enim nutrimur οἱ ἐπὶ γῆς, quem in Cœlis exiſtentem intuentur Angeli, cum metu et tremore. In cœlo admirantur, adſunt & aſtant Altaribus ſacris. Eſt enim locus ſanctus, actio ſacra. in honorem τοῦ προκειμένου. Non enim Panis, eſt ſignum nudum, Chriſti non præſentis, ſed realiter abſentis. fingis hæc tueri adverſarios tuos, ut in illos effundas adverſaria. Mutat autem Chriſtus dona propoſita. σύμφημι κἀγώ. Neque enim ſunt, quæ fuerant ψιλὸς ἄρτος, etiamſi non corpus, οὐσιωδῶς, quod de Virgine naſcebatur. *Mutat in ſanguinem.* ita ait Chryſoſtomus ad Neophytos; & addit, *ſplendentem*, hoc eſt, rubrum, & diſtillantem. non verè opinor, αἱμοβόρος eſſet, qui ſic communicaret. ſed in myſterio. Qui communicat, δέχεται σῶμα Χριστοῦ. prorſus. ſed non ait, Tranſubſtantiatum. Cætera ſunt iſtiuſmodi, ex eodem infinita. Nuſquam eſt vel ſyllaba de ſubſtantiâ tranſmutatâ. Obeat, cuicunque vacat ineptias uſurpare, in hanc rem, congeſta teſtimonia. Quæ, cum aliud eſſet propoſitum ab initio, aliud tamen probant in concluſione. *Tranſitionem, converſionem, mutationem; tranſelementationem, alterationem*, μετάθεσιν, μεταστοιχείωσιν, μεταποίησιν, μεταῤῥύθμισιν, μεταβολήν. et alia repererimus in ſcriptis Patrum. ſed nuſquam modum determinatum, per μετουσίωσιν. mutationem ſubſtantiæ panis, in ſubſtantiam Chriſti Corporis, à te flagitamus: hoc tueri debes: hoc demonſtra, aut ut ſolent andabatæ, σκιαμαχεῖς.

Perſequitur Caſaubonus Euchariſtiæ titulos, in ſcriptis Veterum. docet *vitam* appellari, & *ſalutem*, apud Punicos, ſaltem Chriſtianos. 146.

patet latius quàm ſacrificium. Ad Baſilium reſpondimus: ſed & apud eundem in eâdem illâ miſsâ, ad aliud quoddam ſacrificium offerendum deſtinatur. Landis nimirum & benedictionis. Καταξίωσας ἡμᾶς γενέσθαι λειτουργοὺς τοῦ ἁγίου σοῦ θυσιαστηρίου. Quorſum verò? ἵνα ἀκαταγνώστως στάντες ἐνώπιον τῆς ἁγίας δόξης σοῦ, προσάγωμέν σοι θυσίαν αἰνέσεως: neque meminit ulterius in eo loco, ſacrificii alicujus. Apud Anaſtaſium μυσταγωγία ſic recenſetur, ut agnoſcas partem τῆς λειτουργίας. Theodoretus, in dubiis, ſine dubio diſtinguit, λειτουργίαν ab ἱερουργία, ut ſpeciem à genere ſuo. apud Proclum ille ordo intelligitur, qui continebat olim divinum officium. illum enim varii, Chryſoſtomus, Baſilius, &c. edidere. Germanus nominavit λειτουργίαν hanc partem: ſed quatenus λειτουργεῖται ob miniſterium, non ſacrificium. Marcus ille Epheſius, recens author, qui tamen animi ſui ſenſum explicat, dum Clementis nominat λειτουργίαν, in quâ, præter ſacrificium inſunt non pauca: Inter tua ipſius teſtimonia cùm ſint tam multa, quæ ſpectant alioſum, inanis, imò planè ridicula eſt illa adjuratio, *Adjuro omnes in quorum manus ſcripta hæc pervenerint* (quaſi ageres exorciſtam in Eccleſiâ) *ut hæc Patrum teſtimonia cum affectu & ſtudio veri indagandi legant: nec præjudicatæ opinioni animæ ſuæ ſalutem gratificentur.* Quaſi ſine periculo ſalutis æternæ non poſſimus profiteri, pueriliter & ineptè Bulingerum hallucinatum. Nam fateris λειτουργίαν, officium intelligi divinum, laxiùs. Et nos fatemur preſſiùs, interdum ſumi pro ſacrificio. ſumus ergo pares. & luſit operam ridiculè, Bulengerus. Bellarminus, qui vix aliter, interpoſuit, anſam dedit Caſaubono demonſtrandi, ſæpè aliter ſumi λειτουργίαν apud Patres, quàm pro ipſo Actu ſacrificandi.

134. Synaxis vox eſt in uſu frequentiſſimo Antiquitatis. Caſaubonus arbitratur vetuſtiſſimos Chriſtianos hac formâ dixiſſe, & non συναγωγὴν, prout ratio poſtulabat τῆς ἀναλογίας, ut à Judæorum diſtinguerent ſynagogis. uſurpatam verò vocem non unâ notione: aliquando enim ipſum cœtum populi convenientis: interdum, in illo cœtu corporis & ſanguinis Chriſti participationem ſignificare. in quâ ſolâ ſignificatione, adhibetur apud Dionyſium Areopagitam. Non reclamat Bulengerus: ſed tranſcriptis è Caſaubono non paucis, unum aut alterum è Socrate teſtimonium adjungit, ut Miſſæ mentionem inculcaret: quod tamen ipſum, totam populi convenientis actionem denotabat: nec vel leviter ſugillabat Exercitator. Caput 43. de Myſterii voce multa complectitur: Laudat, doctiſſimè ſcribentem Caſaubonum Bulengerus, de μυστ. μυστ. Myſterio, Dei, regni, iniquitatis, Imperii. Tranſilit multa, ad Chryſoſtomum uſque qui myſteria non eſſe prophananda docet, λόγοις πιστοῖς. ſanè apprehendenda, quæ in ſacris illis myſteriis exhibentur. ἴσυ καὶ καλῶς. Nam, οὐ τῇ ὄψει κρίνω τὰ φαινόμενα, oculis non dijudico quæ apparent: certè nos non judicamus. at Bulengerus non âſcendit ultra oculos. ne nos quidem Bulengere, ἀλλὰ τοῖς ὀφθαλμοῖς τῆς διανοίας. In

myſteriis

myſteriis enim, Ετερα ὁρῶμεν, ἕτερα δὲ πιστεύομεν. Hoc Patres in ſacroſanctâ Euchariſtiâ ſervandum docent. Ita nos rem ſenſu non æſtimamus, ſed fide. Tu velis idem. rectè. ſed non conſonè prioribus, ubi Fides excluditur: ſenſus advocatur, ad corpus naturale contemplandum in ſacramento. Verum ita eſt. ut Polypus aut Chamæleon mutant colores: ita rebus tractatis, accommodantur à magiſtris noſtris ὑποφάσεις. Credimus fide, adeſſe Chriſtum. eſſe corpus Chriſti participatum: ſed μυστηριωδῶς: Myſterium enim eſt. ideò hic oportet μύειν τὸ στόμα, et fibulam imponere curioſitati.

Miror te non excanduiſſe in Euſebium Emiſſenum. Vocat ſacramentum corporis & ſanguinis conſecratum. ſacramentum rei, non eſt Res. ut ſignum, non eſt Res ſignata. ideò addit expreſsè, *Corpus hinc ablatum, ex oculis, & ſideribus illatum. Ideò, conſecrabat ſacramentum*, ait Euſebius, *qui rem erat ablaturus.* Et tamen tua eſt profeſſio, Rem abſtulit. Offerebatur in pretium: ille ait. Olim, ſemel. Vos dicitis, Offertur, quotidiè: Miror Euſebium, in cauſsâ tantopere diſparatâ, ſperatum advocatum. *Ut coleretur jugiter per myſterium*, ait ille, quod *ſemel offerebatur in pretium*; Ita dicimus, ut Coleretur. ſed, Quà, quatenus? *Ut perennis illa victima vivat in memoriâ, & ſemper præſens eſſet in Gratiâ.* Sacrificium ergo: ſed commemorativum. Præſentia, ſed non Corporalis. Et ut planè habeamus Hæreticum hominem, dimidiatam explodit communionem. Proculdubiò, ut Bertramum, ita & Euſebium nobis Emiſſenum, Hæreticus aliquis Oecolampadius, aut ſimilis farinæ homo, mentito titulo obtruſit. balbutit enim linguâ ſacramentaria. Anſelmus in hac cauſsâ, quid, quale, παραχωρεῖν. non moramur. Lanfranci diſcipulum agnoſcimus. Fatuè, in cauſsâ ſacramentariâ, Anſelmi laudatur, hominis partiarii, teſtimonium. Age laude, & tertii Innocentii illius Tranſubſtantiationis, πρωτοπάτορος. De Cyrillo, terve quaterve dictum. Non προσέχομεν ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ οἴνῳ. Corpus etenim & ſanguinem Chriſti profitemur, κατὰ τὴν δεσποτικὴν ἀπόφασιν. *Hoc eſt corpus meum.* Fide autem rem metimur. ſenſuum judicium, in magno hoc myſterio, παραιτούμεθα. Credimus Deo, nec refiſtimus. licèt res ſenſui ſit contraria; Ipſe dixit, & factum eſt. Dicimus cum Theodoreto, Dial. 2. Ου μετὰ τὸν ἁγιασμὸν μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως. Μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους. Καὶ ὁρατά ἐστι, καὶ ἁπτά, οἷα καὶ πρότερον ἦν. νοεῖται δὲ ἅπερ ἐγένετο, καὶ πιστεύεται, καὶ προσκυνεῖται, ὡς ἐκεῖνα ὄντα, ἅπερ πιστεύεται. Poſt ſanctificationem, myſtica ſymbola non egrediuntur naturam propriam. Manent quippe in ſubſtantiâ priori, in formâ, & figurâ primis. Nam viſibilia ac tangibilia ſunt, uti prius erant. Id quod fiunt, mente concipitur, creditur, ac adoratur, utpote quæ illa ſint, quæ creduntur eſſe. An hic ulla nubecula? Docet ille, quis negat, non eſſe immorandum in nudis ſignis, Pane, aut Vino. Et quis te docuit voluiſſe Caſaubonum, aut crediſſe?

mentiris inſigniter mentem Theodoreti, in allatis teſtimoniis. quaſi crederet ſubſtantiā panis & vini mutatam in ipſam Chriſti ſubſtantiā naturalem. Cur non oculis tuis fidem, cur non auribus accommodas, lecto, vel audito præſenti hoc teſtimonio? Affirmat expreſsè, ſymbola poſt conſecrationem, non exiſſe è naturâ ſuâ primâ, ſed manere illibatam, ſubſtantiam, quæ fuit, priorem. Tibine credendum eſt, aliud Theodoreto affingenti? Sed *adorantur*, ait ille. ait. At non illâ veſtrâ ἀρτολατρείᾳ. ſed adorant participantes, animis, quibus adeſſe intelliguntur, & creduntur illa quæ corporali modo, nec adſunt, nec videri poſſunt. Certè, niſi verè glandivori eratis, & χοιροβιωταὶ, iſtam quercum non frequenter ita atque ſtupidè excuteretis, ex quâ præter glandes, nihil eſt caducum.

136. Auguſtini verba, è 9. cap. de Catechizandis rudibus, *arietant* directè in illam arcem, ad quam expugnandam componuntur. Docent, ſi quid adhuc Latinè intelligas: nam ſtupor iſte myſticus, omnem tibi pene literaturam expectoravit: Rem ſacramenti, communicatam olim multis, quibus ratio ſymbolorum non fuit expreſſa. *De ſacramento, quod accepturi ſunt, ſufficit prudentioribus audire quid res ſignificet: cum tardioribus autem pluribus verbis, & ſimilitudinibus agendum eſt, ne contemnant quod vident:* maximè autem ſi & accederent illa quæ promuntur ab eodem, ibidem Auguſtino. Sacramenta eſſe ſigna, quæ ſignificant aliquid, quod utrinque ponitur in confeſſo, eſſe de naturâ ſigni. Addis, veſtros Theologos docere, non tantùm ſignificare, verumetiam efficere quod ſignificant. Et tu ignoras à noſtris hoc idem doceri? ſed non Phyſico modo. Aſſentior. an veſtri ita docent? Negas ipſe. omnes, vel moraliter, inquis, vel Phyſicé. Craſſiores Popæ: Monachorum haræ, Phyſicam fortaſſis effectionem credunt. at ἀστεῖοι, & eruditiores, non niſi moralem. quibus nos accedimus non illibenter. Auguſtini ῥῆσιν agnoſco, è 3. Concione in 33. Pſalm. *Dat nobis manducare corpus ſuum.* Credimus. accipimus: manducamus ad vitam. *Manducant idem corpus*, ait idem ibidem Auguſtinus, *& Angeli. manducant ſupernæ virtutes: manducant cœleſtes ſpiritus: & manducant & ſaginantur: & integrum manet, quod illos ſatiat, & lætificat.* ſed quomodo tandem? audi eundem. *Vbi dicitur, quomodo eſt. Non intelligitur. Tenebræ ignorantiæ ſunt. Ignorantia & ſtultitia in perſonâ Regis Achis.* Quocirca, ne de modo nos interroges. nedum pro Imperio ſtatuas. Nam ut idem Auguſtinus: *Quis homo poſſit ad illum cibum?* Ne David, quod jamdudum fecit, avertat ſuam faciem, & abeat. ſugillas Caſaubonum, qui pa. 561. integrum Epiphanii locum non attulerat. ſed non erat opus. ſatis indicabant allata, τὸ ζητούμενον: myſticè myſtica enunciari ſolita. Tuam fidem ſugillet multò magis Lector, qui ad textum Epiphanii tuam gloſſam accommodas. qui ἀναίσθητον, ita reddis, ſenſu carens, quaſi poſt conſecrationem non careret ſenſu, utpote

pote, πῶμα τὸ ἀντίτυπον, de Virgine natum, quòd non ſomniavit Epiphanius. ſed multò magis ſtoliditatem, Papiſta quivis, qui Parentes nobis indicas Gnoſticorum fæcem, opinionis illius. Verum hominis ſanguinem in myſteriis adhibendum. Non enim quia Maximus & Pachymeres, ad 3. cap. Eccle. Hierar. ſcribunt, Πολλοὶ μὲν εἰς μόνα τὰ θεῖα παρακύπτουσι σύμβολα ἅτε μὴ δυνάμενοι ὑψηλότερόν τι ἐννοῆσαι. Multi ad divina ſymbola tantùm limis attendunt; utpote qui ſublimius quid cogitare nequeunt. at ſacerdos illa πρωτότυπα reſpicit, honorandum corpus & ſanguinem. ſacerdos autem πρὸς ἐκεῖνα τὰ πρωτότυπα αὐτὸ τὸ τοῦ Κυρίου τίμιον σῶμα καὶ αἷμα ἀνάγεται, ideò, imaginabatur ille præſentiam corporalem in Altare. Aſcenſus eſt etenim, ἀνάγεται πρὸς τὸ σῶμα. eſt motio animi ſurſum, ad corpus in Cœlum. non autem corporis de ſurſum in Altare. nec quia πιστεύει ὅτι τὰ προκείμενα εἰς ἐκεῖνα μεταβληθήσονται, ob eam cauſſam ἡ μεταβολὴ, quam & nos concedimus, fieri debet neceſſariò per Tranſubſtantiationem: Illam credidit Caſaubonus, mitte hanc de pectore curam, illam ſequebatur, non hanc mirificam ſeu monſtroſam magis, Cœnam Domini. Dionyſius ἀρχισύμβολον δεῖπνον nominavit, ſuo more, διθυραμβικῶς. hoc eſt omnium cœnarum quæ fiunt, cœna prima, ut Græci exponunt ſcholiaſtæ. Ego rectiùs puto, aiebat Caſaubonus. In quâ ſunt inſtituta ſymbola rerum quæ fiunt: Bulengerus, In quâ ſunt primaria & digniſſima ſymbola myſteriorum quæ fiunt. probo. non enim quod κυριώτατον exprimebat ille. cætera τῶν τελετῶν demonſtrant πολυπραγμοσύνην, cauſſam non infirmant Caſaubonianam.

Quid hoc, Quod de voce χάριτος, *& gratiæ obſervas, ut ab homine Theologiæ imperito, probo.* Itane? ut Theologa? ut verè prolata? ſi probes, ut profecta à Theologo probas. quia ſecundùm illam rationem vera: alioquin improbè, minus proba probas: Gratiæ vocem & χάριτος pro Baptiſmo interdum ſumi, & Euchariſtia docet. Hoc tu probas ergo. et tamen improbas. *Peritus* enim *Theologiæ*, inquis, *nunquam agnoſceret propriè Gratiam ſumi, pro ſacramento corporis Chriſti.* Captioſè: nam nec Propriè dicebat ille. ſtultè imò & ridiculè. Nam quid hæc ſibi volunt? *ſed latâ ſignificatione, gratiam quæ percipitur in omnibus ſacramentis, jam de hoc; jam de illo ſacramento: maximè verò de Gratiâ Euchariſtiæ, ſub quâ latet Auctor Gratiæ.* An peritum Theologiæ ſapiant iſta, neſcio: produnt profectò, loquendi imperitum. Nam quid volebas balbutire? ſcio quam tui ſimilis in ſequentibus, Corpus Chriſti, (Tuum vocas inſtitutum ſic ineptire) contendis, quod nemo negat, in Euchariſtiâ, & eſſe, & communicari. Hoc non eſt hominis ratione rectâ, nedum Theologiâ, præditi. Quid ſi autem Gratiæ auctor, in Euchariſtiâ detur? Ideone non eſt χάρις Euchariſtia? Quaſi Auctor ille Gratiæ, non ſit Gratia, etiam ſecundùm illam Theologorum Regulam; *Quod eſt in aliquo per Participationem, eſt in alio per Eſſentiam.* Gratia enim non eſt ſola communicata. ſed & inſuper Eſſentialis.

τῆς

τῆς θείας χάριτος μεταλαμβάνειν, Te interprete, eſt ipſiſſimum Chriſti corpus comedere: Eſt ergo, quod tamen, ſtupendè negas, χάρις Euchariſtia, corpus Chriſti: τὰ ἁγιάσματα, ſanctificata, & ſanctificantia. per εὐλογίαν, ſanctificata, ad uſum illum longè diviniſſimum. per efficaciā ſanctificantia, velut inſtrumentū divinæ Gratiæ. An hoc malè cepit Exercitator? prorſus ſic videtur. Non enim panis ſanctificat, qui abiit in ſubſtantiam corporis Chriſti, ſed ipſum Chriſti corpus conjunctum cum Divinitate. Hoc non vult Origenes, imponis Lectori: προσαχθέντας ἄρτους ἐσθίομεν σῶμα γενομένους, ἅγιόν τι, καὶ ἁγιάζον, τοὺς μετὰ ὑγιοῦς προθέσεως αὐτῷ χρωμένους. Panes oblatos comedimus: corpus factos, ſanctum quid, & ſanctificans eos, qui cum ſano propoſito eo utuntur. Non ergo ſingulos & univerſos. Nam impuris non fit σῶμα ἅγιόν τι. agnoſcit Origenes. Chriſti corpus agnovit & Exercitator. non per modum Trans, hoc agnovit ille: ſed nec apud Origenem tu repereris.

138. Inter alias ſacramenti appellationes, Bonum, τὸ ἀγαθὸν repoſuit Exercitator, laudato Baſilii teſtimonio ad Amphilochium, Can. 55. ubi Balſamon exponit τῆς μεταλήψεως. Cavillaris. Communio cum Bono, communio eſt cum Deo, quia ſolus Deus Bonus eſt: uti docet Dionyſius. Illius ergo potius Te fateris σοφὴν, quàm Jeſu Chriſti, qui Matth. 17. idem ipſum docebat, & Dionyſium, & Nos cum Dionyſio Chriſtianos. ſed dic ſodes. Anne à Deo nihil bonum? Cùm tamen fateare neceſſe eſt, non Atheos, Omnia opera ipſius fuiſſe καλὰ λίαν. Quaſi nos rudiores Novatores neſciremus, Solum bonum eſſe Deum per Eſſentiam. hoc eſt, ſummè & perfectè Bonum. Cætera in genere quæque ſuo bona, per communicationem, & dependenter. *Quam rem cùm Vos expedire nequeatis,* alloquitur Auguſtinus ita Manichæos, *videte quàm expedita ſit ſententia Catholicæ diſciplinæ, quæ aliud docet Bonum, quod ſummè ac per ſe Bonum eſt; & non participatione alicujus Boni, ſed propriâ ſuâ naturâ ac eſſentiâ. aliud quod participando Bonum & habendo Bonum eſt. Habet de illo ſummo bono, hoc, ut bonum ſit. in ſe tamen ſubſiſtente illo Bono, ac nihil de eſſentiali Bonitate amittente.* Hæc cùm tam facilia ſint, & in promptu, miramur, indicari. Non poſſe dici bonum quod à Bono eſt, quod Bono nos adunit & conſociat. Facit hoc modo quodam excellenti Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. Ἑκάστης ἱερατελεστικῆς πραγματείας τὰς μεριστὰς ἡμῶν ζωὰς εἰς ἑνοειδῆ θέωσιν συναγούσης, καὶ τῇ τῶν διαιρετῶν θεοειδεῖ συμπτύξει, τὴν πρὸς τὸ ἓν κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν δωρουμένης. Cum unaquæque ſacra myſtica actio, per vitam noſtram variè diſpertita, deducat unà, in unicam unitam Deitatem, & per divinitus viſam complicationem rerum differentium communionem cum uno & adunitionem conferat. Cùm hoc ita ſit, quærit Dionyſius cap. 3. de Cœleſti Hierarch. cur nomen illud κοινωνία, καὶ σύναξις, huic, quaſi modo quodam peculiari, tribuatur. Reſpondet autem: Ὅτι ταῖς τῶν ἄλλων ἱεραρχικῶν συμβόλων μεθέξεσιν, ἡ τελείωσις ἐκ τῶν ταύτης θεαρχικῶν καὶ τελειωτικῶν ἐστι δωρεῶν. Quod aliorū divinorum ſymbolorum

rum participationis perfectio ab iſtis à Deo ortis & conſummantibus donis proficiſcitur. Unde ſæpenumerò apud eundem, ἑνότητος κοινωνία. τὸ ἑνιαῖον ποιοῦσαν. Et inter cætera: Ἡ δὲ θειοτάτη τοῦ ἑνὸς καὶ ταὐτοῦ καὶ ἄρτου καὶ ποτηρίου, κοινὴ καὶ εἰρηναία μετάδοσις ὁμοτροπίαν αὐτοῖς ἔνθεον ὡς ὁμοτρόφοις νομοθετεῖ. Hæc minimè fuerant vel arrodenda, vel allatranda.

Sed fucum tibi facit Exercitator. Si ſic, quid ni Cretizet cum Cretenſi? Tu toties feciſti fucum vetuſtis Eccleſiæ Patribus: Scripturæ ſanctæ: patientiæ Lectorum. Eruditionis tuæ expectationi. Fucum verò quem fecit vir eruditus? Quia Chriſtum, ait, percipimus in myſterio. Non enim credebat in ſubſtantiâ Chriſtum percipi. Nec credebant Apoſtoli, vel ſancti Patres. imponit: non qui credit in Myſterio Chriſtum percipi: ſed qui credit fieri converſionem panis atque vini, in ipſum Chriſti corpus. ubi enim hic, τὸ μυστήριον, quod μύει τὸ σῶμα. cùm & modus in confeſſo, & res ipſa corporaliter adimpleatur? Myſterium illud verè quod fides apprehendit: non quod ſub ſenſu cadit, aut ratione. Myſterium formidabile & tranſcendens eſt, ὁ καθήμενος ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς, ἐν ταῖς δεξιαῖς εὑρίσκεται τῶν ἀνθρώπων. Chryſoſt. in 3. de ſacerdot. nam in ſacratiſſimâ illâ actione, porrigebant ſacerdotes, & quidem manu dextrâ, corpus Chriſti communicantibus. Ita moris erat ævo Tertullianeo: ita & noſtro quoque ſæculo obſervatur. Tertullianus, corpus Domini, Baſilius σῶμα & τὸ αἷμα nominavit. Non abnuimus. Nullus veterum, de modo vel hiſcere voluit. Ante tertium Innocentium in Laterano præſidentem, nemo hoc credere cogebatur. Et poſt Innocentium, niſi illum metuiſſent in Eccleſiâ loquentem, illiusque ſucceſſores καταχυριεύοντας, non credidiſſent. Doctor ſubtilis, Roffenſis, Caïetanus: alii. Corpus ſuum ad comedendum familiaribus ſuis, ſanguinem præbuiſſe ſuum ad bibendum, cum Nyſſeno profitebimur. non autem Tu ſacramenti delumbator. 139.

Ad eundem modum nugaris περὶ τελειοῦ. Legitur in Concilio Ancyrano ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τελειόν. ad eundem modum quo in Dionyſio τελείωσις, dicitur Euchariſtia. Locus eſt, Can. 4. illius Concilii. Balſamon exponit, τουτέστι, καὶ τῶν θείων ἁγιασμάτων μεταλάβωσι, cui conſentit expreſsè, interpres alter, Zonaras. λεπτολογεῖ Diatribarum author, qui Perfectum interpretatur Deum. Quis negat? ſed Deus non ἀυτὸς hic recipitur. Diviniſſima illa myſteria ὀχετηγεῖ. atque ideò dicuntur τελεια, quod τελειοῦσι. Paſchaſii teſtimonium, nec infirmat, nec attingit, τὸ τελειόν. Corpus Chriſti ſupponit in Euchariſtiâ. Et cum illo, Hugo Victorinus. ſic et Thomas, & tota natio Pontificiorum. Non credidit Ambroſius, cum Aquinate, ne tum cum in Libr. de iis qui myſteriis initiantur, cap. 9. ſcriberet, *Quid hic quæris Naturæ ordinem in Chriſti corpore? cùm præter naturam ſit ipſe Dominus natus de Virgine.* Rectè curioſitati humanæ patibulum fixit, qui modum Deo figere præſumpſerunt. Veram ait extitiſſe Chriſti carnem. Nemo 140.

mo ambigit. at non ſub ſpeciebus Panis & vini; ſubſtantiâ mutatâ. Hoc non dicit, ſed *Veram*. Nam qui de Phantaſiâ blaſphemabant, erant multi. Sequitur enim in Ambroſio. *Verè ergo illius carnis ſacramentum eſt*. Vera illa Caro quæ naſcebatur, crucifigebatur. illius ergo Carnis, Sacramentum *verum*. Cyrilli ῥῆσις jam quoties ſucceſſit. ὁ φαινόμενος ἄρτος οὐκ ἔστιν ἄρτος. Rectè. Non qui fuit. non qualis fuit. nec vinum vinum. ſcilicet cujuſmodi vendebatur in œnopolio. Hoc eſt, ut ſemet explicat in eadem Catecheſi, non eſt ψιλὸς ἄρτος: ut certè non eſt.

141. Obſervat Joh. Damaſcenus ſacramentum communionis μετάληψιν vocari. δι' αὐτῆς γὰρ Ἰησοῦ θεότητος μεταλαμβάνομεν: Ampliùs obſervat Damaſcenus ſubſtantiam Panis & vini, vi verborum Chriſti, tranſire in ſubſtantiam, ait Bulengerus, corporis & ſanguinis Chriſti. ſed mentitur improbè Damaſcenum. ultra iſta nihil ille, ἐπειδὴ ἔθος τοῖς ἀνθρώποις, ἄρτον ἐσθίειν, ὕδωρ τε καὶ οἶνον πίνειν, συνέζευξεν αὐτοῖς τὴν αὐτοῦ θεότητα, καὶ πεποίηκεν αὐτὰ σῶμα καὶ αἷμα αὐτοῦ. Quandoquidem hominibus in more poſitum eſt, panem comedere, aquam & vinum bibere, iiſdem conjunxit ſuam divinitatem, & fecit ea corpus & ſanguinem ſuum. Nihil ille de ſubſtantiâ immutatâ. de Veritate docet. Nos fatemur. modum nullum attingit præter σύζευξιν τῆς θεότητος: qui quidem eſt veriſſimus: ſed nimium generalis, ut ad Tranſubſtantiationem referatur. Addit Damaſcenus ut adhuc conſtruat veritatem rei. ſi verbo Domini, cœli firmati ſunt, &c. Nonne poteſt τὸν ἄρτον ἑαυτοῦ τὸ σῶμα ποιῆσαι? Póteſt proculdubiò. & effectum dat: ſed an tu Bulengere mihi modum deſignabis in particulari, quo Cœlum ille & Terras de nihilo fecit? ἄπορον τοῦτο. Quidni & ἐκεῖνο; Eſto ἴσως ergo λύσις ἀμφοτέρων. Narro & ego tibi, narratum à te Caſaubono, ſpiritus ſanctus ſupervenit, & hæc facit myſteria divina, ſupra rationem, & cogitationem, Corpus Chriſti: hic ſubſiſte: nec limites vetuſtiores transfer: en pedem pede premimus, in procinctu. Lectum in ſecundis notat Exercitator, in Juſtino Apol. 2. μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου. nimirum panis dicitur à conſecratione. neque obſtat quod legitur apud eundem Juſtinum, de quo omiſſo cavillatur Bulengerus. Ait enim, non eſſe κοινὸν ἄρτον. Et profectò non eſt. ſed σάρκα καὶ αἷμα τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ. Planiſſimè. Credimus, qui Legimus, *Hoc eſt corpus meum*. Qui ſilet de modo quo fit corpus; ſtatuere non audemus. ſunt verba Caſauboni. Μετάληψις, quando eſt nomen Euchariſtiæ, non jam actionem ſignificat, verùm ipſa ſymbola. Bulengerus in oppoſitum. à Vero, inquit, aberras. μετάληψις ſemper actionem ſignificat communicantis, nunquam ipſa ſymbola. Itane? Erit ergo Actio, & Res circa quam eſt actio idem. ſic oportet eſſe. aliud volebas. attendendum erat ad τὸ ῥηθέν. non enim contradicis Caſaubonianæ aſſertioni. Hoc negas ergo, μετάληψιν ullatenus pro ſymbolis, ſemper pro actione uſurpari. At quid tum fiet ῥήσει Damaſceneæ. Μετάληψις λέγεται, δι' αὐτῆς γὰρ Ἰησοῦ θεότητος μεταλαμβάνομεν.

λαμβάνοντων. Hoc ſiquidem non actio, ſed Corpus Chriſti *facit participatum.* Quid illi? μεταλήψεως μετέχων, μετ' ἐνιαυτόν. Corrigis iccirco inconſultè dictum: ſaltem vacillas. Aut ſi certè ſignificat non Actionem, corpus ipſum Chriſti quod participatur ſignificat. Accedo. ſed modum non dicit participati corporis, non docet idem corpus μετάληψιν appellari, quatenus illud Ore manducatur, quod in Cruce pependit: quod ad dexteram Dei ſedet. Hic tibi pes figendus erat: non diſcurrendum per incerta, & incognita. In ſequenti capite nihil aliud occurrit, quàm quod, ut ſæpè, ſemper alias, à propoſita ζητήσει, ad Veritatem dilaberis oſtendendam, corporis Chriſti & ſanguinis ζωοποιούντων, in ſacramento ſacratiſſimo. In quo Novatores nos, te comitabimur, non quod Tibi fingis, oppugnaturi.

141. Si nobiſcum, ait, ſentires, nobiſcum, Caſaubone loquerere. Rectè. ſermo namque, ut eſt index animi, ita quoque quædam quaſi obſtetrix, per quam in lucem efferuntur, τὰ διανοούμενα. veſtra autem ἀποκυήματα ſunt ἠλιτόμηνα, nec ætatem præferunt perfectivam. Nemo olim Veterum ſic de Corpore Chriſti tranſubſtantiato balbutiebat. non balbutit Caſaubonus, de pane nudo, de figurâ nudâ, non ζωοποιῷ, quod eſt corpus Chriſti. Myſticum appellat, eò quòd communicetur ἐν μυστηρίῳ. eò quod in finem planè myſticum, eò quòd modo μυστικωτάτῳ: ad quem non poſſumus aſpirare. Concilium Epheſinum, in declaratione anathematis 11. non in ipſo anathemate, rectè docet in Eccleſiis προκειμένην τὴν ζωοποιὸν, καὶ ἀναίμακτον θυσίαν. Quaſi titulo huic Caſaubonus adverſaretur: aut de nudâ figurâ deliraret. M. Epheſius in Concilio Florentino, recens author: in aliis, te ipſo authore Hæreticus, in hoc eſto, ſi lubet: quanquam ejus μεταποίησις, non eſt Romanæ Eccleſiæ μετουσίωσις: ut neque Germani μεταβολή. Chryſoſtomus tibi Ipſe reſpondere poterit: qui videre ait ſuos auditores, ſpiritum ſanctum ἐφιπτάμενον τοῖς προκειμένοις. Tu credo hoc vidiſti tuis, Lyncei oculis. nam & νέρθεσα γαίης tuis oculis deprehendiſti, quemadmodum ille olim Aphereïdes; nedum Chriſti ipſum corpus in Sacramento. Chryſoſtomus loquitur ὑπερβολικῶς. ſpirat phraſis affectum, non intendit τὸ ῥητόν. μέγαλα certè τὰ προκείμενα. Dei magnalia, ſi quæ unquam alia. at μείωσις eſſet illa, τῶν ὄντω μεγάλων, ſi tam arctè cubaret in ſacrâ menſâ, ſub exiguâ particulâ fracti panis. Quodſi verè ſint ſymbola cœleſtium illa ἅγια δῶρα, ut rectè Maximus apud Dionyſium: non ſunt iſta cœleſtia. Η γὰρ εἰκὼν, ut Theodoretus, οὐ πάντα ἔχει ὅσα τὸ ἀρχέτυπον. ſymbola ergò rei non ſunt res. Ad Chryſoſtomum te remitto, in tuis excerptis, qui Chryſoſtomi nobis mentem vel ibidem explanet. ſic ἐστιν ἀνθρωπίνης δυνάμεως ἔργα, τὰ προκείμενα. neq; modi, aut modificationis humanæ. Ideò non ſequitur, quod συλλογίζεις. ſi Chriſtus offertur, & offert, tum non eſt panis qui offertur. Neque enim ullus ſyllogiſmus admittit idem, offerens & oblatum, ſervatis legibus oppoſitorum. Caſauboni eru-

ditio, videbat iſtud. Quæ videns tu non videas tibi curæ ſit, &
magiſtris tuis. Querela erit æterna, neſcire te quid velis, aut
quid debeas velle. Sacrificium eſt θυσία, corporis myſtici. ſacri-
ficium eſt, Chriſti ipſius oblati. Illud Nos ſumus, & Deo offe-
rimus. Hoc repræſentamus ſæpè, olim ſemel factum. non repe-
timus idem, ſemel conſummatum. Hoc eſt Sacrificium Chriſtia-
norum: multi unum corpus in Chriſto ſumus. Quod etiam Altaris
ſacramento fidelibus noto, frequentat Eccleſia, ubi ei demon-
ſtratur, quòd in eâ oblatione quam offert, ipſa offertur. Auguſt.
de Civitate Dei, Lib. 10. cap. 6. Dici autem ſacrificium docet
ipſo Thomas, in quantum repræſentat paſſionem Chriſti. Ha-
ctenus συνεκδοχικῶς, ut videtur, niſi tu velis ἀντιφραστικῶς. Auguſti-
nus non aliud vult, Lib. 20. contra Fauſtum, cap. 18. Chri-
ſtiani, jam peracti ſacrificii memoriam celebrant ſacroſanctâ
illâ oblatione, & participatione corporis Chriſti. At jugulum
figmenti tui petit illud quod per mirificam imprudentiam ex
Gratiano advocas Auguſtini teſtimonium. *Sicut ergo Cœleſtis
panis quia Chriſti caro eſt, ſuo modo* (non ait carnali) *vocatur Chri-
ſti corpus, cùm revera ſit ſacramentum corporis Chriſti* (τοῦ τῆς ἀπεμ-
βλεψίας) *illius videlicet, quod palpabile*, (non ergo idem licet
ἀψηλάφητον) *viſibile, mortale, in Cruce poſitum eſt, vocaturque ipſa
immolatio carnis, quæ ſacerdotis manibus fit, Chriſti paſſio, mors,
crucifixio, non rei Veritate, ſed myſterio ſignificante. Quia nimi-
rum hac immolatione carnis Chriſti, quæ fit per manus ſacerdo-
tis, commemoratur ſacrificium Crucis.* Malè ſit manibus Gra-
tiani. Proculdubio deſcendit ille in Purgatorium, qui Bertra-
mi quoddam vel Berengarii dictum nomine palliavit Augu-
ſtini.

143. Nolo ego tecum nugas agere. Teſtimoniorum acervus il-
le, qui per hanc ſectionem συναθροίζεται, vel ad eundem mo-
dum apertè loquitur, vel ad eundem modum explicandus eſt.
neque Patres, quod fingis, graviſſimè errant: nec Caſaubonus
receſſit à Veritate. Palæſtræ hic nullæ ſunt opinionum: nullæ
concertationes ſententiarum. *Nova autem inaudita, abſurda.*
Quæſo te, Næ ſævi magne ſacerdos. Non eſt, cur ut in Tragœdiâ,
debaccheris. Donum, ſive ſacrificium, eſt ſymbolum corpo-
ris Chriſti, hoc novum eſt; abſurdum, inauditum. Nunquamne
tibi lectæ, auditæ iſtæ voces: ne quidem ſub Grammaticorum
ferulis? an ſic nuſquam auditæ? ut Donum ſit ſacrificium, aut
vice verſâ. aut ut ſymbolum corporis Chriſti, dicatur *donum*,
vel ſacrificium? ſacrificium eſt enim quod jugulatur: Dona
autem illa non jugulantur. Chriſtus ergò ipſe, an transfoditur?
certè in figura. ergo Græci in ſacris adhibebant λογχίῳ. et ta-
men θυσίαν τὴν ἀναίμακτον, hoc nuper nominabas. Hic agnoſcas li-
cet tua illa belliſſima γνωρίσματα, *Novum abſurdum, inuſitatum*:
ut ſymbolum Chriſti corporis ſit ſacrificium, Eſt etenim, ut
vulgo ſtatuunt, ſacrificium oblatio rei aſpectabilis: puta Vituli,
vel

vel agni, qui ritu legitimo, à ſacerdote publico, ita tractatur, ut res quæ offertur deſtruatur, juguletur, mactetur, aut uratur. Hinc tua Theologia, quæ conſtruitur, omnibus Grammaticorum ſibilis, excipienda. Nam vel Chriſtus, omninò non erit ſacrificium: vel urendus, mactandus, jugulandus, deſtruendus, converſus è pane, qui offerebatur. Nàm *mutatio*, non eſt *jugulatio*: cùm non ſit Terminus, ſed tantùm ὁδὸς πρὸς τὸ τέλος. Nec eſt corpus Chriſti, niſi mutatum. nec ſacrificium, niſi cùm jam plenè mutetur. Antè, ſacramentum vel quodcunque potius aliud nominandum fuit, quàm ſacrificium: Panis non poteſt immolari. hoc à te ponitur in confeſſo. Sed ejus tamen ſubſtantia mutatur. et quid mutatio ad ſacrificium? mutatio non eſt, deſtructio, mactatio, jugulatio, uſtio. Sed corpus Chriſti poteſt immolari, hoc opinor volebas dicere: nam velut ab arreptitio quodam proficiſcuntur, & ſunt tanquam Sybillæ folia, minimè Vati ipſi intellecta. Sed ipſum Chriſti corpus, quod eſt immolatio quodam modo in Euchariſtiâ: et quod comeditur à ſacerdote, &c. Imò, Chriſti corpus nec poteſt immolari. Nam ſemel Chriſtus oblatus eſt, ad peccatum deſtruendum. Nec immolatur, quia non immolatur: ſed offertur, ſed comeditur. Comeſtio, non eſt autem immolatio. ſecus enim vel pecudes, quæ immolantur, dum ἀκροκαλίζωσι, & magnum pecus Bulengerus, dum comedit piſciculos per Carnisprivium, ſacrificium offerre dicerentur. Nam quod comeditur, quia non eſt alienum à deſtructione, deſtruitur, deſtructio autem omnis, quemadmodum tua nos erudit Philoſophia, immolatio eſt. ſic quicquid comeditur, à quocunque comedatur, ſacrificium eſt. Ita omnes, hac ratione Chriſtiani, βασίλειον ἱεράτευμα ſacerdotes erimus; nec impediet quicquam quo minus Altari adſtemus & conficiamus corpus Chriſti, cum, quoties comedimus, illud immolemus, & tantum non deſtruamus. Reverà deſtrueremus. Eſt enim per accidens quod non deſtruatur, quod dentibus comminuitur, inter comedendum. nec quia non deſtruimus, ſacrificium erit, tam propriè dictum; quàm quod inter prandendum deglutimus. Semper enim quod eſt *per ſe*, præponderat illi, quod eſt *per accidens*. Per ſe deſtruitur, hoc eſt, immolatur, gallina puta pinguis, cùm comeditur, ita per ſe immolatur. Per accidens non deſtruitur corpus Chriſti. ita tantùm per accidens immolatur. vel potiùs reverà non immolatur. Et per accidens ſacrificuli ſunt ſacerdotes, Tabernarii per ſe, & gulæ proceres.

Certè, iſta ſi non capiat Exercitator, quid mirum? *nuperus* 144
ille Theologus. Capiat enim qui capere poteſt, θεολογήματα τερατολογήματα. Chryſoſtomus puer erat, huc non anhelabat. Chriſtum immolatum, προφανῶς docet. ſed in Cruce, non in Altari immolatum, olim, non quotidiè. Non enim comminutum inter dentes, quò, priuſquam acceſſerit, non immolatur; cùm deſtructio non fiat, niſi

niſi inter molares & χαυλιόδοντας. In Altari, dum cubat, ſalvus eſt adhuc. ſacramentum, non ſacrificium. In motu ad ſacrificium, non ſacrificatus. Nam, Mutatio, tu dixiſti, non eſt immolatio. Κομιεῖ τὴν τράπεζαν præſentiâ ſuâ, & hoc fieri poteſt abſque ſacrificio. Eſt etenim ἀμνὸς λογικὸς, intellectu atque fide apprehendendus. Ἄλογοι & ſunt, & haberi debent, qui tam craſſo modo, divina myſteria & ſacra circumſcribunt. conveniam te verbis Auguſtini, ut agnoſcas deinceps, quid ſit ſacrificium. & proficias in frugem meliorem: ſi non nuperus, at certè nugaciſſimus Theologus. *Verum ſacrificium eſt omne opus quod agitur, ut ſanctâ ſocietate Dei inhæreamus. relatum ſcilicet ad eum finem Boni, quo veraciter beati poſſimus eſſe. unde & ipſa miſericordia, quâ homini ſubvenitur, ſi propter Deum non ſit, non eſt ſacrificium: Etſi enim ab homine ſit vel offertur, tamen ſacrificium res divina eſt, ita ut hoc quoque vocabulo id Latini veteres appellaverint: Vndè & ipſe Homo, Dei nomine conſecratus, & Deo devotus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, ſacrificium eſt.* Vide cætera apud Auguſtinum de Civit. Dei. 10. 6. Neque opus eſt pro ſacrificio Altaris, ad Chriſti confugere mactationem. Ita olim Bertramus obſervabat, è Fulgentii ad Petrum Diaconum commentario. *In illis carnalibus victimis, figuratio fuit carnis Chriſti, quam pro peccatis noſtris, ipſe ſine omni peccato fuerat oblaturus, & ſanguinis quem erat effuſurus, in remiſſionem noſtrorum peccatorum. In iſto autem ſacrificio gratiarum actio, atque commemoratio eſt carnis Chriſti, quam pro nobis obtulit, & ſanguinis, quem pro nobis effudit idem Deus & Homo. & iterum. In illis ſacrificiis quid nobis eſſet donandum ſignificabatur, figuratè. In hoc autem ſacrificio quid jam nobis donatum ſit, evidenter oſtenditur. In illis ſacrificiis prænunciabatur filius Dei, pro impiis occidendus: in hoc pro impiis annunciatur occiſus.* Vides ultra τὴν ἀνάμνησιν, non progreſſos antiquos ſcriptores. nec myſteria noviſſe, tuæ tam abſtruſæ Theologiæ: quæ nullum admittit ſacrificium, niſi reale σωματικὴν Jeſu Chriſti.

145. Quod ſcriptum eſt, 1 Cor. 5. 7. *Paſcha noſtrum Chriſtus immolatus eſt*, non de Arâ Crucis, ſed Altari myſtico, contendit Bulengerus intelligendum, & Catholicos omnes ſententiæ ſuæ contendit aſtipulatores. Romano more ſcilicet. nam alioqui Catholicus erat Auguſtinus, qui ſer. 49. aut quiſquis erat author, inter appendices de diverſis quærit, *Et ubi immolatus eſt? dicito, In altitudine Crucis. Novum eſt Altare hujuſce ſacrificii, quoniam & Immolatio nova eſt, & admirabilis. Ipſe enim & hoſtia erat & ſacerdos.* Catholicus erat Athanaſius, & ille tamen interpretatur de Cruce. Τὸ δὲ, Χριςὸς ἔπαθε, πανταχοῦ προδήλως κεκήρυκται. Τὸ πάσχα ἡμῶν, &c. Quem locum adducit ex Apoſtolo, ut probet, Chriſtum niſi in Cruce oblatum non fuiſſe: adverſus Theopaſchitas, Tom. 2. pag. 261. Catholicus erat beatus Ambroſius. Ille tamen de Cruce, & non Euchariſtiâ capiebat. Ita cæteri Catholici.

lici. Mentiris ergo. ut & Patres, quaſi ſubſtantiam Panis, in ſubſtantiam corporis Chriſti docerent tranſiiſſe. Hieronymus, qui citatur, longè abeſt ab hac abſurditate, in Comment. ſuper illam ad Titum. Ait Panes. propoſitionis à corpore Chriſti tantum differre, quantum Imago à Veritate. Ubi hic mutatio ſubſtantiæ in Altari? Nam Chriſti corpus potuit intelligi in Arâ Crucis. & ut demus, de participato, in Altari: nihil ait de modo, quo adeſt ibi verus & totus Chriſtus. *Ipſe noſter cibus eſt*, ait idem in Pſalm. 80. Non ipſe cibus de pane factus. ſed Panis ſubſtantiâ remanente, cibus. *hortatur panis, ut comedamus.* ergo Panem vocat poſt conſecrationem. neque aliter ad cap. Eſaiæ 66. Carnem nominat & ſanguinem, ſed non mutatum, tranſubſtantiatumve. Ludis operam, qui proponis de mutato pane, & ultra carnem non progrederis. Chryſoſtomus hortatur ut non niſi reconciliatâ cum fratribus gratiâ, menſam ſacram accedamus, & ſanctum illud corpus attingamus. audio, & exoſculor. ſed nihil tinnit de illâ mutatione Pater. In hom. 24. 1. ad Cor. multus eſt in evehendâ myſterii hujus dignitate idem Pater; & tanquam δεικτικῶς, communicantibus oſtendit in menſâ ſacrâ. nuſquam tamen, quod eſt τὸ ζητούμενον, panem docet mutatum, in Chriſti corpus tranſiiſſe. multo minus homil. 6. ad Populum Antiochenum. illo enim nutrimur οἱ ἐπὶ γῆς, quem in Cœlis exiſtentem intuentur Angeli, cum metu et tremore. In cœlo admirantur, adſunt & aſtant Altaribus ſacris. Eſt enim locus ſanctus, actio ſacra. in honorem τοῦ προκειμένου. Non enim Panis, eſt ſignum nudum, Chriſti non præſentis, ſed realiter abſentis. fingis hæc tueri adverſarios tuos, ut in illos effundas adverſaria. Mutat autem Chriſtus dona propoſita. σύμφημι κἀγώ. Neque enim ſunt, quæ fuerant ψιλὸς ἄρτος, etiamſi non corpus, ὁμοιωδῶς, quod de Virgine naſcebatur. *Mutat in ſanguinem.* ita ait Chryſoſtomus ad Neophytos; & addit, *ſplendentem*, hoc eſt, rubrum, & diſtillantem. non verè opinor, αἱμοβόρος eſſet, qui ſic communicaret. ſed in myſterio. Qui communicat, δέχεται σῶμα Χριστοῦ. prorſus. ſed non ait, Tranſubſtantiatum. Cætera ſunt iſtiuſmodi, ex eodem infinita. Nuſquam eſt vel ſyllaba de ſubſtantiâ tranſmutatâ. Obeat, cuicunque vacat ineptias uſurpare, in hanc rem, congeſta teſtimonia. Quæ, cum aliud eſſet propoſitum ab initio, aliud tamen probant in concluſione. *Tranſitionem, converſionem, mutationem, tranſelementationem, alterationem*, μετάθεσιν, μεταστοιχείωσιν, μεταποίησιν, μεταῤῥύθμισιν, μεταβολήν. et alia repererimus in ſcriptis Patrum. ſed nuſquam modum determinatum, per μετουσίωσιν. mutationem ſubſtantiæ panis, in ſubſtantiam Chriſti Corporis, à te flagitamus: hoc tueri debes: hoc demonſtra, aut ut ſolent andabatæ, σκιαμαχεῖς.

Perſequitur Caſaubonus Euchariſtiæ titulos, in ſcriptis Veterum. docet *vitam* appellari, & *ſalutem*, apud Punicos, ſaltem Chriſtianos. 146.

Chriſtianos. Docet diem Cœnæ Domini deſtinatum uſurpari, *Natalis Calicis* : & *ſacramentum calicis*. meminit θυσίας, ſacrificii, προσενέξεως, ἀναφορᾶς, περσφορᾶς, ſacramenti altaris, Oblationis λατρείας, cultus Dei. Bulengerus ſolitum nugatur. docet, quod nemo negat; repetitis vicibus, pluribus Chryſoſtomi teſtimoniis, αἷμα καὶ σῶμα uſurpari. O Cyclops, Cyclops! Quia beatus Eligius, ſacramenta corporis & ſanguinis ſui commemorarat, eadem reponit ex Auguſtino, Cyrillo, Lanfranco, & Gregorio Dialogiſta. Quia meminerat Paſchaſius *natalis calicis* : ex eodem Paſchaſio, profert, *Non fictè dictum, hoc eſt corpus meum*. Paginam integram tranſcribit ex Anaſtaſio, quò realem Chriſti corporis præſentiam probet. Nam quis Herculem vituperavit aliquando? De Præſentiâ non ambigitur. de Præſentiæ tantùm modo dubitatur. Id aliquanto majoris eſt momenti. Verba ſunt Caſauboni. *Jam aliquoties diximus veterem Eccleſiam appellâſſe Cœnam Dominicam etiam ſacrificium, propter memoriam ſacrificii ſemel in Cruce facti & oblati*. Oblatrat Bulengerus ex Auguſtino. Ergo tu audis, quòd quotieſcunque offertur ſacrificium, Mors Domini, Reſurrectio Domini, Elevatio Domini ſignificetur, & remiſſio peccatorum, Fidem tuam Auditor, hoccine convincit Caſaubonum fâlſi? an Cavillatorem Bulengerum mendacii? ſacrificium dicitur. ſed ſignificativum. non ergo quod delirat: corporale. In ſerm. de Sacr. Altaris, quanquam ſpuria ſit oratio. Chriſtus pro nobis myſticè immolatur. non ergo carnali & craſſo modo. cætera deinceps ſunt *mapalia mera. ſemel oblatus eſt Chriſtus in ſeipſo: & tamen in ſacramento, non ſolùm per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur.* Nec utique mentitur, qui interrogatus eum reſponderit, immolari. epiſt. 23. ad Bonifac. *Nos*, inquit Chryſoſtomus, *quotidiè offerimus* : ſed ad recordationem mortis ejus. Et libenter cum Thomâ Aquinate uſurpamus. *Vt eſt Dominicæ paſſionis commemorativum, ſic ſacrificium nominatur*. Ut Unitatem Eccleſiaſticam denotat, Communio vel Synaxis. Ut beatæ & æternæ fruitionis figurativum eſt, Euchariſtia, ſeu viaticum dicitur.

147. Omnes omnium ætatum & ſcriptorum appellationes, quibus illi ſacratiſſimū Euchariſtiæ ſacrificiū indigitarunt, Miſſa, in Eccleſiis Pontificiis, velut hiatus quidam immanis in ſe abſorbuit. Miſſa illis ſolummodò appellatur ſacroſanctum illud ac diviniſſimum ſacrificium, in quo Jeſus Chriſtus è Pane factus & μεταβληθεὶς, Deo Patri offertur, per ſacerdotem, vivorum & mortuorum ἱλαστήριον. Multa nugātur de illâ voce, nedum de ſacrificio Baronius, illiuſq; Advocatus Bulengerus. Antiquiſſimum eſſe hoc nomen vult Analiſta: quod non eſt ita intelligendum, ut ſimpliciter antiquum, & à ſanctis olim patribus uſurpatū. quomodo meliori. cùm judicio magiſter Controverſiarum antiquiſſimum declaravit, utpote ab Ambroſio uſurpatum. ſed omnino antiquiſſimum. ita ut cæteras omnes, quotquot ſunt appellationes, longè poſt ſe relinquat.

Quem

Quem à Bulengero derelictum in tam ſupinâ ignorantiâ, gaudemus. Neque enim origine Hebræa vox eſt: nec ab Hebræâ conſuëtudine per Jacobum Apoſtolum, ad Græcos, vel ad Latinos derivata. mera ſunt inſomnia Baroniana, ab ipſomet exploſa Bellarmino. Latinam eſſe vocem docuerunt alii. Tute ipſe, ut affirmas è Bellarmino, ſine omni controverſia; in ſcripto tuo neſcio quo, nec ſcire laboro, contra Pleſſæum ante annos quindecim edito, ubi admones Lectorem, non finitis Lectionibus, ſed poſt ſermonem ab Epiſcopo, vel ſacerdote, de rebus fidei habitum, antequam oblatio fieret, Catechumenos & Energumenos dimitti ſolitos. Admones, ipſe admonendus. ſiquidem tuæ ipſius oblitus. παιδείας, ſtatim laudas contrarium, ex Iſidoro. Rectè quidem ille: nec aberrat. Quandoque enim ita contingebat, & ſæpius per tempora antiquiſſima, ut nullus ab Epiſcopo, vel Presbytero haberetur ſermo; & tum ſtatim finitis Lectionibus dicebat Diaconus, *Ite miſſa eſt*. Si Concio aliqua habebatur, illa ante Miſſionem intercedebat. Hæc te oportuit enucleaſſe, qui confuſim univerſa narras. & διαστρόφως. Auguſtini teſtimonium agnoſcimus, de ſermone finito loqui: ſed jam docuïmus quo modo ſit accipiendum. Aliam illam ἄφεσιν τῶν πιστῶν, peractis ſacris, te docuit Exercitator. Notabantur etenim qui recedebant, nondum ὑποτελεσθέντων τῶν φρικτῶν μυστηρίων. Quo tu autem infortunio, ais, negas idem uno velut ſpiritu? Vocem Miſſæ, ut negabas, à Jacobo uſurpatam Hieroſolymis, ita neque multò ante Hieronymi ætatem affirmabas uſurpatam: idque probari auctoribus locupletioribus, & melioris notæ potuiſſe. & tamen vix decem interjectis lineis cognitam pronuntias, illam vocem, ſub annum CCL. ex Epiſtolâ Cornelii Papæ ad Lupicinum. Mira inconſtantia. ſed fortaſsè non legeras extare aliquam ad Lupicinum, cùm illa de Hieronymi ætate referres in literas. Eſt enim obſcura, & è neſcio quo gurguſtio nuper extracta; ut cum duobus aliis agyrtis, ternarium numerum expleat, epiſtolarũ falsò Cornelio aſcriptarum, ingenuitatem ergo laudo Bellarmini. Bulengerum, ut inconſtantem, ita malæ quoque fidei ſcriptorem non laudo. Ille ultra Ambroſium, de nomine hoc Miſſæ non potuit aſcendere. illius unius teſtimonio contentus. Tu niſi mentiaris Ambroſium, illiuſque ſæculum, nihil te omninò egiſſe arbitraris. Frequens, ais, ſub Ambroſio vox. Conveniam multiplicem tuam Lectionem Bulengere, poteriſne mihi alterum vel ex Ambroſio locum deſignare, præter illum epiſt. 33. Libri 5. quo unico & ſolitario, Bellarminus, Alanus, alii in hac cauſsâ nituntur. ſed & iterum, reſponde, Legiſtine in Ambroſio, Miſſam celebrare? Miſſam dicere? aut hiſce ſimile quid. ſi tanquam αὐτόπτης loquare, planus es. ſin alienis oculis crediditi, fatuus. Ambroſii phraſis eſt, *Miſſam facere*. hoc non eſt Conficere, ἱερουργεῖν. ſed eſt ἄφεσιν ποιεῖν τοῦ λαοῦ. vel potiùs catechumenorum. Itaque apud Sueton. in Caligulâ, cap. 25. *Miſſæ ſo-*

lennia (veſtræ proculdubiò) inveniemus. & apud Tacitum in Hiſtor. 1. *Ego tamen manſi in munere* (verba ſunt Ambroſii) *miſſam facere cepi.* Eo modo quo ſtatim, *Miſſis Presbyteris & Diaconibus.* quo *Britannia,* apud Tacitum (Ex Savilii correctione, nam ineptit Lipſius) *miſſa facta.* & Paulinam miſſam fecit, apud Suetonium. Hieronymi ætatem nuper circumſcribebas. Miſſas ergo nobis aliquas, in illo reperies proculdubio. et quod felix fauſtumque ſit, ab illius in Proverbia commentariis auſpicaris. malo ominè. Non ſunt illius illa commentaria, ſed Bedæ noſtratis. Quo vivente, quid mirum ſi in uſu fuerat Miſſæ nomen? ita ampliandum de ætate, Hieronymianâ. Cætera teſtimonia, inani conatu prorſus accumulantur, præter illud unicum Auguſtini: quæ vel planè mentito, vel incerto nomine circumferuntur. Nam quod ſecundâ vice advocetur beatus Ambroſius ad perhibedum *miſſæ* teſtimonium in ſerm. 34. remitto te ad tuos Bulengere, qui beato Ambroſio ſermonem illum abjudicarunt. At mirum eſt Euſebium Miſſæ feciſſe mentionem, Latinæ vocis, qui Græcè locutus, ſcripſit Græcè. mirum te, Græce eruditum, εὐχαριστίας ἐπακούειν transferre voluiſſe, *Miſſam audire:* cùm intelligantur Gratiarum actiones; ad quas reſpondendum erat Amen. Id quod ſequitur, ἁγίαν προφὼν, Miſſam multò melius interpretarere, cùm corpus ille Chriſti deſignaret, ad quod illi manus, ita enim tunc moris fuerat, protendebant. ſed Miſſas iſtas faciamus miſſas. Quæ ſequuntur in Diatribâ, reſpiciunt authorem Caſaubonum: uſucapione, ut & alia pleraq; facta ſunt tua, niſi quòd, ut fit, deterius adhibeantur.

148. Tranſubſtantiatio eſt illa Helena, quæ tot ubique turbas dedit. undè, ut olim, Græcia Barbariæ, Eccleſia quoque, *lento colliſa duello.* comperendinaverat negotium Exercitator, in diſputationem ſeparatam. Prudenter. Bulengeri pruriebant Adverſaria, nec ſe continuit ipſe, donec omnia de hac Chimera ſibi obſervata, πλεῖστα δὲ λυγρῶς, in nos evomeret. Inauſpicato. Nam à contradictione principium petit. *Si omnia,* inquit, *quæ Patres de Tranſubſtantiatione ſcripſerunt, in unum contuliſti, ſcriptionem tuam in molem maximam excreviſſe neceſſe eſt.* et tamen fatetur non ita multis interjectis, Tranſubſtantiationis vocabulum, ante annos CCCC. Innocentii, viz. Tertii, ætatem, Eccleſiæ Latinæ ignotum fuit. Et tamen nemo Pater poſt Innocentium, ita imprudenter impingit. ſed eccum malagma, huic ulceri. *Res ipſa tamen, à primis Eccleſiæ Chriſtianæ incunabulis, & ipſis natalibus notiſſima.* Cavillari non lubet: Eſto quod vult, Quid eſt *res ipſa*? Nempe, Quâ ſubſtantiâ panis & vini, vi verborum Chriſti, in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti tranſit. Hic ergo Rhodus, hic ſaltus. age cita Patres. *Audiamus ante alios Cyprianum.* ſi ante alios: tum imprimis illum. at mi homo. longius abfuerat, CC. & quod excurrit annos ab Eccleſiæ incunabulis: hoccine tuum

ἀνδραγάθημα

Digitized by Google

ἀνδραγάθημα: ſed tranſeat tamen & audiatur. Lib. de Cœnâ Dom. *Iſte panis, quem Dominus diſcipulis ſuis porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatus.* En mutationem, & naturalem! non ergo μετασχηματισμὸν, nam non: *effigie*, quem linea præcedenti urgebas è Nazianzeno: ſed Natura vox eſt πολύσημος. alia notat à ſubſtantiâ. Nos mutationem ſubſtantiæ deſideramus. En ergo illam, ſicut in perſonâ Chriſti, humanitas videbatur, latebat divinitas; ita ſacramento viſibili inviſibiliter divina ſe infundit ſubſtantia. ſubſtantiam in tuis excerptis lego. ſed, homo pellax, non in Cypriano. Malæ fidei commiſſor, depravaſti Cyprianum, qui Eſſentiam repræſentat, non ſubſtantiam. Quodſi jam mutationem factam ullam contendas, per Cyprianum non ſtabit, quo minùs panis mutetur in Divinam Eſſentiam. Blaſpheme Bulengere, hinc ad Vivicomburium. Poſtremò dixit Cyprianus, non Transfundit, ſed Infundit. Ita multiplex vafrities, & impoſtura in Cypriano. Origenes, aliquanto prior erat. ſed incertus es ipſe, pag. 178. Origenes iſte, an alius quis eſſet, qui ſcribebat in Lucam Commentarios, apud Morellum. Ut ſit Origenes, do verba Tranſubſtantiationem inferentia. Ἐπεὶ τοίνυν ἔδει καὶ διὰ τοῦ πνεύματος ἁγίου ἐν ἡμῖν αὐτὸν γενέσθαι θεοπρεπῶς, συνανακιρνᾶσθαί τε ὥσπερ τοῖς ἡμετέροις σώμασι, διὰ τῆς ἁγίας αὐτοῦ σαρκὸς, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος, ἵνα μὴ σάρκα καὶ αἷμα προκείμενα βλέποντες ἐν ἁγίαις τραπέζαις ἀποναρκήσωμεν, συγκαθιστάμενος ὁ Θεὸς ταῖς ἡμετέραις ἀσθενείαις, ἃ δὲ ἐσχήκαμεν εἰς εὐλογίαν ζωοποιὸν, αὐτὸν ἄρτῳ τε καὶ οἴνῳ πέμπει τοῖς προκειμένοις δύναμιν τῆς ζωῆς, καὶ μεθίστησιν αὐτὰ πρὸς ἐνέργειαν τῆς ἑαυτοῦ σαρκὸς, ἵνα εἰς μέθεξιν ζωοποιὸν ἔχωμεν αὐτὰ, καὶ σπέρμα ζωοποιὸν ἐν ἡμῖν εὑρεθῇ τὸ σῶμα τῆς ζωῆς. Qandoquidem igitur neceſſe fuit, ut is in nobis eſſet per ſpiritum divino modo, & comiſceri tantum non noſtris corporibus per ſanctam ipſius carnem, & pretioſum ſanguinem, ne cùm carnem & ſanguinem propoſita intueamur, in ſacris menſis exhorreamus, veluti Deus noſtris condeſcendens infirmitatibus, quæ tradita habemus in vivificam benedictionem, tanquam in pane & vino tanſmittit propoſitis vim vitæ, & transfert ea ad operationem carnis ſuæ; ut in participationem vitalem ea habeamus, & ut ſemen vivificum in nobis inveniatur, corpus illud vitæ. ſed imprimis, hæc Origenis certiſſimè, non ſunt. fateris ipſe. 2. ſi Origenis, non attingunt natales Chriſtianiſmi. 3. nuſquam mutari dicitur ſubſtantia panis, &c. quod erat τὰ προκείμενα. 4. fortaſsè legendum eſt ἃ δὲ ἐσχήκαμεν εἰς, &c. atque ita planiſſimè erunt τὰ προκείμενα, ἄρτος καὶ οἶνος, etiam tum, quæ μεθίστησι, transfert, non in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, ſed πρὸς τὴν ἐνέργειαν. ut per illa ſymbola idem operetur Chriſtus in animis noſtris, quod per carnem ſuam, & ſanguinem ſuum, hoc eſt, μέθεξιν, ad æternam vitam. Ἡ γὰρ βρῶσις, ait idem Origenes in Marcum, περὶ ἧς διελέχθη, πνευματική ἐστι καὶ ζωοποιός. Μὴ τοίνυν τοῖς σαρκικοῖς ὀφθαλμοῖς ὁρᾶτε (Te tuoſque alloquitur Bulengere) τὰς δεδομένας παρ᾽ ἐμοῦ τροφὰς, ἀλλὰ τοῖς νοητοῖς. Ἡ γὰρ σὰρξ τοῦ Κυρίου ὑπερπασῦ πάντα λόγον, καὶ νόον. Cibus de quo loquitur

 ſpiri-

ſpiritualis eſt, & vivificus. Nolite igitur oculis corporalibus intueri illum à me exhibitum cibum, ſed intellectualibus. Caro enim Chriſti tranſcendit omnem ſermonem & apprehenſionem. Ambroſium, & Emiſſenum ſuprà poſuiſti:: & nos in ſuperioribus reſpondimus, quod repetimus, ſtultè inferri mutationem ſubſtantiæ, eò quòd mentio fiat, de mutatione. ridiculè recitari converſionem, ut inferatur inde illa Tranſubſtantiatio. Credimus non inviti quod Gaudentius dicebat, *De pane, quia promiſit & poteſt, efficit proprium corpus. Et qui de aquâ vinum fecit, de vino ſanguinem ſuum fecit.* ſcilicet, aiebat olim, *Hoc eſt corpus meum.* at ubi illud veſtrum, Tranſubſtantiavit? Non te pudet profeſſum, illam, non aliam mutationem, idque ab incunabulis Eccleſiæ Chriſtianæ demonſtraturum, idque ſub ſponſione Capitis, in utroque adeò deficere? Leve adeò tui capitis, quod videtur ſponſio. vilis nimirum. nec cenſendi. Nam quid pueriliter nobis Strabum narras? Monachum Fuldenſem? quid Durandum, Aquinatem, Scotum, ſolos (quanquam aufer Eccleſiæ authoritatem, & in os tibi Scotus occlamabit) plauſtra nobis horum hominum hamaxaſque totas cur non advectaſti? καὶ αἱματολογεούντων πᾶν τὸ γένος. Qui magno boatu, de Eccleſiæ incunabulis vociferabare, ultra Cyprianum, certiſſimò, non aſcendiſti.

149. Sed pergamus porrò. Ambroſius ait, *Vbi acceſſit Conſecratio, de pane fit corpus Chriſti.* Quod ſi non dixerat, aut ſcripſerat Ambroſius, crederemus, quia, αὐτὸς ἔφα, *Hoc eſt corpus meum.* ſed Ambroſius non dixit, Hoc eſt, hoc modo corpus meum. εὖγε καὶ καλῶς. Quia Hoc non Ipſe dixit: et maledictionem incurreret, ſi ſuas lacinias, ad Chriſti purpuram aſſueret. Theophylact. in 26. Matth. ſcribit μεταποιεῖται γὰρ ἀπορρήτοις λόγοις, ὁ ἄρτος οὗτος διὰ τῆς μυστικῆς εὐλογίας καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος, εἰς σάρκα τοῦ Κυρίου. Hic eſt μεταποίησις: ſed ἀρρήτοις λόγοις. Itaque non per Tranſubſtantiationem. nam τὸ ἄρρητον, ita ceſſet. facilè effertur, & cogitatur ille modus: determinat rem indeterminabilem. eſt ergo μεταποίησις aliud quid quàm μετουσίωσις. quam non ingerit Theophylactus. Ridiculum eſt quod urget ex illo, καὶ νῦν ὁ ἄρτος εἰς σάρκα μεταβάλλεται τοῦ Κυρίου. Quaſi tunc concederemus Tranſubſtantiationem, nunc autem negaremus. Eadem actio. idem ſacramentum. Eadem vis & potentia operans. Nunc quæ Tunc. & tamen, quaſi hoc negaretur, reduplicat illud ſuum Nunc. Multis Theophylactus in Iohan. 6. de hoc ſubjecto diſputat, carne Chriſti manducandâ.ubiq; autem πάντα πνευματικῶς. Murmurabant Judæi, dicente Domino, *Ego ſum panis,* veluti fuiſſent decepti. Nam huc uſque eum quidem exiſtimabant, de pane ſenſibili loqui, & manſuetè eum ferebant, ſperantes quòd daturus eſſet *panem hunc,* & ventri ipſorum gratificaturus. Nunc autem quia revelavit iis, quod non περὶ αἰσθητοῦ ἄρτου, ἀλλὰ περὶ πνευματικοῦ, loqueretur, contempto illo, murmurant. Unde enim illi intelligere

poſſent

poſſent ſpiritualem cibum, vitam, reſurrectionem? poſtea addit, *Manifeſtè autem nobis hoc in loco, de Myſticâ communione corporis ſui dicit.* ſi Myſticam dixit: ergo non carnalem. non ſecundùm literam, ſed ſpiritum. & paulò priùs. *Cibum manentem, myſticam dicit ſumptionem Carnis Domini.* et non tantùm myſticam, ſed negativè, non carnalem. Cùm Judæi, utpote terreni, de ſenſibili pane Chriſtum loqui putarent, & propter hoc urgerent, & quærerent, redarguens eos Dominus monſtrat, quod quamdiu ſenſibilem panem expectent, accurrunt: quando autem diſcunt quod ſpiritualis ſit, non accurrunt. unde dixit, *Ego ſum panis vitæ:* non dixit, panis alimoniæ, ſed vitæ, ait Theophylactus. qui à nobis in myſteriis manducatur, non eſt ἀντίτυπον τῆς τοῦ Κυρίου σαρκὸς, ἀλλ' αὐτὴ ἡ τοῦ Κυρίου σάρξ. Non enim dixit, Panis quem ego dabo; *Figura eſt Carnis:* ſed *Caro mea eſt.* μεταποιεῖται γὰρ ἀπορρήτοις λόγοις, ut dictum eſt. Et ne quem conturbet hoc, quòd panis Caro creditur. καὶ γὰρ ἐν τῇ σαρκὶ περιπατοῦντος τοῦ Κυρίου, καὶ τὴν ἐξ ἄρτου τροφὴν προσιεμένου, ὁ ἄρτος ἐκεῖνος ὁ ἐσθιόμενος εἰς σῶμα αὐτοῦ μετεβάλλετο, καὶ συνεξομοιοῦται τῇ ἁγίᾳ αὐτοῦ σαρκὶ, καὶ εἰς αὔξησιν καὶ σύστασιν συμβάλλεται, κατὰ τὸ ἀνθρώπινον. Καὶ νῦν οὖν ὁ ἄρτος εἰς σάρκα τοῦ Κυρίου μεταβάλλεται. Et quomodo inquies? Annon panis nobis videtur, non Caro? reſpondet, Ita. διὰ τὸ μὴ ἀηδίζεσθαι πρὸς τὴν βρῶσιν. Nam ſi Caro appareret, ἀηδῶς ἂν διεκείμεθα πρὸς τὴν μετάληψιν. Nunc autem, condeſcendente Domino noſtræ Infirmitati, talis apparet nobis myſticus cibus, οἷα δεῖν ἡ φαίνηθαι ἡμῖν. Itaque tota hæc actio Fidei eſt. ita enim concludit. δεῖ τοίνυν ἡμᾶς ἐν ταῖς μεταλήψεσι τῶν θείων μυστηρίων πίστιν ἔχειν ἀδιάκριτον, καὶ μὴ ζητεῖν τὸ πῶς. Non ergo determinare τὸ πῶς. quod præſumptuosè nimis factum eſt in Tranſubſtantiatione.

Samonas Gazæ Epiſcopus, non aliud docet, quàm ἐπικλήσει ἁγίᾳ, per deſcenſum Spiritus ſancti, εἰς τὰ προκείμενα, panem & vinum, in corpus & ſanguinem Chriſti, mutari. ridiculè. Nam quis è nobis negat? quanquam & Samonas & Theophylactus recentiores ſint σύγχρονοι: circa annum Domini 1072. Lanfranco coætanei. Samonas cum Mahumedano diſputat: & inſiſtit in divinâ *omnipotentiâ*, poſſe Deum convertere μεταποιῆσαι *panem* in *corpus ſuum.* ἀπροσδιόριστον. ſed vel ſtupidus & obliviosus: vel petulans nimis is, qui Ambroſium reponit, quem ante lineas ferè viginti recitaverat. Homo totus compoſitus ad inepturiendum. multis paginis, plurimis productis teſtimoniis, per ſummam væcordiam, veritatem, & realitatem corporis & ſanguinis Chriſti, in Euchariſtiâ probat, quod nemo negat. Magno conatu maximas nugas agens. Quaſi non verſaretur in Confeſſo, apud Proteſtantes noſtros, Panem μετὰ τὴν εὐλογίαν non eſſe illud quod *Natura formavit*, ſed *quod benedictio conſecravit.* Homo ridicule, qui cùm in te receperis Tranſubſtantiationem probare in uſu creditam & receptam, ab ipſis Chriſtianiſmi incunabulis, ad noſtra uſque tempora, vel aliud loquentes introducis, vel per nuper natos, et

Theolo-

Theologiæ interdum dehoneſtamenta, probas. Realem ut vocant præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtiâ credo, propugno, profiteor. Tranſubſtantiationis terminum, modumq; pernego. rem, per modum ſic concluſam, abſurdam, inſulſam, ἄλογον, ἀλόγιστον, impiam abhorreo. Do mutationem. proba Tranſubſtantiationem. Ne diutius tecum ineptias feram, profer vel unum è ſcriptoribus Græcis, Latinis, per annos mille ab exortu ſervatoris, qui vel vocem, vel rem Tranſubſtantiationis tuetur, vel referat, et ego tecum pariter Jeſuitiſmum induam, qui mavelim facere collifragium. Nec ulteriùs perſequimur rem ſacramentariam.

151. Nugator Caſaubonum authoritati Patrum detrahere mentitur. Quia non multum Fidei tribuat Bedæ narrationibus. ſed nec Gregorii illius Dialogiſtæ: aut Gregorij Turonenſis, antiquiorum Beda. Imò nec Baſilii Seleucienſis, in illa S. Teclæ hiſtoria. Tituli Patrum pro mendaciis non rarò μορμολύκεια obtruduntur. Et hinc boni interdum viri, & veritatis tenaces, tetriciores ſe judices aut exactores opponunt. ſacratam certè Antiquitatem, haud libenter patimur, nec debemus pati, à moroſis Cenſoribus conculcari. Derogare Caſaubonum illorum venerandæ Antiquitati & canitiei tam verum eſt. quam certum illud poculum quo utebatur in ſacris Dominus Jeſus fuiſſe ἀμφῶτον. Baronius nunc Romæ oſtendi docet, et tamen non perſuadet fuiſſe ἀμφῶτον. Reliquiarum tabernæ, ſcruta nobis vendunt, & exponunt vænum. Ne dicat homo credulus & δεισιδαίμων, idem eſſe poculum. ſed faciat fidem argumentis. Nemo de hoc poculo memoriæ aliquid prodidit. Traditionem confirmat Eccleſiaſticus uſus, qui ſacros nobis *calices* aliuſmodi *prodidere*. Propter Bedæ deſertam narrationem non magis detrahitur ſanctis Patribus, quam propter aliquem ridiculè fatuum, toti ipſi generi, vel nationi. Narrat Beda ex auditu, nam αὐτόπτης nec erat, nec eſſe poterat, qui, quod aiunt, nunquam exceſſit quatuor maria: nec in vicinam Galliam excucurrit. Homo minimè ῥεμβὸς, ſed cum primis ἔμπειρος, Hieroſolymis extitiſſe accepit illud poculum. Cujus miniſterio, ne dicam furto, Romam migravit? Non procurant fidem, aut merentur Narratores ſuis ſemper Narrationibus. Imò ne credunt illis, ipſi. Tu credis illi, qui Bedæ in aurem inſuſurravit. Ἐγὼ δὲ μανθάνειν καλῶς. Nam nec Papias, licèt φοιτητὴς Apoſtolorum: non Hegeſippi: Abdiæ narrationes ſunt inconcuſſæ veritatis & immotæ: quibus tamen non derogatur omnis in omnibus fides. ſolidior an fluxa ſit veſtra fides, haud refert, nec Ego, cicco interduim. Plerunque ex affectu conformatur. Eſto ſolida tua fides, ſit Petrina, Lapidea ſi velis, Marmorea, Adamantina. Mihi arridet Siculi Epicharmi Apopthegma. Τὰ νεῦρα τῆς σοφίας ἀπιστεῖν.

152. Dixerat Dominus, Johan. 13. 33. *Quò ego vado, non poteſtis venire.* Interrogat Petrus, *Domine, quò vadis?* Baronius, qui in

in Petro nihil ſomniat niſi magna, & magnalia, Principatum. Regnum. Monarchiam. nullam aliam Interrogationis cauſſam novit, niſi princeps quòd erat Apoſtolorum. ſed iccirco de ſubditis & vaſſallis ſuis, alicui impoſuiſſet hanc provinciam. Patres in Petro, alia obſervant. προπέτειαν, θερμότητα, Amorem ſummum: etiam interdum Præſumptionem & nimiam ſui confidentiam, uti hoc in loco, quo profitetur ſtrenuè & animosè ſe Magiſtrum quolibet ſequuturum, etiam ad aras, et mortem ipſam. Certè erat in hoc ſancto viro, heroïca quædam animi virtus: infracta et admirabilis ad omne bonum propenſio: ſed cum fervido aut præcipiti potius quodam (more Gentis Galilaïcæ) impetu, quem ut dixi, vocant Græci Patres, modò θερμότητα, modò προπέτειαν. Auguſtinus hic Præſumptionem. ſed vitium vocat et ἐλάττωμα Exercitator. Non opinor ἁπλῶς, vel ἀσεβῶς ſic. Neque enim ex ſe θερμότης vitium eſt, cum ne ira ſit. Alioquin haud diceretur, Iraſcimini, ſed nolite peccare. ut ira furorem, et vindictam: ita θερμότης audaciam interdum parit, vel Præſumptionem. Περιπαθὴς καὶ προλαμβάνων, ſemper ferè beatus hic Apoſtolus. Amoris quadam efferveſcentia in magiſtrum. unde ad reſpondendum, ſed et faciendum, ſemper erat paratiſſimus: manus et linguam in procinctu habens. Cyrillus affirmat: aſtipulatur Hieronymus, in omnibus locis, ardentiſſimæ cujuſdam Fidei invenitur Petrus. Ab ardore tali, tanto: à zelo tam fervido rariſſimè abeſſe ſolet reprehenſio. τί ποιεῖς, ὦ Πέτρε, ait meus vetus Scholiaſtes, ἐκείνου εἰπόντος, ὅτι οὐ δύνασαι, σὺ λέγεις, διά τι οὐ δύναμαι; Hominis hic perſtringit Confidentiam. Ἡ γραφὴ ἡμᾶς ἐδίδαξεν, ait Sanctus Athanaſius, ὅτι οἱ Απόστολοι ἐλάλουν ἀφ' ἑαυτῶν. Et Paulus de hoc ipſo Petro dicit, eum non recto pede incediſſe ad Euangelium. Auguſtinus non ſemel Petrum inſimulat. Ejus profitetur infirmitatem. Et quaſi ſummatim, ac κατὰ σύνοψιν. in, de Agone Chriſtiano, omnia ejus παραδιορθώματα in fine perſtringit. *Debet ergo Catholica Eccleſia, libenter lapſis ignoſcere, cum ipſi Petro perſonam ejus gerenti, & cùm in mare titubaret. Et cùm Dominum carnaliter à paſſione devocaret: & cùm ſervi aurem gladio abſcinderet. Et cùm ipſum Dominum ter negaret. Et cùm in ſimulationem poſtea ſuperſtitioſam lapſus eſſet, videamus veniam eſſe conceſſam, eumque correctum atque firmatum uſque ad Dominicæ paſſionis gloriam perveniſſe.* Sed tacet, dicetur de hoc lapſu, vel Præſumptione: ut veroſimile ſit, non imputaſſe. Tacet hic: Eloquitur tamen alibi, atque alia. Tract. in Johan. 57. *Quid feſtinas Petre? Nondum te ſuo ſpiritu ſolidavit petra. Noli extolli præſumendo. Non potes modò.* Et deinceps paulò acerbiùs. *Quid in animo ejus eſſet cupiditatis videbat. quid virium, non videbat. voluntatem ſuam jactabat Infirmus: ſed inſpiciebat infirmitatem Medicus. Qui neſciebat, audebat: qui præſciebat, docebat.* Deinde perverſorum nonnullorum fervorem perſtringit, doctiſſimus idem Pater, qui quaſi Petrus Dominum non abnegaſſet, ita in voce, *Hominem*

ignoro,

Digitized by Google

ignoro, ludebant. *Non novi hominem, ſed novi Deum.* Dignum æquivocatore è ſodalitate. Sanctorum infirmitates, etiam & enormia non tacuit Divinitùs inſpirata Scriptura. & ſunt, qui niſi omnia bona de Petro, & εὐφημισμοί, indignantur.

153. Certè merentur illius pietas, affectus, amor, zelus, & laudes, & acclamationes, & imitationem. qui non περφατιζόμενος, ſed ex animo loquebatur, *Animam ego meam pro te ponam.* Docet hoc illius ἀνδραγάθημα, cum ſolus contra armatam multitudinem, & pugnaturus & animam reverà depoſiturus, gladium ſtrinxit: nec videtur quieturus, ſi non admonitus, & inhibitus à magiſtro. Auguſtino ſubſcribere non poſſum, qui peccatum hoc Petro imputat contra Fauſtum, Libr. 22. cap. 70. Leoni potius ſubſcribo, qui ſerm. 1. de Paſſione iſta habet. *Beatus Petrus, qui animoſiore conſtantiâ Domino cohærebat, & contra violentorum impetus fervore ſanctæ Charitatis exarſit, in ſervum Principis ſacerdotum uſus eſt gladio, & aurem, viri ferocius inſtantis, abſcidit. ſed hunc zelantis Apoſtoli, pium motum progredi Dominus ultra non patitur. Non quod Petri factum è genere ſuo, aut privato affectu improbaret, ut peccatum, ſed, quod ipſe ait, ne Terrenis auxiliis ſubniti velle videretur, aut impediret curſum Divinæ diſpenſationis de mundo hiſce mediis redimendo. An putas quod non poſſem rogare Patrem, & exhibebit modò mihi pluſquam duodecim legiones Angelorũ? ſed tum quomodo Scripturæ implebuntur? Contra Sacramentum enim erat Redemptionis noſtræ, ut qui mori pro omnibus venerat, capi nollet.* inquit, loco quo ſupra, beatus Leo, *ne dilato glorioſæ Crucis triumpho, & Dominatio Diabolica fieret longior, & captivitas humana diuturnior.* Quocirca non ſolùm vanè, ſed etiam impiè, qui Diſcipulos ad Dominum defendendum paratos, ſe oſtendentes, ſtultos vocat & amentes, ipſe ἄνους, ἀπαίους, ἀποτρόπαιος. Quocircà nemo ſanus, quin concludat cum Cyrillo, *Magnâ quidem laude dignus eſt ejus amor erga Chriſtum, ex quo flagrantia hæc verba proficiſcebantur, velut ex fornace, ſed virium ſuarum imbecillitatem humanam, non expendebat.* Ex hac affectione animi quanquam προπετῶς, ſed non culpandus, profitetur, ſeparatum illum ſequi uſque ad mortem. et adhuc vehementius, animam pro illo poſiturum. Beatus Lucas narrat Chriſtum Petro dixiſſe, *Satanas expetivit vos, ut cribraret, ſicut triticum.* Nempè quomodo Jobum affligendum expetiverat. et conceſſum eſt ei ut cribret vos: Ego autem pro te, & in te pro omnibus, oravi, ne deficiat fides tua. *Tuam*, ait, quià præcipuè periclitabatur. Quia in ejus fide confirmata, omnium ſtabiliebatur fides. Huic Petrus, ardenter, Paratus ſum, tecum & in Carcerem ire, & in mortem. ſecundâ vice dixerat eidem Petro, Johan. 13. *non cantabit Gallus*,&c. ob illam occaſionem, quâ de invalentiâ ſequendi Chriſtum admonitus Petrus, rogat cur non poſſet Dominum ſequi? Tertiâ vice, cùm in cœnaculo prædiceret è Prophetâ Zachariâ *Percutiam,*

Digitized by Google

tiam Paſtorem, & diſpergentur oves: et quod illâ nocte ſcandalum paterentur. Hoc audito, Petrus, amore incitatus ait, *Etſi omnes ſcandalizati fuerint in Te, non Ego.* Quocirca aſſentior Auguſtino. Hoc eſſe credibilius quod ter oſtenderit Præſumptionem (ita ille loquitur) ſuam Petrus, & de trinâ ſuâ negatione, ter à Domino audierit. ita nullo modo Janſenium admitto, qui unicam tantùm admittit, & Domini prædictionem, & Petri aſſeverationem.

Hæc omnia, & multo etiam plura partim ante *Cœnam*, partim in *Cœnaculo*, cùm inter cœnandum: tam finitâ *cœnâ*, poſt abitum Judæ, Chriſtus apud Diſcipulos, quaſi valedicturus diſſeruit, Finitis omnibus, et hymno cantato, exierunt, ad montem Olivarum. Paulus Burgenſis, ut etiam citat Barradas, putat fuiſſe Pſalmum 112. cujus initium eſt, *Laudate pueri Dominum*, cum quinque ſequentibus Pſalmis continuatum: qui ſic conjuncti, vocabantur *Magnum Alelujah.* Addit in tribus præcipuis Feſtis, in Neomeniis, præcipuè poſt eſum Agni Paſchalis, conſuëviſſe Judæos, *magnum* hoc *Alelujah*, ſex Pſalmos, nempè continuatos, cantare. Et hoc, ſi obtinebat, quemadmodum ille refert, rerum Judaïcarum peritus, proculdubiò Chriſtus obſervabat, potiùs quàm quod nonnulli Novatores fingunt, extraordinarium aliquem hymnum compoſuiſſe: quem è re natâ ad propoſitum accommodatum et eximium, Euangeliſtarum aliquis memoriæ mandaſſet, quemadmodum Orationem illam divinam, quam Dominicam appellamus. Nec videtur pedeſtri oratione compoſitum, quod cecinerunt, (non ipſe ſolus Chriſtus ut oportuit, ſi novo hymno uſus fuiſſet, ſed concinentes Apoſtoli) ſed ligatâ oratione: altâ voce: et modulato vocum concentu: ut in Eccleſiis hodiè Chriſtianorũ Orthodoxorũ fieri ſolet, vel cum Organis, vel etiam ſine illis. Hymnus ergo vox, duo ſignificat, primo ut ſit ἐμμελὴς compoſitio. unde apud Athenæum, ἐμμελῶς ᾄδοντες γαμικὸν ὕμνον. quem nos vulgò Epithalamium carmen appellamus. Secundo, ut ſit in laudem et honorem Dei: præcipuè per feſtivitates. Athen. Libr. 14. Οἱ ἀρχαῖοι παρέλαβον ἔθεσι καὶ νόμοις τοὺς τῶν θεῶν ὕμνους ᾄδειν ἅπαντας ἐν ταῖς ἑορτάσι. Hic jam vero Bulengerus de εὐλογίαις menſarum ἅπτει λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ. pauca, nec melioris notæ ſunt, quæ affert nec ad rem, aliqua. Quid enim κοινὸν Libationibus Paganorum, cùm Chriſtianorum et Judæorum εὐλογίαις. Servii Honorati *ſacratæ menſæ* non poſſunt demonſtrari fuiſſe εὐλογημένας. potius videntur illæ ipſæ, de quibus Arnobius, *Sacras facitis menſas ſalinarum appoſitu & deorum ſimulacbris.* Erant enim θεοὶ ἐπιτραπέζιοι: et propter illos in *menſâ* collocatos, erat *menſa* ſacra: non propter ullas εὐλογίας, aut Benedictiones. Neque enim, ſi id paſſim obtinuerat, Athenæus in Naucratitis ſuis id tanquam peculiare notaſſet. Nec monachorum, aut etiam Eſſenorum preces ἐπιτραπέζιοι, ad Paganorum aliquas εὐλογίας ſpectant. Erant enim utrique in ſuo genere

154. *Hymnus cantatus*

devoti

Digitized by Google

devoti, & εὐλαβέστεροι. Et Eſſeni Judæi origine, licèt Hæretici profeſſione.

Hæc cùm dixiſſet, nempe pluribus apud Johannem relata, in
155. ſermonibus cum Diſcipulis,&Orationibus ad Patrem,egreſſus eſt Servator verſus montem Olivarum, & tranſgreſſus torrentem Cedron, venit in locum dictum Gethſemane. Juxta Jeruſalem erat Vallis dicta Joſaphat: quam interfluit torrens Cedron. ultra torrentem ſitus eſt mons Olivarum: et ad pedes montis Villa Gethſemane. citat Caſaubonus, ex inedito Euſebii libro, de locis ſanctis, Γεθσημανῆ, χωρίον, ἔνθα πρὸ τοῦ πάθους ὁ Χριστὸς προσηύξατο. κεῖται δὲ πρὸς τῷ ὄρει τῶν ἐλαιῶν, ἐν ᾧ καὶ νῦν τὰς εὐχὰς ποιεῖσθαι σπουδάζουσι. Quæ tranſtulit ad verbum Hieronymus: et σαφηνείας gratia, explicat & cauſſam & morem ibi orandi: nempè eo in loco Eccleſiam fuiſſe ædificatam. Non enim ſub Dio: aut in Campo orabant: ne noſtri *ſeparatiſtæ* & *Euchaitæ* ſuo ſchiſmati hinc prætextum aſſumant. Videtur autem locus ille fertiliſſimus. ſive enim derivetur à *gath*, id eſt, *torcular*. & *ſemanim*, *oleo*: quod ibidem olea torculari exprimeretur: ſive, quod doctiſſimus Caninius vult, ſignificat pecuaria butyri: & commoditati Civium Jeruſolymitanorum, & utilitati habitantium abundè reſpondebat: & amœnitate ſuâ reficiebat: unde apud Johannem refertur, Chriſtum eo crebrius ſeceſſiſſe, cùm vel Bethaniam, vel Jeruſalem viſitaret. Erat hortus ibi, in quem introivit ipſe & Diſcipuli ſui. Judas porrò, qui tradebat eum, locum illum ſciebat, quia frequenter Jeſus convenerat eò cum Diſcipulis. Poſtremo, Beda, quod tacuere Euſebius & Hieronymus, narratum ait, Domini veſtigia genuum impreſſa cerni lapidibus, aut ſolo, ubi orabat. Non credam Bedæ. Nam certè neutiquam illi duo diligentes harum rerum & inveſtigatores,& narratores, prætermitterent, tam inſignitum miraculum. ſi enim Domini orantis veſtigia fuerant, neceſſe eſt; ut tam per illorum tempora impreſſa fuerant. Aſſentior libenter conjecturæ Caſaubonianæ; impreſſa quædam veſtigia, è frequenti, & variâ multorum orantium devotione, qui eò libenter confluebant ex amore & devotione in Dominum Jeſum; ut ardentius orarent; in rem quaſi præſentem venientes, & ſpe habituros Dominum faciliorem, quaſi memorem fuſarum in agoniâ precum, & vehementioris afflictionis ſuæ. Ita enim eſt, ait illa,

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

Narrat ille è relatione, id contigiſſe ad ἀποθήκην Thomæ Cantuarienſis: et ipſi olim noſtris oculis vidimus in vico ſancti Albani in marmore, ubi memorabant Martyris thecam fuiſſe.

156. Cum in hortum veniſſet, cæteris Diſcipulis ait, *Sedete hic donec vadam illuc, & orem*: et aſſumptis (ut ſolebat alias) Petro et duobus filiis Zebedæi; cœpit contriſtari, et mœſtus eſſe. Euangeliſtæ, ut hunc Chriſti affectum repræſentarent, non unâ aliquâ

quâ dictione contenti ſunt. multas advocant, et quaſdam non vulgares, nec communem aliquam animi diſpoſitionem referentes. ἤρξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. et ex ore ipſius Chriſti, περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου. quæ totidem ſyllabis habentur apud Marcum. ſed addit, ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. Lucas fuiſſe ait, ἐν ἀγωνίᾳ. & ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν. Hunc poſtremum locum Lucæ, ita capio, ac effectum explicantis illius ἐκθαμβήσεως, ἀδημονίας, & λύπης undique obſidentis: nam quia ita animo et corpore affectus erat, ideò ſanguinis guttæ tanquam ſudor fluebat rivis. Veteres quidam hanc hiſtoriam de grumoſo ſanguine, et Angelo conſolante, affirmant non fuiſſe in quibuſdam etiam plurimis Codicibus Græcis et Latinis. Hilarius Libr. 10. de Trinitate, pag. 74. ait, *Nec ſanè ignorandum è nobis eſt, & in Græcis & Latinis Codicibus quàm plurimis, vel de adveniente Angelo, vel de ſudore ſanguinis nil ſcriptum reperiri.* Et Hieronymus Lib. 2. contra Pelagianos, cap. 6. affirmat, in quibuſdam exemplaribus, tam Græcis quàm Latinis, illam Hiſtoriam reperiri. ergo in omnibus non reperiebatur, ſed videtur expuncta ab Hæreticis, unde Sixtus Senenſis, Lib. 1. cap. 22. ait, *inter Anathematiſmos Athanaſii, hunc extare. Si quis negaverit verùm hominem, quem filius Dei aſſumpſit, ſanguinem ſudaſſe, Anathema ſit.* Poſſibile hoc docet eſſe Maldonatus ex Ariſtotele. ſed in neutro loco, quem citat, hoc habetur. narrat Pariſiis exemplo compertum, capitali ſupplicio damnatum, ubi ſententiam in ſe latam audivit, ſanguinem ſudaſſe. Quod et alibi in Hiſtoriâ Gallicanâ, me legiſſe memini: ſed locus non occurrit in præſenti. θρόμβος, grumus, inquit doctiſſimus Gorrhæus, Propriè quidem ſignificat continuæ rei fragmentum, et fruſtum. Inde ad Lac et ſanguinem Medicis tranſlata vox eſt, qui θρόμβωσιν dixerunt, in Lacte quidem quoties à puerperio fœminis lac fluere deſinens in mammis denſatur, et in exigua fruſta concreſcit. In ſanguine verò, cùm à venis ſuis effuſus, in vicina ſpatia abſcedens, ſive per diapedeſin, ſive eroſo et rupto quomodolibet vaſe, ſimiliter coit atq; condenſatur, non in veſicâ modo, verum et in Stomacho, in renibus, in Inteſtinis, in utero, in naſo, in omni denique corporis cavitate. In quâ, quoniam præter naturam ineſt, calorem nativum amittit, indeque niger evadit et cogitur, tandemque putreſcit. ſudor ille è vehementi anxietate, angore et contentione manabat. nec tam miraculoſus, quàm naturalis erat, in corporis illa delicati εὐεξίᾳ.

Edit. Colon. 1617.

Λύπη enim illum poſſederat totum, vehemens, cum triſtitiâ, 157.
mœrore animi, quadam dejectione et anxietate vehementiori. περίλυπος erat, ait Euangeliſta, et quaſi attonitus ἔκθαμβος, ad divini Judicii et diſpenſationis æternæ apprehenſionem. adeò ut in *agoniâ* poneretur. quam vocem apud Literatores exponunt, ut ſit φόβος: nec ſimpliciter: ſed illius, τοῦ εἰς ἀγῶνα μέλλοντος καταστῆναι.

 Nimirum,

Nimirum, ne ab antagoniſta victus, coronâ excidat. φόβον ἀποτυχίας, ita exponunt. & φόβον ἄθλου πράγματος. Ariſtoteles in Problematis ἀγωνίαν, ait eſſe, timorem eum quo percelluntur, opus aliquod aggreſſuri. Eſt itaque ſpemque metumque inter, anxietas animi. Quæ ſingulæ, & omnes ſignificationes Domini Jeſu affectibus reſpondebant, ſecundùm humanitatem, quæ generis totius humani cauſſam ſuſtinebat. Extendit adhuc vox ἀδημονεῖν. Terreri. terrefieri. expaveſcere. animo concidere. ita angi, & præ nimia quadam doloris, languoriſque tædioſitate fatiſcere. Eſt enim ἄδος defatigatio, ſub cujus pondere & preſſurâ concidit quis. Fuiſſe hæc omnia ſumma in Jeſu Chriſto, docent grumoſus ſanguis, vehemens concertatio in oratione, Repetita eadem ternâ vice, Calicis deprecatio, & imprimis, quod Apoſtolus habet ad Hebr. 5. 7. Ὃς ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, δεήσεις τε καὶ ἱκετηρίας πρὸς τὸν δυνάμενον σώζειν αὐτὸν ἐκ θανάτου, μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων προσενέγκας, καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας. Atque ita non tantùm ἁπλῶς, ſed valde ἐνεργητικῶς, & Rhetoricis quidem ὑφάσεων explicatam Chriſti Domini in horto paſſionem, ante Crucem depingunt. Quibus ſi accedat illa in Cruce exclamatio μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς. *Deus meus, Deus meus reſpice in me, utquid me dereliquiſti?* Stupenda ſunt hæc, & πᾶσαν ἀνθρώπινον ὑπερβολὴν ὑπερακοντίζοντα.

158. *Si tanti rogites quæ motus cauſſa,* reſpondeo. eſt ἐν ἀπορρήτοις prima, proxima, immediata. nuſquam revelata. non ergo aſſignanda: nullis veſtigiis inveſtiganda. Multi, multa, multiplicitet & commentati, & commenti ſunt, audacter, improbè, blaſphemè, modeſtè, piè, ſecundùm fidei analogiam. Diſtribuuntur ſecundùm tempora Chriſti paſſiones. In horto: in Cruce. diſcrepant *modo*, & *affectu:* Anima in *horto* ſecretò & intus affligebatur. in Cruce, prorupit in verba *dolor. Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Undique mœrore & triſtitiâ obſeptus, & oppreſſus ſum animitus. quaſi qui jam agerem animum, & in ipſius mortis introitu verſarer. ἔδει γὰρ τῇ φύσει πάσχειν τὸ ἴδιον. Eſt enim δειλία φυσικὴ, μὴ θελούσης τῆς ψυχῆς διαζευχθῆναι τοῦ σώματος, διὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἐντεθεῖσαν αὐτῇ παρὰ τοῦ δημιουργοῦ φυσικὴν συμπάθειαν καὶ οἰκειότητα. hæc meus vetus ſcholiaſtes. Neque enim admittunt viri docti illam nonnullorum interpretationem, qua tempus duraturæ triſtitiæ determinatur, uſque ad mortem: quæ tamen Origenem, Hieronymum, Hilarium, Auguſtinum, & Aquinatem authores habet. Humano igitur more appropinquans ad mortem afficiebatur Chriſtus, ita ut animitùs illam diſſolutionem declinaret. ſed ultra communem aliorum conditionem τὶ πρὸς agnoſcunt in hac paſſione viri docti. Cùm in Chriſto fuerit ſuſpenſũ gaudium, inquit Salmeron, ex viſione Dei procedens, ex quo cepit contriſtari ac pavere, erat omni prorſus ſolatio deſtitutus. Fluenta enim æternæ voluptatis continuit, ne impetu quodam, ut ſolebant, in eum emanarent. Juſtinianus, de Agone Chriſti. Et certè

certè, *Qui non diſſolvit unionem, ſubtraxit tamen viſionem*, cenſente Leone. atque hinc illa ἀδημονία & ἐκθάμβησις: non neceſſitate inducta, ſed voluntate ſuſcepta. cumque poſſet in auxilium ſuum ſummum divinæ viſionis gaudium vocare, noluit; uti nec Angelorum legionibus imperare, ut aſſiſtant. *Quod Dominus majeſtatis ſuæ potentiam comprimit, & vim in ſe perſecutorum admittit, ex illa eſt voluntate, quâ dilexit nos:* inquit Leo.

Porrò quod cauſſas attinet ſtupendæ iſtius diſpenſationis, in horto, & Cruce paſſionum et affectionum Chriſti, à Curioſitate, et ἀπορίᾳ diverſimodè luſum eſt. ſunt qui exaggerant ultra fidem omnem Chriſtianam. ſunt qui elevant et extenuant infra magnitudinem myſterii Redemptionis. Erant qui ſcenam quandam et τραγῳδίαν introducebant: non re et actu, ſed κατὰ δόκησιν hæc commemorari. Qui ab incunabulis Eccleſiæ ad Leonis uſque tempora, Satanæ ſuam operam elocabant. *Non defuerunt, nec adhuc deſunt, qui veritatem Dominicæ Incarnationis impugnant: & quod in utero Virginis Matris Mariæ, Verbum Caro factum eſt, quod Infans editus per Incrementa corporea ad perfectæ virilitatis profecit ætatem: quodque crucifixus, mortuus, ſepultus, die tertiâ reſurrexit, in noſtræ quidem imaginis formâ, ſed non in noſtræ carnis geſtum naturâ. Ut ſecundùm ipſos Crux Chriſti, aut ſimulatio fuerit phantaſmatis, aut ſupplicium Deitatis.* Leo, ſerm. 12. et 15. de Paſſione, quos Hæreticos ideò δοκητὰς appellabant. Ignatius non ſemel illorum meminit. τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν διαβάλλουσιν, ἐπαισχυνόμενοι τὸν σταυρὸν, τὸ πάθος ἀρνοῦνται. et alibi. *Novi quoſdam miniſtrorum Satanæ voluiſſe nos turbare: quorum aliqui aſſerunt Jeſum, opinione tantùm & phantaſiâ natum & crucifixum. alii, &c.* author hujus hæreſis Simon: propagatores, Ebion, Baſilides, Saturnilus, qui ſalvatorem innatum, et incorporalem, et ſine figurâ, putativè viſum hominem, blaſphemat apud Irenæum. Lib. 1. 22. Qui Lib. 3. cap. 32. inter cæteras Incarnationis veræ probationes et hanc recitat, *Si nihil ſumpſiſſet ex Mariâ, nunquam eas, quæ à terrâ erant percepiſſet eſcas. per quas id quod à terrâ ſumptum fuit, nutritur corpus.* et tandem addit. οὐδ' ἂν ἵδρωσε θρόμβους αἵματος, οὐδ' ἂν εἰρήκει, ὅτι περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου. Ταῦτα γὰρ πάντα, σύμβολα σαρκὸς τῆς ἀπὸ γῆς εἰλημμένης ἐστὶ, ἣν εἰς αὐτὸν ἀνακεφαλαιώσατο, τὸ ἴδιον πλάσμα σώζων. Sanguinis grumos non ſudaſſet: non dixiſſet, triſtis valdè eſt anima mea: ſunt iſta omnia, ſymbola carnis à terrâ ſumptæ, quam in ſemetipſum recapitulavit, propriam ſuam ſalvans facturam. Atque ita rectè docent, veritatem Carnis et Corporis Chriſti, et ſuſceptæ humanæ Naturæ, iſtiſce paſſionibus demonſtratam. 159.

Sunt qui exaggerant ultra fidem omnem et pietatem, et paſſiones Chriſti in horto, et Cruce: ac etiam cauſſas apprehenſi illius angoris. Iram nempè, furorem Omnipotentis Dei: et, ut loquuntur, *Inferni tormenta.* Nam cum localem nullum agnoſcant Infernum: nulli realem illius exiſtentiam: ignem nullum: 160. *Chriſti tormenta.*

flammas;

flammas; incendium: ardores nullos: ſed metaphoricos tantummodo Cruciatus: Infernum non exterius ſed interius ædificant, Conſcientiæ, animi, cruciatus. qui cum ὑπὸ βαθμῶν, aut etiam ὑπὲρ βαθμῶν extendantur, *tormenta Inferni* dicunt, & ſola dicenda Inferni tormenta contendunt. Cum igitur negent illum Fidei Articulum, *Deſcendit ad Infernum*: vel gloſſematis ſuis & παραδιορθώσεσιν in alia transformant, ita exponunt, ut Chriſtum doceant apud animam ſuam, Infernalia tormenta & cruciatus horribiles, horrendos, omnes, ſubiiſſe, tum cum in horto περίλυπος, ἔκθαμβος, ἀδημονῶν, vehementius oraret, & ſanguinem ſudaret; & cum in Cruce, μετὰ φωνῆς καὶ κραυγῆς ἰσχυρᾶς, clamaret, *Deus meus, Deus meus, cur me dereliquiſti?* Porro cum ſepoſitis igni, cruciatu, verme, Tenebris, & carcere illo ſubterraneo, Imaginarium ſuum Infernum ἐπὶ χθονὶ δηρὸν ... depingunt, pœnas illas vel damnatorum vel damnandorum advocant, *quæ* ſanè in ſcripturis inter Inferni tormenta recenſentur: non ſola tamen definiuntur. Tenebræ ſunt illa exteriores, deſperatio, confuſio, ſeparatio, Conſcientiæ horror, rejectio, excluſio à Deo, regno Dei, viſione & fruitione Dei, & Mors quæ vocatur ſecunda. Quot ex iſtis, vel quæ tormenta Infernalia, in animam Filii Dei patientis effuderit viderit impietas: quem flagellavit jam olim eruditus ille Wintonienſis præſul Bilſonus: quibus addo, quod ipſe oculis meis legi, apud Dernigum Puritanum in Catechiſmo, Chriſtum, (ô horror!) *ſecundam mortem fuiſſe paſſum.* Impiè meo animo, & blaſpheme, ut et illi omnes, qui tam laxè & ἀπολύτως Inferni tormenta & cruciatus Chriſti animæ in Cruce pendentis adſcribunt, & affingunt, nec alium profitebantur *Deſcenſum ad Infernum.* Impiè Johannes Ferus in 27. Matth. *Non ſolum ſupplicium à Nobis meritum, verumetiam* DESPERATIONEM *noſtram in ſe tranſtulit.* & iterum, *Conſtituit ſeipſum in locum omnium Peccatorum, & ſtipendium, pœnam, meritum peccatorum, quæ ſunt frigus, calor, eſuries, ſitis, timor* INFERNUS *ipſe in ſe transferens: ut famem fame, timorem timore, horrorem horrore,* DESPERATIONEM DESPERATIONE, *mortem morte, Infernum Inferno, Sathanam Sathana. hæc ille:* Diabolum induiſſe Chriſtum docens: vel à Deo Tyranno immiſſum admiſiſſe. Ita enim loquitur. *Exuit Chriſtus, hac horâ, Deum, non abjiciendo, ſed non ſentiendo. Sic & Deus pater, Nunc non Patrem, ſed Tyrannum agit.* Has ille blaſphemias, non à Calvino, ſed Cuſano didicit. qui Lib. 10. Excitat. ſcribit. *Paſſio Chriſti, qua major nulla poteſt eſſe, fuit ut* DAMNATORUM, *qui magis Damnari nequeunt, uſque ad pœnam Infernalem.* Ita non ſolus blaſphemat, ut maledicit Maldonatus, qui in Matth. 27. 46. ſcribit, *Occludendæ hoc loco aures ſunt Hæreticorum blaſphemiæ: quorum magiſter Calvinus* (imo non, ſed Cuſanus) *deſperationis vocem* (cum Fero) *hanc fuiſſe dicit: impium errorem, impio errore confirmans: Oportuiſſe Chriſtum, in quem ira Dei, hominibus debita, infundebatur, omnes Damnatorum*

pœnas

pœnas experiri. Inter quas una eſt, Deſperatio. Certè, κακοὶ μὲν θρίπες, κακοὶ δὲ καὶ ἶπες, In ſecretum eorum ne ingrediatur anima mea.

Dum vitant ſtulti vitium, in contraria currunt. Quod in Opinionibus de rebus Fidei controverſæ, inductis rejectis veriſſimum plerunque eſt: adeò difficulter ἡ ἐν μέσῳ ἀλήθεια obtinetur. ἀκρότητες δὲ πανταχοῦ ἐπικίνδυνοι. Qui inſignem illum errorem ſive hæreſin, & calamo ſtringente, & oratione pungente, & rationum ſolidiſſimarum pondere profligabant, ita κατὰ μείωσιν & ἐπιδείνωσιν de Chriſti paſſionibus loquuntur: ut niſi ſanguinem fuſum, verbera, colaphos, lanceam, clavos, ſpineam coronam, & cætera carnem vaſtantia tormenta & diloricantia, nulla admittant: in animâ nihil præter morem communem per condolentiam & συμπάθειαν, cùm lacerato corpore, anima dolet, & Triſtitia afficitur. Eſt enim ſympathia, quod docent ἰατρῶν παῖδες partis alicujus affectio; non propriè, primariò, & per ſe laborantis, ſed per ſocietatem & concentum alterius. ita læſo capite, dolet manus, & abſciſſa manu, illud quod eſt ὅλον male ſe habuit. Hoc modo, ſine dubio afficiebatur Chriſti anima: ſed non ſolo hoc modo. Nam ut demus pendentis in Cruce tormenta, per ſympathiam ad animam permeaſſe, de affectibus quos ſubivit in horto, affirmari, ne quidem inſulsè poteſt, cum nullum corpus adhuc ſubiſſet Cruciatum. Ita neceſſe eſt ut ab intus hæc apprehenſio alicujus terribilis objecti oriretur. 161.

Patres de *ſudore*, *agone*, *clamore*, varie, ſed non incongruè loquuntur. *Nemo ſudorem hunc infirmitati deputet*, ait Beda; *ſed intelligat, per irrigatam ſacratamque ejus ſanguine terram; non ſibi qui noverat, ſed nobis apertè declaratam, quod effectum ſuæ precis jam obtineret, ut fidem diſcipulorum quam terrena adhuc fragilitas arguebat, ſuo ſanguine purgaret, & quicquid illa ſcandali de ejus morte pertuliſſet, hoc totum, ipſe moriendo deleret: imò univerſum latè terrarum orbem peccatis mortuum, ſuâ innoxiâ morte cæleſtem reſuſcitaret ad vitam. Orans cum ſudore*, ait S. Proſper, *ſanguineo Dominus Jeſus, ſignificabat, de toto corpore, quod eſt Eccleſia, emanaturas Martyrum paſſiones*. & Auguſt. ipſe in Pſal. 93. *Ideò toto corpore ſanguinem ſudavit, quia in corpore ſuo, id eſt, Eccleſia, Martyrum ſanguinem oſtendit*. Nec ab Eccleſia abhorret Bernardus, licet de Martyribus ſileat. *Ventum eſt ad orationem, & uſque tertiò factus in agoniâ orabat. Ubi quidem non ſolis oculis, ſed quaſi omnibus membris fleviſſe videtur, ut totum corpus ejus, quod eſt Eccleſia, totius corporis lachrymis, purgaretur*. Beda, ab Hilario ſuum pronunciatum mutuabat. *ſudorem*, inquit ille, Lib. 10. de Trin. *Nemo audebit infirmitati deputare, quia & contra naturam eſt ſudare ſanguinem: nec infirmitas eſt, quod poteſtas non ſecundum Naturæ conſuetudinem geſſit*. Theophylactus & Græci contra Hæreticos hinc obſervant, ὅτι ἀπὸ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἦν, δῆλον ἐκ τοῦ καὶ ἱδρῶσαι, καὶ ὥστε ἐναγώνιον γενέσθαι, ὅτι τοῦτο δὴ τὸ τῆς 162.

Sent. ex Auguſt. 68.

παρεισίας

παροιμίας καὶ θρόμβους αἵματος ἐξ αὐτοῦ πεσεῖν. παροιμία γάρ ἐστιν ἐπὶ τῶν σφόδρα κοπιώντων, ὅτι αἷμα ἵδρωσεν. ὥστε καὶ ἐπὶ τῶν πικρῶς ὀδυρομένων, αἵματα κλαίειν. Hoc igitur voluit manifeſtare Euangeliſta, quod non tennibus quibusdam humoribus, καὶ διὰ ἐνδείξεως χάριν ἐμφαινομένοις, ἀλλὰ παχέσιν ἀδραῖς ἱδρώτων προσεικάζετο, τοὺς τῶν [illegible] θρόμβους, εἰς εἰκόνα τοῦ γινομένου παρείληφεν. In quibus videtur innuere, non revera ſanguineos grumos ſudaſſe, quod Hilarius dixit eſſe contra Naturam; ſed ſudores aqueos, tam Craſſos, ut θρόμβους referre viderentur. malè. Hinc igitur manifeſtum ait, quod natura illa quæ ſudabat, & in agone erat, humana fuit, & non Divina. quia & humana natura permiſſa eſt hæc pati, & ſic paſſa eſt, ut ſimul interim oſtenderet, quòd non phantaſticus fuerit homo: Interim & magis myſticum quiddam docet, quod & communem humanæ Naturæ formidinem ſanet, quia in ſeipſo illam conſumpſit, Divinæque voluntati fecit Obedientem. *Quippè quod egrediebantur è corpore ſudores, & decidebant, videtur ſignificare, quod exiccet & abſtergat, & à nobis cadere faciat fontes formidinis, natura noſtra in Chriſto corroborata & confirmata.* Niſi enim id ſignificaſſet, quod videlicet humanam noſtram formidinem curare voluiſſet, etiamſi valde timidus & ignavus fuiſſet, non utique ſic ſudaſſet.

163. Erat hæc ſudoris effuſio ἀπὸ τῆς ἀδημονίας. *Sudor Chriſto*, inquit Juſtinus, *inſtar concreti ſanguinis defluebat*, *quòd ſcilicet cor ejus contremiſceret*, *ejuſque oſſa*, *pari modo*; *& Cor ejus ſimile eſſet ceræ*, *quæ in ventrem liquore defluat*, alludit ad illud Pſal. 21. *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Timor. Dolor. Pavor, vehementiores nimiùm paſſiones mirabiles ſolent effectus excitare. Habuit Dominus humanos affectus: Neque enim in quo erat verum hominis Corpus, & animus verus, falſus erat aut fictitius humanus affectus, ſed non eodem modo, fine, circumſtantiis habuit, quàm nos. ſemper enim illius affectus judicium rationis ſequebantur: ad illud amuſſitabantur, rectiſſimam agendorum regulam. noſtri, præcipitant, antevertunt rationem: obvolvunt: ſuffocant: extingunt. Ergò noſtri feruntur in indebitum, illicitum, & malè natum objectum, cùm Chriſti ſemper ordine ſuo in puriſſimum: quod & in iſta vehementi apparet agonia, *Non mea, ſed tua voluntas fiat*. Impiè iccirco, Confuſionem, & Deſperationem Chriſto adſcribunt: verè. Dominus contriſtatus eſt: ſed ne in animo illius paſſio dominaretur, per propaſſionem, προπάθεια cepit contriſtari. Hieronym. ſedato igitur, non turbato animo, quia voluit: & ideo patitur, quia omnia videbat, propter quæ patiebatur, & clariſſimè intuebatur, ideò angitur vehementius.

164. Imprimis enim noſtram cauſam ſuſtinebat: qui noſtram ſibi carnem aduniverat: & ita nobis arctiſſimo vinculo conjunctus, & ἑνωθείς, quæ erant noſtra fecit ſua. Nos in illo tum contriſtabamur. nos undique doloribus conſtringebamur. Ex noſtra perſona verba illa proloquitur, *Deus meus, cur me dereliquiſti*, ait

Digitized by Google

ait Athanaſius de Incarnat. Ita Beatus Leo, ſerm. 17. *Ideò ſe humanæ Infirmitati virtus Divina conſeruit, ut dum Deus ſua facit eſſe quæ noſtra ſunt, noſtra faceret eſſe quæ ſua ſunt.* Dixerat enim prius ſerm. 16. *Caput noſtrum Dominus Jeſus Chriſtus, omnia in ſe corporis ſui membra transformans, quod olim in Pſalmo erructaverat: id in ſupplicio Crucis, ſub Redemptorum ſuorum voce clamabat, Deus meus, Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Auguſt. epiſt. 120. ad Honoratum, ait, Nos audire *vocem Corporis ex ore Capitis. Eccleſia in illo patiebatur, quando pro Eccleſiâ patiebatur. ſicut in Eccleſia patiebatur ipſe, quando pro illo Eccleſia patiebatur. Nam ſicut audivimus Eccleſiæ vocem, in Chriſto patientis, Deus meus, Deus meus, reſpice in me: ſic audivimus Chriſti vocem in Eccleſia patientis, Saul, Saul, ut quid me perſequeris?* Dixerat autem prius Auguſtinus, *Ex voce hujus infirmitatis noſtræ quam in ſe transfiguravit caput noſtrum, dicitur in Pſalmo, Deus meus,* &c. *Hanc in ſe vocem transfiguravit Jeſus: Vocem ſcilicet corporis ſui, hoc eſt, Eccleſiæ.* et Ambroſ. de Fide, Lib. 2. cap. 3. *Ut homo loquitur, meos circumferens metus: quod in periculis poſiti, à Domino nos deſeri putamus.*

Alii ad humanam naturam referunt. et hoc rectè. Non enim 165.
Deïtas patiebatur, ſed derelictionem, permiſſionem, aut traditionem interpretantur. *Deus filium dereliquit, cùm hominem ejus tradidit.* Hoc & Apoſtolus ſenſit ſcribens, *ſi pater filio non pepercit:* Hoc et Eſaias prior pronunciavit, & *Dominus eum tradidit pro delictis noſtris.* ſic reliquit: dum non parcit. ſic reliquit, dum tradit. Hilarius Can. 33. in Matth. *Relinquitur, quia erat homo etiam morte peragendus.* ſed illa priora apud Hilarium aliquid habent ἀνακόλουθον, quaſi abſcederet Deïtas, & ſolitaria eſſet humanitas. *Clamor ad Deum, corporis vox eſt: recedentis à ſe verbi Dei, conteſtata diſſidium.* et Ambroſius in Lucam. *Clamavit homo Divinitatis ſeparatione moriturus.* ſed hæc optimè intelligi & exponi poſſunt, de illâ ſeparatione quæ *ſubductio* eſt: Quâ non tam clarè, tam efficaciter per effectus ſuos aderat, atque olim. Nam certè ſubtraxit viſionem ita, ut quaſi poſt aulæa lateret. *Quaſi quædam derelictio ibi fuit,* inquit bonus Bernardus, *ubi nulla fuit in tantâ neceſſitate virtutis exhibitio.* Alii frequenter in id deſcendunt, ut, per ſe, ſuum genus, ſuam nationem, Judæos nimirum intelligeret: & quemadmodum paulò prius leſſis & lamentis illorum cladem & deſolationem præviderat & deploraverat, ita nunc vehementiùs de illis angebatur. ſunt qui ulterius adhuc extendunt, & totum includi volunt humanum genus. et in illis, etiam Judam proditorem ſuum. Certè populi illius, licèt ingratiſſimi, ſui tamen, & propter Patres, dilecti; hominumque omnium ab Adamo oriundorum, pro quorum Redemptione ſanguinem erat ſuum profuſurus, & Crucem ſubiturus, peccata intuebatur; et perſpicaciſſimè cum omnibus circumſtantiis, & oneribus trutinata, cogitataque videbat: ho-

minum abſque numero, æternis Inferni flammis damnatorum, æterna tormenta, ante oculos habebat. Quid mirum ſi in noſtrâ perſonâ conſtitutus: noſtram carnem indutus: nobis tam conjunctus, tantâ præſertim charitate inflammatus, triſtis, περίλυπος, ἀδημονῶν, ſanguinem rivis fluentem excerneret, & in Cruce exclamaret, voce magnâ & ſublatâ, Deus meus, &c.

166. Hæc quidem omnia cum pietate conjuncta ſunt, nec Fidei violant analogiam. Non tamen in iſtis, omnia ſunt. nec in hac tragicâ ſcenâ alienam tantùm perſonam ὑποκρίνεται. Illum ipſum, hoc eſt, animum ejus interiorem & corpus obſidebant mortis accelerantis atroces cruciatus, & opprobria. Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrorum. Languores noſtros ipſe tulit: & dolores noſtros ipſe portavit: Percuſſus à Deo, & Humiliatus. quia Dominus voluit conterere eum in Infirmitate. Hinc illæ προσωποποιΐαι apud Prophetam. *O vos omnes qui tranſitis per viam: attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus: quoniam vindemiavit me, ut locutus eſt Dominus, in die iræ furoris ſui.* Itaque in diebus carnis ſuæ, preces, ſupplicationeſq; ad eum, qui poſſet illum ſalvum facere, à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus eſt à metu ſuo, vel, propter reverentiam ſuam. Dolor duplex eſt, Interior: Exterior, qui inter humanas paſſiones recenſiti, corpus, animam, ſeparatim affligunt & conjunctim. Chriſtus, inquit D. Thomas, omnes humanas paſſiones, non quidem ſecundùm ſpeciem: ſed ſecundum genus ſuſtinuit. Non ergo ſolum dolorem *externum*: vel ſolum *internum*, ἐν τῇ ὑπεροχῇ tulit: ſed *externum*. & *internum* quoquo modo. Sicut totum hominem ſalvum fecit, ſic de Toto ſe, hoſtiam fecit ſalutarem: corpus exponens tantis ſuppliciis & injuriis, animam verò geminæ *cujuſdam humaniſſimæ* compaſſionis affectui, inde ſuper mœrore inconſolabili ſanctarum fœminarum: inde ſuper deſperatione & diſperſione diſcipulorum, ait Bernardus, et Fulgentius, ad Thraſimundum,

In ramis Palm. ſerm. 3. Lib. 3. *Quia Totum hominem Deus ille ſuſcepit, ideò totius hominis in ſe Paſſiones in veritate monſtravit. & animam quidem rationalem habens, quicquid fuit Infirmitatis animæ ſine peccato ſuſcepit & pertulit: ut dum humanæ animæ paſſiones, in anima quam accepit, vinceret, noſtras quoque animas ab Infirmitatibus liberaret.* *Omnia*, inquit Cyrillus, *perpeſſus eſt Chriſtus, ut nos ab omnibus*

Theſau. 10. c. 3. *liberaret. Sicut ergo, niſi mortuus eſſet, Mors non extingueretur: ſic niſi timuiſſet, non eſſemus nos à metu liberati: niſi doluiſſet, non ceſſaſſent dolores noſtri.* Et Ambroſius in Lucam, Lib. 10. *Sequeſtrata delectatione Divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur: ſuſcepit enim triſtitiam meam, ut mihi ſuam lætitiam largiretur. & veſtigiis noſtris deſcendit uſque ad mortis ærumnas; ut nos ſuis veſtigiis revocaret ad vitam.* Debuit ergo et dolorem ſuſcipere, ut vinceret triſtitiam, non excluderet. Rationem ſtatim reddit, *Quia in Carne ſuâ peccata noſtra perimebat.* Noſtrâ vice

ſe vadimonium ſiſtens. peccata noſtra tulit ipſi imputata: et pro peccatis ſatisfecit iræ divinæ, tam animæ quàm corporis: magis animæ, quàm corporis: eò quòd & anima et corpus peccaverant. Rectiſſimè D. Thomas. Doloris interioris cauſſa fuit. 3.p.Q.46.Ar.6
Primò quidem omnia peccata humani generis, pro quibus ſatisfaciebat patiendo. unde ea quaſi ſibi adſcribit, dicens in Pſalmo 21. Verba delictorum meorum. Quidni ergo μετ' κραυγῆς ἰσχυρᾶς, clamaret ad Patrem, ut à pœnis peccato debitis, liberaretur: in quibus εἰσηκούσθη. Neque enim poſſibile erat, ut ab illis declinaretur. Quocirca, mortificatus corpore, anima vivificabatur, nec detentus in Inferno, ait ſanctus Petrus. Infernum metuit, quidni homo factus? ut homo affectus: hominis perſonam metuens. Metus quadruplex, Inferni & Judicii Dei. cum curâ, *declinans*. cum anxietate *conflictans*. cum deſperatione *ſubſidens*. in damnatione *detentus*. Primus ille metus Sanctis omnibus ineſt, et ineſſe debet. Chriſto imprimis Sanctiſſimo. ſecundum non evitant vel optimi interdum; in Chriſto inerat, ut erat tum pro nobis immolandus, ab hoc exauditus, ne abſorberetur. Graviſſima tormenta corporis patiebatur in Cruce, eò graviora, quòd in corpore illo, tam optimè *complexionato*, ut Thomas loquitur. Graviſſimos animæ Cruciatus, quod ab effectibus monſtrabatur: et conjunctim ex συμπαθεία: et ſeparatim, ex apprehenſione variâ divinæ Juſtitiæ in peccata. Et modo ac menſurâ apprehenſionis: et cumulo aggeſto afflictionis; omnia erant ignota, inſcrutabilia, per curioſitatem non temeranda. Optimè Græci in ſuis Liturgiis, διὰ τῶν ἀγνώστων σου παθημάτων ἐλέησον ἡμᾶς. Χριστέ. Hoc ſufficit: non progredior. Tibi mi homo nimium curioſe in Divinis dico,

Ne operta ſacri ſupparo ſilentii
Irrumper aude, ſed pudenter præteri.

Cum ſurrexiſſet ab Oratione, venit ad Diſcipulos tertiâ vice. et ſemper invenit ſomno ſopitos. Poſtremò adveniens, ait ad illos, *Surgite, eamus: qui me prodit, propè eſt.* Eo adhuc loquente, adeſt Judas Proditor, anteambulo ſicariorum, qui μετ' ξύλων καὶ μαχαιρῶν, miſſi à Pontificibus ad vinciendum & adducendum Jeſum ablegabantur, et quia Nox erat, cum laternis & facibus. 167.

λύχνον ἐνδομύχων, ἀνεμώδεας ἀλλά ἀστέρων.

Judas ſignum dederat cohorti, Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. verùm, cùm propè acceſſiſſet, non agnoſcebat Jeſum, ut Græcis Commentatoribus placet. Quocirca, quod ſolus Johannes ſcripſit, proceſſit Jeſus, & dixit iis, *Quem quæritis?* reſpondent, *Jeſum Nazarenum*, qui intulit, *Ego ſum*. Docet ita, quod ſponte patiebatur: nec invitum coëgiſſent. nam audito, *Ego ſum*, Retrorſum abierunt & ceciderunt in terram. —— καὶ ὡς ἐφθέγξατο λαῷ

ἀβροχίτων, ἀοίδιμος ἀνὴρ ῥηξήνορι φωνῇ,

Πάντες ἐπ' ἀλλήλοισι μάχαιμονες ἀσπιδιῶται,
Ἀσπιδόωντες πίπτοντες ἐπεστόρνυντο κονίῃ,
Πρηνέες, ἀσπιδίωντες, ἀτευχέϊ λαίλαπι φωνῆς.

Neſcio quam rectè Hieronymus ad Principiam virginem, hanc militarem conſternationem tribuit, divino cuidam ſplendori in Chriſti vultu reſidenti & radios emittenti. Egregiè beatus Leo, ſerm. 1. de Paſſione. *Quamvis ex infirmitate noſtrâ verè paſſus ſit Dominus, verèque mortuus: non tamen, ita ſe abſtinuit à gloriâ ſuâ, ut inter contumelias paſſionis nihil Divinæ operationis exerceret. Nam cum impius Judas, non jam ovina pelle velatus, ſed lupino furore manifeſtus, vim ſceleris per ſpeciem pacis incipiens, ſignum Traditionis, ſæviore omnibus telis oſculo præbuiſſet, & multitudo furibunda, quæ ad comprehendendum Dominum cum armatâ militum cohorte confluxerat, inter faces & laternas, Lumen verum tenebris occæcata ſuis non cerneret; Dominus, qui expectare potius turmas quàm declinare delegerat, quem quærunt, necdum inventus, interrogat: illiſque dicentibus, quod Jeſum quærerent, Ego ſum inquit. Quod verbum, illam manum, ita ex ferociſſimis congregatam, quaſi quodam fulmineo ictu ſtravit atque perculit, ut omnes illi, atroces, minaces, & terribiles retroacti corruerint. ſplendorem vultus non nominat*: ſed vocis fulmen: & oſculum Judæ conſequitum hanc proſtrationem docet: nondum enim inventus, inquit, non anteceſſiſſe. Nam quid opus Interrogaret, *Quem quæritis,* ſi prius Judas illum deſignaſſet? ſtabat cum iis, antecedebat eos: ſed æquè attonitus, cum iis corruit. verum permiſſi tertiâ vice, & compellati, ut Apoſtolos dimitterent illæſos, oſculatum à Juda apprehendebant, manus illi injicientes. Quod cum videret, ὁ πανταχοῦ θερμὸς, & ut Galilæus pugnax Petrus,

——ἄορ ἔχων θρασὺς ἔσπασεν, ἄνδρα δὲ νύξας,
Λάτριν ἀμαιμακέτοιο διακτόρον Ἀρχιερῆος,
Δεξιὸν οὖας ἔταμνεν ἀσαμβέϊ σιδήρῳ.

Iniquior eſt in S. Petrum Auguſtinus: & eum, ut dictum eſt, prius peccaſſe putat. rectius Chryſoſtomus, Ambroſius, Beda, Leo. Hic in ſerm. 1. de Paſſione, *Beatus,* inquit, Petrus, *qui animoſiore conſtantia Domino adhærebat contra violentorum impetus, fervore ſanctæ Charitatis exarſit.*

168. Sequitur Hiſtoria apud ſolum Marcum commemorata. Adoleſcens quidam ſequebatur eum (Jeſum nempè, poſtquam fuga ſibi conſuluerant Apoſtoli) amictus ſindone, ſuper nudo, & tenuerunt eum. at ille rejectâ ſindone, nudus profugit ab iis. Quæritur hoc in loco, nec miror, cum ſit ſolitaria, & illuſtris Hiſtoria, Quiſnam ille Adoleſcens erat? & quid eo loco, eo tempore, taliter amictus, faceret. Epiphanius Hæreſi 78. contra Antidicomarianitas, ſine ſcrupulo Jacobum fuiſſe Domini fratrem aſſeverat: & quod τὴν ἀξιοπιστίαν majorem prodit, ait Teſtari illud Euangeliſtam; & permiſſum ei ut ſanctuarium ingrederetur. Ὁ Ἰάκωβος, ὁ ἀδελφὸς τοῦ κυρίου· ὃς 95. ἐτῶν τελευτᾷ. ἐφ' ἧς κεφαλῆς σίδη-

ῥος οὐκ ἀνῆλθεν, ὃς οὐκ ἐχρήσατο βαλανείῳ. ὃς ἐμψύχου οὐ μέτεσχεν, ὃς χιτώνιον δεύτερον οὐκ ἐνεδύσατο. ὃς τριβωνίῳ ἐκέχρητο λινῷ μονωτάτῳ. καθάπερ ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ φησὶν ὁ νεανίας, καὶ ἀφῆκε τὴν σινδόνα ἣν ἦν περιβεβλημένος. Somniabat Epiphanius, quaſi hoc de Jacobo pronunciaret Marcus. de juvene quodam ait: ideo non erat Jacobus, qui multo major ætate natus erat, quàm ipſe Chriſtus. qui xcv. annos vixit, ſecundum ipſummet eodem loco Epiphanium. Levis autem & planè ſtraminea eſt illa argumentatio, ſi tamen vera, quod Jacobus ille lineo tantùm veſtimento uteretur. Adjunctum commune, nihil proprium probat. Meminit hujus opinionis Theophylactus: non tamen rejicit in Epiphanium. multo minùs, ut ſibi arridentem proponit, nec probabilem judicat. nec ideò probabilem, quod lineo veſtitu uteretur. Hæc omnia mentitur Maldonatus de Theophylacto. Εἷς δέ τις νεανίσκος ἠκολούθησεν αὐτῷ. οὗτος δὲ νεανίσκος, εἰκὸς ὅτι ἐκ τῆς οἰκίας ἐκείνης ἦν, ἐν ᾗ ἔφαγον τὸ πάσχα. Ita ſuam opinionem Theophylactus ponit, fuiſſe domeſticum, ubi Paſcha comederant. Tunc addit. Τινὲς δέ φασι τὸν Ἰάκωβον εἶναι, τὸν ἀδελφόθεον, τὸν ἐπικληθέντα δίκαιον. οὗτος γὰρ ἑνὶ περιβολαίῳ ἐκέχρητο πᾶσαν τὴν αὐτοῦ ζωήν. Hæc Maldonati hallucinationes ſatis convincunt: quæ ſunt eo magis ſtupidiſſimæ, quod ipſe mox Theophylactum abſolvit, & veram illi ſententiam aſcribit: quam tantum non ſequitur & approbat. Alii, ſed magis adhuc ridiculè, Johannem Euangeliſtam volunt eſſe: eo quod *adoleſcens* appellatur. & in hanc ſententiam cum magnâ pompâ, et conatu deſcendit Cardinalis Annaliſta. rident et exibilant hanc opinionem, non modò Exercitator, ſed Barradas, et Maldonatus è ſocietate. videndi Exercitator & Bulengerus. Syndonem fuiſſe contra frigus comparatam vult Maldonatus: quia dicitur περιβεβλημένος. hoc inſulſe: cùm quivis amictus περιβολὴ, & περιβάλλεσθαι dici queat. eſt autem ſyndon inter λεπτὰ ἱμάτια. non ergò ad frigus arcendum. profert Caſaubonus è Thucydide λεπτῶν ἱματίων, καὶ σινδόνων περιβολαί. appoſitè. Mihi Theophylacti opinio magis probatur, fuiſſe ex illa domo ſervum, ubi Paſcha comederant, eumque puto è curioſitate ſequutum Jeſum, ut videret finem eorum; quæ inter miniſtrandum audiverat et obſervaverat. Nec è Chriſti diſcipulis fuiſſe. nec ex amore, quod vult Beda, permanſiſſe, ſed humanâ curioſitate. Quiſquis verò fuit, majorem in ſe, inquit Beda, quàm in cæteris, amorem Domini permanſiſſe, comprobat: qui illis jam fugientibus ipſe, donec ab hoſtibus comprehenderetur, vinculo Charitatis aſtrictus eum proſequi non omiſit. Quamvis necdum perfectam habuerit Charitatem, qui à Comitatu ſalvatoris vel tentus fugere potuerit. ſed hæc gratis.

Comprehenſum ſponte, ſed oſculo proditum, dilapſis Apoſtolis, vinctum abducunt, etiamſi non erat opus, et ad Annam adduxerunt eum primum, qui erat ſocer Caiphæ, ſummi Pontificis illius anni, Joh. 18. 13. Non abſurdè conjectant eum ideo ad Annam primo deductum, quòd domus illius, euntibus ad palatium 169.

latium Pontificis in via occurrebat. Baronii commentum, de principe ſynedrii exploſum eſt. Miſit eum Annas, fortaſsè paucis interrogatum, ad ſummum Pontificem Caïpham: ubi ſciebat, ſcribas & ſeniores conveniſſe, quò & ipſe ſtatim videtur ſequutus, ne à Concilio malignantium abeſſet. ſiſtitur hic judicio Dominus Jeſus, & poſt multiplices Interrogationes, falſa teſtimonia, contemptum, opprobria, tandem blaſpemiæ poſtulatur, quia ſe profeſſus erat Dei filium. Quo audito, veſtimenta ſua ſcidit Pontifex, ex indignatione de blaſphemia. *Veſtimenta ſua ſcindit princeps ſacerdotum, Seipſum, maximam & principalem cauſam eſſe ſignificans, cur Judæorum Sacerdotium ſcindatur & deſtruatur.* Hæc non eſt ſolius ſolitarii, Eucherii Lugdunenſis obſervatio: habet eandem Theophylactus. πλλὼ κατέμαθε, ὅτι τὸ τὸν Καϊάφαν διαῤῥῆξαι τὰ ἱμάτια, σύμβολον ἦν τῆς τὴν ἀρχιερωσύνην τῆς παλαιᾶς διαῤῥαγῆναι. & meus vetus ineditus ſcholiaſtes. ὁ δὲ καὶ ἄκων ἀφ' ὧν ἐποίησε προεφήτευσεν, ὅτι διαῤῥαγήσεται ἡ ἀρχιερωσύνη τῶν Ἰουδαίων. ſed veram cauſam & literalem Chryſoſtom. habet, ut hoc facto, præſentem illam multitudinem, odio in ſervatorem inflammaret. Erat ἔθος Ἰουδαίοις, inquit Theophylactus, cui aſtipulatur meus etiam ſcholiaſtes, ὅταν τι χαλεπὸν ἢ φρικτὸν ἐπέλθοι, διαῤῥήσσειν τὰς χιτῶνας. Nos verum eſſe novimus è ſacris literis.

170. Sequitur Petri trina negatio, à Domino prædicta. hic quæſtio vertitur duplex: 1. eſt de loco, ubi negavit Chriſtum Petrus. 2. de effectu, an per negationem Fides ita fuerit excuſſa, ut penitus deficeret. De loco controverſia movetur, quia vulgo exiſtimant Johannem à tribus aliis Euangeliſtis diſſentire: & primam negationem in domo Annæ, non Caïphæ diſponere: ſequentes in ædibus Caïphæ: cum tres reliqui Euangeliſtæ concordi ſententiâ, omnes abnegationes in domo *Caïphæ* contigiſſe narrant. Hic multipliciter ſudatur. Imprimis Caïetani explodenda ſententia, qui ſepties negaſſe Petrum vult. hoc eſt, opinor, ter in domo Caïphæ. quater in ædibus Annæ. ſed & Auguſtini quoque, qui in 3. de Conſenſu Euangeliſtarum cap. 6. multis de hac hiſtoriâ turbat, ac ſe & lectores ambiguos diſponit, nimiâ curioſitate. vult autem primam Petri abnegationem in domo Annæ fuiſſe: ſequentes duas, in ædibus Caïphæ, contra manifeſtum trium Euangeliſtarum teſtimonium. Nec Euthymii ſententia approbanda, qui Annam & Caïpham, ὁμορρόφιους, & ſub eodem tecto agentes facit. *Amborum*, inquit, *una domus erat: idemque atrium, habens duo habitacula, à ſe invicem diviſa.* Intelligit palatium Pontificium, in monte Sion, ut volunt, σταθμὸ πύλαι Ἱεροσολύμων conſtitutum: quia ambo (quod falſum eſt) Pontifices erant. ſed nihil hoc tanto ſtrepitu & tumultu agendum. Duxerunt illum miſſi, ad Annam primum, tum quia ſocer Caïphæ erat, tum quia vetuſtiſſimus inter Ex-Pontifices, tum quia, quod videtur, ædes illius in via ad palatium ducente, collocabantur. Annas autem nec judicio erogatum, nec tribunali admotum,

quod

quod apud eum nullum fuit, miſit illum ad Caïpham, ſequuturus ipſe, ubi Concilium agebatur. Huc Petrus, cum Johanne, ſed à longè, ſequebatur abductum. verba autem Johannis proculdubiò, per incuriam tranſcribentium ſunt trajecta, & loco ſuo mota: quod poſt Bezam, videbatur Maldonato. Contextus autem Johannis ſic concinnandus. *Et adduxerunt illum ad Annam primùm. Erat enim ſocer Caiphæ, qui fuit Pontifex anni illius.* (id eſt, Tunc temporis) *Erat autem Caiphas, Ille, qui conſilium dederat Judæis, quia expedit unum hominem mori pro populo.* tum ſequi debet, quod in verſum 24. rejectum eſt, *& miſit eum Annas ligatum* (nempe ab Apparitoribus: & ſic adductum ad ipſum) *ad Caipham Pontificem. ſequebatur autem Jeſum Simon Petrus: & alius Diſcipulus.* Et ita Cyrillus ſcriptum legit, ut Maldonatus recitat: Nam mihi cùm hæc ſcriberem, Cyrillus ad manum non erat. Trajectiones iſtiuſmodi in omni Scriptorum genere frequentes ſunt. Omiſerat in hoc ταχυγράφος. *Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham*; quæ margini adſcripſerat inſerenda; quæ male fidus aut intelligens alius Librarius, inſeruit textui, ſed alieno loco. Hæc eſt & facilis, & expedita, & vera conciliatio, τῆς ἐναντιοφανείας in Euangeliis.

Lapſum Beati Petri per abnegationem Chriſti, atq; ita fidei 171.
defectum quod attinet, quatuor ferè opiniones habentur. Imprimis erant inter Patres, qui culpam extenuabant: inter quos principem locum duxit Sanctus Ambroſius, in Luc. 22: qui duo fere contendit Perverſo favore, ut in hac ipsâ cauſsâ loquitur Auguſtinus. Primum, utcunque Dominum *ore* negaret, *corde* tamen immotam & inconcuſſam fidem retinebat. Ita Ore non Animo abnegavit. Secundo vult, verbo tenus abnegaſſe: *ore* non autem *corde*. et ita Ore, ut per æquivocationem, quam appellant, & mentalem reſervationem, de Deitate & Humanitate, interpretandus eſſet, hoc modo. *Non novi hominem.* id eſt, communi more ab Adamo deſcendentem: ſed θεάνθρωπον, Deum quoque. quem olim profeſſus fuerat Filium Viventis Dei. Utramque ſententiam refellit Auguſtinus, ſed ἀνωνύμως, δυσωπηθεὶς, Ambroſii merita & eruditionem. primam opinionem refutat, Tom. 4. cap. 6. Libri ad Conſentium contra Mendacium. *Nonne penè omnes qui Chriſtum coram perſequutoribus negaverant, quod de illo credebant, corde tenuerunt, & tamen ore ad ſalutem non confitendo perierunt: niſi qui per pœnitentiam revixerunt. Quis ita evaneſcat, ut exiſtimet Apoſtolum Petrum, hoc habuiſſe in corde, quod in ore, quando Chriſtum negavit? Nempè in illâ Negatione intus veritatem tenebat: & foris mendacium proferebat. Cur ergo lachrymis diluit, quod ore negaverat, ſi ſaluti ſufficiebat, quod corde credebat? Cur loquens in corde ſuo veritatem tam amaro fletu punivit mendacium, quod ore depromſit? niſi quia magnam vidit eſſe perniciem, quod corde credidit ad juſtitiam, ſed ore non confeſſus eſt, ad ſalutem.* Et alibi de eodem, *Mortuus eſt negando, & revixit*

De Petri abnegatione.

plorando

Digitized by Google

plorando. ſed mortuus eſt, quia ſuperbè præſumpſit: revixit, quia benignè reſpexit Chriſtus. Tract. 66. in Johan. ubi contra ſecundam Ambroſii opinionem, tacito tamen ejus nomine, ita acriter diſputat. *Ecce quomodo tibi cito apparebis, qui magna loqueris, & te parvulum neſcis. Qui mihi promittis mortem tuam, ter negabis vitam tuam. Qui te jam putas mori poſſe pro me, prius vive pro te. Nam timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ. Quanta enim vita eſt, confiteri Chriſtum, tanta mors eſt, negare Chriſtum: An Apoſtolus Petrus, ſicut eum quidam favore perverſo excuſare nituntur, Chriſtum non negavit, quia interrogatus ab ancillâ, Hominem ſe neſcire reſpondet? ſicut alii Evangeliſtæ conteſtantur expreſſius. Quaſi verò, qui Hominem Chriſtum negat, non Chriſtum neget: & hoc in eo neget, quòd factus eſt propter nos, ne periret quod fecerat nos. Ergo qui ita confitetur Chriſtum Deum, ut Hominem neget, non pro illo mortuus eſt Chriſtus, quia ſecundùm hominem mortuus eſt Chriſtus. Qui negat Hominem Chriſtum, non per Mediatorem conciliatur Deo. unus enim Deus, & unus Mediator Dei & Hominum Homo Jeſus Chriſtus. Qui negat Hominem Chriſtum, non juſtificatur,* &c. *Qui negat Hominem Chriſtum, non reſurget in Reſurrectionem vitæ,* &c. *Per quid Caput eſt Eccleſiæ, niſi per Hominem? Quomodo eſt ergo in Corpore Chriſti, qui negat hominem Chriſtum? Qui enim Caput negat, quomodo eſt Membrum?* Hæc & plura vehementior Auguſtinus verè & eruditè de Lapſu Petri, & abnegatione.

172. *Fides ejus an deficit.*

Secundam opinionem tuentur in Romanâ Eccleſiâ multi. qui tamen inter ſe diſcrepantes, in varias ſententias abiere. Sunt qui in illo affatu, & oratione Chriſti, *Ego pro te oravi, ne deficiat Fides tua,* Petrum non προσωπικῶς intelligunt: hoc eſt, ortu Galilæum: Civitate Betheſdenſem; Jonæ filium. ſed Petrum intelligunt ἀρχικῶς, & originaliter, pro Catholicâ Eccleſiâ, cujus ille Fundus, & à Chriſto, principale fuit Fundamentum. Quod quidem verè, ſed non rectè dicitur. Fides Eccleſiæ non deficit: ſed per Petrum non intelligitur Eccleſia. Nec probant viri eruditi, noſtrorum temporum. ſed ideò aliqui non recipiunt, quod ferre nequeant, ut Immediatè pro Eccleſiâ oret Chriſtus, & ἐξ ἀκολουθίας pro Capite Eccleſiæ: cùm intentionaliter quod aiunt, & primario, pro Capite oraret, non reſpiciendo corpus, niſi in quantum cum Capite cohæret, & compaginatur. Sunt qui perſonaliter de Petro exponunt, quaſi Chriſtus oraſſet pro finali in Fide perſeverantiâ, quam et obtinuit. id eſt, ut licèt ceciderit, & quidem gravi caſu, abnegando Dominum, tamen ex oratione Chriſti exauditâ, ſurrexerit, et ad finem uſque Fidem immaculatam tenuerit. Poſtremò, jam tandem magiſtri noſtri novi et novitii, Patres Societatis, Petrum non reſpiciunt, ut privatum, perſonaliter: nec ut Corpus Eccleſiæ, aut συμπλήρωμα: ſed ut Caput, hoc eſt, Papam. ita magnus magiſter Controverſiarum, Lib. 4. cap. 3. de Pontifice, utcunque cap. 8. neget illud

Petrum

Petrum fuiſſe Papam, cum pro illo oraret Chriſtus ne deficeret Fides ejus. Tertium de Lapſu et amiſſione Fidei in Beato Petro opinionem invexerunt nonnulli, qui affirmant, Petri Fidem, cùm Dominum abnegaret, et quidem cum execrationibus, et pejerationibus, non defeciſſe Finaliter. Totaliter. ne ad tempus. tantummodò latuiſſe poſt carrecta: ſub cineribus [illegible]: ut Luna, vel Stellæ ſub nube latere ſolent. In re conſentiunt cum Jeſuitis. cauſſis diſcrepant, et diverſas aſſignant. Illi ſpeciale quoddam et perſonale Beati Petri *privilegium* advocant. Iſti, ſpeciale, ſed non perſonale. omnium nempè Electorum. non unius Petri Papæ, aut Capitis Eccleſiæ. Nam vi et efficaciâ illius antecedanei et antelapſarii Decreti Electionis et Prædeſtinationis τῶν τινὸς ἢ τινὸς, excluſis cæteris, indiſpenſabiliter, et irreſpectivè, fingunt ſibi ſomnia, non poſſe Electum, Juſtificatum, lapſum in graviſſima ſcelera, vel ad minutiſſimam temporis portionem Fide carere Juſtificante: Charitate privari: à Deo recedere. ſed Davidem, verbi gratiâ, in ipſo actu adulterii et homicidii perpetrati, chariſſimum Deo fuiſſe: in eo ſtatu, quo cùm inungeretur: etſi, per ſuppoſitionem impoſſibilitatis, ante reſipiſcentiam fuiſſet mortuus, omninò moreretur Deo dilectus, et in ſinum Abrahæ, hoc eſt, ſummum cœlum transferendus. ſemel enim juſtificatus, ſemper juſtificatus, ubi acceſſio et receſſus non admittuntur.

Poſtremo, Catholici-Proteſtantes ſaniores, accuratè tenent, et ſtudioſè defendunt, Fidem Beati Petri excidiſſe. Non quidem 173.
Finaliter. Oravit enim pro eo Chriſtus, ne ſic deficeret Fides ejus: cujus oratio ſemper exaudita. ſecundò, erat Petrus in albo Electorum, qui à Juſtificatione et Sanctificatione excidere poſſunt, non poſſunt à gratiâ Electionis, quæ eſt ἀμεταμέλητος, nec dependet ab humano actu aut voluntate. Excutebatur autem Fides ejus, et deficiebat ad tempus Totaliter: Non quidem quoad omnem gratiam habitualem aut actualem Spiritus Sancti: Ita enim novo Baptiſmo fuiſſet illi opus, ſed tantùm quoad gratiam juſtificantem, uſque dum reſtaurabatur per pœnitentiam. *Fidem Petrus*, inquit Maximus Taurinenſis, *cuſtodire non potuit. Fidem Petri, ancilla deſtruxit. Non bona illa oſtiaria, quæ Petrum ideò in domum Pontificis includit, ut à Fide Salvatoris excludat. Hæc excluſit à Chriſto.* ſed κινδυνεύσας ἀπολέσθαι διὰ τὴν πτῶσιν, ἐφυλάχθη δυνάμει Χριστοῦ. *Hæc eſt enim vis Dominici ſanguinis, ut quos jam delicto mundavit, & in Lumine conſtituerit, mundos exinde præſtet.* Tertullian. de Pudic. cap. 9. Itaque in de perſecut. fuga ſic ait, cap. 1. *Nihil Satanæ in ſervos Dei Vivi licebit, niſi permiſerit Dominus, ut aut ipſum deſtruat per fidem Electorum tentatione victricem, aut homines ejus fuiſſe traducat, qui ad eum defecerunt.* Omninò igitur de totali excuſſione, & lapſu in æternum intelligenda ſunt. ὥστε μὴ τελείως ἀπολέσθαι. nam quoad præſentem tum Juſtitiam, ὁ φόβος πάντα ἐξέβαλεν. Ut Chryſoſt. homil. 82. in Matth. et hæc eſt ſen-

Ddd tentia

tentia antiquorum Patrum, præter uno in loco Chryſoſtomum. hæc Lutheranorum omnium, & doctiſſimorum virorum noſtræ Confeſſionis, non paucorum. Poſtquam jam tertiâ vice abnegaſſet Jeſum Petrus, cantavit Gallus ſecundâ vice: id ubi factum, converſus Dominus, qui pro tribunali interrogabatur, reſpexit in Petrum, revocans ei, quod dixerat, in memoriam. et tunc recordatus verborum Chriſti Petrus, exiens aulâ flevit amarè. Pontifices autem proceſſu quodam Judiciario, Dominum Jeſum, quaſi blaſphemum, capitali ſupplicio addixerunt. non quidem ſtatim: ſed *mane facto*, inquit Euangeliſta: Nam poſt contumelias & convitia, & percuſſiones impactas, nocte cuſtodiendum tradiderunt, et ubi proxima dies, nempe Paraſceve illuxerat, majori jam conſeſſu congregato, revocatum ad tribunal, damnarunt, quantum in ipſis erat.

174. *De Iudæ exitu.* Tunc autem videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus erat, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. ita Matthæus: quod & Lucas etiam commemorat in actis Apoſtolicis. In hac hiſtoriâ variè luſum eſt, & curioſè, à ſcriptoribus. Euthymius ait, cum nodum informis lethi necteret, agnitum, à quibusdam prætereuntibus, & à ſuſpendio liberatum, deinde cum pudefactus in ἀποκρύφοις aliquamdiu delituiſſet, præcipitiò periiſſe. Theophylacti ſcholion ad Matth. hoc eſt, *Tunc ſapere incipit tardè: & pœnitet quidem: non rectè. Nam ſuum pœnitere, bonum erat: ſuffocari autem, Diabolicum.* Ita Interpres. ridiculè, τὸ μὲν γὰρ ἑαυτὸν κατακρῖναι, καλόν· τὸ δὲ ἀπάγξασθαι διαβολικόν. hoc eſt: *Quod ſe condemnet, rectè fecit: quod ſuſpenderit, Diabolicum erat:* ſed cum ferre non poſſet exprobrationes, quibus deinceps impetendus erat, ſeipſum è vita ſubduxit. Oportebat lachrymis ſibi eum reconciliare quem prodiderat. Quidam dicunt, quod Judas cum avarus eſſet, ſperabat, per proditionem Chriſti multum lucri: Chriſtum porrò non interimendum, ſed ſubducturum ſe, ſicut aliâs fecerat. Cum autem vidiſſet ad mortem damnatum, pœnitentia percutiebatur, quod aliter, quàm expectaverat, rem ſucceſſiſſe videret. Icciréò, ſe ſtrangulavit, ut Jeſum ad Infernum deſcenſurum anteverteret, et per deprecationem ſalutem conſequeretur. Quaſi aliquid ille reſciverat de Deſcenſu ad Inferos: et prædicatione ibidem Inſtituendâ. Hæc è relatione aliorum Theophylactus: ſequitur de ſententia ſua, verum ſcias, quod poſuit quidem collum ſuum in laqueum, ſe ab arbore ſuſpendens, Arbore autem ad terram inclinatâ, ſupervixit. Deo volente ipſum vel in pœnitentiam conſervare, vel in traductionem & confuſionem. Ajunt etiam (alii) quod morbo hydropico corripiebatur ut, per meatum tranſire nequiret, per quem poterat plauſtrum tranſire. deinde volunt cecidiſſe pronum, & crepuiſſe medium. Quod commentum erat Papiæ, antiquiſſimi ſed inepti Scriptoris, cujus verba hæc citantur apud Oecumenium, Μέγα ἀσεβείας ὑπόδειγμα ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ

κόσμῳ ἀσεβεῖς πάντων Ἰούδας. πρηνὴς γὰρ ἐπὶ τὸ πρόσωπον τὴν γαστέρα, ὥστε μὴ δύνασθαι διαχθῆναι, ἁμάξης ῥᾳδίως διερχομένης. ὑπὸ τῆς ἁμάξης ἐπιεσθεὶς, ὥστε τὰ ἔγκατα αὐτοῦ ἐκκενωθῆναι. Has fabulas ſectatur Annaliſta. Paulo diverſè à Theophylacto, & à meo veteri ſcholiaſtâ. Arboris ſpeciem non narrant iſti Traditionarii. aliqui *ficum* nobis ſupponunt: et quidem illam, cui ante biduum infrugiferæ Dominus maledixerat. Ita ludunt ineptiis. cur autem ſuſpendio potius quàm aliûs mortis genere interierit, cauſſam ſanè ſcitulam affert Arator Diaconus iſtam

Aeris ut medio communi poneret hoſti
Debita pœna locum: cælo terræque peroſus
Inter utrumque perit: nullis condenda ſepulchris
Viſcera rupta cadunt:

Aſſentior Baronio, contra Janſenium, & Exercitatorem, quod Herodes Dominum Jeſum λαμπροφόρον conſtituit, hoc eſt, λαμπρὰν ἐσθῆτα ἔχοντα. non albis veſtimentis indutum, ſed πορφυροῦν, ut refertur apud Johannem. quamvis non loquatur de Herode, ſed militibus præſidiariis. Purpura enim licèt interdum geſtabatur à lautioribus, ut illo Epulone apud Lucam, tamen præcipuè uſurpabatur à Dominis terrarum. *Removete famulæ purpuram*, ait illa apud Senecam, *atque auro illitas veſtes. Procul ſit muricis Tyrii rubor*. ſed et in purpurâ erat λαμπρότης. Baſilius Seleucienſis ὥσπερ εἰς τὰς τῶν βασιλέων βλέποντες εἰκόνας, τῇ τῶν χρωμάτων λαμπρότητι μαρμαρυγὰς ἀφιείσας. Explicat autem quem intelligit veſtitum. ἁλουργίδα μὲν τὸ τῆς θαλάσσης ἄνθος ἀποστίλβουσαν· διάδημα δὲ τοῖς ἐγγεγραμμένοις τῶν λίθων κόσμον, καὶ τὴν κορυφὴν περιέχον, quanquam & de veſtibus albis adhibeatur λαμπρότης. Clemens διατάξεις, Lib. 8. cap. 12. Ubi Pontifex Chriſtianus λαμπρὰν ἐσθῆτα μετενδὺς altaribus aſtat. λαμπροφόρον ergo vox, de utroque veſtitu dici poteſt indiſtinctè.

Quæque Tyrum toties epotavere lacernæ
Et toga non tactas vincere docta nives.

Sed cum non facilè demonſtretur ornatum Regium in Albo veſtitu conſtitiſſe, ſed in purpureo; Cùmque Dominum Chriſtum veluti ſcenicum & factitium Regem deridendum proponerent, cùm Herodiani, tum præſidiarii milites: malim Ego ad Cardinalem accedere, quàm deſcendere in opinionem cum Caſaubono Janſenianam, & cum doctiſſimo Nonno.

Καί μιν ἀνεχλαίνωσαν ἐπὶ χροῒ πέπλα βαλόντες
Σιδονίης σίλβοντα σοφῷ ἀπορῆγι θαλάσσης·
Σύμβολα κοιρανίης καὶ ἐν ἄλγεσι.

175\. *Chriſtus apud Herodem λαμπρός.*

Nemo ignorat, lotiones, & χερνιβισμοὺς pleriſque Gentibus olim in uſu fuiſſe, etiam ἀποτροπαίους, expiatorios, & καθαρτικούς: ſed admiſſo tamen & perpetrato, non perpetrando ſcelere. Hic ergo rectè pedem fixit Exercitator, cùm Pilatus nondum pronunciata ſententiâ, in eum quem judicabat Innocentem, aquam poſtularet, lavaturus. Bulengerus, abit ad uſum ἀπονίψεως multiplicem, apud multos ex Adverſariis ſuis reponendum, ubi non erat opus: et 176. *Pilatus manus lavit.*

et ἀπονίμματα docet. ſic enim ſpecialiter. τὰ τῶν ἐναγῶν ἀποκαθαίρεσθαι vocabant Athenienſes, teſte Athenæo. Erant autem, & ſymbolum, & proteſtatio Innocentiæ. unde Regius vates, Pſalm. 22. Νίψομαι ἐν ἀθώοις. *Lavabo inter Innocentes manus meas, & circundabo Altare tuum Domine*, Et hanc ob cauſſam ſacerdotes Chriſtiani aliquando ἱερουργοῦντες, manus ſuas lavabant: ut tum, cum Domino adſtarent, Innocentiam ſuam teſtificarentur. Ἑωράκατε τοίνυν τὸν διάκονον νίψασθαι διδόντα τῷ ἱερεῖ, καὶ τοῖς κυκλοῦσι τὸ θυσιαστήριον τοῦ Θεοῦ πρεσβυτέροις. οὐ πάντως δὲ ἐδίδου διὰ σωματικὸν ῥύπον. οὐκ ἔστι τοῦτο. οὐ γὰρ ῥύπον σώματος ἔχοντες τὴν ἀρχὴν εἰσῄειμεν, εἰς τὴν ἐκκλησίαν. ἀλλὰ σύμβολόν ἐστι τοῦ δεῖν ἡμᾶς καθαρεύειν πάντων ἁμαρτημάτων, καὶ ἀνομημάτων. Ἐπειδὴ γὰρ αἱ χεῖρες σύμβολον πράξεως, νιψάμενοι ταύτας τὸ καθαρὸν δηλονότι καὶ ἄμωμον τῶν πράξεων αἰνιττόμεθα. Ita Cyrillus Hieroſolymitanus in Myſtag. Catech. Hieronymus in 1. Malachiæ. *Qui lavant inter Innocentes manus ſuas? quibus aquis Pilatus lavare conatus eſt: in Judæorum blaſphemias ne conſentiret.* Aſſentiendum eſt ergo doctiſſimis viris, qui morem hic Judæorum, & quidem antiquiſſimum, ante illa Phariſæorum & Seniorum ἀπονίμματα intelligunt. Inter quos imprimis cenſendus eſt Origines: qui non modo Romanam non fuiſſe hanc conſuëtudinem præciſè docet, ſed ἀποφαίνεται, Judaïcam. Pilatus autem videns, quod nihil proficeret, Pontifices à cæde & ſanguine Innocenti fundendo, dum vult avertere, Judaïco more lavit manus, volens eos de Chriſti Innocentiâ, non ſolùm verbo, ſed etiam facto commonefacere. ita ille, Tract. in Matth. 33. Cui accedit & meus vetus Scholiaſtes. Ἐνίψατο τὰς χεῖρας τῷ ὕδατι, δεικνὺς ὅτι καθαρὸς καὶ ἀμέτοχός ἐστι τοῦ φόνου. Ἰουδαϊκὸν γὰρ ἔθος ἦν ὅτε διαμαρτύρεσθαι τὸ μὴ θέλοντας ὅλως τινὸς κοινωνῆσαι. φησὶ γὰρ καὶ ὁ Δαβίδ, νίψομαι ἐν ἀθώοις τὰς χεῖράς μου. Quibus ego libentiùs ſubſcribo, quàm noviciis, qui tamen iſtorum declarationem compendinant.

177. Pilatus tentatis omnibus, ut Jeſus liber dimitteretur, nihil profecit. tandem cùm objicerent palam, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*, ſententiam in illum pronunciavit, ne læſæ, imminutæve majeſtatis ipſe accuſaretur. Pronunciat autem, ut Cruci ſuffigeretur; Nempè tanquam ſeditioſus: & populum contra Cæſarem concitans. Judæi de Blaſphemiâ poſtulaverant; Quòd ſe Filium Dei feciſſet homo. In blaſphemos lapidatio conſtituebatur: et licebat iis ex Lege in tales agere: unde dixit ad eos Pilatus, Legem cum dicerent, habemus, & ſecundùm Legem noſtram debet mori, Accipite eum vos, & ſecundùm Legem veſtram judicate. ſed ſimplici hoc ſupplicio non contenti, acerbius meditantur: itaque desertâ illâ accuſatione, aliam inſtituunt, cui Crucis ſupplicium debebatur. Nam quod aiunt, Nobis non licet interficere quenquam: vel falſum erat. Nam Legis ſuæ uſum permittebant Romani. vel, potius cauſſam ſpectabat ſæcularem: Non licet in hoc caſu. Quia invenimus hunc hominem ſubvertentem Gentem noſtram, prohibentem tributa dari Cæſari, et dicentem, ſe Chriſtum Regem eſſe. Hæc ubi

audivit

Digitized by Google

audivit Pilatus, ſententiam tulit, prout poſtulaverant, ut crucifigeretur. Baronius in hoc ſupplicio, neque juris Judaïci rationem ait habitam: nec Romani. Non Judaïci, quia debuit blaſphemus lapidari. At deſertâ illâ accuſatione, quæ non ſpectabat ad ſæculare Pilati judicium, nec ab illo admittebatur: (noluit enim in meſſem alienam manus immittere) Crimen capitale intentabant. at Criminis illius ſupplicium erat Crux, vel [illegible]: quod viri eruditi obſervarunt. Nec tamen hoc impedit quo minus verum ſit quod Baronius obſervat Barabbæ ſupplicium, uti & Crimen, in Chriſtum, tranſlatum fuiſſe: & illud de vetuſta Judæorum conſuetudine: quibus in uſu fuit ſupplicium Crucis: etſi non per omnia Romano more. In quâ re Bulengerus, qui maluit Hæreticus eſſe cum Caſaubono, quàm cum Catholicis ſentire, Carolo Sigonio: Juſto Lipſio Gretſero, & aliis, mittendus eſt ad Gretſerum, furioſo more Catholicum, ut bene vapulet.

Hiſtoriam de Cruce Hieroglyphicâ in ruderibus templi Sarapidis inventâ, Socrates primus, ut opinor, retulit. quem ſecuti ſunt Sozomenus, Theophanes, Suidas, alii. An Crucis Dominicæ vis & efficacia ſignificata in illa fuerit, Ego non illibenter crederem. Qui enim per Sibyllas & Hyſtaſpen, illuſtriſſima Gentibus teſtimonia dederat, de ſalute mundo per Filium ſuum impertiendâ: quidni Idem, cum ſit πολυμήχανος in ſalute πολλαπλασίως procurandâ, & ſoleat [illegible] miſerationes ſuas, tam *redementes*, quàm *redemientes* revelare, quidni et, in, ac per, Ægyptiorum myſteria, ignorantibus illis, idem adornaverit? et verbum Dei vim ſuam in Ægyptiorum ſacerdotibus exeruiſſe credatur. ſicuti in impiis, Balaam & Caiphâ, qui inviti, coacti, aut neſcientes, vaticinabantur. ſed & Ægyptios videtur Deus, quibuſdam prærogativis, ab omni retrò antiquitate, honoraſſe: quod commercio & ſocietate populi Iſraëlitici ante alias nationes uterentur. Nec tantùm per antiquiſſima illa tempora, cùm Abraham, Jacob, & Joſeph apud illos verſarentur: Ipſe etiam populus factus Inquilinus incoleret terram Gozen: ſed ſecutis etiam ſæculis, cùm Jeroboam eò fugeret, Salomon exindè uxorem duceret. Seſac, Hieroſolymis direptis captivos eò aſportaret. Reges Judæ auxilium implorarent. Jeremias eò deportaretur. et cùm à Ptolomæorum imperio, plurima commercia intercederent inter utramque nationem. Certè narratio eſt illuſtris: Cui non diſſimilia quædam invenit, apud Arabas olim, Rhodiginus Lib. 10. cap. 8. *Non gravamur promere hic*, inquit, *quæ imprimis ſtudioſorum auribus digna arbitramur: è monumentis excerpta clariſſimis. Siquidem traditum eſt abs Arabibus, Crucis figuram videri, cæteris omnibus, quotquot ſunt, præſtare. quoniam ſuperficies, primâ Cruce deſcribitur. ſic enim imprimis longitudinem habet, atque latitudinem. primaque hæc figura eſt, & omnium recta quam maximè, conſtansque rectis angulis quatuor. Effectus verò*

cœleſtium

178. *De cruce Sarapidis.*

cœleſtium maximè per rectitudinem radiorum angulorumque reſultant. Tunc enim poteſtas ſtellarum prævalet, quando cœli rectos habent angulos quatuor: vel cardines potius: Orientis videlicet & Occidentis, & medii utrinque Cœli. ſic etiam diſpoſiti radios conjicient in ſe invicem, ut Crucem inde conſtituant. Eſſe propterea Crucem veteres dicebant, tum ſtellarum fortitudine factam, tum earum fortitudinis ſuſceptaculum: ideoque habere ſummam in Imaginibus poteſtatem, ac vires & ſpiritus ſuſcipere Planetarum. Hæc Rhodiginus. An iſta apud Arabas vicinos Iſraëli populos, ab æneo illo ſerpente per Moſen, in deſerto agentibus erecto, dimanarint, neſcio. Utcunque fuit: miris olim modis, hæc Chriſtianæ pietatis, & profeſſionis inſignia myſteria, trophæa inter Gentes conſecrabant. de ſigno illo Tau, apud Ezechielem. de antiquâ figurâ Hebraicæ literæ T, in Origenis ac Hieronymi ſententiâ acquieſco. neque quicquam perſuadent in contrarium eruditorum virorum ἐριστικοὶ λόγοι, nedum arrident διάσυρμοι. ſed de Cruce, doctiſſimi viri omnia proſecuti ſunt. Impiè in Colloquio Mompelgartenſi Beza. *Fateor me ex animo Crucifixi imaginem deteſtari: ideoque eam non poſſum ferre.* Contra profiteor, idque ex ſententiâ Antiquitatis & Eccleſiæ Anglicanæ, *Fateor me ex animo Crucifixi Imaginem amplecti, & uſurpare.* ideoque eam libenter admittere. Chriſtianus enim ſum: et Chriſtiani nihil à me alienum eſſe arbitror: et Bezanam illam impietatem deteſtor.

179. Cruci damnatum, tradidit Jeſum flagellandum, ut crucifigeretur: ſervili, crudeli, inhumano ſupplicio. neque enim niſi flagris cæſum, fas erat Cruci apud Romanos ſuffigere. hinc illa ſolennia. *I Lictor, colliga manus, caput obnubito, virgis cedito, arbori infelici ſuſpendito.* Quæ tamen forma ſupplicii, authore Cicerone pro Rabirio deſuëta fuerat. rectè ergo Hieronymus, *ſciendum eſt Pilatum Romanorum legibus miniſtraſſe, quibus ſancitum erat, ut qui crucifigitur, prius flagellis verberetur.* Nec interim non verum quoque quod habet Auguſtinus, *Non perſequendo flagellavit Dominum Pilatus, ſed Judæorum furori ſatisfacere volens, ut vel ſic jam miteſcerent, & deſinerent velle occidere, cùm flagellatum viderent.* Nam bis flagellis cæſus eſt Dominus: ante latam ſententiam condemnationis, in eum finem, ut liberaretur. et poſt condemnationem, ex Inſtituto capitali. Nec proſtratus in terram flagellabatur, ut Paulus cum 39. plagis accepit, quod Deuteron. 25. jubebatur: ſed palo alligatus, ad morem Romanorum. volunt autem columnam fuiſſe marmoream, non palum ligneum. Hieronymus in Epitaphio Paulæ. *Oſtendebatur illi Columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus.* Flagellatum porrò graviſſimè dixerim: Ita enim ſignificatur Pſalm. 128. 3. *ſuper dorſum meum araverunt aratores.* an verò plagas acceperit 5475: quomodo fabulantur nonnulli, quis dixerit? Nec judiciario more tantum

Flagellatus Ieſus.

lacerarunt

Digitized by Google

lacerarunt, ſed barbari arreptum, extra legem, & conſuetudinem exagitant. Milites enim præſidis Pilati ſuſcipientes Jeſum dixerunt eum in atrium Prætorii, & totâ cohorte convocatâ, exuunt eum ſuis veſtimentis. Chlamydem coccineam illi induunt, coronam è ſpinis acutiſſimis capiti imponunt: arundinem, quaſi ſceptrum, manui: quâ prius capiti coronam illam infigunt: conſpuebant. genua cachinnantes flectebant, & Ave dicebant, Rex Judæorum. Ita veſtitum, & tractatum iterum produxit ad populum Pilatus, ſi modo poſt tot cruciatus miteſcere vellent. at illi τριβάρβαροι exclamant, *Crucifige, Crucifige. Tolle eum.*

Τοῦτον ἑλὼν σταύρωσον ἐλεγχίστῳ τινὶ τόλμῃ.

Ita enim Crucem cenſebant, ut plenius in 2. Semeſtrium docet πολυμαθέστατος ille Petrus Faber, cujus quadras Lipſius abligurivit. Tandem Pilatus victus perverſiſſimo Judæorum odio, qui nil niſi *Crucifige, Crucifige,* clamabant, coactus aliquo modo ſatisfacere, tradidit eum voluntati eorum: hoc erat, ut Cruci ſuffigeretur. Atque ita deduximus ad Crucem Servatorem: tragœdiam illam horridam peracturum.

Hiſtoriam Crucifixionis, ab egreſſu exordiuntur Euangeliſtæ. 180.
eduxerunt, ait Johannes: ad quod ſpectaculum invitabantur olim filiæ Iſrael. Cantic 3.11. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in Diademate, quo coronavit illum mater ſua* (Synagoga) *in die deſponſationis illius. Grande ſpectaculum, ſed ſi ſpectet impietas grande ludibrium. ſi ſpectet pietas, grande myſterium. ſi ſpectet impietas, videbit regem pro virgâ regni, lignum ſui portare ſupplicii. ſi pietas ſpectet, videbit Regem bajulantem lignum ad ſemetipſum figendum, quod fixurus etiam fuerat in frontibus Regum. in eo ſpernendus oculis impiorum, in quo erant glorIatura Corda Sanctorum. Dicturo enim Paulo, Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti; ipſam ſuam Crucem ſuo geſtans humero commendabat: & lucernæ arſuræ, quæ ſub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat.* Ita enim commentantur Patres. Neque enim tantùm à ligno, ſed & per lignum regnavit. *Cùm lignum Crucis portaret Dominus,* ait Sanctus Leo, *quod in ſceptrum ſibi converteret, Poteſtatis erat, quia hoc apud Impiorum oculos grande ludibrium, ſed manifeſtabatur Fidelibus grande Myſterium: quia glorioſiſſimus Diaboli victor pulchrâ ſpecie Triumphi ſui portabat trophæum: & invictæ patientiæ humeris ſignum ſalutis adorandum Regnis omnibus inferebat.* Quæ, ille è ſuperioribus Auguſtini Tract. 117. in Johan. transferebat. Erat hoc de Romanâ conſuetudine, ut oſtendit Caſaubonus. Portavit autem Chriſtus crucem ſuam, à loco judicii verſus Calvariam locum ſupplicii per totam urbem Jeruſalem. Portis egrediens (nam extra urbem erat ſupplicii locus) cum aliquantulum defatigaretur, è præcedentibus tormentis, incidunt in quendam Simonem, quem angariabant, id eſt, compellebant, Crucem ſubire, & ad locum *Simon Cyrenæus.*
ſupplicii

ſupplicii bajulari. Hunc valdè deſcribit ἰδικῶς. à patriâ Cyrenenſem, venientem de villâ. patrem Rufi, & Alexandri. quos tanquam vulgo notos nominat Marcus. vel potius quod erant inter Chriſti diſcipulos, & in Eccleſiâ celebres, cùm ſcriberet Marcus. ut rectè Maldonatus, Simonem non Gentilem fuiſſe, quod quibuſdam videbatur, ſed Judæum putaverit, qui Cyrenæ natus, aut ortus fuit. non illa urbe Celebri in Africâ, unde Callimachus oriundus, ubi Syneſius Epiſcopus. ſed Decapolis, in Palæſtinâ. Is ergo bajulans crucem proceſſit ad locum, qui dicebatur Golgotha, vel Calvaria.

Εἰσόκε χῶρον ἵκανε φατιζομένοιο κρανίου
Ἀδὰμ πρωτογόνοιο, φερώνυμον ἄντυγι κόρσης
Γόλγοθα, τὴν καλέεσκε Σύρων στόμα.

Ita Nonnus doctiſſimus Poëta: cujus ſententiæ favent, Auguſtinus ſermone 71. de Tempore. Cyprianus de Reſurrectione. Athanaſius de paſſione Salvatoris. Ambroſ. Libr. 5. Epiſt. 19. Origenes tractat. 35. in Matthæum. Baſilius in 5. Eſaiæ. Epiphan. hæreſi 46. Chryſoſt. homil. 84. in Johannem. Refellit eam ſententiam Hieronymus, quia Joſue 14. dicitur ſepultus Adam in Hebron. *Nomen Hebron, ver. 15. ante vocabatur Ciriath-Arbe. Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt.* Hieron. in Epitaphio Paulæ, *Aſcendit Chebron. Hæc eſt Ciriath-arbe: id eſt, opinor, virorum quatuor. Abraham, Iſac, Jacob, Adam magni. quem ibi conditum, juxta librum Jeſu Nave Hebræi autumant, licèt eum quidam conditum in loco Calvariæ ſuſpicentur.* Et certè ſi Sethum ſepultum fuiſſe in valle Joſaphat verum ſit, cujus ſepulchrum ibi
Golgotha. inventum ſcribit Johannes à Leydis, veriſimile eſſe poteſt, Adamum in vicino Calvaria ſepultum. præcipuè ſi quod non nemo ſcripſit, Jeruſalem urbs, ſita ſit in *meditullio orbis*, unde & Pſalmiſtæ effatum explicant, *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Nec repugnant hæ duæ opiniones, ut videntur, ſi vera ſint quæ narrantur, Adamum bis ſepultum, ut & Joſephum: primo apud Hebron: deinde tranſlatum per Noachum in montem Calvariæ cum propheticè prævideret Chriſtum Dominum ibi olim crucifigendum. Ibi & Jacobum obdormiviſſe volunt, ſuppoſito capiti lapide, cùm in Meſopotamiam, ducturus inde uxorem, proficiſceretur. unde volunt locum λιθόστρωτον appellatum. λίθος δὲ ἦν πρὸς κεφαλὴν αὐτοῦ. καὶ ὁ τόπος κρανίου τὸ λιθόστρωτον, ὅ ἐστι τὸ ἄκρον ἐκχύνοντος τὸ σωτήριον αἷμα. Macarius Chryſocephalus apud Gretſerum, Theophylact. in 15. Marci. παράδοσις ἐστὶν εἰς ἡμᾶς φθάνουσα ἐξ ἀρχαίων πατέρων, ὅτι ὁ Ἀδὰμ ἐκεῖ ἐτάφη. ὁ τοίνυν τὸ πτῶμα καὶ τὸ θάνατον τοῦ Ἀδὰμ ἰώμενος Κύριος, ἐκεῖ σταυροῦται. ἵνα ἔνθα ἡ ἀρχὴ τοῦ θανάτου, ἐκεῖ καὶ ἡ τοῦ θανάτου κατάλυσις. Sanè valde correſpondet divinæ diſpenſationi. et ratio reddita pia eſt, & probabilis. Et in 19. Johan. adhuc explicatius. *Calvariæ locum dicebant, ut ſermo obtinet, quòd illic ſepultus ſit Adam: ut ubi principium mortis, illic & interitus ejus eſſet. Traditio enim Eccleſiaſtica eſt, quòd Judæa poſtquam extorris factus eſt Paradiſi, ante*

cæteras

Digitized by Google

terras eum habuit inquilinum: quæ regio in ſolatium Paradiſi, quem amiſit, dabatur, tanquam quæ totius orbis optima & pinguiſſima eſſet regio: unde & prima mortuum ſuſcepit hominem. ſi igitur homines qui tunc vivebant, in admirationem inventi cranii hominis mortui, cuticulâ depilatâ, inde eum ita nominaverunt, poſtea temporis, per Noachum videtur illa fama ubique diſſeminata. Unde & Dominus, ubi origo mortis, illic moritur, ut exiccet ejus fontem.

Hic ergo illum crucifixerunt. cujus ſupplici rationem & formam σταυροδιαγράπται, fusè & luculentè, deſcripſerunt. Cum illo autem & alios duos latrones, capitali ſententiâ damnatos pari ſupplicio crucifixere. unum à dextris, alterum à ſiniſtris. Jeſum autem medium. Plurimi per illa tempora ſicarii, & graſſatores paſſim omnia loca infeſtabant: inter quos fuerunt & iſti duo: homines improbi, & omnibus ſceleribus cooperti. ut impleretur, ſicut obſervat Beatus Marcus, quod apud Eſaiam Prophetam dicebatur, *Et cum iniquis reputatus eſt*, datum hoc ab improbo Præſide Judæorum odio, ut ita ignominioſior eſſet ejus pœna; qui cum talibus ſociebatur. quorum medius, quaſi princeps facinoroſorum, ab eâdem cauſsâ crucifigebatur. *ſic plerumque accidere videmus*, inquit Tertullianus, *ut inter duos contrarios Hæreticos Eccleſia crucifigatur.* Ut eodem in loco: & eodem ſupplicio animadverſum eſt in omnes tres: ita quoque & eodem modo, formâque crucifixi omnes: contra quam videmus in proletariis picturis, & apud vulgus in opinione. Quam formam doctiſſimus Nonnus, ut ſolet, ad vivum ita expreſſit. κεῖθι φονῆες 181. *Latrones crucifixi.*

> Εἰς δόρυ τετράπλευρον ἐπήορον, ὕψοθι γαίης
> Ὄρθιον ἐξετάνυσσαν, ἐπισφίγξαντες ἀνάγκῃ
> Πεπταμένας ἑκάτερθε σιδηρείῳ τινὶ δεσμῷ
> Χεῖρας. ὁμοτρήτῳ τε πεπαρμένον ἄζυγι γομφῷ,
> Δίπλοον ἦτορ ἔχοντα μιῇ τετορημένον ὁρμῇ,
> Ποσσὶν ὁμοπλεκέεσσιν ἀκαμπέα δεσμὸν ὀλέθρου.

Quatuor autem clavis ligno affixi ſunt, & Chriſtus & Latrones. non tribus, ut vulgò fingunt, et author tragœdiæ, Chriſtus patiens, innuit, ubi loquitur. Γυμνὸν τετρήλῳ κείμενον ξύλῳ λαβών. Clavorum enim Dominicorum, quod quatuor fuerint hæc eſt ratio. duo ſunt affixi in palmis, & duo in plantis. Non eſt autem verum, Nonnum, quod ait Exercitator, inter illos numerandum, qui tres tantùm clavos agnoſcebant. ait enim

> Ἀκρατέι θανάτοιο ταθεὶς τετράζυγι δεσμῷ.

Sed Caſaubonus Lipſium ſequutus eſt, qui Lib. 2. de Cruce, cap. 9. ita perperam Nonnum interpretatur. Quocirca rectè ſentiebat Scaliger exiſtimans, binos pedes, totidem clavis, non ad ſtipitem arrectarium, ſed ad ſuppedaneum affixos. quomodo ſenſerunt ante natos Scaligeri tritavos, Irenæus, & Juſtinus.

Digitized by Google

82. Scripſit autem titulum Pilatus, & poſuit ſuper Crucem. nem-
Titulus crucis. pè ſuper caput Chriſti crucifixi in tabulâ, opinor, appenſâ. ità
vocat Johannes Latino nomine. Marcus ἐπιγραφὴν appellat. &
proculdubio Crucibus Latronum ſimiles tituli appendebantur:
qui cauſam mortis inflictæ legentibus indicarent. Ideo Matthæ-
us ait, & impoſuerunt ſuper caput ejus, cauſſam ipſius ſcriptam,
Hic eſt Rex Judæorum. Ideo enim morti damnatus erat, Quia
Regem Judæorum ſe præferebat. conceptis verbis ita ſe habe-
bat titulus, quemadmodum refertur apud Johannem. *Jeſus Na-
zarenus, Rex Judæorum.* Morem hunc Romanum obſervat Dio
Lib. 54 in ſupplicio ſervi Cæpionis. τοῦ γὰρ πατρὸς τοῦ Καιπίωνος, τὸν
μὲν ἕτερον τῶν δούλων τῶν συμφυγόντων τῷ υἱεῖ ἐλευθερώσαντος, ὅτι ἀμῦναι οἱ ἀπο-
θνήσκοντι ἠθέλησε. τὸν δὲ ἕτερον τὸν προδόντα αὐτὸν, διά τε τῆς ἀγορᾶς μέσης μετὰ
γραμμάτων τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως αὐτοῦ δηλούντων διαγαγόντος, καὶ μετὰ ταῦτα
ἀνασταυρώσαντος, οὐκ ἠγανάκτησε. Hunc titulum ſeu cauſſam affixam
multi Judæorum legerunt, offenſi: & cum Pilato expoſtulant de
ſcriptura Pontifices, *Noli ſcribere Rex Judæorum, ſed, quia Ipſe
dixit, ſum Rex Judæorum.* ſed expoſtulationi non acquieſcens
ille reſpondet, Quod ſcripſi ſcripſi. Erat autem ſcriptum, He-
braicè, Græcè, & Latinè. nimirum ut omnes intelligerent. in
quo titulo, ut prærogativam Romano ſermoni, & ita Romanæ
Eccleſiæ accreſcere faceret Baronius, ut & alibi quoque fecerat,
nugatur ſatis pueriliter, & ridiculè. Latinæ linguæ erat olim
uſus ſub Imperio Romano frequentiſſimus, & authoritas inter
cæteras linguas ſumma, ita ut paſſim, & ubique obtineret. Hoc
Romanis rerum Dominis, omni ope operâque adnitentibus, ut
excluſis cæteris, ubique illa uſurparetur. Græcam tamen, lon-
gè elegantiorem, & propter artes omnes, immortalitati, in illa
lingua conſecratas, non poterant ab hominum uſu & commer-
cio excludere: poſtquam illa ſemel, à Macedonico Alexandri
Imperio, univerſam Aſiam longè lateque inundaverat. Hebræa
Patriarcharum dialectus, illa mater & origo cæterarum, erat in
ſcripturis θεοπνεύστοις æternitati conſecrata: & hoc ſuo ſe præſidio
tuebatur. Utramque cum Latinâ, in titulo Crucis, divino illo
ſpiritu impellente, Pilatus commendavit. Cauſæ non ſimplices
commemorantur. Una eſt ab Hilario præfatione in pſalmos
expreſſa. *Quod myſterium voluntatis Dei, & expectatio beati regni,
tribus iſtis linguis, erat imprimis annuntianda.* unde docuit Au-
guſtinus. 2. de Doct. Ch. ca. 11. tres illas Linguas ſatis ſufficere
ad ſcripturas intelligendas. Baronius, & alii neſcio quod My-
ſterii in generibus linguarum, apud Crucem, in titulo dedicata-
rum: & in ordine ac diſpoſitione earundem ibidem quærunt, &
per me in ἐπιγραφῇ, αἰτίᾳ, titulo illo, eſto, ſit πολὺ τὸ μυστηριῶδες, dum-
modò imprimis concedatur, ita fuiſſe à Pilato conceptum titu-
lum, ut Cauſa & ratio ἀνακολουθήτως, ab omnibus legi poſſet & in-
telligi. Hoc eſt, ut ille vates θρηνωδῶν loquebatur, *ab omnibus qui
tranſibant.* Lamentat. 1. 12. qui vel Latinè, vel Græcè, vel He-
braïcè

braïcè ſciebāt. In hoc titulo Linguæ Latinæ 1as vindicare ſolent; & fragmen illud afferunt in probationem, quod et hodiè, ſi credere fas eſt, Romæ inter κειμήλια repoſitum cuſtoditur: ubi ſi Latina ἐπιγραφῇ primo loco ponitur, viderit pietas ac devotio popularis, an non ὑποβολιμαῖον fuerit illud fragmen, non .n. poteſt, opinor, fieri ut viri docti qui illud ſuis oculis αὐτόπται uſurparūt, decepti fuerint: certè, contra illud referunt Euangeliſtæ, Hebraicè, Græcè, et Latinè ſcriptum. non Latinè, Græcè, & Hebraïce. quare pluſquam ridiculus eſt in hoc Baronius de Romano titulo. Certè, quæ primo, ſecundo, tertiove loco lingua in ἐπιγραφῇ ponebatur, non multum intererat ſcire, niſi mirifici portentoſarum opinionum architecti, mirabilia quædam inde portenta deducta comminiſcerentur, in ſacris Liturgiis: miſſarum ſolennibus, ſcripturarum publicis prælectionibus: authoritate Pontificiâ ſtabilienda. ſi non in omni actione ſacra, Romanam linguam, ignotam, non intellectam, non autem gentis propriam, vernaculam, intellectam, intelligibilem vehementius contenderent uſurpandam. More, ſatis abſurdo, & plerumque impio. Hanc Spartam Bulengerus, in Antidiatribis, per intervalla deſultor, invadit, & ſine methodo, arte, deformat potius quàm exornat.

Hilarii myſterium indicavimus, ab Auguſtino depromptum. conceditur, tres illas linguas ſufficere, ad ſacras ſcripturas intelligendas. cum ſcripturæ omnes, non ſint aliis linguis traditæ, vel commendatæ, quàm illis tribus eruditis. Nec neceſſe eſt, ut πρὸς τὸ θεολογεῖν, ab iſtis alias ediſcant ſtudioſi. Neque tamen ſtatim, illi omnes, qui non intelligunt linguas illas, ſcripturarum ſenſu, & mente penitus deſtituti intelliguntur. Intelligebant omnes, etiam βάναυσοι, & ἀποχειροβίωτοι, ſub ævo Auguſtini Græcè vel Latinè. illam, per Aſiam, & Orientem; hanc, per Africam & Occidentem: ſed alia nunc ſunt tempora, diverſi mores, ſtatus, inſtituta alia, ubique diverſiſſimæ linguæ & dialecti. Nec eſt ex Europæ regionibus aliqua, quin in illa ipſa μέρει exiſtant homines & ἑτερόγλωσσοι. Non ſunt adhuc ſatis illæ linguæ tres; ut ſacræ ſcripturæ intelligantur, cum tot ſint ubique mortalium myriades, qui nullam iſtarum trium linguarum capiunt. Neque hic de vulgo, colonis, ineruditâ plebe loquor: ſunt et in Clero conſtituti ἐντὸς τοῦ βήματος & θυσιαστηρίου, curam ſortiti animarum, qui vix, & fortè ne vix, Latinè ſciunt intelligere, loqui, legere, pronunciare. quales olim ille Epiſcopus Dunelmenſis apud Nos, Ludovicus à Bellomonte, qui ἀμφιγνοεῖς, ita ſtupidus et illiteratus erat, ut Conſecrationis ſuæ bullas & diplomata legere non poſſet. hæſitavit ad verbi monſtrum, *Metropoliticè*. & cum legere non poſſet, diu hæſitans tandem ait, *ſoit pour dict*. & cum ad verbum *ænigmate*, ventum eſſet, in eodem luto hærens, non tenuit patientiam, ſed *par Saint Lewes, ill n' eſt pas curtois, qui ceste parolle iſi eſcrit*. Tales oportet, vel nihil habere commercii cum ſcripturis ſacris: aut, ad ſcripturas intelligendas aliis illis lin- 183.

 guis

guis opus erat, quam tribus illis: ſed Auguſtinum hic pervertunt. De ſufficientia trium illarum linguarum, non loquebatur. & illud quod loquitur, quicquid ſit, ad omnes non ſpectat. Latinæ linguæ omnes non affatur ille. ſpeciem non exceſſit: generatim non loquitur. perſtrinxit is potius indigentiam, qui pro ſufficientiâ allegatur. *Latinæ linguæ homines*, inquit ille, *quos ſuſcepimus inſtruendos, duabus aliis Linguis opus habent ad ſcripturarum Divinarum cognitionem. Ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationem attulerit, Latinorum Interpretum infinita varietas.* Hæc ſunt verba iſta ſequela: hæc ratio Auguſtini: Qui nihil minus dixit, quam quod fingitur dixiſſe, *Tres illas linguas, ſatis eſſe cuicunque, ad Divinas ſcripturas intelligendas.* Opus eſt ergo vernaculis verſionibus, ut cognitio ſcripturarum, ad hominum cognitionem diffundatur. Et hoc non curant ὡς ἐξ ἐναντίας, dummodo *officia Deum ſpectantia*, maximè *ſacrum Miſſæ officium*, tribus illis tantum linguis, & non alia, celebrentur. Hoc eſt, ut Officia Deum curantia, cum verbo Dei nihil commercii habeant. Quodſi, tres illæ linguæ ἀπολελυμένως ita Divinis officiis advocentur, quidni λειτεργῦντες alicubi linguâ Hebraïcâ, aut Græcâ, non ſemper Latinâ, faciunt? Nam quia Crucis titulus tribus tantum linguis exarabatur, iccirco Crucis magnum ſacramentum, & Crucis totalis prædicatio, ad tres illas linguas affigantur: hoc eſt, ut ſacrificium Miſſæ, & omnia officia Deum procurantia, tribus illis tantum linguis, peragantur. Cogita mihi parem, vel non multum diſſimilem argumentationem. Duodècim elegit Apoſtolos, Jeſus Chriſtus, ad opus miniſterii. Ergò tot, non plures eſſent, ἐν τάξει τῶν Ἀποστόλων, per univerſum Chriſtianum orbem Epiſcopi. Nec minori probabilitate affertur, è *diſciplinâ Eliæ* neſcio cujus, ſex mille annos mundum duraturum, quia tria omnino conſtituuntur tempora, apud exotericos; ἄδηλον, μυθικόν, ἱστορικόν. apud Chriſtianos, ἄνομον, νόμιμον, Εὐαγγελικόν: ut ſingulis bis mille anni aſſignentur. ſed quid commune habet actio Pilati, profani hominis atque impii, cum praxi Eccleſiæ in ſacris? potiùs ego dicerem Syriacè, Deum in ſacris, præcipuè miſſarum ſollennibus, honorandum, quod Jeſus ipſe Chriſtus & ſacrificium, & ſacerdos, cum in Arâ Crucis immolaretur, Syriacè clamaret, *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti?* Riderent nos opinor, ſi argumentaremur, Act. 2. Apoſtoli, ſpiritu ſancto infuſo, locuti ſunt ad populum Magnalia illa Dei, *ſuis linguis*. Ergo ſuis hodiè vernaculis linguis, οἱ διάκονοι τῦ λόγυ, illorum veſtigiis inſiſtentes, eadem Θεῦ μεγαλεῖα, & maternis linguis docere debent populum, Cum de rebus ſacris, Myſteriis Divinis, tractatio inſtituitur, aut illa officia, quæ Deum curant, peraguntur, ni à Sacerdote. ſed ſed aliud eſt verbum prædicare: aliud offerre ſacrificium, & ſacras curare liturgias. ſcio. ut nec idem ſunt, Frangere, & Fundere, in Euchariſtia. ſed ſine tamen copulantur. Divini cultus partes ſunt principales. Officia ſunt in Deo curando, occupata.

Linguæ tres, ſacra.

Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus concionabatur, non Indicè, Æthiopicè, ſed Syriace, ideo ut à vulgo intelligeretur. at Chriſtus cum in cœnâ ſuâ ultimâ ſacrificium hoc æternum inſtitueret, Sclavonicè opinor, & σκυθιςὶ, aut etiam Latinè loquebatur, *Hoc eſt Corpus meum*. Et Apoſtoli deinceps utcunque linguis loquebantur populorum vernaculis, quibus Euangelium annunciabant. Frangentes tamen panem: dic, qua linguâ celebrabant, Hebraïcâ, Græcâ, an Latinâ? nam certum eſt, reor, non vernacula aliquâ. proculdubio, intra Palæſtinam conſtituti, Græcè. nam non populari. in Græcia, Hebraïcè. nam non vulgari. Romæ: an Græcè dicant, an Hebraïcè? nam nec ibi, populari. mihi videtur, Hebraïcè. proptereà quod minus, quàm Græcè, intelligeretur. Negamus enim edictum Bulengerianum, Officia Deum curantia, maximè autem Miſſæ ſacrificium aliis quàm tribus illis linguis celebrari non debere. Edictum voco. & ſic eſt: ſatis pro Imperio. Nam ratio nulla agnoſcitur, cur hoc ita ſtatuatur? Ideo enim illud, & aliò ſpectat, & aliorſum. Ideo ſpiritu effuſo loquuti ſunt linguis, ut verbum Dei omnibus innoteſceret. & quidni igitur, ut Baptizati, Communicati, Confirmati, Inuncti, Ordinati, ſacratas intelligerent actiones, Se concernentes: & Divina officia, Deum procurantia? ſtupendum eſt hoc *Ideo*, ne dicam ſtupidum, & Idiotæ. Miramur Deum adeò nihil laboraſſe: nec in numerato poſuïſſe, quâ linguâ uterentur ἱερουργοῦντες: & ita fuiſſe ſollicitum, cum homines curaret ipſe, ut non modò donum miraculoſum donaret, ſed & Interpretes curaret inſtituendos. Ideò enim in Eccleſia Interpretes fuerunt, qui ea populo explicarent, quæ Linguâ, non omnibus notâ, recitarentur. Interpretes autem illi Eccleſiaſtici, Miſſarum ſolennia: ſacram Liturgiam: Orationes vel longiores, vel ejaculatorias, non Interpretabantur. Igitur non reponuntur inter ſacros, vel majores, vel minores Ordines Eccleſiaſticos, ſed ad Conciones relegantur: quæ cum vernaculâ linguâ haberentur, quid opus aliquâ Interpretatione, cum vernaculam ſuam præſentes intelligerent? Saltem qui linguis loquebantur, ipſi poterant, hoc Officio rectè fungi: ne confugere haberent opus, ad vicariam operam. ſed videtur hos Interpretes non intelligere. Opus eſt Interprete, ut ſcripturam loquentem linguâ, hoc eſt obſcurè, de Interpretibus capere poſſis. Adi ergo Exercitatorem: nec pigebit illi animum accomodaſſe.

Sed hoc dicitur voluïſſe Epiphanius. Nam ἑρμηνευτὰς comme- 184.
morat, γλώσσης εἰς γλῶσσαν. ἢ ἐν ταῖς ἀναγνώσεσιν: ἢ ἐν ταῖς προσομιλίαις. Hoc voluit, nimirum Miſſarum ſolennia, ignotâ in linguâ celebrata: ſed Conciones ad populum, vulgari. Nam interpretes habebat Eccleſia aliquando, qui Conciones, & Lectiones explicabant. Hoc in Annalibus obſervarat Baronius. Bulengeri fuerat, id quod ille vir plurifariam eruditus, per incuriam vel agnoſcere, ut virum probum decuït: vel tueri, ut eruditum. Epiphanius recenſet ἑρμηνευτὰς, inter eos, qui cum in Eccleſiis miniſtrarent,

ἐκ δευτερογάμων nihilominus, aſſumebantur. Officium eorum quodnam erat, non docet: locus integer Epiphanii ita eſt. Δευτερογάμον δὲ οὐκ ἔξεστι δέχεσθαι ἐν αὐτῇ εἰς ἱερωσύνην, κἄν τε ἐγκρατευόμενος εἴη χῆρος ἀπὸ τάξεως ἐπισκόπου, καὶ πρεσβυτέρου, καὶ διακόνου, καὶ ὑποδιακόνου. ſecundis nuptiis copulatum, non licet ad Ordines cooptare, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, ſubdiaconi, quamdiu in iis vixerit: ne quidem etiamſi ab ipſo tempore viduitatis ſuæ, vixerit caſtè & continenter: ab hiſce Ordinibus cum receſſeris, Lectores, undecunque aſſumi poſſunt de Virginibus, Monachis, Continentibus, Viduis, honeſtè Maritatis. imò, ſi neceſſitas exigat, ab iis, qui poſt exceſſum prioris conjugis, ſecundis nuptiis dederunt operam. Καὶ γὰρ οὐκ ἔστιν ἱερεὺς ἀναγνώστης, ἀλλ' ὡς γραμματεὺς τοῦ λόγου. Καὶ διακόνισσαι δὲ καθίστανται, εἰς ὑπηρεσίαν γυναικῶν μόνον διὰ τὴν σεμνότητα, &c. Diaconiſſæ, ideo ordinantur, ut mulieribus inſerviant, quoties opus fuerit, verecundiæ, & honeſtatis cauſa; cum vel tinguendæ, vel inſpiciendæ ſunt. Oportet autem illas univiras eſſe, continentes, caſtaſque, & viduas ab exceſſu viri, quem unicum & ſolum duxerunt. Poſteà ſuccedunt Exorciſtæ: & de lingua in linguam transferentes interpretes, tum cum aliquid legi debeat aut in congreſſibus exponi. Sequuntur iſtos Copiatæ, qui Corpora amiciunt, deducunt, & procurant mortuorum: tum poſteà Janitores, & reliquæ cohortes ordinatæ. Habemus hic Interpretes recenſitos, inter ordines Eccleſiæ minores. Eorum officium eſſe recenſetur, de linguâ in linguam Interpretari. ſubjectum, Lectiones ſacrarum literarum, & προσομιλίαι. Bulengerus exponit in colloquiis aut congreſſibus. Ineptè, quaſi in Foro, aut vacuâ Tonſoris in umbrâ, ubi confabulabantur, εἴ τι καινὸν λέγοιτο, illi qui publico Eccleſiæ ſtipendio mererent, verſarentur. *legatur igitur*, ὁμιλίαις non προσομιλίαις. *ſunt enim, hoc in loco, intelligenda*, non colloquia familiaria, ſed cum populo & ad populum ſermones in Eccleſia, cum quibus, qui Concionem habet, quaſi familiarius προσφωνεῖν reputatur, ſi qui adeſſe contigerant, non ἐκ τῆς παροικίας, qui linguam illam in ſacris adhibitam non intelligebant, Interpretes iſti adhibebantur, & ἑτερογλῶσσες ad cognitionem & intelligentiam eorum quæ tractabantur, deducerent. Conceditur in Concionibus. & quorſum igitur provocat, ad neſcio quæ Colloquia? ſed extra, & ultra Conciones, Epiphanius addit, ἐν ταῖς ἀναγνώσεσι, ut lectæ ſcripturæ intelligantur. Hoc eſt, in Officiis quæ Deum curant. Atque ita ex eo ipſo loco demonſtratum eſt, in veteri Eccleſiâ non fuiſſe moris, ut linguâ incognitâ apud populum ageretur, quem Baronius firmiſſimum rebatur eſſe, ad defendendum uſum Latinæ ſolius linguæ, in ſacris: hoc eſt, exoticæ & non intellectæ. Atque hoc directè ſtatuïtur ex Epiphanio.

185. *De ſacris vulgari lingua.* At defenditis, linguâ incognitâ Divina officia celebranda. agnoſco ἀτόπημα & ἀσέβημα. ſed Defendere & Probare, non ſunt æque latè patentia. Magno conatu, & authoritate defendentes,

nihil

nihil proficitis. Fortè an hic. Fatemini, fas eſſe precari Deum docere populum: interpretari ſcripturas: quacunque linguâ. at Precari Deum, eſt meo animo, Curare Deum. Eſt ergo manifeſta Contradictio. ſed Officia Deum curantia, tribus illis linguis, in titulo Crucis, conſecratis, celebranda defenditis. Dicatis ergo quid ſit Curare Deum. Nam precari Deum, *Defenditis*, licet quacunque linguâ. Litaniæ publicæ, non minus, imò multo magis, quàm εὐχαὶ, ἐντεύξεις, δεήσεις, εὐχαριστίαι privatæ ſunt Officia Curantia Deum. Quæ eſt hæc inconſtantia, & è lintre locutio? Nos de precibus, ſed imprimis publicis, & Eccleſiaſticis litem movemus, ubi poſtquam omnia ſua ſuſque deque cum geſticulationibus ſexcentis agitata muſſitaverit *Mumpſimoriloquides* ſacerdos, hiantem populum, nihil intelligentem eorum quæ dicuntur, jubetis cantare *Amen*. Quid ſi ſacerdos blaſphemaret Deum? Quid ſi venereus furcifer, impuras cantilaret cantilenas? Quid ſi populo imprecaretur, ut de neſcio quo Romano Legato refertur? reſpondendum erit, *Amen*. ſic tibi tuiſque ſodalibus Ex jeſuita, benedicatur, qui in Nomine Diaboli, non certè Dei, plebi ſic illuditis. Nam nec privatim, jampridem linguâ cognitâ precabantur. apud noſtrates, jam nuper uſurpatur permiſſu proculdubio ſuperiorum: & ſperandum in aliis ad bonam frugem reverſuros. Certè ſymbolum Apoſtolicum, Orationem Dominicam, Decem mandata: Ave &c. noſtrates, non ita pridem mulieres & Infantes mirandâ barbarie blaterabant nil intelligentes: ſed ſpes eſt poſſe, & ſacra vernacula concedi. Foreaſſis, Cameræ Apoſtolicæ numerantibus, Mammonam iniquitatis. Permiſſa enim inquit Bulengerus Romani Pontificis, aliâ linguâ, niſi celebretur, & celebrabitur forſan, ſi è re Eccleſiæ, vel Curiæ potius fuerit. Etenim & multis privatim apud nos conceſſum aiunt, ut interſint precibus & Litaniis Hæreticorum. et D. Eliſabethæ aiunt à Pio quarto oblatum, ut celebraretur Anglicè apud nos, modo ipſi hoc acceptum illa referre vellet. At non ſine periculo imperitæ multitudinis, vulgari idiomate biblia tranſlata permitterentur. Fortè, aliquando, in aliquibus. quæ eſt hominum imbecillitas, pervicacia, & Diaboli ſatagentia! Et tamen Græcè & Hebraïcè, fortè an Latinè, ſcripturæ edebantur annuente Deo. ſed πρὸς ἔπος ἰὼν, ſacrarum, in Lingua peregrina, Liturgiarum. Non eſt idem domi, apud te ſolum, intra privatos parietes, ſcripturas legere: & cum populo Chriſtiano, in loco ſancto, actione ſacrâ, Deum venerari, compellare, loquentem audire. Periculum in publico amoliri poteſt, ſi quid fuerit, per Præpoſitos, Interpretes dubia, & obſcura enodantes, & periculoſa declinantes. Cum arcana ſcripturarum, omnes minimè capere poſſint: cum in iis multa ſint ardua, obſcura, inuſitata, quæ in utramque partem, & ſic interdum pejorem, trahi poſſunt: præcipuum tamen periculum impendet à mulierculis, cum non ſint ingenio ſatis valido (licet verſatili;

Digitized by Google

verſatili, pervicaci, & curioſo) ut omnibus notum. Quæ ut vera ſint, ut ſunt plerumque, ſaltem igitur viri, cum ſint ingenio validiori, Divina myſteria, miſſarum ſolennia: preces publicas: & illa omnia quæ Deum procurant, linguâ ſibi cognita, & familiari: non exoticâ & ignoratâ audiant. Qui tamen, non minùs quàm mulieres à ſcripturis, & officiis illis intelligendis excluduntur. ſed quod de invaliditate objectant muliebri, non eſt fortaſſis verum. in uno genere, Ennianum repugnat.

Vos etenim juvenes animos geritis muliebres,
Illaque virgo virûm.

in alio Philo. Δεινὸν ἡ. γυνὴ γνώμην ἀνδρὸς παραλῦσαι καὶ παραγαγεῖν. καὶ μάλιστα μάχλας. Quodſi minus adhuc ingenio valerent, non tamen ideo fuerant, à Divinarum literarum ſcientia arcendæ, quin eo magis aſſuëfaciendæ, cum auditioni in Eccleſia, tum ſolitariæ, inter privatos pariëtes lectioni: quò infirmo *ingenio* robur accederet & conſtantia.

Fingit tamen Bulengerus, cum Cardinali Controverſore,
185. illam quæ Thamaris hiſtoriam lectam & recitatam audiverit: aut Davidis, cum Bethſabe adulterium, linguâ populari, ad ſimilem ἀκολασίαν laxatis frœnis, impudicitiæ & laſciviæ, pleno curſu deferendam. ſed qui ita fingunt, fortaſſis aut ex animo ſuo, aut genetricis ſuæ, modeſtos matronarum mores metiuntur. Quæſo, vos Antiſtites ſanctitatis & caſtimoniæ nemo ne inter patres ſocietatis: aut clauſtrales fratres: nemo Capucinorum hominum mortificatiſſimorum: aut Prædicantium de Catervâ, in Cõcionibus ad populum, etiam quadrageſimalibus, Davidis adulterium. Thamaris laſciviam. Loti inceſtum. Leam, ancillam viro ſubſternentem. Rachelis & Saræ factum. Salomonis *prodigioſam* λαγνείαν, & his alia ſimilia recitavit? *Te Bulengere hic* interrogo, tuis verbis, Hic jam ſexus ille fragilis an non commovetur? ſanè, interdum: & fortaſſis non paucæ. multò magis, geſticulante illo, ut fit, hiſtrione: & forte an laſcivis, & infractis motibus; oculis, vultu, voce, ore patrantibus rem efficacius exprimente. procul omni dubio, hic multo magis pruriunt auditores, quam ad ſimplicem ab ambone lectionem. Nec tamen iccirco tollantur Conciones, Græcæ, Hebraïcæ, Latinæ linguæ, puellæ & mulieres olim non erant exemptæ hoc periculo, his incentivis: et tamen per ſuas ſynagogas, Eccleſias, et ſynaxeis, Lectioni ſcripturarum aſſuefiebant. Paulinæ Epiſtolæ, lingua ut exarabantur intelligibili, ita quoque legebantur, non obſtante quòd, ut habet S. Petrus, impii indè multa perverterent ad interitum ſuum. ſcire velim, quam quis mihi nominaverit vitæ, diſciplinæ, œconomiæ Divinæ viam et inſtitutum, quod periculis iſtiuſmodi careat. quæ tamen non moventur ideò de communi vita. Intelligunt omnes, qui hæc audiunt, ſaltem poſſunt intelligere, niſi ſicubi, ut apud Phariſæos olim regni cœlorum claves occultantur, hæc et ſimilia, ideò

Digitized by Google

ideò apud populum recitari, ut caveantur: condemnentur, et populi eo exemplo deterreantur. Lingua, intellectio, non eſt in cauſâ. nam Sacerdotes, Epiſcopi, Pontifices, qui Latinè aut Græcè docti illa legunt, ſæpenumero, non minus quàm mulieres titillantur. Imò cùm ſint ingenio validiores. motus animorum vehementiores, & laſciviores affectus habeant, facilè à lectione depravantur. Nimirum, ita eſt in hac cauſâ, *Ut muſcam flamma corripit, dum ludens hanc circumvolat, ſic ignis cupidineus illius pectus uſtulat, qui cum amore luſitat.* Periculum planè erat idem in Dei olim populo Iſraële: et tamen penitus à legendis Scripturis non erant, ne quidem fœminæ prohibitæ. figmentum eſt enim, poſt captivitatem, unum, duo, aut tria ad ſummum fuiſſe exemplaria, apud Pontifices unum: apud Regem alterum. Quanto rectius Baſilius Seleuciæ? ἴσος ἀνδράσι καὶ γυναιξὶν εὐσεβείας λογισμός· φύσεως διαφορὰν ἀρετῆς δρόμος οὐκ οἶδεν. ἐπίσταται γε καὶ τὸ θῆλυ γένος, ἐν τοῖς ἀγῶσι τῆς ἀρετῆς ἀνδρίζεσθαι. Non ſunt ergo prohibendæ per ἀλείπτην aliquem, aut παιδοτρίβην, quo minus ad certamen ſe componant. Omni potius arte Athleticâ mulieres ſunt inſtruendæ, quicquid delirant in contrarium. Non tamen ita, ut ad libitum, et de ſui animi ſententiâ, modos, menſuras, apparatus, uſum, tranſponant, vel adhibeant ad placitum.

Sed habebimus ἀπόδειξεις è Scripturâ. Funem ducit, quod Joh. 7. 49. Chriſtus ait plebeculam *Legis gnaram non fuiſſe.* Quid tum? ergo volebat, ut in illâ ignorantiâ perſiſterent. Pronunciat eos occidiſſe Prophetas. voluit igitur, ut ita facere non deſiſtant: atque ita laudaret factum, Nam 187.

Qui monet ut facias, quod jam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta ſuo.

Sed an ſibi Chriſtus contradicere volebat? Nam ad plebem, opinor pertinebat, *ſcrutamini Scripturas.* Si laudaſſet illam populi ignorantiam, vehemens invaleſcere poſſet ſuſpicio, voluiſſe eum ut Legis ignara maneret plebs. atque ita ſub ignotæ linguæ latebris deliteſcerent Scripturæ, aut in ignotâ linguâ publicæ preces, litaniæ, & ſacratiſſima myſteria abſolverentur. Ait Legem illos ignoraſſe. commiſerans, deplorans, vituperans. quam intelligere magno tenebantur, & ut poſſent intelligere, omnibus inſtructi eſſent præſidiis & adjumentis: ſed perperam refertur, cùm Chriſtus, tum Euangelium. Neque enim vox eſt Chriſti, illa, plebem ignaram fuiſſe Legis, ſed Phariſæorum, qui Infideles erant, miſeram plebeculam ῥινὸς ἀγρεύοντες, laqueis Infernalibus implicabant. adhibe Specilla. locum uſurpa: quæ ſe ita habent. *Reſponderunt ergo illis Phariſæi dicentes. Numnam & vos erratis? an eſt aliquis de principibus qui credit in illum, aut de Phariſæis?* ἀλλ' ὁ ὄχλος οὗτος ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον, ἐπικατάρατοί εἰσι. *ſed turba hæc, quæ non intelligit legem, iſti ſunt maledicti.* ſed præterea non cognoſcebat legem plebs, hoc eſt, mentem & ſenten-

 tiam,

tiam, medullam non capiebant. corticem autem. legebant enim, aut audiebant lectam. Non κατάρατοι quod legebant, audiebant legem: ſed quòd auditam non caperent, & ſic errabant: nullo vitio legis. non in abdicationem legis. ſed ut ita eſſet, quantam ille Chriſto injuriam inurit & contumeliam, qui ei adſcribit Phariſæorum apopthegma? et eorum cauſſam tuetur, Deo inviſam, hominum, ἐπιχλευαζόντων. ſed quid mirum, Phariſæorum ἀπόγονοι, & συμφοιτηταὶ, ſi Phariſæorum cauſſam agant, qui clavem ſcientiæ non impertire volebant, rudi plebeculæ, nec admittere ad ſcientiam legis & cognitionem. Nam quod plebs ἐπικατάρατος ſit, ignorantia cauſſat. Ignorantiam cauſſant illi, qui Scripturas prorſus iis invident, & in totum de manibus excutiunt. Exprobrat Servator Phariſæis, quod per ſuas δευτερώσεις, ad legem ſuperinductas, & impias Traditiones, quò volebant populum adducebant. unde volebant, deducebant. *Væ vobis Scribæ, Phariſæi, hypocritæ; Clauditis etenim regnum Cælorum coram hominibus. Ipſi eò non intratis, nec permittitis intrare qui volebant. Mat.*23.13. Ita illi, qui hodiè Ἐν ταῖς τῶν ἄλλων ψυχαῖς, ἐμμελετῶσι τὴν ἀσέβειαν. At ſecundo allegatur locus, Mal. 1. ubi jubetur populus requirere legem ex ore Sacerdotis: cujus labia ſcientiam cuſtodirent. Imperitè & ineptè. Neque enim quia ſacerdotes erant, & ſunt, aut eſſe deberent, Legis & doctrinæ Euangelicæ condi-promi, nulli liceat, vel guſtum aliunde aliquem haurire, quàm de labiis ſacerdotis. Quaſi quia ſolem, diei illuſtrandæ adornavit Deus, ἀνάπτειν φῶτα ἐν μεσημβρίᾳ non liceret: aut lumen aliunde advocaré. Quid ergo, à rudibus catechizandis? quid ab aliis exigitis confeſſionem Fidei? Quid ſymboli Apoſtolici recitationem? reſpondere poſſent, imò & deberent, Quid me interrogas? abi hinc directà ad ſacerdotes. *illi pro me* ſatisfacient tibi. mihi ſatis eſt, & abundè ſatisfacit, ſi ex ore loquentis ſacerdotis pendeam, ubi de quæſtionibus iſtis agitur literatis. Imò fides illa, vulgo implicita quæ dicitur, ſufficit ut per jugulum tibi recurrat, illud è Malachiâ. Dicitur enim, explicitam Legis ſcientiam labia cuſtodiant ſacerdotum. non tamen omnem & omnimodam. nam infirma & implicita ſcientia requiritur ab iis, qui non poſſunt aſpirare ad ſacerdotium. Legem ergo requires: hoc eſt, Legis mentem & medullam in rebus arduis et dubiæ aſſertionis: à tractu, & capacitate populari remotioribus. Hic jam, ut applicentur, nolunt noſtri, ne ignores, Novatores ideò Scripturas tranſlatas, vulgò haberi, legi publicè aut privatim, ut docere præſumant illi, quia legere poſſunt, qui deberent diſcere: ut ſuſque deque agitent myſteria Dei ſecretiora: ut qui ſunt in τῷ λαϊκῷ τάγματι conſtituti, neglectis vitæ & vocationis ſuæ popularis ordinariis muneribus, legendis ſacris literis, nec alicui præterea muneri vacarent. *Ne ſutor*, quod aiunt, *ultra crepidam*. Nec infantibus in cunis adhuc vagientibus τὸ στερρὸν τῶν βρωμάτων, niſi maſtricatum, & præmanſum,

ſum, eſt in os inſerendum. Ut rem expediam. ſicut in Summo felicitas, ſic in Medio virtus. Utrinque malè declinatur ad extrema, ſic et nihil et omnia, indiſtinctim, et paſſim, permittantantur. Quibus. quantum. quid et quando hic indulgeatur, vel cohibeatur, præſtaret exactius aliquantisper deſignari. ſcio poſſe huic frivolæ et ſtramineæ objectioni non uno modo ſatisfieri. ſed hæc ſufficient: progredior ad ſequentia. Nam tertio loco objectatur Deuteron. 17. ubi jubetur populus in difficili cauſsâ conſulere, et audire ſacerdotem. Quid tum? ergo prorsùs abſtinere debebant à lectione & cognitione Legum. Nam hoc eſt τὸ ζητούμενον. et hoc illud teſtimonium evincere debet. Quod quam ſit impudens commentum, et imperitum, norunt omnes qui et Legis præcepta legerunt aliquando, de Lege legenda et meditanda, etiam per plebem, mandatum fuiſſe à Deo. Inſcitiam verò prodit, qui inſiſtit in ſolâ conſultatione, de judicio difficiliori. Quaſi quod in jure controverſi et ambigui ſtatus recurritur ad Legum conſultos, et peritos: et ad dirimendas controverſias ſtatur, ſententiæ et diſtributioni judicû; illicitum eſſet non juris ſtudioſo, Interdictum cuïcunque de plebe Codicem, Digeſta, Novellas adhibere: vel Actus, ut nos loquimur, conſulere Parlamentarios, cùm ſit Juris-conſultorum de jure reſpondere. Solebant locum hunc Moſaïcum, non de ſacris vernaculis aut exoticis interpretari, ſed de poteſtate vitæ atque necis ſummo conceſsâ Sacerdoti. Bene habet, quod à patribus ipſis hoc telum de manibus ſociorum excutitur. Interim tamen videant qui ſic excutiunt, de Monarchomacis pœnas capite, carcere, fortunis, loco luant. Præſtaret, arbitror, promiſcuæ plebi, ſandapilariis, veſpillonibus, tonſorum pueris, et cerdonibus paſſim ſacra permitti, quacunque linguâ, quam ut non moriatur homo, qui ſummo obloquitur Sacerdoti. Reſpondeo breviter; Locus, de rebus judicandis, non ſpectat ad preces vel Litanias lingua hac vel illâ, quacunque, recitandas, de quibus in præſenti tantùm quæritur. Sequitur quartum Argumentum, ex illâ ad Epheſios Beati Pauli, cap. 4. *Deus poſuit alios Apoſtolos: Prophetas alios, & Doctores.* Certè poſuit, tales taliter. Ergo quid? magnus eſt ardelio Diatriptes. Τὸ κρινόμενον, ab initio in quæſtione poſitum eſt, *Officia, Deum curantia, niſi Hebraicè, Græcè, vel Latinè, non debent recitari.* Hujus ſubjecti ad illud προηγούμενον, me acutiores non vident, opinor, conſequentiam. Forſitan hoc vult. Quia ſunt diverſitates donorum, à lectu et intellectu Scripturarum prohibetur populus. ridiculè. ſed aliud non extendo. Proximò ſequitur Bellarmini νόμισμα, ſed affuſo ære κεκιβδηλωμένον Illi debetur, quod de Eſdra ponitur, Interprete Scripturarum. Hoc intereſt, quod cùm apud illum Methodi egregium artificem, ordinis lumine illuſtretur, illud tenebris offunditur fatalis ἀμεθοδίας. Eſdras et Levitæ Iſraëlitici, cùm Scripturas legerent apud illum olim populum, eaſdem inter-

 pretabantur:

Digitized by Google

pretabantur: eò quòd per illa temporâ vulgus Judæorum linguam Hebraïcam non intelligeret, ſed Chaldaïcè aut Syricè vulgò loqueretur: quod contra fuit, ante Captivitatem: ut ex Hiſtoriâ Ezechiæ patet. Sint autem qui hoc Levitarum ſedulitatem & τὸ κατόρθωμα imitentur. Nos εὖγε, libenter acclamamus. Interpretabatur illa Eſdras, verbum de verbo transfundens. Hebraïcam Scripturam, ſi modo tamen minus intellectam, in linguam Syricam, quæ tum Judæis erat patria & materna. Quicquid fecerit, fateare neceſſe eſt, ab hoc exemplo, voluiſſe id Eſdram & Levitas, per ſuam illam Interpretationem, omni modo ut Scriptura intelligeretur à populo. Volebant ut non minus Divinam ſcirent, venerarentur, facerent voluntatem, quàm qui vixerant ante Captivitatem. Nam id fateri neceſſe eſt, ante Captivitatem, cùm Judæi puram putam Hebraïcam linguam loquerentur, neque opus fuiſſe *interpretibus*: et populum cum Scripturis, maternâ ſuâ tam linguâ & *intelligibili*, exaratis commercium habuiſſe. Eccleſiæ ideò hodiernæ abuſus, à Synagogæ facto non comprobatur. Illa enim, veteris Teſtamenti Libris, literis ſibi cognitis, utebatur. Eſdras etiam, et Levitæ poſt μετοικεσίαν legebant in auribus populi intelligentis, non interpretabantur: et falſum eſt quod de Chaldaicâ, ſive Syricâ linguâ incognita garritant. Ita non verba, ſed ſenſum & ſententiam interpretabantur, quod verſ. 8. ῥητῶς dicitur, et exertim. Et quid aliud interpretarentur? Nam ſi Chaldaicè vel Syricè loquebantur, vel in eâdem linguâ legebantur: vel Hebraïcâ, quæ fuit Chaldæïs intelligibilis: ut Dialectus Æolica vel Dorica, Atticiſſimis. Nec fieri poterat, ut tantillo temporis ſpatio, uſum & cognitionem in terrâ alienâ, patriæ Hebraicæ linguæ amitterent. Poſtremò, ut hæc *omnia ita vera* forent, quemadmodum perperam concipiuntur, non faciunt ad Miſſarum ſolennia, Linguâ incognitâ celebranda. non ad τὸ λειτουργικὸν, in quo Divinum officium continetur. Omnino contrarium huic conſtituitur, quemadmodum ab Interpretibus in primitivâ Eccleſiâ, ut ſacræ res, ritus ſancti, & quæ Deum curant, intelligerentur à procurantibus; Interpretes adhibebantur. non adhibendi, ſi non omni modo, vellent Deum adorandum intelligi.

188. A ſcripturis, ad Patres itur. rectè. ſi rectà: hoc eſt, tanquam ad Interpretes ſcripturarum. Patres autem, Irenæum, Origenem, Auguſtinum. hic affirmat beatiſſimum Johannem ſcripſiſſe ſuam primam Epiſtolam ad Parthos. Græcè ſcripſit. ſed illi Græcè ignorabant. Ergo non intelligebant quæ ſcripſit. Ita ſcripſit Paulus ad Romanos Græcè. proculdubio, ut nil intelligerent. alioqui Latinè cur non ſcriberet? Imo cur non Gothicè, aut Indicè, ſi ideò ſcripſit, ut non intelligeretur? ita enim certus eſſe poterat ſe non intelligendum: Quidni ad Coloſſenſes aut Philippenſes Tartaricâ ſcribebat Dialecto? Ita ſine periculo legerentur

rentur ejus literæ, ſi modo omnino legerentur, cum nemo *le-*ctas intelligeret. de Parthis falſum eſt: & Parthicâ linguâ. Johannes & Apoſtoli, non ad hanc vel illam gentem ſpecialiter ſcribebant, quaſi de rebus familiaribus, ſed toti mundo, ſub ſpecialibus titulis. & ideo quia illa ſcripta futura erant totius mundi πολιτεύματα & ταμιεῖα, deditâ operâ, ductore ſpiritu ſcribebant, linguâ omnium maximè pervagatâ: ut ſic à plurimis intelligi poſſent. quæ ad paucos dirigebantur. Quæ ratio redditur apud Irenæum, cur tribus tantum linguis, & non pluribus ſcripſerint: ſi modo alicubi illa apud Irenæum habeantur: mihi enim non comparent, ne quidem in editione Feuardentii; Origenis verba, cautè legenda ſunt, ne cauſſam jugulent ſacra vernacula tollentium. certè fœnum habent in cornu. Τῆς γραφῆς ἀναγινωσκομένης ὠφελοῦνται καὶ γίνονται ἰσχυρότεραι. ὥσπερ γὰρ αἱ κρείττους δυνάμεις κατεπᾴδονται, καὶ ὠφελοῦνται, καὶ γίνονται δυνατώτεραι, ἀπὸ τῶν τοιούτων γραμμάτων· οὕτως αἱ ἀντικείμεναι τῶν ἐν ἡμῖν δυνάμεων, οἱονεὶ καθέλκονται καὶ νικῶνται ἀπὸ τῶν τοῦ Θεοῦ ἐπῳδῶν, καὶ νικώμεναι κοιμίζονται, ὥσπερ ἀσπὶς ἀπὸ τῶν ἐπῳδῶν κοιμίζουσιν. *Cum Scriptura palam & apertè in publico recitetur, utilitatem conſequuntur* (auditores) *& valentiores fiunt. Quemadmodum verò Poteſtates illæ ſuperiores excitantur & juvantur, & fiunt ab iſtis literis potentiores; ad eundem modum virtutes, quæ nobis inſunt contrariæ, quaſi dejectæ ſuperantur ab incantatoribus Divinis, & ſuperatæ conſopiuntur, non ſecus quàm aſpis incantata.* Certè iniquitas eſt, Laïcos & ruſticanam plebem, pretioſo ſanguine Jeſu Chriſti fuſo, non minus redemptos quàm ſacerdotes, ab ejuſmodi beneficio tam ingenti, & medicina panchreſto abigere & arcere, ut ſoli eo fruantur qui ſunt in Clero. duplicem commemorat Origenes, utramque autem ſummam, è lectis et intellectis Scripturis, utilitatem: utraque excluſi prohibentur ii, quibus per ſummam nequitiem interdicitur, ne aliquid cõmercii cum Scripturis habeant. Hic Charitatem et συμπάθειαν multorum: tuam intelligentiam et prudentiam cogimur deſiderare. Et hæc per ocaſionem trium illarum Linguarum, uti volunt, in Eccleſiâ per Crucem ſanctificatarum. Quoniam verò ad finem ſecundum ſuam diſpoſitionem, 34. Domini Servatoris Illuſtriſſimus Baronius, quædam attulit, quæ ad hunc locum & quæſtionem propriè pertinent: Viſum eſt & illa hic adjicere, ne tam arctè cohærentia tanto ſpatio divulſa diſlocentur. Injicit autem ibi ſermonem, de duabus dotibus Eccleſiæ, quibus illam ſponſus, in die Conjunctionis æternæ dotatam voluit. Prior dos miracula edenda concernebat: altera, Poteſtatem habet exponendi & interpretandi Scripturas. quam Apoſtolis primò docet, & verè, Cardinalis collatam fuiſſe. tum verò ab iis & per eos transfuſam in Eccleſiam, nec aliquo tempore auferendam. Eccleſiam verò intelligit, proculdubiò, *univerſalem*, omnis loci & temporis, per totum terrarum orbem fuſam & propagatam. rectè hoc ipſum, nec vel ſugillandum, vel adducendum in quæ-

ſtionem.

ſtionem. Nullius ille, quod obſervat Exercitator, privatæ vel particularis Eccleſiæ mentionem facit, ut illi eam Dotem conſignaret. Nos hic inquit Bulengerus, cum Patribus aſſerimus, unam Eccleſiam eſſe Sanctam, Catholicam, Viſibilem, cui Scripturæ traditæ ſunt explicandæ: Fidelibus inſinuandæ. Quaſi nos idem ipſum non profiteremur, & accuratè tueremur. Mi homo, cum Chryſoſtomo & nos aſſerimus, *Totam victimam in unâ domo comedit, & nihil foras efferri licere docet, ſignificans, unam eſſe domum quæ in Chriſto ſalutem conſequitur: Ipſa autem erat Catholica Eccleſia totius orbis.* Itaq; utcunq; una plures erant Hebræorum domus, μίαν ἔχει δύναμιν, una præditi ſunt, eamque exercent poteſtatem: ut Eccleſiæ per Urbes & provincias plures numero, una tamen ſunt Eccleſia. Hanc verò dotem ſic collatam, ideò conſignatam Eccleſiæ docet, & hoc quoque rectè, Cardinalis, quia opus erit omnino Interpretatione, cùm propter altitudinem myſteriorum, & obſcuritatem, haud tam proclivis ſit illius intelligentia, quàm eſt, quod dici ſolet, imber cùm pluat. Eſt illa θεόπνευστος. πᾶσα ὠφέλιμος. κοινὸν τῶν ψυχῶν ἰατρεῖον. ſed illorum βυθὸς, ἡμῶν τὸ ἀσθενὲς non aſſequitur: inquit Baſilius. Quocirca de hoc ipſo γυμνάσματι, pauca, hic, paulo extra ordinem adjiciemus.

189. *De Scripturarum conditione.* Γραφαὶ μὲν ἅγιαι, καὶ πολιτεῖαι σώφρονες, σύντομοι σωτηρίας ὁδοὶ, ἀπεσφιγμένον ὑπὸ κακίας τὸν ἄνθρωπον ἀφελοῦσαι τὸν ὄλεθρον τὸν βιωτικὸν, μιᾷ καὶ τῇ αὐτῇ φωνῇ πολλὰ θεραπεύουσι, ἀποτρέπουσι μὲν ἡμᾶς τῆς ἐπιζημίου ἀπάτης, προτρέπουσι δὲ ἐμφανῶς εἰς σωτηρίαν. *Scripturæ ſacræ,* inquit Clemens ἱερὸς ἀνὴρ, ut Theodoritus loquitur, & ob πολυμαθείαν διαβόητος, *prudentiſſima illa & maximè cum modeſtia conjuncta politia, compendiaria ſalutis via, homines à malitia coanguſtatos, & pænè ſtrangulatos reſuſcitant, vitæ lapſus ſufflaminando, una eademque voce, multas noſtras ſanant infirmitates, ab errore conjuncto cum detrimento noſtro avocant, & damno manifeſto, ad ſalutem manifeſtam & in aperto poſitam excitant & adducunt.* Quocirca non immerito eodem idem loco ait, Ἤδη γὰρ οἶμαι πᾶσι τοῦ δῆλον γεγονέναι, ὡς τῶν χωρὶς τοῦ λόγου τῆς ἀληθείας ἐνεργούντων τι ἢ φθεγγομένων, ὁμοίων ὄντων τοῖς χωρὶς βάσεως βαδίζειν βιαζομένοις. Utcunque enim, Ἡ πίστις εἰσάξει, in æternas illas nimirum manſiones, ἡ γραφὴ nihilominus παιδαγωγήσει. arbitror ego cuique manifeſtum eſſe, quod ii qui ſine verbo veritatis aliquid operantur, aut loquuntur, ſimiles ſint iis qui ſine fulcro incedere contendunt. Ut ille olim de amicitiâ dicebat: Non igni, non aquâ, pluribus in locis utimur, quàm in rebus ad Deum & ſalutem ſpectantibus, Scripturâ. Quodſi lumen hoc in tenebris abſconderetur, aut luce vel nullâ, vel nimis tenuï & dubiâ νυκτοπορεύοντας illuminaret, vix lucerna dici pedibus noſtris, aut ad dirigendos in viam pacis greſſus noſtros, mereretur. Omnis prophetia, priuſquam habeat effectum, ænigmata & ambiguïtates ſunt hominibus. Cum autem venerit tempus, & evenerit quod prophetatum eſt, tunc Prophetiæ

In protrep. p. 22.

Digitized by Google

phetiæ habent liquidam & certam expoſitionem: ait beatus Irenæus Lib. 4. cap. 43. Illis qui obſcuritatem indiſtinctè, per omnia clamant, illud Baſilii Seleucienſis objicerem: Πλήρη μὲν γὰρ τὰ τῶν γραφῶν κηρία τοῦ μέλιτος· καὶ τὴν γλυκεῖαν δρόσον οἱ σίμβλοι διακόρως ἀποβλύζουσιν, ὥστε τοῖς ἐπιμέλεσιν ἐξεῖναι τούτους ἀπόνως ἐκθλίψασι τὴν τῶν ἀρετῶν μέθην εἰσοικίσαι ταῖς οἰκείαις ψυχαῖς. *Melle ſcaturiunt ſcripturarum favi, & rorem dulcem apiaria ſufficienter diſtillant, diligentes adeo ut poſſit ſine magno labore ebrietatem virtutum omnium expreſſam inde, in proprias ipſorum animas deducere.* fonti autem eaſdem et jugi puteo comparat: Εἰ γάρ τις ἐν αὐτῇ τὰς οὐρανίας φλέβας τῷ λόγῳ διασκάψαι θελήσειεν, ὄψεται πλέον γυμνούμενον τὸ ταμιεῖον τῆς χάριτος. Si quis in Scripturis venas cœleſtes effodere velit, per rationem, intuebitur is abundantiorem gratiæ theſaurum. Qui verò perſpicuitatem indiſtinctè loquuntur, in eos torquendum eſt Nazianzeni apophthegma, Εἰ μὲν τις θαῤῥεῖ, καὶ πάσης διανοίας ὑπολαμβάνει εἶναι, τοῦτον ἐγὼ τῆς συνέσεως, ἵνα μὴ λέγω τῆς ἠλιθίας, θαυμάζω. *Quodſi quis ita confidens ſit, ut dicat cujuſcunq; intelligentiæ tandem & capacitatis fuerit, Scripturas illi pervias eſſe, hunc ego ob intelligentiam, ne dicam fatuitatem, admiror.* Nam ut ſcitè Gregorius, *Scriptura ſacra, cibus eſt in locis obſcurioribus, quia quaſi exponendo frangitur, & mandendo glutitur: potus verò eſt in locis apertioribus, quia ita ſorbetur ſicut invenitur: ſed quomodo difficilis, ubi permeabilis*, doctiſſimè, ut ſolet, docet Auguſtin. epiſt. 3. *Tanta eſt Chriſtianarum profunditas literarum, ut in iis quotidiè proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritiâ, uſque ad decrepitam ſenectutem maximo ôtio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere. Non quoad ea quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tantâ in eis perveniatur difficultate, ſed cum quiſque ibi fidem tenuerit, ſine quâ piè, rectéque non vivitur, tam multa, tamque multiplicibus myſteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus reſtant, tantaque non ſolùm in verbis, quibus iſta dicta ſunt, verumetiam in rebus quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, ut annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet; cum conſummaverit homo, tunc incipit.* ſed cùm ea, quæ aperta ſunt, hoc eſt, prorsùs neceſſaria ad ſalutem: quæ nec poſſunt nec debent, ſine animi diſpendio ignorari. *Quaſi amicus familiaris*, ut ibidem is ipſe Auguſtinus habet, *ſine fuco ad cor loquatur doctorum & indoctorum*; In obſcuris & non ita perviis intelligendis cognoſcendiſque, quæſitum eſt, & partium ſtudiis vehementius quæſitum, quo duce, quo ductore, quo prævio authore innitendum ſit, ne à recto illorum ſcopo aberremus. Hoc veriſſimè poſitum ab Exercitatore, Illa hodiè in hâc lamentabili Dominici gregis laceratione, ingens eſt controverſia, omnium è tot Eccleſiis toto mundo diſperſis, una ſit aliqua, cui Scripturæ fuerint traditæ, & cui jus illas interpretandi conveniat. Bulengerus hic occurrit. *Nos contra cum Patribus aſſerimus*: quaſi contra Patrum conſtantem aſſertionem, quicquam aſſereret Exercitator.

Moral. 6.

Digitized by Google

Unam Eccleſiam eſſe ſanctam, Catholicam, Viſibilem, cui Eccleſiæ, Scripturæ traditæ ſint explicandæ, fidelibus inſinuandæ. Admiror, ſtupeo. quaſi quiſpiam contrarium aſtrueret. de Eccleſiâ Catholicâ nulla eſt, nedum ingens controverſia. Fatentur omnes, poſt Spiritum ipſum ſanctum, authorem Scripturarum, penes Eccleſiam eſſe παρακαταθήκην depoſitum illud: vel potius in Eccleſiâ Spiritum hoc fungi miniſterio, ſeu potius eſt αὐτοκρατορεία.

190. Chryſoſtomi illa ῥῆσις, quid probat? unam eſſe Eccleſiam Catholicam totius orbis. hominem ineptiſſimum te, qui tam ridiculè, & lectorum otio, & tuo negotio abuteris. de particularibus agebat Eccleſiis Exercitator. Puta Romanenſium & Proteſtantium: Germanicis, Italicis, Gallicis, Belgicis, Anglicanis & quibuſcunque in hac univerſali διασπορᾷ et communione Catholicâ in Chriſtum Jeſum. Hic tu ipſo Pythagorâ *taciturnior.* Κρύψις illa tua falſa, futilis eſt. Romana enim Eccleſia Particularis eſt. non eſt Catholica. ἀγαπητὸν, ſi vel membrum illius: ſanum membrum profectò, et ὑγιὲς uſquequaque non eſt. Anglicana Eccleſia particularis eſt. cæteræ quoque omnes in eodem cenſu numerari, & citari debent. quæ tamen & ipſæ, ſuos habent nævos. Quæratur inter iſtas, ut reverà quæritur, quæ divinas Scripturas intelligat è duabus rectius: penes quam depoſita ſit, illa dos interpretationis: ubi ſit iſte Spiritus, à cujus magiſterio negotium pendeat & tranſigatur. Nos exiſtimamus, ait magnus magiſter Controverſiarum, hunc ſpiritum eſſe multis privatis hominibus ſæpè conceſſum. Ita quoque & nos tecum exiſtimamus, licèt modo & menſurâ non iiſdem: tamen certò inveniri in Eccleſiâ. Certò, & certum atque infallibilem in Eccleſiâ. ſed *id eſt*, tuum non perinde certò admittimus, *In Concilio Epiſcoporum:* nedum omninò, *id eſt,* confirmato à Pontifice: id eſt, paſtore cum paſtoribus: id eſt, ſcrinio pectoris Pontificii. in crucem, vel infernum, iſtos, id eſt, ſpiritum ſanctum loco movent, Eccleſiam ſanctam Catholicam in ordinem cogunt: tyrannidem in humanas conſcientias intolerabilem: Antichriſtum introducunt in regnum Chriſti. Nos exiſtimamus in rebus dubii juris, & Fidei, (nam de iis quæritur) controverſæ dotem hanc vel ſpiritum διακριτικὸν penes Eccleſiam univerſalem primo reſidere: tum penes Eccleſiam repræſentativam, ut Romanus quoque Pontifex tanquam pars & quidem præcipua includatur: tum penes Eccleſias particulares. (ſpiritum ſolum Enthuſiaſticum: ſpiritum privatum Catharorum, in morboniam jubemus proficiſci.) ſed ſemper, ut dicebam, modo, menſurâ, aſſiſtentiâ, & influentiâ inæquali. Laudamus ergo tibi Auguſtinum: *Quiſquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, Eccleſiam de illâ conſulat, quam ſine ullâ ambiguitate, Scriptura ſacra demonſtrat.* contra Creſcon. 1. 33. Laudamus Vincentium Lirinenſem. *Hic forſitan requirat aliquis, cùm ſit perfectus Scripturarum*

Digitized by Google

ratum Canon, quid opus ut ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ laudetur authoritas? Quia videlicet ſacram Scripturam pro ipsâ ſui altitudine, non uno modo, eodemve ſenſu omnes accipiunt, ſed eadem eloquia aliter atque aliter alius interpretatur, ut pene quot homines ſunt, tot illis ſententiæ erui poſſe videantur. Atque iccirco multum neceſſe eſt, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur. Normam verò illam cum Vincentio intelligimus, Conciliorum decreta, conſenſum Patrum, & ſimilia. Hæc cùm veriſſimè dicantur de Eccleſiâ, ſtultè intelliguntur ſubaudita de Romanâ Pontificiâ Eccleſiâ: quaſi eſſet in confeſſo poſitum, aut firmiſſimis argumentis demonſtratum, Catholicam Eccleſiam & Romanam dici ἀντιστρεφόντως; aut Dei villicus, Chriſti vicarius apud Tertullianum, Pontifex, pater, ſponſus, princeps, monarcha, univerſalem obtineret et ἀνυπεύθυνον principatum. *Paſtores ſunt multi*, ait Cyprianus, (tacet omninò de, imò refragatur apertè, de uno aliquo) *unum tamen gregem paſcimus: et oves univerſas quas Chriſtus ſanguine ſuo & paſſione quæſivit, colligere & fovere debemus.* Extra Eccleſiam poſito non eſt ſalus, ſed univerſalem. Extra Romanam poſito æquè ſalus eſt, in Alexandrinâ, Antiochenâ, atque in Romanâ. neque enim illæ unquam ad Romanam pertinebant, & Deus non eſt προσωπολήπτης. *Extra Eccleſiam Catholicam conſtitutus, ἄθεος eſt, Paganus eſt. Hæretici in Eccleſiâ conſiſtunt, non tamen de Eccleſiâ participant. Paria nobiſcum ſacramenta celebrant, ſententia tamen diſpares, & errores ſuos animoſius defendentes quàm cautius corrigere volentes, excluduntur à Catholicâ communione. In thuribula alienum ignem imponunt. zizania ſunt inter triticeas ſpicas. paleæ ſunt in Dominicis horreis. Baptizare & ordinare poſſunt:* quæ omnia & plura de Hæreticis Auguſt. qui & fratres appellat Pelagianos, de verb. Apoſt. ſer. 14. & Hæreticorũ appellatione non denigrat. Illa enim veterum ἐπιείκεια in nullâ re ſimilis eſt Pontificiorum ſuperbiſſimæ, & truculentiſſimæ ἀλαζονείᾳ. *Illis ſpem omnem præcidimus*, inquis. Illis: quos præſumptâ opinione, hæreticos præſumitis eſſe, nõ probatis. Quid ſit Hæreſis, hoc omninò definire difficile eſt, cenſore Auguſtino, & ideò cavendum, cùm omnes in numerũ redigere conamur, ne prætermittamus aliquas, cùm hæreſes ſint, aut annumeremus aliquas, cùm hæreſes non ſint. Contigit hoc Philaſtrio & Epiphanio: quorum ille, non ignoras, inter hæreſes ſentiebat reponendas, quæ nihil minus quàm hæreſim ſapiunt opiniones. *Qui in Eccleſiâ Chriſti morbidum aliquid pravumq; ſapiunt, ſi correpti ut ſanum rectumq; ſapiant, reſiſtant cõtumaciter, ſuaq; peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici fiunt, et foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis.* de Civ. Dei, 18. 51. Hæreticis hiſce, rectè nihil ſpei relinquitis, στῆλαι γάρ εἰσι καὶ τάφοι νεκρῶν, ἐφ' οἷς γέγραπται μόνον ὀνόματα νεκρῶν ἀνθρώπων. Qui verò ἄλλῳ ὀνόματι καλεῖται πλέον Χριστοῦ, οὗτος οὐκ ἔστι τοῦ Θεοῦ, ut Ignatius ait. rectène Chriſtianos appellatis? quia licet

Ad Quod v. It Deum. Tom 6.

Chriſti nomen apud eos inveniatur, ſi Chriſtum non habent in fundamento: Satanæ ſunt potius παραφυάδες. ſed hæc cùm veriſſimè dici poſſint omnia, ſtultiſſimè à veſtris uſurpantur, qui cùm ſitis inter Hæreticos imprimis cenſendi, ut odium & infamiam amoliamini, nominis invidiam, quaſi per anticipationem, in alios derivatis. Verbis autem Auguſtini te tuóſque gregales compellabo. *Impetremus ſi poſſumus, à fratribus noſtris* (Pelagianos ille voluit, nos Papiſtas) *ne nos inſuper appellent Hæreticos, quod ipſos talia diſputantes, nos appellare poſſumus, ſi vellemus, nec tamen appellamus. Nimium eſt quo progrediuntur, multum eſt, vix ferendum eſt, magnæ patientiæ adhuc ferri. Non abutantur hac patientiâ Eccleſiæ, corrigantur; bonum eſt: ut amici exhortamur, non ut inimici, litigamus. Detrahunt nobis, ferimus*; ſed audi Bulengere, non ſemper, bonus animus læſus gravius iraſcitur. Qui incuſat alterum, ſe intueatur, ne audiat Sophocleum illud.

> Φιλεῖ γὰρ τοιοῦτος γλῶσσαν ἐκχέας μάτην
> Ἄκων ἀκούειν, οὓς ἑκὼν εἴπῃ λόγους.

191. De Scripturis bene monet, aſſentior, Ambroſius, *Hæreſes oriri è ſententiâ Scripturæ, non intellectâ, ſed ab iis adulteratâ.* inde enim portentum tranſubſtantiationis: inde ὁρμαθὸς ille opinionum Pontificiarum. *Homines enim minùs intelligentes, quid propter quid dicatur, potentes volunt habere ſententias, & Scripturis non diligenter ſcrutatis, cum arripiunt defenſionem cujuſvis opinionis, ab eâ, vel nunquam, vel difficile inflectuntur, dum docti atque ſapientes magis putari, quàm eſſe concupiſcunt:* ut ſapienter obſervat Auguſtinus.

Epiſt 174. Conſuluimus verò Clementem illum, Bulengere, virum ſine controverſiâ, de Eccleſiâ Chriſti, & omni doctrinarum genere præclariſſimè meritum. Nihil Clemens, quod te juvet, nos pungat. Hæreticorum fraudes & impoſturas, & τῶν ἁγίων γραφῶν μαγγανείας deſcribit: apud nos illæ præſtigiæ non inveniuntur: Italicæ ſunt omnes & urbanæ. Attende enim quàm noſtras partes agat ille vir cum paucis eruditus. Εἰκότως τοίνυν πίστει περιβάλλοντες, ἀναπόδεικτον τὴν ἀρχὴν ἐκ περιουσίας, καὶ τὰς ἀποδείξεις παρ' αὐτῆς τῆς ἀρχῆς, περὶ τῆς ἀρχῆς λαβόντες, φωνῇ Κυρίου παιδευόμεθα, πρὸς τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας. Quocirca non immeritò Fidei circumhærentes, principium indemonſtrabile ex abundantiâ, & demonſtrationes, ab ipſo principio, de principio, ſumentes, Dominicæ voci credimus, ad cognitionem veritatis. Audis vocem Domini, ducem ad veritatem, non Pauli neſcio cujus Borgheſiani. audis ipſummet principium, de ſe principio, Deum de Deo in ſcripto ſuo verbo, demonſtrantem, non traditiones incertas, humanas, vanas. Pergit autem: οὐ γὰρ ἁπλῶς ἀποφαινομένοις ἀνθρώποις προσέχομεν, οἷς καὶ ἀνταποφαίνεσθαι ἐξ ἴσης ἔξεστιν. εἰ δ' οὐκ ἀρκεῖ μόνον ἁπλῶς εἰπεῖν τὸ δόξαν, ἀλλὰ πιστώσασθαι δεῖ τὸ λεχθὲν, οὐ τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀναμένομεν μαρτυρίαν, ἀλλὰ τῇ τοῦ Κυρίου φωνῇ πιστούμεθα τὸ ζητούμενον. Non enim ſimpliciter aſſerentibus hominibus attendimus: quibus ex æquo licet, contrarium ſtatuere.

Quodſi

Digitized by Google

Quodſi non ſufficiat nudam tantummodò opinionẽ proferre, ſed quod dicitur, oportet confirmare, hominum teſtimonia non moramur. ſed, à Dominicâ voce, firmamus, id quod verſatur in quæſtione. Quaſi vox illa Domini eſſet, ut eſt ἀποδεικτικωτάτη, cui ſoli teſtimonio aſſurgere debeant, quotquot alia ſunt, aliundè teſtimonia humana. ita enim ſequitur in Clemente, Ἡ πάντων ἀποδείξεων ἐχεγγυωτέρα, μᾶλλον δὲ, ἡ μόνη ἀπόδειξις οὖσα τυγχάνει. Nec contentus hæc dixiſſe, planè veſtras in Scripturas contumelias jugulat, Οὕτως οὖν καὶ ἡμεῖς ἀπ' αὐτῶν περὶ αὐτῶν τῶν γραφῶν τελείως ἀποδεικνύντες, ἐκ πίστεως πειθόμεθα ἀποδεικτικῶς. Ita igitur nos, ab ipſis Scripturis, de Scripturis, perfectè demonſtrantes, è fide, demonſtrativè, perſuademur: Neque præter Scripturas divinitùs inſpiratas hæreſium ἐλεγκτικόν τι, admittit Clemens. Κἂν τὸ βεβαιοῦν ἕκαστον τῶν ἀποδεικνυμένων κατὰ τὰς γραφὰς ἐξ αὐτῶν πάλιν τῶν ὁμοίων γραφῶν. Veritatem ait in eo ſitam, ut è ſacris ſimilibus Scripturis demonſtrentur illa omnia, quæ de Scripturis ſacris afferuntur. Hæc cujus partis dogmata agnoſcis lector? vide cætera libentiſſimè apud Clementem, & agnoſces, quàm ſuo ſe jugulet gladio Bulengerus, Bellerophonteo quodam uſus teſtimonio. ſed magna Veritatis vis eſt, & ineluctabilis efficacia. Veram ille Scripturarum intelligentiam, non ab Eccleſiâ eo loco, ſed è Scripturis petit Clemens. quamvis nos conditionem non abnuimus, ut petatur ab Eccleſiâ: ſed Eccleſiâ Catholicâ, non particulari Romanâ: Eccleſiâ, non factione in Eccleſiâ. ab integritate membrorum omnium, non partialitate debilium & malè ſanarum partium in Eccleſiâ particulari. Piè Hieronymus & eruditè, de *cortice*, & *medullâ: nuce*, & *nucleo* Scripturarum. Εἰ γάρ τις μὴ μετὰ μεγάλης χάριτος τῆς παρὰ Θεοῦ λάβοι νοῆσαι τὰ εἰρημένα καὶ γεγενημένα ὑπὸ τῶν προφητῶν, οὐδὲν αὐτὸν ὀνήσει τὸ, τὰς ῥήσεις δοκεῖν λέγειν. Niſi enim quis cum eximiâ Dei gratiâ, accipiat, vel intelligat quæ dicuntur & fiunt, à Prophetis, nihil ei proderit, quod videatur verba proloqui. Ipſi enim Judæi, contra quos hoc effatum Juſtinus Martyr proferebat, literam & expreſſam Prophetarum dictionem tenebant, gratia verò Dei deſtituti, dictorum ſenſum & ſententiam non conſequebantur. Elegans eſt autem Gregorii ſimilitudo; quâ rem eandem ſcitè admodum exprimebat. *Qui chordarum harmoniam temperant, tantâ hanc arte diſpenſant, ut plerunque cum una tangitur, longè alia, ac multis interjacentibus, poſita chorda quatitur: cumque iſta ſonitum reddidit, illa quæ in eodem cantu temperata eſt, aliis impercuſſis tremit. ſic in Scripturis ſacris obſervatur, ut dum loquendo, aliud inſinuat, aliud tacendo innoteſcat.* Moral. in Job. 8. 4. Aſſentior eſſe Scripturam; *Librum ſcriptum, intus & extra*, ut cum tuo ipſius Hieronymo loquar: eſſe quoque Librum obſignatum: οὐδὲ γὰρ ῥᾷστον ἀρρήτων ἐπέων πύλας ἐξευρεῖν, ut Bacchylidis uſurpem apud Theodoretum in ἀθεραπευτ. dictum. Et cum inveneris, non eſt in promptu & proclivi poſitum ſubintrare, niſi is qui clavem habet domus Dei, aperiat & intromittat. Non eſt enim quod diximus, privatæ

interpretationis Scriptura: Claviger autem ille, non eſt Eccleſia: id eſt, Pontifex: ſed Eccleſia: id eſt, Spiritus ſanctus in Eccleſiâ: ſed Eccleſia, id eſt, Jeſus ille Chriſtus, author, ſponſus, parens Eccleſiæ, qui invenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit eam Jacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Rectè & prudenter Catechiſtes Hieroſolymitanus, Δεῖ περὶ τῶν θείων καὶ ἁγίων τῆς πίστεως μυστηρίων μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῶν θείων παραδίδοσθαι γραφῶν. μηδὲ ἁπλῶς πιθανότησι καὶ λόγων κατασκευαῖς παραφέρεσθαι. Μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταῦτά σοι λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς, ἐὰν τὴν ἀπόδειξιν τῶν καταγγελλομένων ἀπὸ τῶν θείων μὴ λάβῃς γραφῶν. *De divinis & ſacroſanctis Fidei noſtræ myſteriis, ne tantillum tradendum eſt, vel ſuſcipiendum, abſque ſacræ Scripturæ teſtimonio. Neque par eſt, ut ſimpliciter ſermonum perſuaſibilibus, aut ornatu & apparatu aliquo circumferamur. ſed neque mihi, qui hæc proloquor, velim fidem adhibeas ſimpliciter, niſi unâ & eorum demonſtrationem quæ annuntiavero, è ſcripturis ſacris acceperis.* Hoc vos, veſtri, non facitis Bulengere, non ferre poſſunt, ſed ut ſcitè olim de nonnullis Dio Chryſoſtomus dicebat, τὸν Διὸς θεσμὸν πάλαι παρέβητε· τὸν δὲ τοῦ δεῖνος καὶ τοῦ δεῖνος ὅπως μηδεὶς παραβήσεται σκοπεῖτε. *Id agitis, ut hujus hominis atque illius leges & ſcita nemo violet, cùm Dei ipſius mandata olim violaveritis.* ita olim illi Judaïcæ ſuperſtitionis carcinomata, Jeſu Chriſti hoſtes juratiſſimi, qui ſua τὰ τῆς δευτερώσεως ἐπείσακτα, ut appellat Clemens, ὁ διατακτής, id eſt, acroamata & cabala neſcio quæ ad Legem & Prophetas, velut imperfectos, ſubinvexerunt. Ita vomicæ Hæreticorum Gnoſtici, qui traditionem non per literas deductam, ſed vivam vocem appellabant: hoc eſt, ſuam ipſorum fictionem: ut vos, Bulengere, Eccleſiam, id eſt, Pontificem, appellatis. alioquin, Eccleſia nobis ſanctum nomen. στύλον & ἑδραίωμα veritatis. Traditio Eccleſiæ, & praxis Veterum: hoc eſt, *ut cum Lirinenſi loquar, *Eccleſiaſticæ intelligentiæ authoritas*, in immenſo illo pelago divinarum literarum Cynoſura eſt, *Quo duce, nocturno fidunt Phœnices in alto.* ſed jam tandem ad Chriſtum, & ad Crucem revertamur.

192. *De potu Servatoris in Cruce.*

Verùm arbitror, bis ad minimum ante expirationem ſuam, in loco Calvariæ Chriſto potum oblatum fuiſſe. primâ vice, ante σταύρωσιν. cujus ſolus Marcus, & non Matthæus meminit, ut vulgò credunt, & pronunciat Exercitator. ſecundâ, cùm eſſet ἐσταυρωμένος, paulò antequam efflaret animam. Marci verba ſunt: *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha: quod eſt Calvariæ locus.* ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον κρανίου τόπος. καὶ ἐδίδουν αὐτῷ πιεῖν ἐσμυρνισμένον οἶνον· ὁ δὲ οὐκ ἔλαβε. Matthæus autem ait, ἔδωκαν αὐτῷ πιεῖν ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον. καὶ γευσάμενος οὐκ ἤθελε πιεῖν. Miror, viros eruditos, Matthæum & Marcum, ὡς ἓν γεγραφότας recitare. Quicquid enim fuerat οἶνος ἐσμυρνισμένος, certè acetum non erat. nec deguſtatum recuſavit, quod Matthæus narrat de ſuo *aceto & felle.* ſed ἁπλῶς recuſavit. Matthæus ergo, Lucas, & Johannes de unâ & eâdem potione poſtulatâ, in Cruce, loquuntur. Marcus ſolus, de alterâ, non poſtulatâ, oblatâ autem ante Crucem. hic multa diſputantur, à Baronio,

Digitized by Google

Baronio, è ſuo Marcato: et contra Baroninm, cùm de vino myrrhato, & Myrrhinis vaſis per Nicolaum Guibertum, Lotharingum Medicum, & Caſaubonum Exercitatorem. quæ longum nimis eſſet particulatim recenſere. Guibertus imprimis tuetur contra Cardinalem, Myrrham illam antiquorum, non eſſe id quod Indi hoc tempore *Benzin* appellant, officini *Benſavin*, quod Amatus Luſitanus olim exiſtimaverat, apud Dioſcoridem. ſecundò, vinum myrrhatum, non eſſe ἐσμυρνισμένον, in vaſis myrrhinis exhibitum: & inde arreptâ occaſione, contra Baronii longam ſatis & impertinentem de myrrhinis digreſſionem diſputat. quam nos non attingimus, non minus quam Exercitator. Tertio, ex illâ origine, quod Matthæus & Marcus de eâdem potione loquantur, ab omnibus diſſentit: nuſquam conſiſtit: neſcit opinor, quid ſtatuat. tantum hoc vult. Chriſto Salvatori, videtur fuiſſe exhibitum, ex odio potius & ad irriſionem Caſaubonus rectè ſtatuit ex Hebræorum conſuetudine profectum, quod Servatori, in ipſo articulo quo fuit crucifigendus, poculum illud exhibitum arbitratur. in quam rem citat, è Fagio Teſtimonia Rabbinorum. quibus in hac re, ut populari, cur Fides non adhibeatur, non video, utcunque alias eſſent projectiſſima mendaciorum mendicabula. hujus uſum declarant fuiſſe ut morituro rationis uſus tolleretur. hoc ſentiebant doctiſſimi duo viri, Nicolaus Faber, & Maldonatus, & cum iis Toletus Cardinalis. Refellit hoc Guibertus, quod nulla vis ejuſmodi mitigandi dolores, aut ſtuporem quendam inferendi, myrrhæ inſit. At hoc falſum docet Dioſcorides. δύναμιν, inquiens, ἔχει θερμαντικὴν, καρωτικὴν & στυπτικήν. ſecundò, ait, ſi de more uſitato ſupremo ſupplicio afficiendis potus ejuſmodi præbebatur, tum & latronibus præbitus fuiſſet. Reſpondeo: præbebatur. Nec obſtat quòd non ſcribitur. nam refertur Chriſti potatio, quia recuſavit. ſumere autem noluit, ne inimici dicerent, vi potus illius ſtyptici extra mentem motum: aut minus doloris ſentiret. aut quòd imprimis illi curæ fuit, ne ulli humano præſidio inniteretur. ideò recuſavit: non quod felle offenſus, ut ingratum repulit: nam non guſtavit, nec admiſit. quæ Circumſtantiæ omnino ſunt conſiderandæ. At urget Guibertus: Latrones non fuiſſe mente motos in Cruce. ridiculè. Nemo ſentit ideo datam hanc potionem, ut furerent, debaccharentur: planè ſtupidi efficerentur: ſed ut exhilarato corde, & refectis viribus, tormenta & cruciatus minus ſentirent. Et huc rectè applicat, è fine ſcilicet, illud è Proverbiis. Date ſiceram mœrentibus, quicquid illudat Guibertus. Quocirca rectiſſimè viri eruditi, Baronius, Toletus, Marcatus, Maldonatus, Suarez, Caſaubonus exiſtimant, de more, oblatum moriturienti vinum illud ἐσμυρνισμένον. ſed non ab illudentibus militibus. non à mulieribus paratum. non felle mixtum, aut aceto dilutum. ut illi ipſi, vel plerique ex illis, in parte, vel in toto credidere. de aceto & felle, ſuo loco.

Acto

193. *Veſtimenta diviſa.* Acto in Crucem Servatore, veſtimenta ejus (nam etiam apud nos crucianorum veſtimenta ad Carnifices ſpectant) milites inter ſe dividebant, in quatuor partes, ita ut quiſque miles ſuam partem ſibi particularem ſumeret: Tunicam non diviſerunt, cùm eſſet inconſutilis, deſuper contexta per totum. ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄῤῥαφος, ait Euangeliſta, Johan. 19. 23. ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου, deſuper contexta per totum. id eſt, ab ora ad talos, textoris non ſutoris alicujus ope. Volunt quidam textricem fuiſſe Beatam Virginem. nec abludit à vero: cùm frugi matres familias, domi ſoleant etiamnum, laſciviente ſæculo, nedum illo auſtero, è ſuo penu familiæ veſtimenta providere. et fuiſſe hanc texturam Galilæis in uſu, docet Beatus Iſidorus Peluſiota, indice Baronio, Lib. 1 Epiſt. 74. In veſtibus Aſcetarum non vult omnino admitti βλακείαν, λεπτότητα, καὶ εὐχροίαν. eſſe enim contra canonem τῆς κατὰ Θεὸν ἀσκήσεως, probat à tunicâ inconſutili ſervatoris. Εὐαγγελιστὴν Ἰωάννην τὸν θεολόγον, τὸν τοῦ κυρίου διαγράφοντα χιτῶνα. & poſt appoſita verba Euangeliſtæ. Τίς δὲ ἀγνοεῖ τὴν εὐτέλειαν τῆς ἐσθῆτος ἐκείνης, ἥνπερ οἱ πτωχοὶ κέχρηνται τῶν Γαλιλαίων, καθ' ὃ καὶ μάλιστα τὸ τοιοῦτο φιλεῖ γίνεσθαι ἱμάτιον τέχνῃ τινί, ὡς αἱ σινδονοποιίδες ἀνάρραπτον ὑφαίνουσιν; Hanc non diviſerunt, ſed ſorti cui cederet, è quatuor militibus permiſerunt. Erat autem ſortis genus digitorum micatio, ut exponit Nonnus,

Δάκτυλα χειρὸς ἀφειδὲς ἐκβάλλε σύμβολα νίκης.

Et erat micatio ſortis quædam ſpecies. *Micandum erit cum Græco*, ait M. Varro, *utrum ego illius numerum, an ille meum ſequetur.* id eſt, ſortiendum eſt. de veſtibus & ſervatoris & aliorum, multa congeſſit Exercitator, quem vide. Patres pie in ſciſſura tunicæ iſtius inconſutilis, ad ſchiſma in Eccleſiâ, ſive contra Fidem ſeu contra charitatem factum referunt. Et Chriſti veſtem ſcindere, eſt Eccleſiam ſic diviſã, divulſam, lacerare apud illos. *Ita duplicat* Epiphan. cum ait, ſchiſma eſſe vel τῆς γνώμης, vel τῆς ἑνώσεως. Utrumque χείριστον. & illorum σαυχλήσεια, χιτῶν ἀπωλεία, Eulogius apud Photium, Ἰουδαίοις πρέπει τὸ σχίζεσθαι, inquit Baſilius, ἡ δὲ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία, τὸν χιτῶνα τὸν ἄρραφον, τὸν ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸν δεξαμένη, τὸν ἄσχιστον ὑπὸ στρατιωτῶν διαλαχθέντα, ἡ Χριστὸν ἐνδυσαμένη μὴ σχιζέτω τὸ ἱμάτιον. ſunt ergo ſchiſmatici carnificibus illis pejores. Omnino autem oportet detractis veſtimentis, Chriſtum nudum, in crucem agi, uti de more fuit, & paſſim pingitur: tantummodo, ſecretiores partes velabantur ſindone.

De Mar. Mamante. pa. 599.

194. Acti ſunt cum eo in Crucem duo latrones. viarum ſcilicet Inſidiatores, qui multi licentiùs per Judæam graſſabantur. Iſti ambo imprimis, cum ſpectatoribus, & prætereuntibus maledictis & conviciis putantur Chriſtum procidiſſe. Marcus enim loquitur ἀπολελυμένως, & qui cum eo Crucifixi erant, conviciabantur ei. ſed viſa Chriſti patientia, & multis alioqui miris animadverſis, alter, reſipiens converſus eſt, & ſocium objurgabat. mihi autem videtur ille nequaquam ne ab initio Chriſtum maledixiſſe. Neque enim Marci illa phraſis id neceſſario evincit. ſin

Digitized by Google

ſin vero maledixit & is, etiam latro fuit, & ſocius latronis. Deus autem cujus Nomen, *Ego ſum qui ſum.* nec ad *Fuit*, nec ad *Erit*, ſed tantum ad *Eſt*, in hominibus reſpicit. Cum ergo ille in Teſtimonium Fidei diceret, *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum*, Servator ſtatim mercedem Fidei rependens ait, *hodiè mecum eris in Paradiſo.* Quam velox Miſericordia? tardius votum precantis quàm remunerantis præmium. ſed κατὰ τὸ ἔργον, Nam mirabilis fuit iſtius Latronis fides & Confeſſio. Chriſtum vidit in Cruce, pendentem, vulneratum, nudum, contemptum, opprobriis affectum, Regem tamen eſſe profitetur, inquit Chryſoſt. *Confitetur latro*, verba ſunt Ambroſii, *quem diſcipulus abnegavit.* & Aug. ſerm. 130. de Tempore, *Quid dicis? Crucifixus es Domine? & Paradiſum promittis? Ita inquit Dominus, ut in ipſa Cruce virtutem meam agnoſcas. Quoniam res hæc triſtitia videbatur, ut non in Cruce lignum attendas, ſed virtutem ejus, qui Crucifixus eſt, dicas. In Cruce, hoc miraculum operatus eſt: undè maximè potentiam ſuam declarat omnipotens, non mortuum reſuſcitans: non mari & ventis imperans: non Dæmones ejiciens: ſed Crucifixus, deriſus. atque contemptus: longo ſcelerum uſu obduratam Latronis mentem immutare prævaluit. ut ex utroque virtutem ejus inſpicias. In eodem enim tempore paſſionis Crucifixus, univerſam turbavit Creaturam, & Saxa dirupit. duriorem verò lapidibus animam attraxit pariter & honoravit.* Confitenti enim mercedem promittit. Hodiè mecum eris in Paradiſo.

De Paradiſo multa diſputantur: & primùm notio nominis rei Naturam deſignat. eſt enim hortus, aquâ vivâ irriguus. 195.
παρὰ τὸ δεύω, hoc eſt βρέχω, ait Etymologus. aut potius ab Hebræa voce *pardes*, quæ ſignificat hortum aut pomarium, Nehem. 2. Eccle. 2. & Cant 4. ab illa Syri, Chaldei, & Perſæ, hortos amænos & aquis irriguos Paradiſos vocabant: quàm vocem à Perſis mutuati ſunt Græci. Pollux lib. 9. ca. 3. hoc agnoſcit. Οἱ δὲ Παράδεισοι βαρβαρικὸν εἶναι δοκοῦν τοὔνομα· ἥκει δὲ κατὰ συνήθειαν εἰς χρῆσιν Ἑλληνικὴν, ὡς καὶ ἄλλα πολλὰ τῶν Περσικῶν. Prima ejus mentio, in primo rerum initio, Gen. 2. *Plantaverat autem Deus Paradiſum voluptatis in Eden.* Quem locum Philò, Origenes, & Franciſcus Georgius non omnino ſecundum literalem & Grammaticalem ſenſum, ſed allegoriſantes exponunt. de loco, in quo plantavit eum Deus, garriant alii, qui tamen agnoſcunt corporalem. A longè remotum ſtatuunt ultrà Oceanum. unde comminiſcuntur, Ejectum Adamum in noſtras haſce terras, vadantem Oceanum, tantæ ſcilicet molis & ſtaturæ fuit Gygas, perveniſſe. alii aëreum vel æthereum locum ſomniant. Damaſcenus vir eruditus, de Fide Orthodoxa ca. 11. ita ineptit. *Eſt locus Dei manibus in Eden, ad Orientem mirabiliter conſitus: omnis lætitiæ ac voluptatis promptuarium, omni terra excelſior: optimâ temperie cæli: aere ſubtiliſſimo & puriſſimo, plantis ſemper virentibus, ſuaviſſimumque odorem ſpirantibus: plenus lumine:*

univerſa

univerſæ ſenſibilis venuſtatis & pulchritudinis excellens intelligen-
tiam. Divinus profectò locus, mirificè congruens primi hominis dig-
nitati. in quo nullum animal habitat, ſed ſolus Divinarum manuum
factura, Homo. Rupertus cap. 37. de Trinit. ad cœlum pertin-
gere putat. alii ultra Lunæ globum non evehunt. & ſunt qui,
fortè cùm Luciano, in ipſo Lunæ globo fabulantur conſitum.
Bonaventura minus ridiculè, ſub Æquinoctio locat. Doctiſſimus
Controverſor Cardinalis, de ſitu, & τῷ ubi Paradiſi, quatuor
recitat opiniones. 1. Paradiſum fuiſſe totam terram, ambitu
ſuo extenſam. 2. Eſſe extra terram habitabilem. Eſſe in Lu-
næ globo. Diluvii tempore interiiſſe. Communis hodie opinio
est, plantatum fuiſſe in Meſopotamia, & aquis Diluvii deforma- *De Paradiſo.*
tum diſparuiſſe. Ἀβροδίαιτον ἐνδιαίτημα. vocat Baſilius Seleucienſis.
et ὁ τῆς τρυφῆς παράδεισον, Clemens in διαλογ. Juſtinus Martyr in
parænesi, et Homero agnitum, ſaltem per tranſennam opinatur,
in horto quem deſcribit Alcinoi. Commenta, commentantium
allegorias et fictiones, Chryſoſt. hom. 13. in Gen. refellit. Ideo
Moſes deſcribens Paradiſum, et nomen loci, in quo erat, ſcilicet
Heden: et plagam Orientalem quam ſpectabat, et nomina flu-
minum, è Paradiſo egredientium fore nota omnibus tam ſub-
tiliter et accuratè enarravit, ut non liceat nugari volentibus
decipere ſimpliciores, dicendo, nullum fuiſſe in terrâ Paradiſum,
ſed in Cœlo; et alias fabulas, ſuaque ſomnia jactando. Nam ſi
cùm Moſes tantam in deſcribendo Paradiſo diligentiam poſu-
ërit, nihilominus tamen fuere nonnulli fabulantes, non fuiſſe
in Terrâ Paradiſum, multaque alia, à doctrinâ Moſis alieniſſima
inducentes, et verba ejus aliorſum, quàm dicta ſunt detorquen-
tes, quid futurum fuiſſet, ſi non tam minutatim, tam dilucidè,
tandem tam enucleatè Paradiſum deſcripſiſſet? Et tamen ſum-
mus vir Baſilius, non multum videtur ab illorum ſententia re-
ceſſiſſe, in libro quem ſcripſit de Paradiſo. ait enim, ὑπερκείμενα τῆς
ὅλης κτίσεως. θαυμαστὸν τῷ κάλλει. ἐν περιόπτῳ κείμενον. ἀνεπισκότητον διὰ ὕψος. πα-
σαῖς ταῖς τῶν ἄστρων ἀνατολαῖς καταλαμπόμενον. ſuper omnem ſublatum
Creaturam: pulchritudine admirabilem. in ſpeculo poſitum.
propter altitudinem, tenebris non oppanſum: omnibus ſtellis
exorientibus illuſtratum. Quæ certè illum attollunt ſupra ter-
ram, et ſaltem in aere locant. An verò locus ille nunc ſuperſit,
varie diſputant. omnino mihi non extare videtur. licet con-
trarium voluerit Auguſtin. To. 7. Lib. 1. ca. 3. de peccatorum
Meritis. *ſi & his ſuſtentaculis opus eſt, ita fortaſſis in Paradiſo*
paſcuntur, ſicut Adam priuſquam propter Peccatum, inde exire me-
ruerat. de Moyſe & Eliâ loquitur. Hoc tamen poſito, Paradiſum
realem, & quidem terreſtrem locum fuiſſe, ubicunque tamen
terrarum ſitum, negandum non eſt, fuiſſe, ſed & eſſe Paradiſum
cœleſtem, & ſpiritualem, animabus Beatis receptaculum &
promptuarium, ubi æternâ Dei, & Beatificâ fruuntur viſione. de
quo Paradiſo, & non illo plantato apud Eden, Servator ad La-
tronem

Digitized by Google

tronem intelligendus, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Κἂν χωρίον τι νοήσῃς δεκτικὸν τῶν ἁγίων, ἐν ᾧ πάντες οἱ ἐπὶ γῆς διαλάμψαντες ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς, ἀπολαύοντες τῆς τοῦ θεοῦ χάριτος, καὶ τῆς ἀληθινῆς καὶ νοητῆς τερπνότητος διαιτῶνται, οὐκ ἀποπίπτεις τῆς πρεπούσης περὶ αὐτοῦ εἰκασίας: ſi locum acceperis, recipiendis ſanctis, in quo ſinguli, qui in terrâ olim bonis operibus illuſtrabantur, in divinæ gratiæ fruitione ſunt, in deliciis agunt veris, et intelligibilibus ſanè; haud quaquam excides è conjecturâ quæ ei congrua et conveniens eſt. inquit Baſilius in fine Orat. de Paradiſo. Hoc itaque ſenſu ſpirituali duplicem ſtatuimus vocis analogiam. Quoad certum et definitum *locum*. quoad *ſtatum* fœlicem et conditionem. Loquitur autem de Cœleſtibus, et captum adhuc humanum excedentibus ſcriptura ænigmaticè; Paradiſum compellans, ſinum Abrahæ, colligi ad Patres, &c. quia adhuc videmus tanquam in ſpeculo & ænigmate: quia nondum apparet quales futuri ſumus: nec ante viſionem revelatam clarè intelligemus, τὰ ἐν ἀπορρήτοις, Nam & cœlum ipſum ἀμφίβολος dicitur. cum non ſemper intelligatur, Cœlum ſummum, ſupremum & glorioſum. Locus quietis & fœlicitatis cœleſtis, ante Chriſti mortem vocabatur *ſinus Abrahæ*: non autem *Paradiſus*. poſt ſolutum in Cruce Redemptionis pretium, non adhuc *ſinus Abrahæ*, ſed *Paradiſus*. Nam & Paulus 2 Cor 12. 3. ubi de rapto loquitur in Paradiſum, ſeipſum intelligens, de cœlo jam apparet reſerato per Chriſtum, & amoto ῥομφαιοφόρῳ Angelo loquitur, ingreſſum cœlorum prohibente. Cœlum enim animabus etiam Beatorum impervium fuiſſe ante Chriſtum docent communiter ſancti patres: & illas in *ſinu Abrahæ* locant ſecretò, non revelato, non ſatagendo curioſiùs repoſitorio. Non illo quidem *limbo*, uti deſcribunt Limbum ſine ullâ beatificâ Dei viſione. ſed Limbo, hoc eſt definito quodam loco, & repoſitorio, extra quod neutiquam egrediebantur. ubi omni tormento, pœnâ, ſollicitudine vacui, placidiſſimo Dei amplexu fruebantur. eodem modo: non eadem menſurâ quâ nunc: uti nec adhuc tam plenâ ut olim. Optimè de hac re, ad hunc locum commentatur Theophylactus. *Dicendum eſt, idem eſſe & regnum cœlorum & paradiſum.* Ὁ λῃστὴς δὲ νῦν ἐν παραδείσῳ, ἤτοι τῇ βασιλείᾳ. Non ille ſolus, ſed & omnes jam cum eo, quos enumerat Paulus. At non fruebatur latro (ſic receptus in Paradiſum) perfectâ bonorum participatione. Nam ſicut condemnati in Regiis non ſunt, ſed in cuſtodiis clauſi tenentur, in deputatis pœnis: honorabiles verò, & in regias ingrediuntur, & nunc in iis verſantur: deindè cum venerit tempus regalium donorum, illa aſſequuntur: ita & ſancti, tametſi nondum perfectè fruantur bonis, jam tamen verſantur in locis lucidis & fragrantibus, & regiis denique tabernaculis, etiamſi nondum diſtributionem regiorum bonorum perfectè aſſequantur. Ita & Latro in Paradiſo fuit, etiamſi nondum quod perfectum erat aſſequutus fuerat, ut ne abſque nobis compleatur. & huc refert locum Pauli Heb. 11. τὴν ἐπαγγελίαν οὐκ ἐκομίσαντο.

ἐκομίσατο. τὸ γὰρ τὴν ἐπαγγελίαν εἰπεῖν, τὸ ἀδιάκλητον ἐνέφηνεν. ait Idem. Eſt ergo Paradiſus indefinitè locus ubi beate vivitur, ut latè deducit Auguſtinus epiſt. 57. & imprimis ſtatus fœlicitati congruens, in terra viventium. et locus poſt Chriſti ἀπολύτρωσιν: cum de patribus antiquis non uſurparetur.

196. Antiqui certè patres unanimi concentu, et conſenſu docent, antiquos ſanctos, aut in loco aliquo ſubterraneo, et ſecreto fuiſſe repoſitorio: aut alibi diſpoſitos ubi Deo viſum: non autem in cœlo ſummo, beato, et glorioſo, quem appellant Paradiſum. Ignatius in illa ad Trallianos. *Verè, non opinione tantùm Crucifixus, & mortuus eſt, videntibus cœleſtibus, terreſtribus, & iis qui ſub terrâ detinebantur,* καταχθονίων. *Cœleſtibus quidem inſpicientibus, nimirum incorporeis naturis. Terrenis, Judæis & Romanis, & cæteris qui tunc temporis Crucifixo Domino aderant. ſubterraneis autem iis videlicet, qui plurimi cum Domino reſurrexerunt.* nec aliter ſequentes patres. *Habes de Paradiſo, à nobis libellum,* inquit Tertull. Lib. de animâ, ca. 56. *In quo conſtituimus omnem animam apud Inferos ſequeſtrari, in diem Domini.* et ca. 7. *Ad quid autem Chriſtus moriendo deſcendit? puto ad animas Patriarcharum? ſed quamobrem? ſi nihil, anima ſub terris. Latronem in Paradiſum principem ingreſſum,* Chryſoſt: To. 5. Orat. 7. pa. 26. Ὁ χριστὸς λῃστὴν μυρία φορτία ἁμαρτημάτων βαστάζοντα εἰσήγαγεν εἰς παράδεισον. Ἆρ' οὖν τοῦτο μόνον τὸ θαυμαστόν, ὅτι λῃστὴν εἰσήγαγεν εἰς παράδεισον; δεῖ καὶ ἄλλο μεῖζον εἰπεῖν. Quodnam vero id majus miraculum? docet. Non enim ſolummodo Latronem induxit in Paradiſum, ἀλλὰ καὶ πρὸ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης, καὶ πρὸ τῶν ἀποστόλων. et iterum. πρὸ τῶν ἀποστόλων εἰσήγαγεν εἰς παράδεισον. et Hieronymus, in 9. caput Zachariæ. In quem primus cum Domino, latro ingreſſus eſt. et epiſtola 3. ad Heliodorum de morte Nepotiani. *ſi Abraham, Iſaac & Jacob, in Inferno, quis in Cœlorum regno? ſi amici tui, ſub pœnâ offendentis Adam* (hoc eſt, excluſi à Paradiſo ſint) *& qui non peccaverant, alienis peccatis tenebantur obnoxii, quid de his credendum eſt, qui dixerunt in corde, Non eſt Deus? Quodſi Lazarus videtur in Sinu Abrahæ locoque refrigerii, quid ſimile Infernus & regnum cœlorum? Ante Chriſtum Abraham apud Inferos; poſt Chriſtum, Latro in Paradiſo.* Flammea illa Rhomphæa, cuſtos Paradiſi, et præſidentia foribus Cherubin, Chriſti reſtincta ſunt et reſerata ſanguine. Author Quæſtionum ſub Juſtini nomine Q. 76. tanquam de communi ſententia proponit. ſi ante finalem Reſurrectionem non eſt operum compenſatio, quid commodi ad Latronem accedebat, animâ ipſius introductâ in Paradiſum? intelligit autem ἀνάπαυσιν, non quamlibet ſed conſummatam. et in Reſponſione interpretatur Paradiſum συνάθροισμα τῶν ἁγίων, ἐν ᾧ φυλάττονται ἕως τῆς ἡμέρας τῆς ἀναστάσεως τε καὶ ἀνταποδόσεως. ſed hæc obſcuriora cum ſint, et in ἀπορρήτοις reponantur, variè traduntur apud ſanctos patres. nos non curioſius ſatagemus: tantùm addimus, ridiculè argumentari contra Chriſti realem ad Infernum

deſcenſum

deſcenſum, in hoc loco Puritanos. erat Chriſtus in Paradiſo: non deſcendit ergo, ad Infernum. quaſi in triduo mortis non haberet ſatis temporis ad conficienda illa ſpatia, inter Cœlum et Infernum. aut illo Decreto impeditus fuiſſet, Luc. 16. Chaos et hiatus, ingens ἐςήρικται, ut qui cupiant exire et tranſire, non poſſint: cum Legibus Creaturæ fixis non teneretur, et præciſe dicatur à Pſalmiſta, *Liber inter mortuos.*

Tempora paſſionis Chriſti ita breviter tranſcurrit beatus 197.
Ignatius in illa ad Trallianos, Τρίτῃ ὥρᾳ ἀπόφασιν ἐδέξατο· παρὰ τῦ Πιλάτυ, ut crucifigeretur. ἕκτῃ ὥρᾳ ἐσαυρώθη, feſtinantibus in pernicie inimicis. ἐννάτῃ ἀπέπνευσεν. πρὸ ἡλίυ δύσεως ἐτάφη, ab horâ illâ ſextâ quâ in crucem agebatur, uſque ad nonam quâ expiravit, (ita tres horas integras in tormentis vixit,) tenebræ factæ ſunt in univerſam terram. ſol enim obſcurabatur. De quo deliquio certant, an Naturalis fuerit, an verò ſuprà naturam. at hoc videtur ſine dubitatione admittendum. nam patiebatur Chriſtus in paraſceve, plenâ Lunâ. naturalis autem ſolis Eclipſis, et obſcuratio, non niſi in coïtu Lunæ ſolet contingere, quod Interlunium vocant. ſecundo, litigatur, an totalis fuerit per univerſum terrarum orbem, an verò, quemadmodum tenebræ olim Ægyptiacæ, partem orbis obſcuratam offunderent. et certè, ſi qua fides Dionyſio, qui dicitur Areopagitæ, non partialis per Judæam Eclipſis fuerat, ſed univerſalis: quam nimirum Heliopoli in Ægypto ſe et Apollophanem philoſophum vidiſſe narrat. εἰπὲ δὲ αὐτῷ, (ita vult Polycarpum affari Apollophanem) τί λέγεις περὶ τῆς ἐν τῷ σωτηρίῳ σαυρῷ γεγονυίας ἐκλείψεως; ἀμφοτέρω γὰρ τότε κατὰ τὴν Ἡλίυ πόλιν ἅμα παρόντε καὶ συνεστῶτε, παραδόξως τῷ ἡλίῳ τὴν σελήνην ἐμπίπτουσαν ἑωρῶμεν. ὐ γὰρ ἦν συνόδυ καιρός. vult ergo factas haſce tenebras per Lunæ interpoſitionem, ſed retractam è curſu, uti ſoli contingebat temporibus Heſechiæ, 2. ſubito et quaſi in Inſtanti factam illam retractionem et contraoppoſitionem, ſine ullo acceſſu gradario. et pari modo ſubitaneam abſceſſionem, ubi expiravit Chriſtus, hora nona. ita enim ait, αὐτὴν ἀπὸ τῆς ἐννάτης ὥρας ἄχρι τῆς ἑσπέρας, εἰς τὸ τῦ ἡλίυ διάμετρον ὑπερφυῶς ἀντικαταςᾶσαν. ſed cum miraculoſa fuerit, quid opus ut univerſalis eſſet? Miracula fruſtra non ſunt multiplicanda. In Judæâ contigit: ut perſtringeret eorum Infidelitatem, et teſtimonium perhiberet Naturæ Domino. nec Lucas, qui meminit, aut Matthæus, aut Marcus, id evincunt, Tenebras fuiſſe univerſales. exprimunt per voces, ἐφ᾽ ὅλην τὴν γῆν. at non aiunt, καθ᾽ ὅλην τὴν οἰκυμένην. Quocirca rectè Maldonatus, ſecutus Origenem, τὴν γῆν, Judæam terram et non orbem terrarum intelligebat. Tertio quæritur, an iſtius ἐκλείψεως meminerint Phlegon et Thallus apud ſanctos patres? Qui quidem unanimiter eò propendent, ſed inextricabilibus premuntur Difficultatibus, quas vide apud Petavium Lib. 12. Nam quod refertur apud Tertullianum, *Eum mundi caſum, relatum in Archivis veſtris habetis,* Acta provincialia, procon-

 ſulum

ſulum reſpicit et procuratorum, in quibus ejuſmodi annotabantur, non in Hiſtoriis autem. Ad horam nonam diſparuere tenebræ: nimirum ubi Dominus expiraverat. Nam circa horam nonam exclamavit Jeſus voce magna, hoc eſt, κραυγῆς ἰσχυρᾶς, ut expreſſit Paulus. Dicebat autem, *Deus meus, Deus meus: ut quid me dereliquiſti? Eli, Eli lamaſabacthani*, de quo clamore jam dictum eſt. Hoc ubi audierunt aſtantes, ſubſannabant dicentes, Eliam appellat. at Jeſus ſitiens, potum poſcebat: nefandi cruciarii acetum offerunt. quo guſtato renuit, et iterum inclamato patre, de recipiendo ſpiritu et ignoſcendo inimicis, expiravit: inclinato capite, Johannes ait, in illa voce *Conſummatum eſt.* τετέλεσται ait Theophylactus, [illegible] ἐβούλετο. ἐβούλετο δὲ, μετὰ τὸ πάντα πληρωθῆναι. Hoc eſt, Quæ prædicta, quæ præfigurata, cum Bernardo loquor; ut Euangeliſta expreſſit, ut *conſummaretur Scriptura*. Inclinavit caput, & reddidit Spiritum. De utroque rectè Theophylactus. Non mors eum invaſit, priuſquam ipſe voluit. Nam dixerat. Nemo tollit animam meam à me. Poteſtatem habeo ponendi, & aſſumendi animam. de ſecundo. κλίνας τὴν κεφαλὴν, οὐ γὰρ προστήλωτο αὐτῆς ἀφῆκε τὸ πνεῦμα. Contra quàm in nobis fieri ſolet. πρότερον μὲν γὰρ ἐκπνέομεν, εἶτα κλίνομεν τὴν κεφαλήν. Quæ declarant, illum mortis Dominum eſſe. Et certè, hinc ejus ἐκπνευσις, non ad *humilitatem*, ut volunt, pertinebat, qui Deſcenſum negant ad Infernum, ſed initium glorificationis erat: quæ ſequutis in morte miraculis teſtificata fuit.

1984 *Miracula in morte Chriſti.*

Nam ubi exclamans, voce magnâ expiravit, ecce ſtatim potentiæ παντοδυνάμου teſtimonia luculenta. Terra enim mota eſt (ita plenius Matthæus, quàm cæteri Euangeliſtæ) velum templi ſciſſum eſt, in duas partes, à ſummo uſque ad deorſum. *petræ* ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerant, et exeuntes de Monumentis, poſt Reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam Civitatem & apparuerunt multis. ὁ μὲν ὡς κοινὸς ἄνθρωπος, ὡς δὲ Δεσπότης ἀπέθνησκε. et iterum. [illegible] ὁ γὰρ ταῦτα ποιήσας [illegible] Imprimis autem Templi velum ſcindebatur. non erat hoc à terræ motu. præcedit enim ſciſſio. ſequitur motus terræ. Divina, peculiari quâdam diſpenſatione id agente: λόγον δ' μυστικόν: imò multiplex in eo myſterium latebat. Vide apud Interpretes Barradium imprimis & Maldonatum. dupliciter hic opinor hallucinatur Cardinalis. Imprimis, quod de unico ſolo velo intendat: et illo quidem exteriori, Templum in diverſa ſacraria dividebatur. Primum & principale fuit pars Occidentalior, Sanctuarium dictum, vel Sanctum Sanctorum. domus interior. oppanſum erat velum huic ſacrario è lapidibus à fundo ad ſummitatem, miræ & magnitudinis & pulchritudinis. Proximum huic erat ſanctum. ubi altare aureum. Thuribulum. panes propoſitionis. ubi ſacerdos

dos quotidiè, cui ſorte obtigerat, quemadmodum Zachariæ, Luc. 1. incenſum de Thuribulo adolebat. et hæc domus ſecunda, obducto velo, hoc eſt, muro lapideo interjecto, à tertiâ domo: hoc eſt, atrio ſacerdotum, ubi altare holocauſti, dividebatur. Baronius vult ſecundum hoc velum ſciſſum, non etiam & prius: quod falſum eſt. utrumque ſcindebatur. quod ſi ad alterutrum ſciſſio eſſet reſtringenda, omninò, de interiori & primo velo, non hoc ſecundo capiendum. Errat ſecundo, quod non de lapideo obducto muro, ſed aulæo byſſino hyacinthino intelligi velit: quod nobis deſcribit à Joſepho. Agnoſco rem, & nomen, & materiam rei. & aulæum illud præpanſum muro lapideo, unà cum ipſo muro, ruptum & diſciſſum penitus intelligo. ut omnia Judaïca finita, tranſlata, prophanata fuiſſe intelligantur per Dei diſpenſationem. Motus ille terræ, particularis fuit, nec ſpectat omninò ad Bithyniam, de quâ narabat Phlegon Trallianus. Petrarum ſciſſura etiam particularis. Nam quid hæc ad remotas gentes attinebant? Quanquam illa narratio, quam de morte Panis retulit è Plutarchi commentariis Baronius, etiam ad exteras gentes aliquatenus diffunditur. Nam quoniam multi fuerunt, qui in eâ nave navigabant, citò ac facilè, cùm Romam veniſſent, hujuſmodi rei rumoribus totam urbem replere poterant. quod & factum memoratur, & à Tiberio cognitum curioſè obſervatum. Extat narratio apud Plutarchum, de defectu Oraculorum, edit. Pauſ. ann. 1624. fol. 419. *περὶ θανάτε τῶν τοιέτων.* de morte nimirum geniorum narrationem audivi, viri nequaquam futilis, aut vanioris. qui aiebat ſe aliquando in Italiam navigare intendiſſe: ac conſcendiſſe navim, quæ & mercibus & multis vectoribus erat onuſta. ſub veſperam verò cum juxta Echinadas eſſent, ventum ceſſaſſe, navim verò motu maris delatam ad inſulam Paxum. vigilaſſe tum vectores pleroſque: multos etiam in cœnâ adhuc fuiſſe: cùm vox ab illâ inſulâ dilata ferebatur, quæ Thamum quendam inclamaret. ille autem Thamus ortu Ægyptius erat, navis gubernator, quem de nomine, pauci vectores ſciebant. Ille, bis inclamatus, tacuit, tertiâ vice vocanti ſe accommodavit. Ille autem qui inclamabat, extollens vocem, dicebat, cùm ad Palodes veneris, ibi enuncia, quod magnus Pan mortuus eſt. Hoc audito, perterritos fuiſſe omnes, narrabat Epitherſes (author nempè *τῦ λόγυ*) ac inter ſe diſputaſſe, utrum exequendum eſſet hoc mandatum, an verò omittendum, nec curioſius ſatagendum. Thamum verò ſtatuiſſe, ſi ventus aſpiraret, tacitum ſe prætervecturum: ſin malacia ad eum locum evectos tardaret, expoſiturum ſe, quod audiverat. poſtquam appulerant ad Palodes, cùm neque ventus eſſet, neque fluctibus mare agitaretur, Thamum è puppi terram verſus proſpexiſſe, ac quod exaudiverat, enuntiaſſe, mortuus eſt magnus Pan, vix dum conticuiſſe illum, & gemitum ingentem auditum fuiſſe, non unius, ſed multorum, cum admiratione mixtum.

Non

Non ego negaverim hic intelligi poſſe, per magnum Pana, Dominum crucifixum, Et lamenta Dæmonum exaudita, ideò quod deſtructum Diaboli imperium, in illius morte, per deſcenſum ad Inferos intelligerent. Et meo quidem animo illud magis arridet, quàm quod exiſtimat Euſebius. Et ita Baronium ſenſiſſe patet. Verùm ὁ τῦ Παμφίλυ, non Chriſtum hic per Pana intellexit, ſed Dæmonas in Chriſti Cruce ſpoliatos, & triumphatos in Aſcenſione. Operæ pretium fuerit, Euſebius ait, Tempus obſervare, quo Dæmonis iſtius interitum contigiſſe narrat. Id autem imperante Tiberio factum eſt; quo tempore Dæmones, è Servatore noſtro inter homines agente jam tum, ex humanâ vitâ pelli ejicique cœpiſſe Divina ſcribit Hiſtoria. Hæc & plura in eam rem Euſebius. de præparat. Euang. Lib. 5. cap. 17. non 9. ut eſt apud Cardinalem.

199. *Mortui qui reſurrexere.* Sciſſuram petrarum, ſequitur apultura monumentorum. *Statim autem aperta ſunt.* continuò ſurrexerunt reſuſcitati: non tamen viſi publicè aut privatim, donec à mortuis reſurrexit Chriſtus. Solent autem hic quæri Quæſtiones. Qui fuerant? quò abierunt? quid de reſuſcitatis factum in divinâ diſpenſatione? ſunt qui Judæorum ſomnia ſequuti, patres fuiſſe autumant, in ſpeluncâ Machpelah ſepultos. et eo nomine Jacobum voluiſſe de Ægypto ubi moriebatur, in illam ſpeluncam tranſferri. ſed patres illi, opinor, erant Judæis tum viventibus incogniti, nec ſi apparuerant internoſcendi. Cogniti autem iſti exuſcitati fuerant, aut non diceret Euangeliſta, *Et apparuerunt multis.* Fruſtra enim fit apparitio, ubi non eſt cognitio. Crediderim fuiſſe quoſdam non ita pridem collectos ad patres ſuos: notos multis tum viventibus. putà Joſephum, Annam, Simeonem, Zachariam, Elizabetham, Johannem Baptiſtam. nam quod contra Reſurrectionem Baptiſtæ objiciunt, caput ejus hodiè Romæ oſtendi, ridiculum, ſtolidum, blaſphemum eſt. Nam & alibi idem caput oſtendi volunt, ut biceps, triceps monſtrum Baptiſta fuerit. An verò iterum mortui fuerint & redierint in ſuos pulveres in ſecundis dubitatur. Author Quæſt. ſub Juſtini nomine, in reſponſ. ad Qu. 85. negat iterum mortuos. οὐκ ἐτελεύτησαν πάλιν, ἀλλὰ μένουσιν ἐν ἀθανασίᾳ, καθάπερ ὁ Ἐνώχ, καὶ ὁ Ἠλίας. καὶ εἰσὶ σὺν αὐτοῖς ἐν τῷ παραδείσῳ ἀναμένοντες τὴν ἤδη αἰωνίαν τῆς τῦ Χριςῦ ἀναςάσεως γινομένην ἐναλλαγήν. εἰς γὰρ ἀθάνατόν τε καὶ ἄφθαρτον ζωὴν ἤπω γέγονε τινὸς ἡ ἀνάςασις πλὴν τῦ σωτῆρος Χριςῦ. Vult ergo, non reverſos in pulveres ſuos: non receptos corpore in ſummo cœlo, ſed in Paradiſo, quem diſtinguit à cœlo glorioſo, generalem expectare Reſurrectionem. Euſebius, Lib. 4. Demonſtrat. cap. 12. opinatur in Cœlum, glorificatos corporibus cum Chriſto, aſcendiſſe. Cùm enim altiùs vocem emitteret, & patri dixerat, Animam apud te depono, ſolutus à corpore abiit, neutiquam expectans, dum mors ad ipſum accederet, ſed illam cunctantem, ac veluti ceſſantem, ac potius conjicientem ſe in pedes, & fugitantem, ipſe à tergo inſequens,

et

et impellens, æternaſque abditiorum tenebrarum portas refringens, & mortuis, qui illic mortis catenis impliciti erant remeandi ad vitam iter retrorſum aperiens. Hac ſanè ratione, ipſius etiam corpus mortuum excitatum eſt: & multa corpora eorum, qui dormierant Sanctorum ſurrexerunt: unáque cum ipſo in ſanctam & verè cœleſtem Civitatem ingreſſa ſunt. Ita quoque Tertullianus alicubi in Carminibus ait, Certum fuiſſe eos iterum non mortuos. quibus libentius aſſenſum adhibuero, quàm Theophylacto, πρόδηλον ἦ ὅτι καὶ πάλιν τεθνήκασι. quanquam poſteà dubitanter loquatur Ambroſius, in Pſalm. 1. *Ingreſſi ſunt in ſanctam Civitatem. Puto quod magis ſignificat illam ſupernam, quàm iſtam Jeruſalem, quam reliquit.* Notum eſt autem illud Thaddæi apud Euſebium, in 1. Hiſt. et Ignatium in Epiſtolis. κατέβη μόνος, ἀνέβη δὲ μετὰ πλειόνων.

Centurio, & qui cum illo erant, cuſtodientes Jeſum, viſis prodigiis quæ illuſtriſſima edebantur, timuerunt valde, dicentes, verè Filius Dei eſt hic. Centurionem iſtum Longinum nomine, fuiſſe vult Baronius. & tandem Martyrio coronatum. non autem militem illum cæcum, qui lanceâ Chriſti latus perforavit. De Centurione Martyre, Chryſoſtomus ait, Τινὲς δέ φασιν, ὅτι καὶ μαρτύριον ἔτι τοῦ Κεντυρίωνος τούτου, ἀνδριζομένου μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῇ πίστει. de Martyrio, Fide, & Converſione credibile eſt: unde autem conſtabit de Longini nomine? Hoc nulli φασὶν apud Chryſoſtomum, vel quemvis ex antiquorum Choro. φασὶν aliqui è recentiorum turbâ, de quibus, haud multum laboramus, quid φασί. ſunt enim non λόγων, ſed μύθων Rapſodi. Aiunt alii contra, & communior eſt Traditio, militem qui lanceâ latus Chriſti perfodit, Longinum appellatum. Germanus in ſuâ θυσίᾳ περὶ λόγχης loquitur, quâ utebantur olim Græci, in ſacrâ ſynaxi, inter Myſteria celebranda, fuiſſe uſurpatum vice lanceæ, quæ transfixit Chriſti latus pendentis in Cruce, impulſa à Longino. ita citat Gretſerus Germani locum. Ego nullum invenio Longinum memoratum, ſed hæc tantummodo apud Germanum, Ἡ λόγχη, ἀντὶ τῆς κεντησάσης τὴν πλευρὰν τοῦ κυρίου. apud Pſeudo-Auguſtinum, in manuali invenio ca. 23. *Longinus aperuit mihi latus Chriſti lanceâ: & ego intravi, & ibi ſecurus requieſco.* ſed, inquit Cardinalis, ex iſtis, nimirum de Longino Centurione apud Metaphraſten, qui ex Apocryphis quibuſdam ſcriptis tradiderunt, Longinum nomine, eumque cæcum, fuiſſe militem illum, qui Domini latus lanceâ aperuit. Et quidni cum illis redarguitur Romanum Martyrologium, ad diem Martii 15? *Cæſareæ in Cappadociâ, paſſio ſancti Longini militis, qui latus Domini lancea perforaſſe perhibetur.* & cum illis Baronius qui olim in illud Martyrologium ſcribens, unà cùm illis Apocryphis erravit. ſed δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. & tamen ex illis Gretſero, viro infinitæ lectionis, non perſuaſit, qui & militem & Centurionem Longinum utrumque facit: aut militem promovet in Centurionem, vulpes erat aut ſenticetum. 200. *Centurio Longinus.*

Incertum

Incertum, quis, & qualis, apud iſtos. Certiſſimum eſt militem perforaſſe latus. & Centurionem, admiratum. quo nomine vocabatur, Hic, Ille incertum eſt. Ego militem potius Longinum putem. Conſtantinus Porphyrogenitus apud doctiſſimum Meurſium, in eruditiſſimo Gloſſario vocat χιλιάρχης, & Κεντυρίωνας Λογγίνους. & hinc fortaſſis illa fictio de Longino. Cum à Centurione transfoſſum Chriſti latus recoleret Euangeliſta, ad vocem Κεντυρίωνος, non Græcam, ſed peregrinam, ſtudioſus quis, ut fit in margine, ſcripſerat expoſitionem Λογγῖνος, unde poſteri, indoctis & negligentibus Librariis præeuntibus, Longini nomen, pro Centurionis illius proprio expreſſerunt, Cardinalis intereà, quicquid fuerat illud nomen, Martyrologium Romanum deſeruit, & ſuam, quod non vitupero, mutavit opinionem. & tamen eſt in illâ Annotatione aliquid non tam facilè probandum. *De eo*, inquit, *hac die Venerdus. Græci autem in Menologio* 16. *Octobris. adduntque Natalem diem, duorum militum, qui cum eodem, pro Chriſti nomine paſſi ſunt.* hæc in meo Menologio Græco, Romæ impreſſo, non ita leguntur. Nam de duobus militibus, ne unum extat iota. de Longino, extat: ſed Centurione, & non milite. Rectè autem prolatum: redarguuntur qui ex Apocryphis. ſunt autem illa, λόγοι ἀπόρρητοι, qualis erat, modò recitata fabella, de Ficu à Chriſto maledictâ, non alia quàm quæ ἀεροπλάσῳ nudato, ſubligacula miniſtrabat vivaci trunco: quæque, quod omiſit Exercitator, ut vult Cardinalis, vetitum illum tulerat fructum, undè peſtis in Adami poſteros, ab illâ inobedientiâ manavit. Quanto rectius cum vulgo?

Adam, primus homo, damnavit ſæcula pomo.

Nam ſi tranſverſim aliquando pomum cultello diviſit, in duas partes, animadvertere potuit decem veluti maculas *pomo inhærentes*, ſpatiis diſtinctas æqualibus; *quæ tanquam decem labes*, animo humano contractæ, per violationem decem divinorum mandatorum, reputantur: et præterea, quinque in medio tranſverſas lineas σταυροειδεῖς, ad repræſentationem quinque vulnerum Jeſu Chriſti, per quæ ſalutem in arbore, operatus eſt eorum, qui prius per arborem interierant. Hæc non ſunt ἀπόρρητα, ſed fortè παιγνιώδη.

20. *Baronius nugas interdum perſequitur.* Quidni autem Myſteria, ad quæ quivis deſcendat non minore cum laude, aut majore cum licentiâ, quàm ad plurima ejus farinæ, ſeu furfuris potius, relata in Annales? Nec longè abeundum. in propinquo ſunt quædam è Metaphraſtâ, de *ſanguine* Chriſti collecto per Beatam Virginem Matrem. de *clavis* evulſis & ſinu fotis. de Joſepho adito, & impulſo ad depoſcendum Chriſti corpus ad ſepulturam. cùm de Joſepho & Nicodemo, aliud dictet pietas, quòd Diſcipuli fuerint: & Scriptura, quod ſponte illa egerint, non impulſi quæ egerunt. Clavos ſi extraxit Beata Virgo, admodum negligenter cuſtodivit. Nam Helena poſt annos trecentos eoſdem in Calvariâ reperit pulvere circumaggeſto

Digitized by Google

geſto obrutos. Et apud Apollinarem in Chriſto patiente, non Beata Virgo, ſed Nicodemus clavos ſolvit, & extrahit. ſic ad eum Virgo,

> Καὶ φίλε Νικόδημε, σὺ πρῶτος τάχει
> Ἔμβαινε, πηκτὰς κλίμακας πρὸς ἀμβάσεις
> Ἐκπασσαλεύσων διγλύφου δόνακα δέμας.

Nonnus autem, quod veriſimilius eſt, Joſephum ipſum τὸν ἐνταφιαστὴν narrat, hoc præſtitiſſe.

> —— νεκυόστολος ἤλθεν Ἰωσὴφ,
> Ἐγγύθι δὲ σταυροῖο πεπηγμένον ἄκρον ἐρείσας
> Δίζυγα χαλκὸν ἔλυσεν ἀκαχμένον ὀξέϊ δεσμῷ.

Venit Joſeph mortui tranſportator, ac juxta Crucem cùm firmaſſet fixum faſtigium, duplex ferrum ſolvit mucronatum acuto vinculo. Hæc ſunt mera τερετίσματα Cardinalis.

Hæc omnia de Crucifixione Chriſti, geſta leguntur in Paraſceve. hoc eſt, ut nos loquimur, *die Veneris*. Omnem autem diem ſextam, ſive Veneris, Judæi vocabant *Paraſcevem*; quia illo die apparabant cibos, in Sabbato comedendos, quos in Sabbato parare aut κατασκευάζειν non licebat. unde ἕωλα ἐσθίειν de Judæis, apud Ignatium. Hæc autem Paraſceve, nimirum Paſchatis, *Magnus erat Dies Sabbati*, Johannes ait. Judæi ergo, ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura & tollerentur. Fractio illa quo inſtrumento fiebat, non exprimitur. Nonnus gladios advocat: ſic inquiens: 202. *Paraſceve.* *Fractio crurum.*

> —— ὑψιτενῆ δὲ
> Πρώτου μὲν διέτεμνεν ἀλοιητῆρι σιδήρῳ
> Μειλιχίου πόδα δισσόν. ἐπὶ σταυρῷ δὲ δεθέντος
> Ἄλλου κυκλοτερεῖς διδύμους πόδας ἄορι κόψας.

Moris fuiſſe vult Arnobius. ſed pauca opinor, extant exempla: Cur verò ſuffringerentur crura citò morientibus, medici nos doceant, & Chirurgi. Memini legiſſe apud Franciſcum Nanſium, notis in Nonnum, medicorum παῖδας aſſerere, liquorem quendam vitalem, genuum operculis incluſum contineri, qui ſi emittatur, continuò moriuntur. Liber non eſt ad manum. de tollendo autem mortuo, Lege Divinâ ſancitum erat. Deuteron. 21. ut ante ſolis occaſum ſepelirentur corpora ſublatorum. Quod à Joſuâ obſervatum legimus, cap. 10. in quinque Regibus Amorrhæorum quos ſuſpendio ſuſtulerat. Joſephus ergo videtur rogaſſe Pilatum, de corpore Jeſu tollendo, ut, quod fecit, honeſtiori ſepulchro inferret, nec terræ, cum latronibus, aut malefactoribus traderetur. Cum enim jam Sol occumberet, adiit ille Pilatum, quippe vir primariæ dignitatis, & petiit corpus Jeſu: quod illi, cognito jam expiraſſe, conceſſit. Joſephus ergo, & Nicodemus, *ferentes mixturam Myrrha & Aloes, quaſi centum libras*, linteis, acceptum corpus, involvunt cum aromatibus, & in novo monumento poſuerunt. ſine veniâ præſidis, hoc *Chriſti ſepultura.*

 non

univerſæ ſenſibilis venuſtatis & pulchritudinis excellens intelligen-
tiam. Divinus profecto locus, mirifice congruens primi hominis dig-
nitati. in quo nullum animal habitat, ſed ſolus Divinarum manuum
factura, Homo. Rupertus cap. 37. de Trinit. ad cœlum pertin-
gere putat. alii ultra Lunæ globum non evehunt. & ſunt qui,
fortè cùm Luciano, in ipſo Lunæ globo fabulantur conſitum.
Bonaventura minus ridiculè, ſub Æquinoctio locat. Doctiſſimus
Controverſor Cardinalis, de ſitu, & τῷ vbi Paradiſi, quatuor
recitat opiniones. 1. Paradiſum fuiſſe totam terram, ambitu
ſuo extenſam. 2. Eſſe extra terram habitabilem. Eſſe in Lu-
næ globo. Diluvii tempore interiiſſe. Communis hodie opinio
eſt, plantatum fuiſſe in Meſopotamia, & aquis Diluvii deforma-
tum diſparuiſſe. Ἀβροδίαιτον ἐνδιαίτημα. vocat Baſilius Seleucienſis.

De Paradiſo.

et τὸν τῆς τρυφῆς παράδεισον, Clemens in διάλογ. Juſtinus Martyr in
parænesi, et Homero agnitum, ſaltem per tranſennam opinatur,
in horto quem deſcribit Alcinoi. Commenta, commentantium
allegorias et fictiones, Chryſoſt. hom. 13. in Gen. refellit. Ideo
Moſes deſcribens Paradiſum, et nomen loci, in quo erat, ſcilicet
Heden: et plagam Orientalem quam ſpectabat, et nomina flu-
minum, è Paradiſo egredientium fore nota omnibus tam ſub-
tiliter et accuratè enarravit, ut non liceat nugari volentibus
decipere ſimpliciores, dicendo, nullum fuiſſe in terrâ Paradiſum,
ſed in Cœlo; et alias fabulas, ſuaque ſomnia jactando. Nam ſi
cùm Moſes tantam in deſcribendo Paradiſo diligentiam poſu-
erit, nihilominus tamen fuere nonnulli fabulantes, non fuiſſe
in Terrâ Paradiſum, multaque alia, à doctrinâ Moſis alieniſſima
inducentes, et verba ejus alioſum, quàm dicta ſunt detorquen-
tes, quid futurum fuiſſet, ſi non tam minutatim, tam dilucidè,
tam enucleatè Paradiſum deſcripſiſſet? Et tamen ſummus vir Baſilius, non multum videtur ab illorum ſententia re-
ceſſiſſe, in libro quem ſcripſit de Paradiſo. ait enim, ὑπερκείμενα τῆς
πάσης κτίσεως. θαυμαστὸν τῷ κάλλει. ἐν ἀσκόπῳ κείμενον. ἀνεπισκότιστον διὰ ὕψος. πά-
σαις ταῖς τῶν ἄστρων ἀνατολαῖς καταλαμπόμενον. ſuper omnem ſublatum
Creaturam: pulchritudine admirabilem. in ſpeculo poſitum.
propter altitudinem, tenebris non oppanſum: omnibus ſtellis
exorientibus illuſtratum. Quæ certè illum attollunt ſupra ter-
ram, et ſaltem in aere locant. An verò locus ille nunc ſuperſit,
varie diſputant. omnino mihi non extare videtur. licet con-
trarium voluerit Auguſtin. To. 7. Lib. 1. ca. 3. de peccatorum
Meritis. *ſi & his ſuſtentaculis opus eſt, ita fortaſſis in Paradiſo*
paſcuntur, ſicut Adam priuſquam propter Peccatum, inde exire me-
ruerat, de Moyſe & Eliâ loquitur. Hoc tamen poſito, Paradiſum
realem, & quidem terreſtrem locum fuiſſe, ubicunque tamen
terrarum ſitum, negandum non eſt, fuiſſe, ſed & eſſe Paradiſum
cœleſtem, & ſpiritualem, animabus Beatis receptaculum &
promptuarium, ubi æternâ Dei, & Beatificâ fruuntur viſione. de
quo Paradiſo, & non illo plantato apud Eden, Servator ad La-
tronem

Digitized by Google

tronem intelligendus, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Κἂν χωρίον τι νοήσῃς δεκτικὸν τῶν ἁγίων, ἐν ᾧ πάντες οἱ ἐπὶ γῆς διαλάμψαντες ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς, ἀπολαύοντες τῆς τοῦ θεοῦ χάριτος, καὶ τῆς ἀληθινῆς καὶ νοητῆς τερπνότητος διάγουσι, οὐκ ἀποπίπτεις τῆς πρεπούσης περὶ αὐτοῦ εἰκασίας: ſi locum acceperis, recipiendis ſanctis, in quo ſinguli, qui in terrâ olim bonis operibus illuſtrabantur, in divinæ gratiæ fruïtione ſunt, in deliciis agunt veris, et intelligibilibus ſanè; haud quaquam excides è conjecturâ quæ ei congrua et conveniens eſt. inquit Baſilius in fine Orat. de Paradiſo. Hoc itaque ſenſu ſpirituali duplicem ſtatuimus vocis analogiam. Quoad certum et definitum *locum*. quoad *ſtatum* fœlicem et conditionem. Loquitur autem de Cœleſtibus, et captum adhuc humanum excedentibus ſcriptura ænigmaticè: Paradiſum compellans, ſinum Abrahæ, colligi ad Patres, &c. quia adhuc videmus tanquam in ſpeculo & ænigmate: quia nondum apparet quales futuri ſumus: nec ante viſionem revelatam clarè intelligemus, τὰ ἐν ἀποκρύφοις. Nam & cœlum ipſum ἀμφίβολος dicitur. cum non ſemper intelligatur, Cœlum ſummum, ſupremum & glorioſum. Locus quietis & fœlicitatis cœleſtis, ante Chriſti mortem vocabatur *ſinus Abrahæ*: non autem *Paradiſus*. poſt ſolutum in Cruce Redemptionis pretium, non adhuc *ſinus Abrahæ*, ſed *Paradiſus*. Nam & Paulus 2 Cor 12. 3. ubi de rapto loquitur in Paradiſum, ſeipſum intelligens, de cœlo jam apparet reſerato per Chriſtum, & amoto ῥομφαιοφόρῳ Angelo loquitur, ingreſſum cœlorum prohibente. Cœlum enim animabus etiam Beatorum impervium fuiſſe ante Chriſtum docent communiter ſancti patres: & illas in *ſinu Abrahæ* locant ſecretò, non revelato, non ſatagendo curioſiùs repoſitorio. Non illo quidem *limbo*, uti deſcribunt Limbum ſine ullâ beatificâ Dei viſione. ſed Limbo, hoc eſt definito quodam loco, & repoſitorio, extra quod neutiquam egrediebantur. ubi omni tormento, pœnâ, ſollicitudine vacui, placidiſſimo Dei amplexu fruebantur. eodem modo: non eadem menſurâ quâ nunc: uti nec adhuc tam plenâ ut olim. Optimè de hac re, ad hunc locum commentatur Theophylactus. *Dicendum eſt, idem eſſe & regnum cœlorum & paradiſum.* Ὁ λῃστὴς ἔστι νῦν ἐν παραδείσῳ, ἤτοι τῇ βασιλείᾳ. Non ille ſolus, ſed & omnes jam cum eo, quos enumerat Paulus. At non fruebatur latro (ſic receptus in Paradiſum) perfectâ bonorum participatione. Nam ſicut condemnati in Regiis non ſunt, ſed in cuſtodiis clauſi tenentur, in deputatis pœnis: honorabiles verò, & in regias ingrediuntur, & nunc in iis verſantur: deindè cum venerit tempus regalium donorum, illa aſſequuntur: ita & ſancti, tametſi nondum perfectè fruantur bonis, jam tamen verſantur in locis lucidis & fragrantibus, & regiis denique tabernaculis, etiamſi nondum diſtributionem regiorum bonorum perfectè aſſequantur. Ita & Latro in Paradiſo fuit, etiamſi nondum quod perfectum erat aſſequutus fuerat, ut ne abſque nobis compleatur. & huc refert locum Pauli Heb. 11. τὴν ἐπαγγελίαν οὐκ ἐκομίσαντο.

Digitized by Google

ἐκομίσαντο. τὸ γὰρ τὴν ἐπαγγελίαν εἰπεῖν, τὸ ὁλόκληρον ἐν ἅπασιν. ait Idem. Eſt ergo Paradiſus indefinitè locus ubi beate vivitur, ut latè deducit Auguſtinus epiſt. 57. & imprimis ſtatus fœlicitati congruens, in terra viventium. et locus poſt Chriſti ἀπολύτρωσιν: cum de patribus antiquis non uſurparetur.

196. Antiqui certè patres unanimi concentu, et conſenſu docent, antiquos ſanctos, aut in loco aliquo ſubterraneo, et ſecreto fuiſſe repoſitorio: aut alibi diſpoſitos ubi Deo viſum: non autem in cœlo ſummo, beato, et glorioſo, quem appellant Paradiſum. Ignatius in illa ad Trallianos. *Verè, non opinione tantùm Crucifixus, & mortuus eſt, videntibus cœleſtibus, terreſtribus, & iis qui ſub terrâ detinebantur,* καταχθονίων. *Cœleſtibus quidem inſpicientibus, nimirum incorporeis naturis. Terrenis, Judæis & Romanis, & cæteris qui tunc temporis Crucifixo Domino aderant. ſubterraneis autem iis videlicet, qui plurimi cum Domino reſurrexerunt.* nec aliter ſequentes patres. *Habes de Paradiſo, à nobis libellum,* inquit Tertull. Lib. de animâ, ca. 56. *In quo conſtituimus omnem animam apud Inferos ſequeſtrari, in diem Domini.* et ca. 7. *Ad quid autem Chriſtus moriendo deſcendit? puto ad animas Patriarcharum? ſed quamobrem? ſi nihil, anima ſub terris. Latronem in Paradiſum principem ingreſſum,* Chryſoſt: To. 5. Orat. 7. pa. 26. Ὁ χριστὸς λῃστὴν μυρία φορτία ἁμαρτημάτων βαστάζοντα εἰσήγαγεν εἰς παράδεισον. Ἆρ' οὖν τοῦτο μόνον τὸ θαυμαστόν ἐστιν, ὅτι λῃστὴν εἰσήγαγεν εἰς παράδεισον; δεῖ καὶ ἄλλο μεῖζον εἰπεῖν. Quodnam vero id majus miraculum? docet. Non enim ſolummodo Latronem induxit in Paradiſum, ἀλλὰ καὶ πρὸ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης, καὶ πρὸ τῶν ἀποστόλων. et iterum. πρὸ τῶν ἀποστόλων εἰσήγαγεν εἰς παράδεισον. et Hieronymus, in 9. caput Zachariæ. In quem primus cum Domino, latro ingreſſus eſt. et epiſtola 3. ad Heliodorum de morte Nepotiani. *ſi Abraham, Iſaac & Jacob, in Inferno, quis in Cœlorum regno? ſi amici tui, ſub pœnâ offendentis Adam* (hoc eſt, excluſi à Paradiſo ſint) *& qui non peccaverant, alienis peccatis tenebantur obnoxii, quid de his credendum eſt, qui dixerunt in corde, Non eſt Deus? Quodſi Lazarus videtur in Sinu Abrahæ locoque refrigerii, quid ſimile Infernus & regnum cœlorum? Ante Chriſtum Abraham apud Inferos; poſt Chriſtum, Latro in Paradiſo.* Flammea illa Rhomphæa, cuſtos Paradiſi, et præſidentia foribus Cherubin, Chriſti reſtincta ſunt et reſerata ſanguine. Author Quæſtionum ſub Juſtini nomine Q. 76. tanquam de communi ſententia proponit. ſi ante finalem Reſurrectionem non eſt operum compenſatio, quid commodi ad Latronem accedebat, animâ ipſius introductâ in Paradiſum? intelligit autem ἀντίδοσιν, non quamlibet ſed conſummatam. et in Reſponſione interpretatur Paradiſum ἐνδιατρίβωμα τῶν ἁγίων, ἐν ᾧ φυλάττονται ἕως τῆς ἡμέρας τῆς ἀναστάσεως τε καὶ ἀνταποδόσεως. ſed hæc obſcuriora cum ſint, et in ἀπορρήτοις reponantur, variè traduntur apud ſanctos patres. nos non curioſius ſatagemus: tantùm addimus, ridiculè argumentari contra Chriſti realem ad Infernum

deſcenſum

deſcenſum, in hoc loco Puritanos. erat Chriſtus in Paradiſo: non deſcendit ergo, ad Infernum. quaſi in triduo mortis non haberet ſatis temporis ad conficienda illa ſpatia, inter Cœlum et Infernum. aut illo Decreto impeditus fuiſſet, Luc. 16. Chaos et hiatus, ingens ἐςήρικται, ut qui cupiant exire et tranſire, non poſſint: cum Legibus Creaturæ fixis non teneretur, et præciſe dicatur à Pſalmiſta, *Liber inter mortuos.*

Tempora paſſionis Chriſti ita breviter tranſcurrit beatus Ignatius in illa ad Trallianos, Τρίτῃ ὥρᾳ ἀπόφασιν ἐδέξατο παρὰ τοῦ Πιλάτου, ut crucifigeretur. ἕκτῃ ὥρᾳ ἐσταυρώθη, feſtinantibus in perniciem inimicis. ἐννάτῃ ἀπέπνευσεν. πρὸ ἡλίου δύσεως ἐτάφη. ab horâ illâ ſextâ quâ in crucem agebatur, uſque ad nonam quâ expiravit, (ita tres horas integras in tormentis vixit,) tenebræ factæ ſunt in univerſam terram. ſol enim obſcurabatur. De quo deliquio certant, an Naturalis fuerit, an verò ſuprà naturam. at hoc videtur ſine dubitatione admittendum. nam patiebatur Chriſtus in paraſceve, plenâ Lunâ. naturalis autem ſolis Eclipſis, et obſcuratio, non niſi in coïtu Lunæ ſolet contingere, quod Interlunium vocant. ſecundò, litigatur, an totalis fuerit per univerſum terrarum orbem, an verò, quemadmodum tenebræ olim Ægyptiacæ, partem orbis obſcuratam offunderent. et certè, ſi qua fides Dionyſio, qui dicitur Areopagitæ, non partialis per Judæam Eclipſis fuerat, ſed univerſalis: quam nimirum Heliopoli in Ægypto ſe et Apollophanem philoſophum vidiſſe narrat. εἶπε δὲ αὐτῷ, (ita vult Polycarpum affari Apollophanem) τί λέγεις περὶ τῆς ἐν τῷ σωτηρίῳ σταυρῷ γεγονυίας ἐκλείψεως; ἀμφοτέρω γὰρ τότε κατὰ τὴν Ἡλίου πόλιν ἅμα παρόντε καὶ συνεστῶτε, παραδόξως τῷ ἡλίῳ τὴν σελήνην ἐμπίπτουσαν ἑωρῶμεν. οὐ γὰρ ἦν συνόδου καιρός. vult ergo factas haſce tenebras per Lunæ interpoſitionem, ſed retractam è curſu, uti ſoli contingebat temporibus Heſechiæ, 2. ſubito et quaſi in Inſtanti factam illam retractionem et contraoppoſitionem, ſine ullo acceſſu gradario. et pari modo ſubitaneam abſceſſionem, ubi expiravit Chriſtus, hora nona. ita enim ait, αὖθις ἀπὸ τῆς ἐννάτης ὥρας ἄχρι τῆς ἑσπέρας, εἰς τὸ τοῦ ἡλίου διάμετρον ὑπερφυῶς ἀντικατέστη. ſed cum miraculoſa fuerit, quid opus ut univerſalis eſſet? Miracula fruſtra non ſunt multiplicanda. In Judæâ contigit: ut perſtringeret eorum Infidelitatem, et teſtimonium perhiberet Naturæ Domino. nec Lucas, qui meminit, aut Matthæus, aut Marcus, id evincunt, Tenebras fuiſſe univerſales. exprimunt per voces, ἐφ᾽ ὅλην τὴν γῆν. at non aiunt, καθ᾽ ὅλην τὴν οἰκουμένην. Quocirca rectè Maldonatus, ſecutus Origenem, τὴν γῆν, Judæam terram et non orbem terrarum intelligebat. Tertio quæritur, an iſtius ἐκλείψεως meminerint Phlegon et Thallus apud ſanctos patres? Qui quidem unanimiter eò propendent, ſed inextricabilibus premuntur Difficultatibus, quas vide apud Petavium Lib. 12. Nam quod refertur apud Tertullianum, *Eum mundi caſum, relatum in Archivis veſtris habetis,* Acta provincialia, procon-

197. *Horæ paſſionis.*

 ſulum

ſulum reſpicit et procuratorum, in quibus ejuſmodi annotabantur, non in Hiſtoriis autem. Ad horam nonam diſparuere tenebræ: nimirum ubi Dominus expiraverat. Nam circa horam nonam exclamavit Jeſus voce magna, hoc eſt, κραυγῆς ἰσχυρᾶς, ut expreſſit Paulus. Dicebat autem, *Deus meus, Deus meus: ut quid me dereliquiſti? Eli, Eli lamaſabacthani*, de quo clamore jam dictum eſt. Hoc ubi audierunt aſtantes, ſubſannabant dicentes, Eliam appellat. at Jeſus ſitiens, potum poſcebat: nefandi cruciarii acetum offerunt. quo guſtato renuit, et iterum inclamato patre, de recipiendo ſpiritu et ignoſcendo inimicis, expiravit: inclinato capite, Johannes ait, in illa voce *Conſummatum eſt.* τετέλεσται ait Theophylactus, ἰδὼν λοιπὸν τῇ οἰκονομίᾳ. ὥσπερ ἄρα περιμένων ἐγένετο ὁ θάνατος αὐτοῦ. ὁ γὰρ πρόσταγμα ἐπῆλθε τῷ σώματι αὐτοῦ ἡ τελευτή, ὅτε ἤθελεν αὐτὸς ἐβούλετο. ἐβούλετο δὲ, μετὰ τὸ πάντα πληρῶσαι. Hoc eſt, Quæ prædicta, quæ præfigurata, cum Bernardo loquor; ut Euangeliſta expreſſit, ut *conſummaretur Scriptura*. Inclinavit caput, & reddidit Spiritum. De utroque rectè Theophylactus. Non mors eum invaſit, priuſquam ipſe voluit. Nam dixerat. Nemo tollit animam meam à me. Poteſtatem habeo ponendi, & aſſumendi animam. de ſecundo. κλίνας τὴν κεφαλὴν, ὁ γὰρ προσήλωσε αὐτὴν, ἀφῆκε τὸ πνεῦμα. Contra quàm in nobis fieri ſolet. πρότερον μὲν γὰρ ἀποψύχομεν, εἶτα κλίνομεν τὴν κεφαλήν. Quæ declarant, illum mortis Dominum eſſe. Et certè, hinc ejus ταπεινώσεως, non ad *humilitatem*, ut volunt, pertinebat, qui Deſcenſum negant ad Infernum, ſed initium glorificationis erat: quæ ſequentis in morte miraculis teſtificata fuit.

198. *Miracula in morte Chriſti.* Nam ubi exclamans, voce magnâ expiravit, ecce ſtatim potentiæ παντοδυνάμου teſtimonia luculenta. Terra enim mota eſt (ita plenius Matthæus, quàm cæteri Euangeliſtæ) velum templi ſciſſum eſt, in duas partes, à ſummo uſque ad deorſum. *petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, et exeuntes de Monumentis, poſt Reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam Civitatem & apparuerunt multis.* ὁ μὲν ὡς κοινὸς ἄνθρωπος, ἀλλὰ δεσπότης ἀπέθανε. et iterum. δείκνυσιν ὡς ὁ δὲ ἀθανασίας ἐσταυρώθη. ὁ γὰρ ταῦτα ποιήσας ἠδύνατο κἀκείνους διαῤῥῆξαι καὶ ἀφανίσαι. Imprimis autem Templi velum ſcindebatur. non erat hoc à terræ motu. præcedit enim ſciſſio. ſequitur motus terræ. Divina, peculiari quâdam diſpenſatione id agente: γέγονε δὲ μυστικόν: imò multiplex in eo myſterium latebat. Vide apud Interpretes Barradium imprimis & Maldonatum. dupliciter hic opinor hallucinatur Cardinalis. Imprimis, quod de unico ſolo velo intendat: et illo quidem exteriori. Templum in diverſa ſacraria dividebatur. Primum & principale fuit pars Occidentalior, Sanctuarium dictum, vel Sanctum Sanctorum. domus interior. oppanſum erat velum huic ſacrario è lapidibus à fundo ad ſummitatem, miræ & magnitudinis & pulchritudinis. Proximum huic erat ſanctum. ubi altare aureum. Thuribulum. panes propoſitionis. ubi ſacerdos

dos quotidiè, cui forte obtigerat, quemadmodum Zachariæ, Luc. 1. incenſum de Thuribulo adolebat. et hæc domus ſecunda, obducto velo, hoc eſt, muro lapideo interjecto, à tertiâ domo: hoc eſt, atrio ſacerdotum, ubi altare holocauſti, dividebatur. Baronius vult ſecundum hoc velum ſciſſum, non etiam & prius: quod falſum eſt. utrumque ſcindebatur. quod ſi ad alterutrum ſciſſio eſſet reſtringenda, omninò de interiori & primo velo, non hoc ſecundo capiendum. Errat ſecundo, quod non de lapideo obducto muro, ſed aulæo byſſino hyacinthino intelligi velit: quod nobis deſcribit è Joſepho. Agnoſco rem, & nomen, & materiam rei. & aulæum illud præpanſum muro lapideo, unà cum ipſo muro, ruptum & diſciſſum penitus intelligo. ut omnia Judaïca finita, tranſlata, prophanata fuiſſe intelligantur per Dei diſpenſationem. Motus ille terræ, particularis fuit, nec ſpectat omninò ad Bithyniam, de quâ narabat Phlegon Trallianus. Petrarum ſciſſura etiam particularis. Nam quid hæc ad remotas gentes attinebant? Quanquam illa narratio, quam de morte Panis retulit è Plutarchi commentariis Baronius, etiam ad exteras gentes aliquatenus diffunditur. Nam quoniam multi fuerunt, qui in eâ nave navigabant, citò ac facilè, cùm Romam veniſſent, hujuſmodi rei rumoribus totam urbem replere poterant. quod & factum memoratur, & à Tiberio cognitum curioſè obſervatum. Extat narratio apud Plutarchum, de defectu Oraculorum, edit. Pauſ. ann. 1624. fol. 419. *περὶ θανάτε τῶν τοιέτων.* de morte nimirum geniorum narrationem audivi, viri nequaquam futilis, aut vanioris. qui aiebat ſe aliquando in Italiam navigare intendiſſe: ac conſcendiſſe navim, quæ & mercibus & multis vectoribus erat onuſta. ſub veſperam verò cum juxta Echinadas eſſent, ventum ceſſaſſe, navim verò motu maris delatam ad inſulam Paxum. vigilaſſe tum vectores pleroſque: multos etiam in cœnâ adhuc fuiſſe: cùm vox ab illâ inſulâ dilata ferebatur, quæ Thamum quendam inclamaret. ille autem Thamus ortu Ægyptius erat, navis gubernator, quem de nomine, pauci vectores ſciebant. Ille, bis inclamatus, tacuit, tertiâ vice vocanti ſe accommodavit. Ille autem qui inclamabat, extollens vocem, dicebat, cùm ad Palodes veneris, ibi enuncia, quod magnus Pan mortuus eſt. Hoc audito, perterritos fuiſſe omnes, narrabat Epitherſes (author nempè *τῦ λόγυ*) ac inter ſe diſputaſſe, utrum exequendum eſſet hoc mandatum, an verò omittendum, nec curioſius ſatagendum. Thamum verò ſtatuiſſe, ſi ventus aſpiraret, tacitum ſe prætervecturum; ſin malacia ad eum locum evectos tardaret, expoſiturum ſe, quod audiverat. poſtquam appulerant ad Palodes, cùm neque ventus eſſet, neque fluctibus mare agitaretur, Thamum è puppi terram verſus proſpexiſſe, ac quod exaudiverat, enuntiaſſe, mortuus eſt magnus Pan, vix dum conticuïſſe illum, & gemitum ingentem auditum fuiſſe, non unius, ſed multorum, cum admiratione mixtum.

Non

Digitized by Google

Non ego negaverim hic intelligi poſſe, per magnum Pana, Dominum crucifixum, Et lamenta Dæmonum exaudita, ideò quod deſtructum Diaboli imperium, in illius morte, per deſcenſum ad Inferos intelligerent. Et meo quidem animo illud magis arridet, quàm quod exiſtimat Euſebius. Et ita Baronium ſenſiſſe patet. Verùm ὁ τῦ Παμφίλυ, non Chriſtum hic per Pana intellexit, ſed Dæmonas in Chriſti Cruce ſpoliatos, & triumphatos in Aſcenſione. Operæ pretium fuerit, Euſebius ait, Tempus obſervare, quo Dæmonis iſtius interitum contigiſſe narrat. Id autem imperante Tiberio factum eſt; quo tempore Dæmones, è Servatore noſtro inter homines agente jam tum, ex humanâ vitâ pelli ejicique cepiſſe Divina ſcribit Hiſtoria. Hæc & plura in eam rem Euſebius. de præparat. Euang. Lib. 5. cap. 17. non 9. ut eſt apud Cardinalem.

Sciſſuram petrarum, ſequitur apultura monumentorum. *ſtatim* autem aperta ſunt. continuò ſurrexerunt reſuſcitati: non
199. *Mortui qui reſurrexere.* tamen viſi publicè aut privatim, donec à mortuis reſurrexit Chriſtus. Solent autem hic quæri Quæſtiones. Qui fuerant? quo abierunt? quid de reſuſcitatis factum in divinâ diſpenſatione? ſunt qui Judæorum ſomnia ſequuti, patres fuiſſe autumant, in ſpeluncâ Machpelah ſepultos. et eo nomine Jacobum voluiſſe de Ægypto ubi moriebatur, in illam ſpeluncam tranſinferri. ſed patres illi, opinor, erant Judæis tum viventibus incogniti, nec ſi apparuerant internoſcendi. Cogniti autem iſti exuſcitati fuerant, aut non diceret Euangeliſta, *Et apparuerunt multis.* Fruſtra enim fit apparitio, ubi non eſt cognitio. Crediderim fuiſſe quoſdam non ita pridem collectos ad patres ſuos: notos multis tum viventibus. puta Joſephum, Annam, Simeonem, Zachariam, Elizabetham, Johannem Baptiſtam. nam quod contra Reſurrectionem Baptiſtæ objiciunt, caput ejus hodiè Romæ oſtendi, ridiculum, ſtolidum, blaſphemum eſt. Nam & alibi idem caput oſtendi volunt, ut biceps, triceps monſtrum Baptiſta fuerit. An verò iterum mortui fuerint & redierint in ſuos pulveres in ſecundis dubitatur. Author Quæſt. ſub Juſtini nomine, in reſponſ. ad Qu. 85. negat iterum mortuos. οὐκ ἐτελεύτησαν πάλιν, ἀλλὰ μένουσιν ἐν ἀθανασίᾳ, καθάπερ ὁ Ἐνὼχ, καὶ ὁ Ἠλίας. καὶ εἰσὶ σὺν αὐτοῖς ἐν τῷ παραδείσῳ ἀναμένοντες τὴν ἤδη αἰωνίαν τῆς τοῦ Χριστοῦ ἀναστάσεως γινομένην ἐναλλαγήν. εἰς γὰρ ἀθάνατόν τε καὶ ἄφθαρτον ζωὴν ὑπὸ γέγονε τινὸς ἡ ἀνάστασις πάλιν τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ. Vult ergo, non reverſos in pulveres ſuos: non receptos corpore in ſummo cœlo, ſed in Paradiſo; quem diſtinguit à cœlo glorioſo, generalem expectare Reſurrectionem. Euſebius, Lib. 4. Demonſtrat. cap. 12. opinatur in Cœlum, glorificatos corporibus cum Chriſto, aſcendiſſe. Cùm enim altiùs vocem emitteret, & patri dixerat, Animam apud te depono, ſolutus à corpore abiit, neutiquam expectans, dum mors ad ipſum accederet, ſed illam cunctantem, ac veluti ceſſantem, ac potius conjicientem ſe in pedes, & fugitantem, ipſe à tergo inſequens,

et

et impellens, æternaſque abditiorum tenebrarum portas refringens, & mortuis, qui illic mortis catenis impliciti erant remeandi ad vitam iter retrorſum aperiens. Hac ſanè ratione, ipſius etiam corpus mortuum excitatum eſt: & multa corpora eorum, qui dormierant Sanctorum ſurrexerunt: unáque cum ipſo in ſanctam & verè cœleſtem Civitatem ingreſſa ſunt. Ita quoque Tertullianus alicubi in Carminibus ait, Certum fuiſſe eos iterum non mortuos. quibus libentius aſſenſum adhibuero, quàm Theophylacto, πρόδηλον δὲ ὅτι καὶ πάλιν τεθνήκασι. quanquam poſteà dubitanter loquatur Ambroſius, in Pſalm. 1. *Ingreſſi ſunt in ſanctam Civitatem. Puto quod magis ſignificat illam ſupernam, quàm iſtam Jeruſalem, quam reliquit.* Notum eſt autem illud Thaddæi apud Euſebium, in 1. Hiſt. et Ignatium in Epiſtolis. κατέβη μόνος, ἀνέβη δὲ μετὰ πολλοῦ πλήθους.

Centurio, & qui cum illo erant, cuſtodientes Jeſum, viſis prodigiis quæ illuſtriſſima edebantur, timuerunt valde, dicentes, verè Filius Dei eſt hic. Centurionem iſtum Longinum nomine, fuiſſe vult Baronius. & tandem Martyrio coronatum. non autem militem illum cæcum, qui lanceâ Chriſti latus perforavit. De Centurione Martyre, Chryſoſtomus ait; Τινὲς δέ φασιν, ὅτι καὶ μαρτύρειόν ἐστι τῶ Κεντυρίωνος τούτου, ἀνδριζαμένου μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῇ πίστει de Martyrio, Fide, & Converſione credibile eſt: unde autem conſtabit de Longini nomine? Hoc nulli φασὶν apud Chryſoſtomum, vel quemvis ex antiquorum Choro. φασὶν aliqui è recentiorum turbâ, de quibus, haud multum laboramus, quid φασὶ. ſunt enim non λόγων, ſed μύθων Rapſodi. Aiunt alii contra, & communior eſt Traditio, militem qui lanceâ latus Chriſti perfodit, Longinum appellatum. Germanus in ſuâ θεωρίᾳ περὶ λόγχης loquitur, quâ utebantur olim Græci, in ſacrâ ſynaxi, inter Myſteria celebranda, fuiſſe uſurpatum vice lanceæ, quæ transfixit Chriſti latus pendentis in Cruce, impulſa à Longino. ita citat Gretſerus Germani locum. Ego nullum invenio Longinum memoratum, ſed hæc tantummodo apud Germanum, Ἡ λόγχη, ἀντὶ τῆς κεντησάσης τὴν πλευρὰν τοῦ κυρίου. apud Pſeudo-Auguſtinum, in manuali invenio ca. 23. *Longinus aperuit mihi latus Chriſti lanceâ: & ego intravi, & ibi ſecurus requieſco.* ſed, inquit Cardinalis, ex iſtis, nimirum de Longino Centurione apud Metaphraſten, qui ex Apocryphis quibuſdam ſcriptis tradiderunt, Longinum nomine, eumque cæcum, fuiſſe militem illum, qui Domini latus lanceâ aperuit. Et quidni cum illis redarguitur Romanum Martyrologium, ad diem Martii 15? *Cæſareæ in Cappadociâ, paſſio ſancti Longini militis, qui latus Domini lancea perforaſſe perhibetur.* & cum illis Baronius qui olim in illud Martyrologium ſcribens, unà cùm illis Apocryphis erravit. ſed δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. & tamen ex illis Gretſero, viro infinitæ lectionis, non perſuaſit, qui & militem & Centurionem Longinum utrumque facit: aut militem promovet in Centurionem, vulpes erat aut ſenticetum. 200. *Centurio Longinus.*

Incertum

geſto obrutos. Et apud Apollinarem in Chriſto patiente, non Beata Virgo, ſed Nicodemus clavos ſolvit, & extrahit. ſic ad eum Virgo,

> Καὶ φίλε Νικόδημε, σὺ πρῶτος τάχει
> Ἐμβαῖνε, πηκτὰς κλίμακας πρὸς ἀμβάσεις
> Ἐκπασσαλεύσων διγλύφους δόκους δίμας.

Nonnus autem, quod veriſimilius eſt, Joſephum ipſum τὸν ἐνταφιαστὴν narrat, hoc præſtitiſſe.

> ——— νεκυόστολος ἤλθεν Ἰωσήφ,
> Ἐγγύθι δὲ σταυροῖο πεπηγμένον ἄκρον ἐρείσας
> Δίζυγα χαλκὸν ἔλυσεν ἀκαχμένον ὀξέϊ δεσμῷ.

Venit Joſeph mortui tranſportator, ac juxta Crucem cùm firmaſſet fixum faſtigium, duplex ferrum ſolvit mucronatum acuto vinculo. Hæc ſunt mera περιήσματα Cardinalis.

Hæc omnia de Crucifixione Chriſti, geſta leguntur in Paraſceve. hoc eſt, ut nos loquimur, *die Veneris.* Omnem autem diem ſextam, ſive Veneris, Judæi vocabant *Paraſcevem*; quia illo die apparabant cibos, in Sabbato comedendos, quos in Sabbato parare aut κατασκευάζειν non licebat. unde ἔωλα ἐσθίειν de Judæis, apud Ignatium. Hæc autem Paraſceve, nimirum Paſchatis, *Magnus erat Dies Sabbati,* Johannes ait. Judæi ergo, ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura & tollerentur. Fractio illa quo inſtrumento fiebat, non exprimitur. Nonnus gladios advocat: ſic inquiens: 202. *Paraſceve.* *Fractio crurum.*

> ——— ὑψιτενὴς δὲ
> Πρῶτα μὲν διέτμηγεν ἀλοιητῆρι σιδήρῳ
> Μειλιχίου πόδα δισσόν. ἐπὶ σταυρῷ δὲ δεθέντος
> Ἄλλου κυκλιλόχου διδύμους πόδας ἄορι κόψας.

Moris fuiſſe vult Arnobius. ſed pauca opinor, extant exempla: Cur verò ſuffringerentur crura citò morientibus, medici nos doceant, & Chirurgi. Memini legiſſe apud Franciſcum Nanſium, notis in Nonnum, medicorum παῖδας aſſerere, liquorem quendam vitalem, genuum operculis incluſum contineri, qui ſi emittatur, continuò moriuntur. Liber non eſt ad manum. de tollendo autem mortuo, Lege Divinâ ſancitum erat. Deuteron. 21. ut ante ſolis occaſum ſepelirentur corpora ſublatorum. Quod à Joſuâ obſervatum legimus, cap. 10. in quinque Regibus Amorrhæorum quos ſuſpendio ſuſtulerat. Joſephus ergo videtur rogaſſe Pilatum, de corpore Jeſu tollendo, ut, quod fecit, honeſtiori ſepulchro inferret, nec terræ, cum latronibus, aut malefactoribus traderetur. Cum enim jam Sol occumberet, adiit ille Pilatum, quippe vir primariæ dignitatis, & petiit corpus Jeſu: quod illi, cognito jam expiraſſe, conceſſit. Joſephus ergo, & Nicodemus, *ferentes mixturam Myrrhæ & Aloes, quaſi centum libras,* linteis, acceptum corpus, involvunt cùm aromatibus, & in novo monumento poſuerunt. ſine veniâ præſidis, hoc *Chriſti ſepultura.*

Digitized by Google

non licuiſſet: ideò imprimis Pilatum adit. *Eorum in quos animadvertitur corpora,* inquit Ulpianus, *non aliter licet ſepelire, quàm ſi fuerit petitum, & permiſſum.* Joſephum, non ait Scriptura, attuliſſe illa aromata, ſed Nicodemum. tamen cum conjunctis operis hoc pietatis officium præſtiterint, fas eſt credere, communibus impenſis rem aggreſſos: ita tamen diſtinctam per ſuas vices: ut Joſephus Pilatum adiret: Nicodemus aromata afferret. erat enim feſtinandum, appropinquante Sabbato. Itaque συμπαρελαμβάνετο αὐτῷ ὁ Νικόδημος. Hoc autem eorum ἀπόδειγμα amoris & affectus potius effectum cenſuit Chryſoſtomus, quàm Fides. ἔτι γὰρ, ὡς περὶ ἀνθρώπου διέκειντο ψιλοῦ. Illa autem aromata afferunt, ait idem, quæ corpus, quàm diutiſſimè conſervare poterant, καὶ μὴ συγχωρεῖν ταχέως ἐνδιδόναι τῇ φθορᾷ. Nimirum, ut eo quaſi fruerentur. Ita olim in typum, Jacobus, à filio ſuo Joſepho ἐνταφιάσθη: niſi quòd Patriarcha Ægyptiaco more conditus erat: Servator, Judaïco. Qui tamen mos, non erat vulgaris, aut perpetuus, ſed ad libitum obſervabatur. Neque enim de Lazaro legimus, eum cum aromatibus ſepultum, licèt de *linteis* conſtet, quibus erat involutus. Nec enim tam citò fœtuiſſet, quod fatetur Martha, ſi cum Myrrhâ & Aloë fuiſſet conditus. de ſaxeo autem Sepulchro, eruditè, ut ſolet, è Rabbinis affert quædam Exercitator. nollem hic, uti & paſſim, arietaret in Annales, cùm non facilè expediverit ipſe, cujus Rabbini nomen fuerit, Alpheſi, vel Alphes. Et de Rabbi Jacob in Turmi, ſtatim injiciat mentionem: ut Turmi non poſſit eſſe Rabbini alicujus nomen: ſed Operis Titulus, à Rabbi Jacob elaborati.

203. *Ritus ſepulchrales.* Eruditè obſervat ex eodem Rabbino, ritus quoſdam Judæorum ſepulchrales, Judæorum, cum funeralibus aliarum Gentium congruentes. Nam oculos & ora mortuorum claudere ſolebant Romani. quem ad Græcos tranſtulit Ovidius.

> *Dii precor hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis*
> *Ille meos oculos claudat, & ille tuos.*

ita Penelope ad Ulyſſem. Erat autem cum inclamatione nominis defuncti. Propert.

> *At mihi, non oculos quiſquam inclamavit euntes.*

Qui tamen in rogo poſitis, iterum apud Romanos aperiebantur. Claudebantur verò per conjunctiſſimos. faſciâ ligabantur apud Judæos. Ita Lazarus redivivus, impediebatur, quo minùs foras exiret donec ligamenta ſolverentur. Nonnus, ut ſolet, eleganter.

> ——— καὶ ἐκ ποδὸς ἄχρι καρήνου
> Σπειρωθεὶς, παρέπηστο ὅλον δέμας οἶα χαλεποῖς.

et de Christo ſepeliendo Idem.

> Ἀμπλεκέες ὀθόνῃσιν ἀπεσφρηγίσαντο θανόντι
> Σῶμα πολυπλέκτῳ ἑλίκων εὐώδεϊ δεσμῷ,
> Ὡς ἔθος Ἑβραίοις ἐπιτύμβια θεσμὰ φυλάσσειν.

Linteis

Linteis circumdederunt, mortui corpus multiplici Circumvolutionibus tenuibus fragranti vinculo, ut mos eſt Hebræis ſepulchrales ritus obſervare. Lugentes comam ſcindebant. ſed quo minùs adhiberetur hic mos apud Judæos, Lege prohibebatur. Crinem autem mortuis tollebant Ethnici.

Virgilius, *Nondum illi flavos Proſerpina vertice crines*
Abſtulerat, Stygiove caput damnaverat Orco.

Et Statius,

Septima Lux, & jam frigentia lumina torpent,
Jam complexa manu crinem tenet infera Juno.

Sed abluebant prius quam linteis involverent. Ubi abluerant, ait Herodotus in Euterpe, ſyndone byſſinâ inciſis loris, totum corpus involvunt. (loquitur de Ægyptiis, à quibus pleroſque ſuos ritus ſepulchrales Judæi mutuabantur) gummi illinentes, quo Ægyptii glutinis loco plerunque utuntur. In eum finem, ut linteamina corpori tenacius adhærerent, Chryſoſt. in Johan. 19. σμύρνῃ συνέπασσε πολλῇ, ἣ μολύβδου ἐχ ἧττον συγκολλᾷ τῷ σώματι τὰ ὀθόνια. Calida lavabant Ethnici, ut animam, ſi pote, revocarent. aut commodioris ἐνταφιασμοῦ gratiâ, lavabant, vel domi, in ὑπερῴοις, vel in templis, ubi erant Labra, Aſconius. *Alii, Delubra dicunt illa Templa, in quibus ſunt Labra, corporum abluendorum gratiâ mortuorum. ut Dodonæi Jovis. & Delphici Apollinis, in quorum Delubris, lebetes tripodeſque viſuntur. erant enim illa labra tripodibus impoſita.* Lavabant & mortuorum è vulneribus, vulnera. ἔλουσα νεκρὸν, κατέλουσα τραύματα. ſolitos autem Judæos & ἐν χρῷ κείρεσθαι, docet illa narratio, de invento corpore Zachariæ, filii Joiadæ: ſi quam tamen fidem mereatur, quam non αὐτόπτης ille retulit, ſed ex aliorum narratione. quanquam & damnatos olim in χρῷ κείρεσθαι uſitatum fuiſſe, inſinuat in 1. Artemidorus. *Faſcias* porrò ſepulchrales, ut & cætera mortis Jeſu Chriſti Inſtrumenta. *coronam ſpineam, columnam, ſpongiam, arundinem, tunicam* inconſutilem, *clavos*, &c. quorum nulla prorsùs vel fugitiva memoria extat in Eccleſiâ primitivâ, aut apud probatos authores per partes, diſſectorum, aut integrorum, quæ diverſis hodiè locis extare memorant homines ingenioſi, ſed malè feriati, pecuniis emungendis, rei faciendæ intenti, de pietate, ſeu credulâ potius ſimplicitate ἀφελεστέρων; qui ῥινὸς ἄγεσθαι per impoſturas nimis patienter ſe permittunt. Ita autem per ætatem Juſtini Martyris, Cumis in Italiâ Sibyllæ antrum monſtrabant peregrinis loci Incolæ, & τρεῖς δεξαμενὰς ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἐξεσμένας λίθου, ὧν πληρουμένων ὕδατος λούεσθαι αὐτὴν ἐν αὐταῖς ἔλεγον. Ita olim Spartani prædicare ſolebant Epimenidis Cretenſis corpus, apud ſe, ut rem ſacram, cuſtoditum, referente Laërtio in ejus vitâ. Narrat etiam Pauſanias in Eliacis prioribus, quod ad Relliquiarum honorem imprimis ſpectat, Græcos dum in Trojæ obſidione moram facerent diuturniorem, admonitos oraculo, non poſſe urbem expugnari ſine Herculis ſagittis, & Pelopis oſſium aliquo tranſlato Trojam. Pag. 30. edit. Ro. Steph.

Hinc

Hinc Philoctetem in caſtra accerſitum narrat: & aperto Pelopis ſepulchro, ſcapulum ejus Piſis deportatum. Trojâ expugnatâ, cùm ſcapulum loco reponendum ſuo, nave portaretur, naufragio navim periiſſe, & ſcapulum mari ſubmerſum. Multis retrò annis piſcatorem quendam Eretrienſem, jacto everriculo, os illud è mari extraxiſſe, & miratum illius magnitudinem, in arenâ, ſed loco notato, condidiſſe: abiiſſe ipſum Delphos, ſcitatum cujuſnam os illud eſſet, & in quem uſum inventum illud adhiberet. Accidit ut Elei, peſte laborantes, eodem tempore conſulerent Oraculum, quâ ratione, à ſe peſtem abigere poſſent. Reſponſum eſt, ſi Pelopis oſſa reſarcirent: & Demarmeno (id nomen Piſcatori fuit) mandatum ut Eleïs, à ſe inventum os illud traderet. Quod cùm libenter faceret, muneribus donatus fuit ab Eleïs, & cùm ipſe, tum poſteri ejus perpetuis temporibus oſſis illius cuſtodes conſtitutos. Ita multis retrò ſæculis ante Sanctos Novi Teſtamenti, reliquiis cuſtodiendis, vel apud Paganos, ſed cujus tamen operâ atque ope, via muniebatur. Certè, τῶν παρὰ Θεῷ ζώντων, οὐδὲ τὰ λείψανα ἄτιμα, ait in Conſtitut. Clemens. ſed videndum ne ſacrilegè pietati & religioni illudatur, per proſtibula quædam μαγγανειῶν. ſed ad Textum, ut cum Marcellino loquar.

Relliquiarum origo.

Lib.6.cap.29.

204. Chriſti Domini corpus, odoribus de more conditum, & ſindone involutum, Joſephus ille nobilis ab Arimathæâ, in monumento ſuo novo, quod è petrâ exſculpſerat, cum curâ & honeſtâ procuratione reponens, ſaxum ingens advolvit, ad monumenti os, & abiit. Hoc obſervarunt mulieres, Mariæ duæ: nimirum Magdalene, & mater Jacobi atque Joſe, diſcipulorum Chriſti. εἶδες φιλοστοργίαν, εἶδες μεγαλο- εἶδες γυναικῶν ἀνδρείαν, Chryſoſtomus ait, ψυχίαν, τὴν ἐν τοῖς χρήμασι, τὴν μέχρι θανάτου. Judæi autem, deinceps, quid? antiquum illi obtinent. Nam cùm dicatur,

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit:

In Scribis & Sacerdotibus hoc non obtinebat. *Non ſufficiebat,* Hieronymus ait, *Principibus Sacerdotum, Scribis ac Phariſæis, crucifixiſſe Dominum Servatorem, niſi & ſepulchrum cuſtodirent: cohortem acciperent: ſignarent lapidem: & quantum in ipſis erat, manum opponerent reſurgenti.* Alterâ enim die, quæ eſt poſt Paraſceven, Pilatum adeunt, ita refert Matthæus, dicentes, *Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens, poſt tres dies reſurgam: jube ergo ſepulchrum cuſtodiri, uſque in diem tertium, ne fortè veniant diſcipuli ejus, ac furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis, & erit noviſſimus error pejor priori.* Obſervat acutè, piè, & eruditè Chryſoſtomus, Judæorum, & ipſorum hoſtium Sacerdotum & Phariſæorum impietatem multiplicem, proprio ipſorum teſtimonio diſpuli & diſjici, Chriſtianorum verò Fidem firmiſſimè roborari. Δεῖ γὰρ πιστωθῆναι. Nam nobis credendum proponitur in ſymbolo, Crucifixum, mortuum, & ſepultum, & tertiâ die reſurrexiſſe. Agnoſcunt hoſtes. *Vivus adhuc,*

Judæi petitio apud Pilatum, de cuſtodia.

Inquiunt,

inquiunt, *ita dixit.* Erat ergo, reverà mortuus. *Jube*, inquiunt *ſepulchrum cuſtodiri.* Erat ergo & ſepultus. Ita πανταχοῦ ἡ πλάνη ἑαυτῇ περιπίπτει. et erant nequiſſimi bipedum, αὐτοκατάκριτοι. Addit aliud κακούργημα & καθάρμα Theophylactus. Improbiſſimi hominum, qui toties tantas de violato per Servatorem Sabbato Tragœdias excitarant, cum tamen miſericordiæ Dominus potius intenderet quàm ſacrificiis, & Bonum in Sabbatis operaretur, hic Ipſoſmet, ſine ullo ſcrupulo, prophanaſſe omnium Sabbatorum ſanctiſſimum, ut invidiæ, malitiæ, crudelitati, & impietati ſuis ſatisfacerent: Pilatum adeunt: de ſepulchro ſignando conveniunt: lapidem obſignant: cuſtodiam apponunt: quæ omnia aut ſingula, per Sabbatum nullo modo fieri debuerant, nedum per Sabbatum ſanctum Paſchale. ἐκ ὀνομάζει τὸ Σάββατον. διότι ἔτι Σάββατον ἦν, ὅσον ἐπὶ τῇ κακίᾳ Ἰεδαίων. *Non vocavit Evangeliſta diem illum Sabbatum*, (ſed *Alteram diem* quæ eſt poſt Paraſceven) *Sabbatum. Certè enim Sabbatum non fuit, propter vel ex intuitu, improbitatis Judæorum.* Τῦ γὰρ νόμε διαγορεύοντος, τῇ ἡμέρᾳ τῦ Σαββάτε, μηδένα κινεῖσθαι ἐκ τῦ τόπε, οἱ παράνομοι Ἰεδαῖοι πρὸς ἀλλόφυλον Πίλατον συνάγονται ἀντὶ τῆς νενομισμένης συνάξεως. *Cum lege fuiſſet interdictum, ne per diem Sabbati* ſe moverent *loco, impii legis violatores Judæi, Pilatum adeunt alienigenam, qui debebant ſecundum legem congregari* Annuente Pilato, & dicente, *Cuſtodiam habetis*, milites ad votum veſtrum in procinctu, *Ite, cuſtodite, ſicut ſcitis*; illi abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem, ſecuri, quod videbatur, de Reſurrectione. Atque hæc Scriptura. Traditiones addunt apud Nicephorum, Lib. 1. cap. 32. *Ab antiquis ad nos per Traditionem derivatur, lapidem iſtum, quo ſepulchrum viteferum occludebatur, ad ſummum monumenti labrum, petramque inferne illi ſe conjungentem, ferramentis quibuſdam fabrili lapicidarum arte perforaſſe. ferrumque ingens à fabro, ex propinquo acceptum, per utrumque foramen immiſiſſe, & in circi, ſive annuli formam circumegiſſe: atque ita firmiter capitibus commiſſis, omni ex parte, quaſi vinculum, circumduxiſſe, ut lapis, qualicunque modo, loco ſuo revelli. aut ſaltem ratione aliquâ moveri (niſi arte quapiam, & vi adhibitâ) neceſſario, aut ferrum confringeretur, aut petra perrumperetur: non potuerit. Atque ad hunc modum, cum magnâ curâ, atque etiam ſigno appreſſo, cùm ſepulchrum firmiſſimè communiſſent, cuſtodiâ inſuper competenti conſtitutâ, abierunt.* Omnino probabilis eſt Traditio: eòque magis quòd apud Euangeliſtam mulieres hærent, de modo lapidem amoliendi. Hanc ſacerdotum ſtultam ἀπορίαν, non immeritò ridet Hilarius, *Metus furandi corporis, & furandi cuſtodia, & obſignatio, ſtultitiæ atque infidelitatis teſtimonium eſt, quod ſignare ſepulchrum ejus voluerint, cujus præcepto conſpexerant, de ſepulchro mortuum (Lazarum) ſuſcitatum.*

Violant Sabbatum.

Traditio de lapide ſepulchrali.

Ita Domini corpus, τὸ ἅγιον illud, ſepulchro, licèt alieno, quia non ita diu incolendo, honeſtè, & pio animi affectu illatum, 205.

Deſcenſus ad Inferos.

non

non viſurum ibi corruptionem, uſque ad tertium diem relinquimus. ſeparatam, in exceſſu, ab illo, animam, uſque ad Infernum ſecuturi: manuducti ab Apoſtolis in ſacratiſſimo ſymbolo, ubi immediatè, invicem hæc ſe ſequuntur, *Crucifixus: mortuus: ſepultus: deſcendit ad Inferos.* τὸ ζήτημα iſtud omittere non debemus, qui in votis & propoſito cum primis hoc habemus, ut cuivis pateat, τῆς ἐξ ἐναντίας, Eccleſiam hodiernam Anglicanam, veſtigiis inſiſtere, piæ & primigeniæ Antiquitatis, contra omnes quorumcunque Novatorum καινοτομίας. Eò autem ſtudioſiùs hoc agendum, quòd ex iis aliqui, qui ſe Romano-catholicos magnâ verborum pompâ deprædicare ſolent, inter ſexcentas abſurdas falſitates, & commenta prodigioſa, hoc ipſum imputare non erubeſcunt, plumbei cordis, ferrei oris, ardeliones magni, Eccleſiam Anglicanam articulum Fidei abnegare, Chriſtum ad Inferos deſcendiſſe. Fatendum, in Eccleſiâ Anglicanâ quoſdam, non multos tamen, nec magni nominis, aut eruditionis, *Calvini*, Bezæ, Perkinſi, Willetti, fanaticis deliriis irretitos, Chriſti *deſcenſum*, vel negare, vel elevare, vel in alienos ſenſus deformare, ſecum, & cum veritate pugnantia profeſſos: ſed τί ἡμῖν καὶ λευκοῖς ὄνοις; Certè non magis noſtri ſunt, quàm illi qui apud priſcos patres πάντα δόκησιν, nil verè, reale, humano more actum, per Chriſtum Dominum blaſphemabant. Profitemur in ſymbolo recitando: in baptiſmo adminiſtrando. Et quidem κατὰ γράμμα & τὸ ῥητόν, in Articulo 3. Confeſſionis, Expreſſius, *Quemadmodum Chriſtus pro nobis mortuus eſt, & ſepultus: ita quoque credi debet, deſcendiſſe illùm ad Infernum.* debet credi, non minùs quàm creditur mortuum fuiſſe, & ſepultum. Eodem modo credi: eâdem Fide. hoc eſt, ἀναγκαίως, & ad ſalutem neceſſariò: verè, realiter, actu actuali, niſi velimus putatitiè, aut figurate, crucifixum, mortuum & ſepultum. Anima Chriſti in triduo mortis, Infernum adivit damnatorum.

26 Anima, inquam, neque enim corpus eo deſcendit, aut è ſepulchro movebatur. anima disjuncta, & ſeparata deſcendit. Ineptiunt enim, imò & blaſphemant, qui Corpore & Animâ deſcendiſſe volunt: et Infernum inauditâ & horrendâ μετοικεσίᾳ & μεταθέσει, in hortum Gethſemane & Crucem transfundunt. dum *deſcendit ad Inferos*, interpretantur, tormenta paſſus eſt Infernalia (locum enim Inferorum vix aut ne vix agnoſcunt extare adhuc) hoc eſt, infinita, intoleranda, qualia patiuntur damnati in Inferno. omnia & ſingula peccatis, & peccatoribus debita. rejectionem, deſperationem, horreſco referens ſecundam mortem: quorum prodigiorum authores nominare poſſum. Animâ, & non Divinitate; quod futiliter imaginantur aliqui. Opera enim diſpenſationis & οἰκονομίας, ad Chriſtum hominem ſpectant, hoc eſt, Eccleſiæ caput, Incarnatum. Deus nec aſcendit, nec deſcendit, nec movetur loco.

Enter, præſenter, Deus hic & ubique potenter.

Deus

Digitized by Google

Deus Cœlum & terram continet, nec Cœlo nec terrâ continetur. Humanitatem reſpicit deſcenſus ad Infernum. ſed κυρίως. animâ non corpore deſcendebat. Anima, *realiter*, non *effectivè*: quæ ſententia communiter in Scholis obtinet. Chriſtum enim volunt οἱ ἐξ ἐναντίας ad Limbum tantùm Patrum reali actione deſcendiſſe, locali aliquo vel definitivo modo, Infernum damnatorum, non adiiſſe. μικρολόγως: nec ad rem. virtualis efficacia, vel operatio, quam appellant, nec eſt, nec uſurpari *deſcenſus* debet. Ca⸗ lici Romani, qui appellantur, Infernum, hoc eſt, Totius [illegible] regionis dimenſionem, quatuor nobis terminis circumſcripſerunt. *Limbum* ſtatuunt *patrum*, promptuarium animarum à corporibus ſolutarum ante Chriſti ἐνσάρκωσιν & ἀπολύτρωσιν. *Purgatorium*, locum deſtinatum animabus haud omni modo defæcatis. *Limbum puerorum*, ubi diſponuntur illi, qui ante Baptiſmum exceſſerunt. et *Infernum damnatorum*, ubi pœna cum damno ſempiterna. non damnum nudum ſine pœnâ. non pœna & damnum temporale. Horum trium poſtremarum nullam regionem autumant actuali realitate adiſſe Chriſti animam, ſed virtuali, operativo deſcenſu: reali, ſolum illud receptaculum piarum animarum. Nos autem tuemur & accuratè defendimus, Chriſti animam ſeparatam, motu locali & in diſtanti, omnia illa receptacula, ſi tamen extiterint, viſitaſſe: ſed certo certius Infernum damnatorum.

Non ut pateretur: hoc affirmat Latimerus in concione quadam. hoc Æpinus Lutheranus in Pſalm. 16. Carlileus contra Smithum, impiè de Deſcenſu blaterat, Fabulam appellans & fictionem. Smithus ipſe non minus impiè Chriſtum affirmat ibi paſſum fuiſſe, & Dæmonum cruciatibus ſubjectum. Cardinalis Allenus, de Purgatorio, eandem Hæreſim Calvino imputavit. improbè, malitioſè, & falſiſſimè. Calvinus enim, quod norunt & agnoſcunt omnes, Deſcenſum in Infernum ad Crucem refert. perversè quidem: ſed tamen ita ut mendacii Allenus coarguatur. πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως patiebatur Servator, πρὸ τῆς τελειώσεως, in horto, Prætorio, Cruce. ubi ſemel edixit, conſummatum eſt, terminus acceſſit paſſionibus. ab illo inſtanti, non jam ulterius proceſſit *humiliatio*, quod falsò præſumunt, ſed incepit exinde *Glorificatio*, manifeſtata per Reſurrectionem. pleniſſimè autem conſummata per Aſcenſionem. Deſcenſus ſpectat ad Glorificationem. 207. *Cur deſcendit.*

Si non ut pateretur, deſcendit, & tamen locus proprius & deſtinatus cruciatibus patiendis fuit, quorſum ergo deſcendit? 208.
Neque enim μάταιον aut ἄκαιρον à Deo quicquam procedit. Si enim non deſcendit ut *pateretur*, nihil erit in cauſsâ cur deſcenderit: ob eam cauſſam non deſcendit: ita nullus deſcendit ad Infernum. Sorites iſta planè σωρὸς eſt, rudis indigeſtaque moles: etiam tum cum fortius adprimatur. Euangeliſtæ qui tam minuta, tam ſpeciatim perſequuntur in hiſtoriâ Paſſio-

nis;

nis, ἐδημοῦ nobis muſſitant de *Deſcenſu.* Et hoc quidem verum eſt. non tamen concludit. ſilentium non probat nihil actum. Negativa argumenta non concludunt. Conſilia divina, haud temeranda, curioſius rationes ſatagendo. Quæ multæ, magnæ, validiſſimæ eſſe poſſunt, etiamſi nequaquam propalentur. Dicerem ego libenter, tacuiſſe eos ideò, quia, ſicut cætera omnia, in propatulo non proponebatur, ſed in abſcondito & ἀποκρύφοις peragebatur. Cùm tamen, ab effectu res notoria fieret, κατέβη enim μόνος, affirmant Patres, ἀνέβη δὲ μετὰ τῶν πλειόνων. deſcendit ſolus, aſcendit autem cum pluribus. unà enim cum illo ſurrexerunt corpora multorum προκεκοιμημένων, & multis per urbem apparuere. Cùm tamen prædictum vaticinio divino fuerit, *Non derelinques animam meam in Inferno.* Non derelictus ibi, erat inibi, aut nullo modo poterat non derelinqui. Tamen adhuc ut fortius ſtringamus nodum, multæ reddi poſſunt, nec impiæ, nec improbabiles, nec atheologicæ rationes, cur *Chriſti anima ſeparata, in* triduo illo mortis Infernum adiret damnatorum.

209\. Imprimis illam cauſſam deſcenſus admittendam cenſeo, ut curſum victoriæ ſuæ contra mortem, Inferni archiſtrategum perſecutus conſummaret, Infernum ipſum metropolin & δημιουργεῖον mortis & maledictionis expugnaret. Ita enim & conveniens fuit, quod è militaris diſciplinæ ratione ubique obſervabatur, ut pugnâ victi in acie pulſi, fuſis fugatiſq; manipulis ad caſtra, caſtella, & urbium munitiſſima, adacti hoſtes, captis & direptis caſtris & urbibus, debellentur. Nihil enim præſumitur eſſe actum, dum reſtat aliquid ad agendum. Summo illi Imperatori, Romanorum hoſti juratiſſimo Annibali objectum legimus, cum exprobratione à Maherbale, *vincere ſcis Annibal, victoriâ uti neſcis*: cum poſt internecinam Cannenſem pugnam, Romam ire expugnatum negligeret. ſane per vitæ ſuæ decurſum & *politiæ humanæ* ſæpenumero Servator Inferni duces, legiones, principem profligaverat, et confeſſos adegerat ad ſubjectionem. ſed ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς vertebatur in Cruce, *Uter eſſet, uter imperaret.* Nec fuit ſicut, teſtante in ſpiritu θεοπνεύστῳ vale, *O vos omnes qui tranſitis per viam, ſtate, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus: quoniam vindemiavit me Dominus, in die iræ furoris ſui.* Certè videtur in congreſſu illo, multis conſtrictus ἀσφαλεῖ, cum per ἄγνωστα παθήματα, ut rectè in Liturgicis appellant Græci, ἔκραξε μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς, ad Deum vitæ & protectionis ſuæ, *Deus meus, Deus meus, reſpice in me, ut quid me dereliquiſti?* Haud illum τὸν ἀγαπητὸν, dereliquit Deus, qui vel minimos ad ſe fugientes ſervat: ſed εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, Adſtitit à dextris in procinctu, Deus adjutor in manu validâ, & inſigni victoriâ potitus ille nobilis multarũ palmarũ Dux, fugientes è Golgotha perſecutus, ad Inferni proceſſit propugnacula: portas effregit: diſflavit vectes: Tenebras abyſſi exteriores ingreſſus, Fortem illum armatum, exutum armis, captivum æternis carceribus incluſit.

Coloſſ. 2, 15. Ita expolians principatus et poteſtates, traduxit confidenter,

palam

Digitized by Google

palam triumphans illos, *in ſemetipſo*, ἐν αὑτῷ, ita lego cum Interprete antiquo, non ut alii malunt, ἐν αὐτῷ, in Cruce ſuâ; quanquam & illud quoque verum eſt. ſed in illâ non erant omnia.

Secundo, deſcendit, ἵνα τὰ πάντα πληρώσῃ, ut adimpleret omnia. 210.
Apoſtolus inquit, Quæ autem omnia. Bernardus inſtat: & rectè reſpondet τῇ … ση. *Quæ prædicta, Quæ præfigurata.* Prædictum à Davide, N *derelinques animam meam in Inferno*: erat ergo non relictus in Inferno; ſine deſcenſu non poterat ibi eſſe: neque enim Indigena vel αὐτόχθων erat, remotiſſimæ à cœlo regionis. Cant. 2. 8. *ſaliens in montibus*, ſponſus venit. *videamus ſalientem*, Ambroſius ait. *ſalit de cœlo in virginis uterum: de utero* In Pſ.118. octon.7.
in præſepe. de præſepio in Jordanem: de Jordane in Crucem: de Cruce in tumulum. nempè quoad corpus: et quoad animam cur non in Infernum, ut deinde conjunctis, animâ & corpore, in cœlos reſiliret? Prædictum ab ipſo Matth. 12. ſicut fuit Jonas in ventre ceti, ſic erit Filius hominis in corde Terræ. Theophylactus *Cor terræ*, Infernum exponit: ſecutus Nyſſenum, Orat. 1. de Reſurrect. & Hieronym. non unó loco. & Tertullianus de Animâ, cap. 55. *Nobis Inferi*, inquit ille, *non nuda cavoſitas: nec ſubdivalis aliqua mundi ſentina creduntur: ſed in foſſa terræ, & in alto vaſtitas, & in ipſis viſceribus ejus abſtruſa profunditas. Siquidem Chriſtum in Corde terræ triduum mortis legimus expunctum: id eſt, in receſſu intimo & interno, & in ipſa terrâ operto, et intra ipſam cavato: et inferioribus adhuc abyſſis ſuperſtructo. Quodſi Chriſtus Deus, quia & homo, mortuus ſecundum Scripturas, & ſepultus ſecundum eaſdem hic quoque Legi ſatisfecit, forma humanæ mortis apud Inferos functus; nec autem aſcendit in ſublimiora cœlorum, quum deſcendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas & Prophetas compotes ſui faceret: habes & regionem Inferûm ſubterraneam credere.* Præfiguratum multipliciter, in Jacobo, in Jonâ, ſed imprimis Sampſone illo ἀλεξιμαχήτῳ, qui Gazam ingreſſus urbem incircumciſorum, velut captus ab Incolis reputabatur. ſed de nocte ſurgens, portas Civitatis effractas abſtulit, & in montes ſecum aſportavit. *Agnoſcimus hoc loco, Redemptoris noſtri opera*, ait Aug. Ser.107.de
Tollit portas Inferni, &c. cui aſtipulatur & Gregorius hom. 20. Temp.
Actum de Jeſu Nazareno; credebat Lucifer, Infernali, ut rebatur, carcere concluſo: ſed ſpe falſus: Domino excidit, & Magno optaverit emptam, nunquam eo loco comparuiſſe.

Tertiam cauſam advoco, ut triumphum duceret. Illudunt 211.
nonnulli χαμαίζηλοι Novatorum, & opponunt; ſi minimè Triumphavit apud Inferos, tum nequaquam deſcendit ad Infernum. At non triumphavit. Ergo. ſed reſpondeo, nugantur novi magiſtelli. Non tenet major, niſi ſolam & ſolitariam hanc cauſſam deſcenſus agnoſceremus. Illam è multis unam producimus, non ut ſolitariam præ nobis ferimus. Inſcite arguunt & ἀλογίστως, ad tollendum totaliter effectum, ab unius Efficientis, ubi aliæ concurrunt,

Digitized by Google

currunt,negatione. Minorem vero probant, erudito argumen-to,hoc eſt ſuo. Triumphat victor, præſentibus, acclamantibus, & comitantibus, qui unà prælio interfuerant [illegible]. Quaſi tritum non ſit, *ſimilitudinem non currere quatuor pedibus*, ſatis eſſe, ſi duobus innitatur. Deinde ita cogitant de Triumpho Chriſti, acſi P.. um aliquem, Æmylium, aut Scipionem Africanum, Romano inferrent Capitolio. Tertio, quod aſſignant falſum eſt. Non enim ſemper Triumphantis currum ſequebantur,qui rem geſſerant in provincia. Quarto, nec ſolum triumphaſſe probabunt: ſiquidem, quod viſum eſt, multis magnis Eccleſiæ doctoribus, Patriarchæ & Prophetæ, quod modo recitatum eſt è Tertulliano, apud Inferos detinebantur. Quinto, ut Fidelis nullas animas ibi offenderit, quid impedit quo minus Angelis adiverit ea loca comitatus? nec Scripturæ, nec Fidei, nec Eccleſiæ adverſatur Traditioni. Inſtant, Triumphus, pars & quidem præcipua fuit *glorificationis*. Deſcenſus ad Humiliationem & ἐκκένωσιν ſpectabat. Ita imaginantur qui in rebus Theologicis ſomniare ſolent. ſpectabat Deſcenſus ad Exaltationem. Paſſio, atque ita τελείωσις in Cruce conſummabatur. ſed expreſſiùs affirmo,Glorificationem dupliciter capi poſſe. Per Inchoationem, & proceſſum, per conſummatam perfectionem. Hanc ſibi fingunt in oppoſito: quam tamen non adivit, niſi per Aſcenſionem, in ſeſſione ad Dextram Dei patris. Et tamen de Reſurrectione intermedia Apoſtolus ait, *Declaratus in potentiâ Filius Dei, per Reſurrectionem à mortuis*. Quarto deſcendit è convenienti diſpenſatione, ut tanquam Dominus in realem poſſeſſionem ſe introduceret: ita enim ſolent, vel qui in vacuum veniunt, aut pretio redemptum acquirunt, aut bello captum in ſe tranſcribunt. Dominus eſt Inferni: Infernalium Domi-

Gen. 48. 22. nator. ut de ſe Patriarcha ille Jacob, Tulit illud de manu Amorræi, in gladio et in arcu ſuo. Certè Dominus noſter, Deus Incarnatus, poſſeſſionem accepit acquiſitam ſibi Mundi ambitum et partes ejus; ab extremo cœli, ad profunda Inferni. Homo factus, humanitate indutus, in illa ἀναστροφῇ diſpenſationis humanæ, quaſi aditurus hæreditatem, et ut Barbari loquuntur, ſeiſinam acciperet Univerſitatis, terram peragravit, mare ambulavit, per aerem tranſiit, in cœlum penetravit, corpore ſepultus terram occupavit, reliquum ut Inferni territorium adiret: id quod fecit in deſcenſu per animam.

212. Quinto, ut Diabolis inſultaret, et Damnatis obſignaret condemnationem. hoc eſt illud quod Coryphæus Apoſtolorum habet, 1. Pet. 3. 20. *(9 ..ficatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu. In quo, & is qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando*. Eſt autem Prædicatio, ad damnationem, æquè ac ad ſalutem. idque non tantùm agnoſcunt, ſed vehementius urgent, licet importunè, & impropriè,

Calvi-

Calviniſtæ. Non eſt ergo quod vereantur admittere Chriſti deſcenſum, ne ſimul admittant aliquorum, puta, Ariſtotelis, Platonis, &c. apud Inferos, converſionem. Prædicare etenim eo loco, ſignificat annuntiare, manifeſtare. Atque ita rationes ſecundùm pietatem & Fidei analogiam attulimus, aliquas: plures poteramus, ſed hæ ſufficient, deſcenſus ad Inferos Jeſu Chriſti; utcunque nec inde converſos, aut concluſos liberârit: aut Limbum quem fingunt, viſitavit. Atque ita de animâ Servatoris, ſecundùm traditionem Eccleſiæ perpetuam ſtatuimus, contra Novitates δοκησισόφων, non in Inferno concludenda. Quocirca redivivum expectemus νόστιμον ἐξ ἀΐδαο δόμων. Id quo tempore ſtatutum ab antiquo fuit, prædixit in figurâ, & ἀλληγορικῶς Oſe 6. 3. *Vivificabit nos poſt duos dies: in die tertiâ ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus, in æternum.* Ita enim, & rectè, vaticinium illud explicat Tertullianus, cùm utique poſt Reſurrectionem ejus à mortuis, quæ die tertiâ effecta eſt, ſecundùm Prophetam Oſe emiſſam, poſt biduum, die tertiâ, quæ eſt ejus Reſurrectio glorioſa, quam ſic demum declarant Euangeliſtæ, verbis aliquantiſper inter ſe, ut videtur, diſcrepantibus. *Cont. Iudæos, cap. 13.*

Cap. ult. *De Reſurrectione Domini.*

Veſpere autem Sabbati, Matthæus ait, *quæ luceſcit in primâ Sabbati, venit Maria Magdalene,* &c. Marcus ita refert, *Et quum tranſiiſſet Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Ieſum, & valde mane, una Sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam ſole.* S. Lucas extulit in hæc verba. *Vna autem Sabbati, valde diluculo, venerunt ad monumentum, portantes aromata quæ paraverant.* 1.

Una Sabbatorum, primam diem Septimanæ, vel feriam primam, hoc eſt, diem Dominicam deſignat. quo modo locutus eſt Apoſtolus Paulus, 1 Cor. 16. *Per unam Sabbati, unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat.* μίαν Σαββάτων τὴν κυριακὴν καλεῖ, ἀντὶ τοῦ, τὴν πρώτην τῶν Σαββάτων, ἤτοι, τῆς ἑβδομάδος ἡμερῶν. Eſt autem Hebraiſmus τῇ κλίσει congener. Gen. 1. *Factum eſt veſpere & mane dies unus.* *Vna Sabbatorum*

id eſt, primus valde diluculo, λίαν πρωΐ, cùm adhuc tenebræ Cœli faciem involverent, utcunque tranſiiſſet Sabbatum, hoc eſt, Judæorum feſtus dies, nondum luceſceret in primam Sabbati, venêre mulieres, nec tamen ſepulchro incluſum reperetant, *Surrexit* enim, Angelus ait, *non eſt hic.*

2. *Ser. 1. de Reſur. Domini. Reſurrectio celeris.*

Surrexit itaque celeriter, ut Poſtillatores loquuntur. *Reſurrectio Servatoris*, ait Beatus Leo, *nec animam in Inferno, nec carnem diu morata eſt in ſepulchro.* Nam ad horas præter propter xxxvi. manſit in ſepulchro corpus illud ſanctum, minimè ſentiens corruptionem: ſiquidem deſinente jam Paraſceve, & ſole vergente ad occaſum, de Cruce ſublatus, monumento illatus, per Joſephum Arimatheenſem, illam noctem integram & diem Paſchatis totam, in ſepulchro jacuit nocte ſequenti, ante Luciferum, ut exactè, ſed vocibus non iiſdem, diſponunt nobis ὁμοψηφεῖ Euangeliſtæ, aperto ſepulchro, remoto ſaxo claudente, ſurrexerat redivivus, & in ſuâ fortitudine ambulabat. *Tam velox incorruptæ carnis vivificatio fuit*, ſicut perſequitur Beatus Leo, *ut major ibi eſſet ſoporis ſimilitudo, quàm mortis, quoniam Deitas quæ ab utraque ſuſcepti hominis ſubſtantiâ, non receſſit, quod poteſtate diviſit, poteſtate conjunxit:* Id autem factum ait idem, *Ne turbatos diſcipulorum animos longa mæſtitudo cruciaret, denunciatam tridui moram tam mirâ celeritate breviavit, ut dum ad integrum ſecundum diem pars primi noviſſima, & pars prima tertii concurrit, & aliquantum temporis ſpatio decideret, & nihil de dierum numero deperiret.* Quod idem licèt paulò obſcurius, Gregorius Nyſſenus.

Tom. 1. de Reſur. Christi, pag. 823.

3. *Quæ cum ita ſe habeant, conſtat nobis præfinitum tridui ſpatium, à veſperâ poſt quintam, uſque ad veſperam Sabbati; tempus Reſurrectionis ita dimetientibus, ut interjecta nox connumeretur, quæ Paraſceven in dies duos, & noctem unam partitur. Decebat enim, ut in ejus imperio, qui ſæculis dominatur, novâ ratione ſpatia temporis accommodarentur ad rerum utilitatem, non autem res neceſſario, ſtatutis temporum terminis extenderentur, & divinâ potentiâ celerius, bona nobis ad exitum perducente, termini temporis ita contraherentur, ut non pauciores tamen quàm tres dies, & totidem noctes continerent. Hunc enim numerum, myſtica & arcana ratio continebat, nec ſolita dierum & noctium ſpatia celerem, divinæ virtutis actionem retardarent. Qui enim & ponendæ, & rurſus ſumendæ animæ cum vellet, habebat poteſtatem, poterat etiam tanquam ſæculorum author, efficere, ut actionibus ſuis tempus inſerviret, non autem tempori actiones.* Hæc ille.

4. *Fortiter.*

Surrexit igitur celeriter, ſed & fortiter, quod habent etiam rectè poſtillatores. Declaratus enim in virtute erat Filius Dei, per Reſurrectionem à mortuis. Primus enim ſurrexit ad vitam æternam: unde ἀπαρχὴ & πρωτότοκος mortuorum. qui revixerunt anteriores, rurſus in pulverem reverſi ſunt. Chriſtus reſurgens, non adhuc moritur, ſed vivit in æternum in conſpectu Dei. Imò *ſolus* ita ſurrexit, non ſolum *primus*, propriâ nimirum vi & virtute. cæteri à Deo reſuſcitati. Itaque ante adventum Angeli ſurrexerat, ad monumentum: qui non deſcendit, ut tolleret lapidem, ſurgenti Domino viam muniturus: ſed ut mulierum & Apoſtolorum Fidei præſtrueret viam. Egregiè commen-

Digitized by Google

commentatur Gregorius Nyſſenus, Orat. ſecundâ de Reſurre-ctione. *Cum*, inquiens, *lapidem revolviſſet Angelus, reperit Dominum reſurrexiſſe ſepulchro, quod ſigillis munitum fuerat, at præſidio militum cuſtodiebatur, ſicut Deum decebat, clauſo relicto, quemadmodum clauſis quoque januis penetrans in domicilium ad diſcipulos acceſſit.* *Non amoto lapide.* *Quare etiam dicebat, Non eſt hic, ſed ſurrexit. ſignificans Angelus, ante ſuum adventum admirabiliter accidiſſe reſurrectionem Servatoris, quam, ut Deus, propriâ virtute exequens in iis, quæ diſpoſita & deſtinata erant peragendis, nullum Angelorum auxilium deſideravit. Niſi enim hoc ita eſſet, diceret, Ecce reſurgit, ſignificans id quod ſtatim fieret: ſed quoniam ante factum erat, præterito tempore utens, dixit, Non eſt hic, ſed ſurrexit.* et Theophylactus in Matth. 28. ἔτι τοῦ λίθου ἐπικειμένου τῷ τάφῳ, Reſurrexerat Dominus, lapide adhuc ſepulchro incumbente. Poſtquam verò ſurrexerat Dominus, deſcendit Angelus, ut amoto Lapide acceſſus pateret mulieribus ad ſepulchrum. Sequutus eſt ille Chryſoſtomum, Μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἦλθεν ὁ Ἄγγελος. τινὸς οὖν ἕνεκεν ἦλθεν ὁ Ἄγγελος, καὶ ἦρε τὸν λίθον; διὰ τὰς γυναῖκας.

Huc etiam ſpectat Terræ-motus ille ingens, ab Angelo deſcendente inductus. Ecce enim terræ motus factus eſt magnus. 5. *Terræ-motus* Angelus enim Domini deſcendens de Cœlo, accedens revolvit Lapidem, & ſedit ſuper illum. eſt enim αἰτιατικὸν illud, *Angelus enim deſcendit.* Revolvit autem, non ut Chriſtus reſurgeret: impiè illud aiunt, ſi qui tenent, quod Maldonato, ſed maledico, authore habemus. Jam enim ſurrexerat. Nec erat illi opus miniſterio Angelorum ad ſurgendum. Nec Terræ-motus removendo inſerviebat Lapidi. expreſsè dicitur Angelus revolviſſe. Ideò autem Terræ-motus fiebat, ut experrecti Cuſtodes & terrefacti, vel inviti magnalia Domini, prædicarent. idque factum eſt, ut narrat Euangeliſta.

Chryſoſtomi de hac re, annotatio haudquaquam omittenda. 6. ait Lapidem remotum propter mulieres. hoc verum eſt. Non quod ſequitur. αὐταὶ γὰρ αὐτὸν εἶδον τότε ἐν τῷ τάφῳ. At hoc falſum *Error Chryſoſt.* eſt. Nam ante introſpectum ait Angelus, *Non eſt hic.* Non viderunt ergo illum ἐν τῷ τάφῳ: nec videre poterant, non exiſtentem ibi. viderant ἐν τῷ τάφῳ hoc eſt, cum Sepulchro recondereiur. ſed hoc non erat τότε: Id reſtat, ut αὐτὸν ad Angelum referamus, non Chriſtum. vidiſſe mulieres Angelum in Sepulchro. id enim de Angelo Marcus ait, ſediſſe eum à dexteris, ſed ἐντὸς τοῦ μνημείου. Matthæus è contra, ait ſediſſe ſu- *Diſſenſio apparens inter Euangeliſtas.* per Lapidem, à ſepulchro revolutum. Nunquid inter ſe diſſident? Theophylactus ait. Minimè: ſed veroſimile eſt (ita enim conciliat) apparuiſſe primùm, Angelum, ſedentem in Lapide: deinde, mulieribus ingredientibus præiviſſe, atque ita à dextris in Sepulchro conſediſſe. Perſequitur Chryſoſtomus,

ἐν

ἵν' ἐν πιστεύσωσιν ὅτι ἠγέρθη, ὁρῶσι τὸν τάφον κενὸν τοῦ σώματος, διὰ δὲ τοῦτο ἀνῆλθε τὸν λίθον. διὰ τοῦτο καὶ σεισμὸς ἐγένετο. Hæc vera ſunt, non quod ſequitur, de ſoporatis mulieribus, ut excitarentur. ἵνα διαναστῶσι καὶ ἀφυπνισθῶσι. καὶ γὰρ ἦσαν παραγενόμεναι, ὥστε ἀλείφειν βαλεῖν. καὶ ἐν νυκτὶ τοῦτο ἐγένετο· καὶ εἰκὸς ἦν τινας καθευδῆσαι. Hæc vera eſſe non poterant. Fortaſſis è cuſtodibus dormiebant aliqui, et ut illi excitarentur, & terrefacti omnes fugerent, & Terræ motus fiebat, et Angelus apparuit glorioſus. neque enim par fuit, ut rebus tam ſanctis & divinis intereſſent, homines à pietate, & civili morum uſu alieni. Ut ipſo terribili ſuo habitu perterrefaceret cuſtodes: qui non ferentes viſionem, parum abfuit, quin periirent, mortui facti metu.

7. Ita terreri oportuit, ut vel inviti rem geſtam enarrarent. Quod quidem ab ipſis factum fuit. *Quidam enim ex iis*, non omnes (qui tamen omnes fugerant) *venientes in Civitatem, ſummis ſacerdotibus annunciarunt, quæ geſta viderant. Qui conſilio inito, pecuniam copioſam militibus dederunt, ut in vulgus ſpargerent, veniſſe Diſcipulos de nocte, & dum dormirent ipſi, clam ſubduxiſſe Corpus è Sepulchro.* Quod exinde obtinuit inter Judæos. Improbè, ſed ridiculè. *Quid eſt, quod dixiſti, O infælix aſtutia?* ait Auguſtinus. *tantumne deſeris lucem conſilii, pietatiſque, & in profundâ verſutiâ demergeris, ut hoc dicas, Dicite quia vobis dormientibus, venerunt Diſcipuli ejus, & abſtulerunt eum. Dormientes enim teſtes adhibes? Verè tu ipſe obdormiſti, qui ſcrutando talia feciſti.* Et adhuc Chryſoſtomus. *Neque enim ſi qui corpus abſtulerunt, reliquiſſent linteamina, neque ſi furati eſſent, ſudarium involvere, & ponere in unum locum curaſſent: ſed ut erat, corpus abſtuliſſent.* Propterea dixit Johannes, *quod cum multâ Myrrhâ eſſet ſepultus, quæ non minus quàm pix corporis linteamina conglutinat; ut cùm audieris ſudaria in Sepulchro relicta, furto abreptum non arbitreris. Non enim fur adeò ſtultus fuiſſet, ut in re ſuperfluâ tantum laboraret.* Ita ἑαυτῇ περιπίπτει malevolentia.

Sacerdotum commentum.

In Pſal. 63.

8. Reſurrexit fortiter, quia *ſuſcitavit ſe*. ita enim prædixerat; *deſtruite hoc Templum, & tertiâ die reſuſcitabo illud.* de Templo autem Corporis loquebatur. *Poteſtatem habeo ponendi animam, & eandem reſumendi poteſtatem.* Hoc nulli mortalium concedebatur. Eſt enim actus Omnipotentiæ, quæ Creaturæ eſt incommunicabilis. Quocirca Paulus ad Romanos, 1. vocat δύναμιν, & rectè, τῆς ἁγιωσύνης. Et Chryſoſtomus alicubi, διαλλάττει τὸ ἐγεῖραι τοῦ ἀναστῆναι, de Domino obſervat. καὶ τὸ ἀναστῆναι, καὶ τὸ ἐγεῖραι τὸ σῶμα, illud autem αὐτὸς, & ipſum ſpectat, & ab eo alios comprehendit. Ipſum verò, quod & ſolus ſurrexit, non exuſcitatus, et ſolus ad vitam Immortalem. Τιμὴ μὲν γὰρ ἄνωθεν ... εἰς τὴν γῆν ... καὶ πρὸς ... υἱὸς ... ἀρχὴν ... Res quidem honorabilis, & dominatio poteſtativa fuit, ait Author Cardinalium Chriſti operum,

Tom. 6. σελ. ... 2. pag. 401.

operum, *ad corpus exanime ſpiritum revocare: ſed Reſurrectionis hujus cujus ſunt in Chriſto primitiæ, incomparabilis eſt dignitas, quam nec ſequitur corruptela, nec diſſolvit antiquitas, nec aliqua mutabilitas labefactat.* Illud autem imprimis fortitudinem commendat, quod κατέβη μόνος, ἀνέβη δὲ μετὰ τῶν πλειόνων, unde unde eduxit eos, et qui demumcunque educebantur. Εἰ εἰς ᾅδου κάτεισι, συγκάτελθε. γνῶθι καὶ τὰ ἐκεῖ Χριστοῦ μυστήρια, τίς ἡ οἰκονομία τῆς διπλῆς καταβάσεως; τίς ὁ λόγος; ἁπλῶς σώζει πάντα ἐπιφανείς, ἢ, κἀκεῖ τοὺς πιστεύοντας. Ita Na- *Orat. 42.*
zianzenus. ſed ſecreta temerare nolumus.

Surrexit ergo tertio Evidenter. ita ut de illâ dubitari non poſſit tot undique teſtimoniis confirmatâ, Hominum, Angelorum, Hoſtium ipſius. Nos *apparitiones* tantùm apud Euangeliſtas proſequemur. Illi, imprimis Petro factam & Mariæ Magdalenæ commemorarunt. citat ex Ambroſio Cardinalis, *Sicut ex Mulieribus Maria*, et aliæ Mariæ, Magdalenæ, ita ex vivis Petro viſus eſt primo mane. Et Paulus ſic ait, Reſurrexit tertiâ die ſecundùm Scripturas, & viſus eſt Cephæ. Et ideò Marcus ſpecialiter induxit juvenem, mandantem ut Petro & Diſcipulis dicerent Mulieres, Quia ſurrexit Dominus. Petrus ergo ſolus, vidit Dominum, alibi cum Johanne, alibi ſolus. ubique tamen impiger currit: ubique aut ſolus, aut primus. De Petro, certum eſt, propter illud Paulinum Teſtimonium: quanquam nullibi meminerint ejus Euangeliſtæ. Ideò autem imprimis Petro (nempè inter viros, nam ſimpliciter primum apparuit Mariæ Magdalenæ) ait Baronius, propter Primatum: quod non improbo, cùm dixerit Theophylactus, πρώτῳ ὤφθη τῷ Πέτρῳ, ὡς ὑπερέχοντι τῶν μαθητῶν. addit duplicem aliam cauſſam, Interpres idem, propterea quod princeps eum aliquando Filium Dei vivi confeſſus fuerat: et ſolus abnegaverat interrogatus. Ἔδει γὰρ τὸν ὁμολογήσαντα πρῶτον, καὶ τὴν ἀνάστασιν πρῶτον ἰδεῖν, καὶ διὰ τὸ ἀρνήσασθαι δὲ φαίνεται αὐτῷ πρῶτον, ἵνα δείξῃ αὐτῷ ὡς οὐκ ἀπέρριπται: Hoc eſt quod Baronius habet, *ut eum mœrore & dolore proſtratum erigeret & ſublevaret.*

9. *Evidenter.*

Apparitiones.

Petro primum.

Aſt inter Mulieres, primùm Mariæ Magdalenæ apparuit: imò illi ſimpliciter primus. Nam vetus illa Baronii Traditio, de apparitione Beatæ ſuæ Matri, jamdudum οἴχεται ἐς κόρακας, apud me nullam habet Fidei vel credulitatis opinionem: nec reformido Cardinalis cenſuram, *Nemo pius, puto negaverit.* Me ut negem, pietas movet. Nam Marci 16. 9. legitur, *Surgens autem Jeſus mane primâ Sabbati apparuit, primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem dæmonia*: ſecundo, quia non opus erat ut illi appareret. Nam qui *affectus* hic humanos in Chriſto comminiſcuntur, longè infra dignitatem Divinæ Majeſtatis ſubſident. Qui de *meritis* loquuntur, vera prædicant, ſed ἀπροσδιόνυσα. Non enim de meritis operum, aut remuneratione agitur in hâc divinâ diſpenſatione. Incongruum certè fuit, ut Matri benedictæ appareret, cùm conſtantiſſimè illa, & qui-

10.

Maria Magdalena.

Matri nequaquam.

& quidem ſola, in Fide Servatoris, conſtitiſſet. Volunt, & rectè meo animo, dum Chriſtus in Sepulchro, & apud Inferos verſaretur, Eccleſiam in ſolâ beatâ Virgine, ſartam tectam conſtitiſſe. Cùm ergo, ad amoliendam incredulitatem, & fidem faciendam veritati, apparitiones illæ diſponerentur, omninò incaſſum apparuiſſet illi quæ ne tantillâ in fide vacillaverat. Quod verò crepant, Traditionem, ὕθλον eſt καὶ φλυαρία. Nulla apud antiquos Traditio extat. Chriſtophorus à Caſtro, qui rimavit omnia, unum ex antiquis, nec valde antiquum tamen, Sedulium commendat, ποιητικώτερον loquentem. Cæteri ſunt inferioris & notæ, & temporis, ac etiam fidei: Metaphraſtes, Anſelmus, Rupertus, Nicephorus, quorum aſſertiones non eſt cur moremur.

11. Non magis, quam quod ex Euangelio Nazarenorum, Apocrypho, Hæretico, Hieronymus refert, apud Cardinalem. *Euangelium quoque quod appellatur ſecundùm Hebræos*, ait ille, de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *& à Me nuper in Græcum Latinumque ſermonem* (malè feriato) *tranſlatum eſt, quo & Origenes ſæpe utitur, poſt Reſurrectionem Salvatoris refert. Dominus autem, cùm dediſſet ſyndonem ſervo Sacerdotis, ivit ad Jacobum, & apparuit ei. Juraverat enim Jacobus, ſe non comeſturum panem, ab illa hora, qua biberat Calicem Domini, donec videret eum reſurgentem à mortuis.* Rurſumque poſt paululum, *Afferte ait, Domino, menſam & panem.* Statimque additur, *Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & poſt, dedit Jacobo Juſto, ac dixit, Frater mi, comede panem tuum, quia reſurrexit Filius hominis à dormientibus.* Fabuloſa, ſed non impia narratio. Neque enim omnia mentitur Diabolus: aut blaſphemant Hæretici. apparuiſſe Jacobo, pronunciat Paulus: ſed cui Jacobo, non aſſignat. Credibile Zebedæi, cùm de Petro & Johanne, & illo tertio conſtet in monte glorificato, in horto agonizato, affuiſſe. et illi dictum cum duobus aliis, *Nemini dicatis, donec Filius hominis reſurrexerit.*

Commentum Euangelii Nazarenorum.

12. Apparuit igitur primo Mariæ Magdalenæ, Marc. 16. 9. ſed ubi, ſed quando, ſed quomodo, non expreſſit. Et profectò, univerſa hæc hiſtoria de Mulieribus, multis involvitur difficultatibus. Et veterum & recentiorum hic ſudavit induſtria. Laudamus veteres: ſed cur non utamur liberè, & noſtris cogitationibus, modò non abhorreant à veritate? Videtur condictum inter Mulieres fuiſſe, quæ Dominum ſequebantur de Galilæâ, miniſtrantes ei de facultatibus ſuis: quæque Cruci affixum intuitæ fuerant, & Sepulchro mandatum per Joſephum, aromata coemiſſe eodem illo die; quieviſſe verò per Sabbati ſollennitatem, narrantur, ut finito Sabbato, valde diluculo, monumentum accederent, & corpus defuncti aromatibus condirent. Hæ cùm plures eſſent, nec de uno loco, aut iiſdem ædibus convenirent, memores promiſſi, & condicti, in viam

De apparitione Magdalenæ.

viam ſe dant, & ſepulchrum accedunt: aliæ citiùs, tardiùs aliæ. Antevertit cæteras Magdalene: quæ fervidior, utpote quæ multum diligebat, & ſola prior acceſſit ad ſepulchrum, ita tamen ut priuſquam adſtaret illi, eam aſſequeretur altera Maria, nempe Jacobi. Hoc eſt quod refert Matthæus. et continuò, apud Marcum, Salome, mater nimirum liberorum Zebedæi. obviæ iſtæ ſibi invicem factæ, de præſenti inſtituto tractant, & inter cætera; Quis lapidem amoveret. Dum colloquuntur, monumento adſtant, & lapidem vident amotum, & Angelum illi inſidentem. ad cujus aſpectus cùm eſſet ſicut fulgor, & veſtimentum ſicut nix; Perterrefactæ, extimuerunt illæ. id affirmat Marcus: *obſtupuerunt*, inquiens. ſolatur Angelus, & jubet non timere. at illæ tamen, ut mulieres ſolent, viſione perterritæ, fugiunt de monumento. ita narrat Marcus, *Illæ exeuntes fugerunt de monumento. invaſerat illas enim tremor & pavor.* et nemini quicquam dixerunt. Fugientibus illis, ſubſtitit Magdalene, & altera Maria; Poſtquam aliæ abierant, ait ad illas, quæ remanſerant, Angelus, Jeſum quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit, non eſt hic. Venite, & videte locum ubi poſitus erat Dominus. Venerunt autem, & viderunt locum, & alterum Angelum à Dexteris ſedentem in monumento, præeunte illo, qui in lapide conſederat. Ubi ingreſſæ, locum contemplatæ fuerant vacuum, jubentur Apoſtolos adire, & ipſis Euangelia, de redivivo Domino, annunciare. Exeunt illæ: & inter eundum, in cæteras, quæ fugerant prius, mulieres incidentes, ſimul omnes, cum gaudio & timore, Apoſtolos adeunt, certioreſque faciunt, de quibus viderant. Ita enim narrat Lucas, omnes conjunctim retuliſſe, *Erat*, inquiens, *Maria Magdalene, & Johanna, & Maria Jacobi, & cæteræ, quæ cum iis erant, qui dicebant ad Apoſtolos iſta.* Johannes hoc adſcribit Magdalenæ. non autem ſoli, ſolitariæ, vel excluſivè. ſed quia, os & lingua cæterarum illa fuit cæteris promptior, & fervidior. Qui etiam Petrum nominat, & dilectum diſcipulum, quibus iſta annunciabantur. Nequaquam quod & alii non id audirent: ſed quia Principes erant, κορυφαῖοι; et quod ſoli cucurrerint ad ſepulchrum, viſuri quæ narrabantur. Utroſque enim iviſſe, Johannes narrat particularius: cum Lucas unius Petri mentionem faciat. Antevertit Johannes Petrum, junior ſiquidem & ποδάρκης. ſed Petrus τὸ ἐλλειπὲς ſupplevit: nam primus introivit monumentum, & vidit non Angelos, ſed linteamina. Reverſi ad ſocios, narrant quæ viderant. Et mox duo è numero convenarum, Emauntem verſus ſe accingunt. Ita enim apud Lucam loquuntur ipſi, *ſed & mulieres quædam è noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerant ad monumentum, & non invento corpore ejus venerunt, dicentes, ſe viſionem Angelorum vidiſſe, qui dixerunt, Eum vivere. Et abierunt quidam è noſtris ad monumentum*, Petrus nempe & Johannes, *& ita invenerunt, ſicut mulieres dixerant, ipſum verò non invenerunt.* hucuſque igitur non apparuit Chriſtus.

13. His ita in hanc ſeriem rectè, ut opinor, conjectis, proſequimur narrationem de Mariæ factâ apparitione. Illa enim poſtquam narraſſet quæ viderat: & poſt egreſſos Petrum & Johannem, ſequuta ipſos, rediit ad monumentum, ubi fortaſſis aromata repetenda reliquerat. & ulterius de Domino quæſitura. *Magdalene ulterius.* Reverſa autem ſtabat foris plòrans, & proſpiciens, ut amantes ſolent abſentium κειμήλια dilectorum, vacuum & inane monumentum, vidit in ſepulchro duos Angelos in albis, ſedentes: unum ad caput, unũ ad pedes, ubi poſitũ fuerat corpus Jeſu. Nec perculſa timore, fortior è viſione præcedenti facta. Dicunt Angeli: *Mulier, quid ploras?* reſpondet, *Quia tulerunt hinc Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum.* His dictis, ſe convertit retrò, & vidit à tergo *Ipſum vidit.* Jeſum ſtantem, quem tamen de vultu non agnoſcebat, credens autem loci cuſtodem fuiſſe, vel hortulanum rogat, ut ſi corpus abſtulerit, indicare velit ubi poſuerat. Hic de nomine compellat eum Jeſus, & illa agnitum veneratur; cætera perſequitur Johannes. Qui & narrat; abiiſſe ſecundò ad Apoſtolos, & ipſo Domino jubente, edixiſſe quæ viderat, & audiverat. Et ita fuit princeps illa apparitio, facta Mariæ Magdalenæ.

14. *Altera apparitio.* Sequuta eſt altera ſtatim apud cæteras mulieres, quæ terrore perculſæ fugerãt. Nam & illis videtur ſe Dominus manifeſtaſſe, apud Lucam, ubi obviam iis factus euntibus ad Apoſtolos, ſic compellat, *Avete:* Illæ autem acceſſerunt & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. *Tunc ait illis Jeſus, nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* An cum iſtis fuerit Maria Magdalena, diſputatur. ſunt qui opinantur. ut bis eodem penè momento illi Dominus aparuerit eodem die. Ego potius in Toleti ſententiam inclino, illam cum iſtis non fuiſſe: et ſemel tantùm eo die vidiſſe Dominum. Iſtas autem accedentes ad Apoſtolos, ibi Mariam Magdalenam inveniſſe: quæ & ipſa eadem prius annunciaverat. Ita mulieribus ſe inprimis revelavit Dominus. Non ob id quod diluculo ſurrexerant, in mercedem ſui ſtudii & feſtinationis: Quanquam id cum pietate conjunctum eſt: juxta illud magni Vatis,

Cura Deûm Dii ſunt, & qui coluere coluntur:

et majoris Prophetæ, *Honorantes me honorabo.* ſed quod Euthymius habet Mulieribus pro Apoſtolis uſus eſt ad Apoſtolos, honorans genus, quod ex ſerpentis ſeductione infame factum fuerat. Et quia olim mulier facta eſt miniſtra mœroris, nunc mulieres fiant viris miniſtræ gaudii.

15. *Tertia Petro.* Tertiam ἐκφανέρωσιν Petro factam opinor. Fuiſſe priorem illâ duobus proficiſcentibus Emmaunte, factâ, certum eſt: Nam quod Lucas narrat, cùm illi duo reverſi, hoc ipſum Apoſtolis annunciarant de cognito Domino in fractione panis, reſpondent Apoſtoli, *Dominum reverà reſurrexiſſe, & Simoni apparuiſſe.* Quaſi rem non novam annunciarent illi, ſed dudum cognitam à Simone cui apparuerat. Fruſtra igitur fuit vir eruditus qui affirmat,

Non

Digitized by Google

Non poſſe ſciri, utra illarum apparitionum prior fuerat. Pro-
cul omni dubio prior illa fuit facta Beato Petro. Ordine enim
procedit Divina diſpenſatio. Erant illi duo è Diſcipulis. Pe-
trus Apoſtolus, & quidem primas Apoſtolorum. ita loquitur in
hac ipsâ re Chryſoſtomus. τῷ κορυφαίῳ πάντων. Oportuit autem
ut prius Apoſtolis revelaretur ἀναστὰς, quàm Diſcipulis: eò
quòd & digniores: & in hoc aſſumpti ſpecialius, ut eſſent
Teſtes Reſurrectionis. ſed de Petri in hâc re prærogativâ,
Chryſoſtomus in 15. 1. ad Corinth. 5. ita concionatur. Re-
quirebatur anima valdè fideliſſima, cui iſta ante alios concredi
debebant. Οἱ μὲν γὰρ, μετὰ τὸ ἑτέρους ἰδεῖν καὶ ἀκοῦσαι, παρ' αὐτῶν βλέποντες ἔχειν, οὐ μικρὰν συντελοῦσιν εἰς τὴν πίστιν αὐτοῖς τῶν ἐκείνων τὴν μαρτυρίαν, καὶ προπαρασκευάζουσαν τὴν αὐτῶν διάνοιαν. At qui primus eo honore dignus
fuit habitus, ut illud videret, magnâ, quod dixi, & multâ in-
digebat fide, ne ſpectaculo præter omnem expectationem ob-
lato, terreatur. Atque hanc ob cauſſam Petro apparet pri-
mum. Qui enim princeps illum confitebatur Chriſtum, non
immeritò ante alios dignatus eſt Reſurrectionis cognitione.
Nec ob hanc cauſſam ſolam apparebat illi, ſed quia abnega-
verat, ex ſuperabundantiâ illum conſolatur, eique declarat,
quod nequaquam conclamatus fuerat. Quocirca, & ſuâ viſio-
ne illum ante alios dignatur, & oves ſuas illi principi com-
miſit. Et quidem ante omnes mulieribus apparuit, quia gens
mulieribus, princeps devicta ſubjiciebatur. quocirca eandem,
& cum naſceretur, & cùm reſurgeret, teſtes habuit ante om-
nes. Imprimis ergo Petro fiebat revelatio, & tum illis euntibus
Emauntem.

Quinam illi fuerant, conſtare nequit, quia non dicitur. Li- 16.
quet de altero Cleopam fuiſſe. ſecundum volunt aliqui Natha- *Emmauntem eun-*
neelem. Et certè cum Apoſtolis verſatus legitur poſt Reſurre- *tibus.*
ctionem, apud Johannem. Mihi nullo modo placet, ut Natha-
neel fuerit. quippe qui cum Apoſtolis illum recenſeam, Bartho-
lomæum: non cum Diſcipulis 70. ſunt qui Lucam ipſum fuiſſe
arbitrantur. nec improbabile: cùm nomen ille ſecundi reti-
cuerit, nolens præ modeſtiâ ſe nominare ipſum. Loquebatur
ex aliquâ non ſcriptâ proculdubiò traditione & ἀδιαπτώτῳ Ambro-
ſius, qui Ammaonem neſcio quem Cleophæ adjungit ſocium: neq;
enim tam ſtupidus fuit, ut Emmauntem vicum in virum mirabili-
ter immutaret. Emmaunte volunt Cleopam habitaſſe. Et quidni?
Erat caſtrum, caſtellum, vicus, in tribu Juda, multipliciter cele- *Emaus.*
bris in Hiſtoriis Judæorū. Victoria imprimis Judæ Macchabæi, de
ducibus Antiochi ibi profligatis. 1. Mac. 3. Gabinius Syriæ præſes
cùm per varia Palæſtinæ loca, Tribunalia, Synedria, aut Parlea-
menta cōſtitueret, Emmaunte unū eſſe voluit, quod relatū à Joſe-
pho. poſteà, quod recitat è Joſepho Baronius, Quintilius Varus
expugnatū delevit propter Romanos milites ibi cæſos. Fuit ergo
Viculus ſub ætate Chriſti. poſteà reſtaurata Nicopolis dicebatur,

et terræ motu ſubverſa, iterum eodem nomine refloruit. Citat Baronius, è Sozomeno, de fonte in illo agro ſanandis corporibus apto, iſta. *Eſt urbs Palæſtinæ, quæ jam Nicopolis dicitur: cujus quidem ut Pagi,* ſic enim tum fuit, *divinus Euangeliorum liber facit mentionem, eamque Emaus appellat.* At *Romani, captâ Hieroſolymâ, & partâ contra Judæos victoriâ, eam Nicopolin nuncupabant. nomine, ex eventu belli impoſito. Ante hanc urbem, propter trivium* (ἀπὸ τῆς τριοδίας) *in quo Chriſtus, poſt Reſurrectionem à mortuis, cum Cleopa incedens, faciebat, ac ſi ulterius tendere vellet, eſt fons quidam ſalutaris, in quo, non homines tantùm, qui ægrotant, loti curantur, verumetiam alia animalia, quæ variis morbis laborant. Nam memorant Chriſtum, unà cum Diſcipulis, quodam tempore, è viâ ad fontem illum divertiſſe, & in eo laviſſe pedes, è quo tempore, vim morbis medendi aquæ fuiſſe inditam.* Hæc ille, cujus narrationis fides, ut rectè Bulengerus, non erat elevanda, propterea quod Euſebius, & ex eo Hieronymus non meminerint. Meminit Joſephus aquarum calidarum, utroque illo antiquior. Et ſanandis corporibus aquas idoneas. Poſterior erat Chriſti ætate Joſephus. rem narrat, cauſſam non attingit, neque enim ſpectabat ad Hiſtoriam. Et quidni fuerit, ut Sozomeno placet, particularis illa, loci Traditio? nec inauditæ ſunt ejuſmodi, nec inuſitatæ.

De Cleopâ quis fuerit diſputatur. Errant, qui Joſephi illius
17. *Cleophas.* Chriſti nutricii, fratrem putant. habuit ille fratrem Cleopham, vel Clephan dictum, qui è Mariâ Cleophæ, cujus meminit Euangelium, Simonem ſuſcepit, Hieroſolymitanorum, poſt Jacobum, fratrem vel conſobrinum, Epiſcopum. de eo, Euſebius Hiſt. 3. cap. 10. *Quod ſi quis Simonem oculis tum Dominum conſpexiſſe, cum auribus ejus ſermonem accepiſſe dixerit, ratione certè id quidem poteſt, non ſolùm longinquitate temporis quo vixit, ſed Evangeliorum teſtimonio, quod Mariæ Cleophæ meminerint:* ubi citatur Maria Cleophæ uxor, pro argumento utens, cujus filius fuit. ſed non erat ille è diſcipulis Jeſu. et ante hæc tempora fatis conceſſerat: nec in Judæâ, Emaunte, ſed in Galilæâ habitabat. Aſſentiendum igitur Chriſtophoro à Caſtro, in Hiſtoriâ Deiparæ. Alter hic eſt, ab illo Diſcipulo, qui ut à Lucâ refertur, cap. 24. ibat in Emaus. Hic enim de quo eſt modò nobis ſermo, Græcè Clopas, ille verò Cleopas dicebatur. de hoc Diſcipulo in Romano Martyrologio legitur. In Caſtello Emmaus natalis beati Cleophæ Chriſti Diſcipuli, quem tradunt in eâdem domo, in qua menſam Domino paraverat, pro Confeſſione illius, à Judæis occiſum & glorioſâ memoriâ ſepultum. Hanc domum in Eccleſiam Paula convertit, & conſecrari fecit, quod relatum ab Hieronymo, in Epitaphio ejuſdem Paulæ.

Quinta ſequitur apparitio, facta omnibus Apoſtolis, de quâ
18. *Quinta.* Beati Lucas cap. 24. & Johan. cap. 20. ille ſeriem narrat. iſte tempus. Nempe dum reverſi ab Emaunte Diſcipuli narrant quæ viderant, & audiverant. Quæ geſta erant in viâ: & quemadmodum

Digitized by Google

admodum agnoverunt eum in fractione panis. *Dum hæc loquuntur, ſtetit Jeſus in medio eorum, & dixit iis, Pax vobis.* Erat autem, Johannes inquit, *ſerò diei illius*; una, hoc eſt, prima, Sabbatorum, & fores cum eſſent clauſæ, ubi erant congregati, ob metum Judæorum. Notanda circumſtantia, de foribus clauſis. Improbè detorquent Scripturas illi, qui Chriſtum pulſaſſe volunt, quemadmodum Petrus, Act. 12. & apertis foribus introiiſſe. improbè alii, qui Chriſtum aperuiſſe illas per potentiam Divinitatis ſuæ volunt, quemadmodum Act. 12. fores civitatis ferreæ, Petro & Angelo adaperiebantur. improbè, qui ſponte patuiſſe volunt: qui per feneſtram, aut aliter introiiſſe. non minus quàm Maldonatus ridiculè, qui Petrum & Angelum, clauſas carceris fores penetraſſe opinatur, eoque non legitur ſponte patuiſſe. Ingreſſus eſt Chriſtus clauſis foribus: ſtetit in medio: ſubito adventu notus. non tantùm, eo tempore ingreſſus, quo claudebantur fores: hoc eſt, de nocte. ſed non apertis foribus, ut introiret. Ita nuper ſurrexerat nondum revoluto lapide. ita non effracto utero virginali, mater eum μήτραν ἀπέδειξε κεκλεισμένην. *Clauſæ erant fores*, Theophylactus ait, *ut oſtendat quod ita ſurrexit ſuprapoſito lapide, ſuper ſepulchrum.* οὐ τὴν θύραν ἐπέταξεν, ἀλλὰ ἀθρόον ἐπέστη μέσος. et hoc erat θαυμαστόν, Chryſoſtomus ait, & Auguſtinus, Tract. 121. *Moli corporis, ubi Divinitas erat, oſtia clauſa non obſtiterunt: Ille quippe, non iis apertis intrare potuit, quo naſcente, virginitas matris inviolata permanſit.* Et Lib. 22. de Civitate Dei, cap. 8. de miraculo quodam edito loquens concludit, *Non credunt hoc, qui etiam Dominum Jeſum, per integra virginalia matris enixum, & ad Diſcipulos oſtiis clauſis ingreſſum fuiſſe non credunt.* Clauſis januis.

Sed imprimis ille, quiſquis erat, author valde antiquus, qui 19.
Quæſtiones & Reſponſiones edidit ſub nomine Juſtini Martyris, Q. 117. *Si corpus partibus ſuis condenſatum, ubi portæ occluduntur, prohibitum habet tranſitum, quo modo Chriſtus ad Diſcipulos ſuos intravit, cùm eſſent occluſæ fores? ſed ſi verum fuit, quod occluſis foribus, corpus illud quod intus viſebatur, corpus erat, lapis ille qui Dominico ſepulchro incumbebat, quomodo ab Angelo removebatur, ut Dominicæ Reſurrectioni pateret aditus? ſi veritatem dicit Scriptura, quæ de foribus occluſis loquitur, tum neceſſe eſt, ut ſpiritus, non corpus intraverit. Quodſi corpus illud, modò corpus, modò autem ſpiritus fuit, quomodo non admiſit converſionem corporis ſubſtantia?* Huic quæſtioni ita propoſitæ ſic reſpondet. *Quemadmodum Dominus ambulabat ſuper aquas, non per aliquam converſionem corporis in ſpiritum, ſed per Divinam ſuam potentiam, mare pervium ad ambulandum ſibi reddidit, nec tantùm proprio ſuo corpori, ſed & ulterius Petri: ita & per Divinam eandem ſuam virtutem, egrediebatur è ſepulchro, lapide etiam tum ſepulchro incumbente. et intrabat ad Diſcipulos, clauſis foribus. Neque enim, in gratiam Reſurrectionis ejus, de ſepulchro lapis auferebatur, ſed ut manifeſtaretur intuentibus*

Reſur-

Reſurrectio. Certè, cùm in monumento conſpici poſſent, veſtimenta ejus ſepulchralia, ipſe autem neutiquam poſſet conſpici, erat hoc ipſum, manifeſtiſſima declaratio Reſurrectionis ejus. Nos hoc oportet conſiderare, quod quæ paris ſunt poteſtatis, eandem merentur fidem conceſſis ipſis, & eandem ſublatis ipſis. Eſt autem par & æquale, ambulare ſuper mare, in corpore minimè mutato, ei, nimirum intrare ad Diſcipulos, non mutato corpore, occluſis januis. Et quod, quæ ſupra naturam in naturâ fiunt, per virtutem Divinam, nullo modo ſecundum rationem aliquam naturalem comprehendi poſſunt. Quocirca, attonitis ad hujuſmodi ingreſſum Diſcipulis, permiſit, ut tractarent corporis ſui partes, quæ in paſſione lædebantur, ut intelligerent, ſe nequaquam ad illos ingreſſum feciſſe per converſionem aliquam corporis in ſpiritum, ſed in condenſato corpore, per potentiam ſuam Divinam, rerum ſupra Naturam effectricem. Hæc ille.

20. *Epiſt.3.* *Miratur hoc mens humana*, ait Auguſtinus, *& quia non capit, forſan non credit.* Ipſa autem magnitudo virtutis ejus, ut in ſequentibus habetur, quæ nullas in anguſto ſentit anguſtias, uterum virginalem, non adventitio, ſed indigena puerperio fœcundavit. Ipſa ſibi animam rationalem, & per eandem etiam corpus humanum, totumque omninò hominem in melius mutandum, nullo modo in deterius mutata coaptavit. Ipſa virtus per inviolatæ matris virginea viſcera, membra Infantis eduxit, quæ poſtea per clauſa oſtia membra Juvenis introduxit. Et certè fateor, ad eundem modum, in ſacratiſſimâ Euchariſtiâ, poſt prolata verba Conſecrationis, *Hoc eſt corpus meum*, reverà & non δοξαστικῶς, aut κατὰ δόκησιν: non figurativè, aut neſcio quâ repræſenſentatione tantum, eſſe *corpus Chriſti* in Sacramento, ſed vero modo, veraci, & Divino. Verax enim eſt, qui inſtituit: potens eſt, qui id edixit. Nemo opinor tam impius, qui negaverit, Deum aliquid poſſe, quod homo non poteſt inveſtigare. Credatur igitur, ut à nobis creditur, ita eſſe: ne ſatagetur, & tamen tota lis de curioſitate vertitur, quomodò ita ſit, aut poſſit eſſe. *In talibus enim rebus*, ait idem Auguſtinus, *tota ratio facti, eſt facientis potentia.* Qui ergo de modo, odio capitali, ad gladios, ad aras, ignes, & vivicomburia contendunt, videant quid reſpondeant, & εἰρηνοποιοῖ, de violatâ in talibus Eccleſiæ pace, Et quid αὐτονόμοι, qui rationem efflagitant Credendorum. Concludam cum Auguſtino, in eâdem Epiſtolâ, *Ille huic doctrinæ inimicus eſt animus, qui vel errando eam neſcit eſſe ſaluberrimam, vel odit ægrotando medicinam.* Jam ſequentia in hâc apparitione, quæ, ut cæteræ, fiebat primâ die, perſequamur.

21. *Ignatii locus.* Meminit hujus (poſtremo recenſitæ) apparitionis proculdubiò Ignatius, ait Cardinalis. Et certè omninò meminit: ita enim loquitur in Annalibus. *Et quando venit ad Petrum, & ad eos, qui cum Petro erant, dixit eis, ecce palpate me, &c.* Quæ miror Caſaubonum dubitaſſe utrum referret, ad quartam, an ad quintam apparitionem, cum ῥητῶς commemorentur in quintâ, apud

Evan-

Digitized by Google

Evangeliſtas. Nec ulla ratio eſt, aut eſſe debet Lectionis diverſitas, quæ aut nulla eſt, aut novitia: aut ſenſum & ſententiam minimè varians. maxima diverſitas eſt in vocibus οἶδα & εἶδον. Locus Ignatii ita ſe habet in illâ ad Smyrnenſes. Ἐγὼ δὲ οὐκ ἐν τῇ γεννήσει καὶ σταυρώσει γινώσκω αὐτὸν ἐν σώματι γεγονέναι μόνον. ἀλλὰ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν, ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα· καὶ πιστεύω ὄντα. καὶ ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἦλθεν, ἔφη αὐτοῖς, λάβετε, ψηλαφήσατέ με, &c. apud Meſtræum & nuperum Interpretem Genevenſem, qui illum ubique exſcribit, ita vertitur, *Ego verò non modo in carne veniſſe ipſum cognoſco, ex Nativitate, & crucifixione ejus: ſed & poſt Reſurrectionem vidi eum in carne, & credo etiam nunc eſſe. Etenim quando ad Petrum venit, inquit ipſis, accipite,* &c. Fortaſſis hoc volebat Caſaubonus, cùm ſuam proponeret dubitationem, quod vertunt, *Quando ad Petrum venit:* quaſi intelligerent illum ſolum & ſolitarium in illâ apparitione: de quâ Paulus, 1 Cor. 15. 5. ſed Græcè plenius dicitur, *ad Petrum, & qui cum Petro erant.* Ita vetus Interpres in meo M. S. *Cum ad eos, qui circa Petrum erant, venit.* ſed varietas Lectionis reverà eſt, & quidem antiqua, in voce οἶδα & εἶδον. illam habent codices hodiè impreſſi, cum Theodoreto, in Dialogo 2. vel ἀσυγχύτῳ. Hanc ſequitur vetus Interpres, Adone Viennenſi antiquior. Vertit enim, *Ego enim, & poſt Reſurrectionem, in carne ipſum vidi.* quomodo legit Hieronymus & Hieronymi Interpres Sophronius. Nuperus Interpres, ἀδιαφορεῖν, putat tamen ea verba ſic reddenda. *Poſt Reſurrectionem in carne ipſum ſcio.* et ego item puto, ſi legatur οἶδα. ſed cum antiquiſſimis, εἶδον lego. Nam ridiculum & rejeculum eſt, quod ille affert, *ſi Ignatius dixiſſet ſe vidiſſe Chriſtum, attuliſſet Circumſtantias aliquas temporis & loci.* Eadem enim objectione & Pauli dictum de Petro refellet hæreticus. ſi enim dixiſſet Paulus, Chriſtum apparuiſſe Petro, aliquas Circumſtantias attuliſſet loci, & temporis, ubi & quando ipſe Chriſtum vidiſſet. Non attulit autem. Non ergo vidit Petrus: aut eum vidiſſe voluit Paulus. Tam futiliter ille ſexcentis in locis per *notas* & *exercitationes*, contra Ignatium & Antiquos Novator argumentatur. Vidit autem Chriſtum poſt Reſurrectionem. Ego plus affirmo, cum quibuſdam antiquis, *vidit & ante Reſurrectionem* diſtinguo autem; ἀλλὰ, καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν, αὐτὸν εἶδον. Etiam poſt Reſurrectionem, qui & ante illum videram, & cognoveram: neque enim multum refert οἶδα an εἶδον legamus. Euſebius in tertio, cap. 30. aut 36. ut in Græco habetur, ea profert, quæ vix ſenſum præ ſe ferunt. Ὁ δ' αὐτὸς Σμυρναίοις γράφων, οὐκ οἶδ' ὁπόθεν, ῥητοῖς συγκέχρηται, τοιαῦτά τινα περὶ τοῦ Χριστοῦ διεξιών. Ait Ignatium de Chriſto ea verba uſurpare, in Epiſtolâ ad Smyrnæos, quæ neſciebat unde deſumebantur. Nova, inaudita, prodigioſa proculdubiò. Non poſſunt referri ad illud Ignatii de ſeipſo pronunciatum, niſi inſaniviſſe dicamus Euſebium. ſcriptum enim fuit in illâ quam citat Epiſtolâ. *Ego ipſum Dominum in carne poſt Reſurrectionem novi, & credo eſſe eum:* debent ergo referri ad ſequentia, *Qui ubi ad*

Petrum,

Petrum, & Diſcipulos qui cum Petro erant, acceſſit, ſic illos alloquitur, accipite, tractate, & videte, quod non ſum dæmonium incorporale. ſed hæc habentur apud Lucam, cap. 24. An credendum eſt Euſebium non legiſſe Lucam? aut iſta verba, λάβετε, ψηλαφήσατε, &c. tranſlata eo fuiſſe ex illo Ebionitarum Euangelio. quod Euſebio non viſum rectè arbitratur Cardinalis. Qui nodum hic in ſcirpo quærit, delapſu memoriæ Hieronymianæ: aut diſcrepantiâ Epiſtolarum Beati Ignatii. non enim Hieronymus ſomniabat, verba illa ſibi lecta in illa ad Polycarpum, quæ in alterâ habebantur ad Smyrnenſes. Quocirca bene, & acutè doctiſſimus Caſaubonus annotavit, eſſe parentheſi includenda, interjecta verba, inter, Smyrnæos, et. In qua.

22. Conturbatos & attonitos, & hæſitantes diſcipulos, non uno modo confirmat & ſolatur Dominus. Et imprimis illud inſinuat, obſervatum Theophylacto, *Quid cogitationes aſcendunt in cordibus veſtris?* Hæc enim indicant ipſum Dominum eſſe, quem multoties ſcrutatorem cordium agnoverant, & tacitarum cogitationum intelligentem. Deus enim ſolus ſcrutatur renes & corda: animis intimior, quàm ſunt ipſi ſibi. *Dominus, propter ſalutem noſtram omnia faciens,* inquit Theophylactus, *ſtat in medio diſcipulorum, volens illis Reſurrectionem credibiliorem fieri, & primum, ſolitâ pacis apprecatione, perturbationem eorum vult ſedare. ſecundò oſtendit, quòd ipſe ſit ille eorum magiſter, qui ita alloqui gaudeat. Verum quia animarum ipſis perturbatio verbis non ſedabatur, monſtrat eis etiam aliunde Filium Dei ſe eſſe corda agnoſcentem. Etenim in confeſſo eſt, ſolius Dei eſſe cognoſcere corda.* Subjicit autem & aliud argumentum; *palpationem manuum & pedum ipſius. Vos enim, inquit, ſpiritum me putatis eſſe, vel phantaſma: qualia multa circa mortuorum ſepulchra apparere ſolent. ſed ſcitis, quod ſpiritus neque carnem, neque oſſa habet: Ego autem carnem & oſſa habeo, tametſi Diviniora, & ſpiritualia.* hæc ille. ait igitur, *Contrectate me.* et ut contrectarent, *oſtendit iis manus & pedes.* nempè quod clavis illi affigebantur palo. Johannem exploraſſe, an ſpiritus foret: an carne veſtitus, & oſſibus ſolidatus, ſcribit ille, qui ſub titulo Clementis Alexandrini *explanationes* ſcripſit in Epiſt. Johannis. *Fertur,* ait ille, *in Traditionibus, quoniam Johannes Euangeliſta, ipſum corpus, quod erat extrinſecus tangens, manum ſuam in profunda miſit, & ei duritia carnis, nullo modo reluctata eſt, ſed locum manui præbuit.* Volunt autem hoc inſinuaſſe Johannem ipſum, qui cap. 1. Epiſt. 1. ſcribit, *Quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt, de verbo vitæ.* Conſentit Athanaſius de contrectatione: ſed nec ſolius Johannis, nec eo modo. Nam qui ei cibum dederunt, ſive unus is fuit, ſive plures manus illius contigerunt.

23. *Chriſti corpus quale.* Erat ergo Chriſti corpus naturale, tantummodò qualitatibus indutum novis: cujuſmodi & noſtra erunt, poſt Reſurrectionem mortuorum: aſſimilata nimirum Corpori Chriſti Glorioſo.

rioſo.

Digitized by Google

rioſo. Philip. 3. 21. alteratio illa non eſt ſubſtantialis. manet enim ſubſtantia quæ prius fuerat, tantum eſt μεταχηματισμὸς, quoad dona: quâ voce ibi utitur Beatus Paulus. *Erant*, inquit Divus Thomas, Lib. 4. cont. Gentes, cap. 84. *qui exiſtimaverunt juſtorum corpora, poſt Reſurrectionem, non futura verè naturalia ac palpabilia, ſed aerea potius, ſpiritualia, ac ipſo vento ſubtiliora.* Eutychus Patriarcha Conſtantinopolitanus, in illâ hæreſi verſabatur: Quocum Gregorius ὁ πάνυ, de illâ diſputavit, & ad mentem reduxit meliorem. Quod verò magis mirum eſt, delirium illud ſuum ex hoc ipſo loco confirmare volebat. Ita enim apparet è Gregorio, Lib. 14. 29. in Job. cap. 19. verſ. 25. *Mira eſt res valdè quam aſtruis, ut inde nobis dubietas ſurgat, unde Diſcipulorum corda, à dubietate ſanata ſunt. Quid enim deterius dici poteſt, quàm ut hoc nobis de ejus verâ carne dubium fiat, per quod Diſcipuli ejus ad fidem, ab omni ſunt dubietate ſeparati? ſi enim non hoc habuiſſe aſtruitur, quod oſtendis, unde fides diſcipulis ejus confirmata eſt, inde noſtra deſtruitur. Domini corpus*, inquit Theophylactus, *ſpiritus quidem non erat, ſed ſpirituale: hoc eſt, abſque omni craſſitudine à ſpiritu gubernatum. Cur enim inſpectus eorum*, ait Tertullianus, *manus & pedes ſuos offert? quæ membra ex oſſibus conſtant. Si oſſa non habebat, cur adjicit, & ſcitote, quia Ego ſum: quem ſcilicet corporeum retrò noverant. Nam & noſtra etiam corpora, & tangi & palpari poterint glorificata*, cum σύμμορφα futura ſint Chriſti corpori. Mirabundus de hâc re meditatur Chryſoſtomus. homil. 13. in cap. 3. ad Philip. verſ. 21. *Papæ: an illi corpori aſſimilabuntur noſtra corpora, quod in ſummis cœlis Deo à dextris reſedit? illi, quod ab Angelis adoratur? cui aſtant virtutes incorporeæ? illi erimus nos conformes, qui ſupra omnem principatum, poteſtatem, & dominationem attollitur: ſi mundus univerſus in lachrymas reſolutus, eos deploraret qui ab hac ſpe excident, an ſatis dignè poterit eos lamentari? Quid autem ais, Paule? An noſtrum illi conformatum erit? Omnino inquit. et ne futurum diffidas aliquando, rationem ſubjungit. Juxta poteſtatem, per quam poteſt omnia ſibi ſubjicere. Poteſtatem habet omnia ſibi ſubjiciendi. tum certè, mortem & corruptionem. Imò magis hoc efficiet poteſtas illa. Narra enim mihi, cujuſnam majoris poteſtatis ſit, Dæmonas & Angelos, Archangelos, Cherubin, Seraphin ſupponere, an corpus efficere immortale aliquod & incorruptibile. Corpus quod nunc habemus*, Theophylactus perſequitur, *animale eſt. hoc eſt, ab animâ regitur. Et per animales qualitates, ac naturales vivificatur. Quod autem poſt Reſurrectionem habebimus, ſpirituale nominavit Paulus, hoc eſt, quod à Divino ſpiritu vivificetur, & gubernetur, ac non ab animâ. modoque indicibili et ſpirituali, ad Incorruptionem alteratum ſit, & in eâ conſervatum.* ſed nec impedit illud quod ab Apoſtolo poſitum uſurpant, & in ſenſum detorquent alienum, Reſurrecturum corpus, non animale, ſed ſpirituale. Id enim ita dixit, propter illas dotes quibus adornabuntur, *ſplendentia* enim erunt, *tralucida, agilia,*

Lib. 4. cont. Mar.

Mmm Omnis

Omnis enim Spiritus ales eſt: *ſubtilia, impaſſibilia.* Quæ dotes, non repugnant aut contrariantur naturæ humanæ, ſed cum illâ, elevatâ, conſiſtere poſſunt. Ratio autem ab Apoſtolo adjuncta, non impedit, quæ eſt, *Quia caro & ſanguis regnum Dei non poſſunt poſſidere.* Caro enim ibi depravatam ſignificat naturam: & ſanguis affectiones malas. *Nihil aliud intelligi mandat carnem & ſanguinem, quàm ſupradictam Imaginem Choici, quæ converſatione cenſetur vetuſtatis. Converſatio autem vetuſtatis non capit Dei regnum. proinde caro & ſanguis non capiendo regnum Dei, ad converſationem rediguntur vetuſtatis.* Tertullian. de Reſurrect. cap. 19. Concludit autem Theophylactus, *Tale oportet intelligere Domini corpus poſt Reſurrectionem, ſpirituale, & ſubtile, & alienum ab omni craſſitudine, neque cibi, neque cujaſquam alterius indigens.*

24. *Quomodo apparuit.* Hic autem quæritur an veſtitus ergo, aut nudus apparuit Diſcipulis. et an glorioſus, radiantibus membris? *Dominus,* ait Cyrillus, *non in debitâ ſui corporis gloriâ apparuit, ſed in primâ figurâ cernebatur, ne aliud corpus putarent reſurrexiſſe,* Rectè. Nego enim, alias *Ego ſum,* convenienter dicere potuit. attoniti autem erant, non de aliquo fulgore, aut radiante claritate, ſed de ſubitaneâ apparitione, januis clauſis, illius quem mortuum ſciverant, & ſepultum. Erat quidem corpus illud glorificatum. atque ita glorioſis indutum qualitatibus. ſed quæ non tum apparebant omnes, ex οἰκονομίᾳ, quæ diſponit omnia *ſuaviter*: et habebat in poteſtate, ut id faceret *fortiter.* *Claritas in Chriſti corpore cum reſurrexit, ab oculis Diſcipulorum potius abſcondita fuiſſe, quam defuiſſe credenda eſt. Non enim eam ferret, humanus atque infirmus aſpectus, quando ille à ſuis, ita deberet attendi, ut poſſet agnoſci.* Auguſtin. de Civit. Lib. 22. 19. Apparuiſſe autem nudum, non veſtitum, exiſtimo. Neque enim veſtibus erat opus. imò contra fortaſſis opus erat, ut nequaquam veſtiretur, quo citius & certius forma ipſius corporalis, Diſcipulis perſuaderetur. ſed & unde veſtimenta illa habuiſſet? ſepulchralia non attulit è monumento. expreſsè dicitur convoluta linteamina ἐντετυλιγμένα vidiſſe Petrum & Johannem ibi jacentia. Anſelmus ex aëre ſibi veſtes volebat aſſumpſiſſe. quibus uſque ad Aſcenſionem induebatur: illo autem aſcendente, evanuiſſe. ſed errat. Neque enim aliquid non reale, in Chriſti Reſurrectione agebatur. ne ſi aliquid ejuſmodi accidiſſe concederetur, totius actionis vacillaret Fides. Erat ergo, meo animo, redivivus à morte, quales è Divinis manibus prodierant ab initio, γυμνόπλαστοι. dicitur autem de illis fuiſſe ambos inveſtes, et tamen pudore non ſuffuſos. Erat, ea forma, eo modo redux à ſepulchro, & ab Inferno, quo & nos viſemur poſt Reſurrectionem. non autem, ultra pellem, amiciemur. Eo modo ſe habebat quo aſcendit. aſcendit eo modo quo venturus eſt ad judicium. οὕτω γὰρ ἐλεύσεται aiunt illi, Act. 1. at certè veſtitus non apparebit. Aſpicient enim in eum quem transfixerunt. pateſcent enim, modo neſcio quo, nec inquirendo,

Chriſtus non veſtitus apparuit.

rendo, vulnerum urbices & cicatrices in Cruce inflicti, etiam in corpore glorioſo. Quod nos in hymno quodam Anglico fatemur, canentes.

Whoſe bloudy wounds are yet to ſee,
though not with mortall eye,
Yet doe thy Saints behold them all,
and ſo I truſt ſhall I.

Faceſſant ergo veſtes undè undè ſuppeditatæ, à corpore illo Chriſti glorificato. Quodſi diſcipulis aliquanto confirmatioribus & ſplendorem ſui corporis, revelavit, quod ſentiebat Auguſtinus, vel quiſquis author fuit, ſerm. 156. de Tempore, multo magis oportet eum nudum comparuiſſe, ne veſtium interjectu impediretur: aut earum reſultatione minueretur Fides. *Neceſſarium erat*, ait ille, *ut expreſſio cicatricum crucifixi corporis fidem faceret: quia ſplendor novæ lucis priſtinam obduxerat veritatem, & cognitionem quodammodo claritas obſcuraverat.*

Quam fidem, ut ulterius teſtatiorem faceret, adhuc illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit, *Habetis hic aliquid quod manducetur?* At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis. Et cùm manducaſſet coram iis, & ſumens relliquias dedit iis. *Vt ſe oſtenderet etiam dentes habere*, inquit Tertullianus: *non modò carnem & oſſa.* quorum nulla habebat ſpiritus. Quod autem comedebat, non ſecundùm Naturam comedit (κτ̀ φύσιν: hoc eſt, exigente neceſſitate naturali) ſed ſecundùm diſpenſationem, ad docendum, quod illud ipſum corpus reſurrexit, quod paſſum fuerat. Quid autem eduliis iis factum? neque enim in nutrimentum corporis, ut olim, verſa. Ita idem ſcriptor. θείᾳ τινὶ δυνάμει καταναλισκομένων τῶν βεβρωσκομένων. Omnis enim cibus Naturâ per os ſumptus, ad ſeceſſum vadit. Certè, ſed naturali; hoc eſt, ordinario modo. at extraordinariâ quâdam diſpenſatione, nec in ſeceſſum abiiſſe putaverim: nec tamen evanuiſſe: ut in Angelicis olim comeſtionibus. ſic enim non eſſet realis hæc, ſed δοξαστικὴ, comeſtio. quæ non eſt admittenda in Reſurrectione. Quid factum cibo, relinquendum Deo. nec temeranda per curioſitatem ejus ſecreta.

25. *Chriſtus manducat.* *Theophyl.*

Ciborum genera, *piſcem* & *favum*, ſi cui placet, ita allegorizat Interpres Bulgarus. *Habet*, inquiens, *& ænigma quoddam, quod partem piſcis comedens acceperit. ſignificat enim, quòd naturam noſtram, quæ in ſalſuginoſo hoc mari natat, igne ſuæ Divinitatis aſſarit, & exiccarit omnem humorem, quem ex profundis fluctibus habebat, ut fieret divinus cibus. et qui prius erat abominabilis, fiat nunc Deo dulcis: hoc enim ſignificare dicitur favus mellis. Dulcedinem dico naturæ noſtræ prius abjectæ. vel ſignificat per aſſatum piſcem, activam vitam, quæ tollit noſtram humiditatem et craſſitudinem, auxilio carbonum ſolitariorum, & quietem amplexantium. per favum apiarium, ſcientiam, vel contemplationem, ſiquidem dulcia, eloquia Dei. Eſt & alius favus agreſtior: nempè Gentilium ſapientia.* 26.

Hic autem eſt apiarius favus: Divina nempè ſapientia. Hæc ille, ut ait, αἰνιγματικῶς. Hunc locum concludit Beatus Leo. *Subſecuta ſunt* (Reſurrectionem) *documenta multa, quibus prædicandæ per univerſum mundum fidei authoritas conderetur. Et licet revolutio lapidis: evacuatio monumenti: depoſitio linteorum: & totius facti Angeli narratores copioſè veritatem Dominicæ Reſurrectionis adſtruerent; et mulierum tamen viſui, & Apoſtolorum frequenter oculis manifeſtus apparuit: non ſolùm loquens cum iis, ſed & habitans atque conveſcens, & pertractari ſe diligenti carioſoque contactu, ab iis quos dubitatio conſtringebat, admittens. Ideò enim & clauſis ad diſcipulos oſtiis, introibat: & flatu ſuo dabat Spiritum Sanctum: & dato intelligentiæ lumine ſanctarum Scripturarum occulta pandebat. Et rurſus idem vulnus lateris, fixuras clavorum, & omnia recentiſſima paſſionis ſigna monſtrabat, ut agnoſceretur in eo proprietas Divinæ humanæque naturæ individua permanere.*

Quod de communicato Spiritu ſancto, & affuſo lumine Scrip-

27. Communicatio Sp. S. turarum ait, id ita ſequitur apud Johannem enarratorem. *Sicut miſit me Pater, & Ego mitto vos. Hoc cùm dixiſſet, Inſufflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur iis: et quorum retinueritis, retenta ſunt.* Rectè advertit Illuſtriſſimus Baronius, Hoc eſſe effectum & ſolenniter jam completum, quod prius in ſtipulatione promiſſum fuerat, Matt. 18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo. et quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlo.* ſed hoc in loco additur aliquid amplius, & prævium, de miſſione nimirum Apoſtolorum. Quod terminis terminantibus habetur apud Matthæum, *Ite in univerſum mundum.* Miſſionem aſſignat, & Commiſſionem. ut legatis ſuis & in rebus agentibus ſolent Principes. Et prius Miſſionem: hoc eſt, Perſonarum deſignationem. *Ego mitto vos.* tum formam legationis; *ſicut me miſit Pater meus.* pari modo. ſed non æquali poteſtate. Proprium Chriſti officium, *Mitti.* unde & *Miſſus* appellatur. et ſe *Miſſum* teſtatur aliquoties. ut *non ſum Miſſus niſi ad ovem perditam domus Iſrael.* et, *ſicut Miſit me Vivens Pater, et Ego vivo propter Patrem.* Iterum. *Quia ſolus non ſum: ſed Ego, & qui Me miſit*

Chriſtus miſſus. *Pater.* Hinc, quod notum, argumentabantur Ariani. ſi Miſſus eſt Chriſtus, minor eſt: Nam major eſt ille qui mittit, eo qui mittitur. ſed Chriſtus, in quantum hominem ſuſcepit, Miſſus dicitur, & minor eſt. in quantum Deus eſt: æqualis eſt Patri, nec mittitur. *Intellige Miſſionem* Filii, ait Auguſtinus; *nomina-*

Tract. 36. in Ioh. *tam Incarnationem Filii. Patrem incarnatum eſſe, ne credas. ſed & à Filio Incarnato, Patrem receſſiſſe non credas.* Et alibi. *Miſſio ejus,*

Tract. 27. *Exinanitio ſuimetipſius eſt, & formæ ſervilis acceptio. quod rectè intelligitur, ſervatâ etiam Filii cum Patre æqualitate Naturæ. Major enim eſt Pater homine filio: ſed æqualem habet Dei Filium: cùm idem ipſe ſit & Deus & homo: Dei Filius, & hominis Filius, unus Chriſtus Jeſus.* De Miſſione Domini in mundum, ad redimendum mundum

mundum Athanaſius eruditè θεολογίζει. Tom. 1. pag. 326. in hoc dictum, *Omnia mihi tradita ſunt.* Ἐπειδὴ γὰρ ἥμαρτε καὶ πέπτωκεν ὁ ἄνθρωπος, καὶ πεσόντος αὐτοῦ, τὰ πάντα τετάρακται, ὁ θάνατος ἴσχυεν ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Χριστοῦ, ἡ γῆ κατηρᾶτο, ὁ ᾅδης ἠνοίγη, ὁ παράδεισος ἐκλείσθη, ὁ οὐρανὸς ἐθυμώθη, καὶ τέλος, ἐφθάρη ὁ ἄνθρωπος καὶ ἀπεκτηνώθη· ὁ δὲ διάβολος ἐνήλατο καθ' ἡμῶν. Hæc cùm ita eſſent, ut ille humani generis ſtatum depingit, *Tum demum Deus, hominum amator, ac nolens perire hominem, ad ſuam Imaginem conditum, in hæc verba loquutus eſt, Quem emittam: & Quis proficiſcetur? Omnibus obticentibus, loquutus eſt Filius, Ecce Ego: Emitte Me: Quo tempore illi reſpondit Pater. Vade ergo. Atque ita miſſus in mundum venit Filius, ut mundus per illum ſervaretur.*

Hoc fine miſit Apoſtolos in mundum: id enim declarat, Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in Nomine Patris, & Filii, et Spiritus ſancti.* Et, *ecce Ego vobiſcum ſum, omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.* Non quod ſuperſtites futuri erant Apoſtoli, uſque ad ſæculi conſummationem: nec tam ridiculè deliravit Hieronymus; ut illi imputavit Maldonatus. Verba ejus ſunt, *Qui uſque ad conſummationem ſæculi cum diſcipulis ſuis* (non inquit Apoſtolis, quod nomen & officium reſtrictius erat) *ſe futurum eſſe promittit, et illos oſtendit ſemper eſſe victuros, et ſe nunquam à Credentibus receſſurum.* Victuros autem in diſcipulis, & ſucceſſoribus: nam in pulveres ſuos ipſi abiere. Ita inter diſcipulos, & Apoſtolos, ad hunc locum diſtinguit Theophylactus. οὐ μόνοις δὲ τοῦτο τοῖς Ἀποστόλοις ὑπέσχετο, τὸ συνεῖναι αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν αὐτοῦ ἁπλῶς τοῖς μαθηταῖς. οὐ γὰρ δήπου οἱ Ἀπόστολοι ἄχρι τῆς συντελείας ἔμελλον ζῆν. καὶ ἡμῖν οὖν, καὶ τοῖς μεθ' ἡμᾶς ὑπισχνεῖται τοῦτο. uſque autem mundi τὴν συντέλειαν mittendi ſunt à Chriſto in mundum, ad hoc ipſum agendum, Apoſtolorum οἱ ἐκ διαδοχῆς, ſucceſſores, & Vicarij. Nec quiſpiam *non miſſus*, tam excellenti ſe immiſceat adminiſtrationi. 28. *De vocatione ordinaria miniſtrorum.*

Iniquius hic agunt cum Eccleſiâ Anglicanâ, qui tenere & tuëri illam mentiuntur, non eſſe de neceſſitate, *vocationem*, & *miſſionem* Paſtorum, Miniſtrorum, vel Sacerdotum ordinariam, per manuum nempè impoſitionem. ſanctè credimus, accuratè tuemur, & defendimus, extitiſſe, extare, extituram ſemper, contra omnes Inferoi & Dæmonum machinationes, Eccleſiam, & συναγωγὴν hominum in Chriſtum credentium, Evocatorum: cæterum, nullis interceptam, interciſam intercapedinibus: perpetuò extantem alicubi: viſibilem: oculis uſurpandam in eum finem, & eo modo, ut intelligere poſſint, quibus curæ illud eſt, apud quos habeatur verbum vitæ, ſacramenta ſalutaria adminiſtrantur. Sacerdotium ritè delegatur, eſſe, fuiſſe, futurum eſſe, ordinem illum Eccleſiaſticum Sacerdotalem, in Eccleſiâ viſibili conſtitutum, agnitum, agnoſcendumve; quo τὰ τοῦ Θεοῦ, εἰς Θεὸν: et vice verſâ, εἰς ἀνθρώπους, diſpenſantur; in ordine ad Deum, ut loquuntur. unde ſalus æterna procuretur. 29.

Hoc

Hoc ipſum officium & munus in Eccleſiâ, ſive Apoſtolicum ſeu Sacerdotale, adeò eſſe de neceſſitate ſalutis ordinariâ, ut ſine altero, alterum eſſe nequeat. Non eſt Sacerdotium niſi in Eccleſiâ. non eſt Eccleſia ſine Sacerdotio. Illud autem intelligo, per χειροθεσίαν Epiſcopalem ordinariam. Neque enim admittenda cenſemus extraordinariam aliquam ſeu vocationem, ſeu λειτουργίαν, niſi miraculoſam. Oportet omninò miraculis agant, & ſuam confirment functionem ſigno aliquo, qui non ab Epiſcopis, derivata ab Apoſtolis, per ſucceſſionem inſtitutione, in Eccleſiam inducuntur, ſed vel orti à ſeſe, vel neſcio unde intruſi, ſeſe ingerunt. Nam quod prætendunt, ordinariam vocationem retinendam, adhibendam, eique adhæreſcendum, niſi in *caſu neceſſitatis*, abſurdum eſt: et ſuppoſitioni innititur Impoſſibilitatis. Neque enim talis caſus, aut extitit aliquando, aut contingere poteſt: niſi fallat nos Dominus, qui promiſit, *Portæ Inferorum non prævalebunt. Ecce ſum vobiſcum ad conſummationem mundi.* Illi autem Divino miniſterio, per Deum ipſum, fini tam ſollenni inſtituto, nullus ſe temerè offerre debet, nedum viâ extraordinariâ: hoc eſt, per feneſtram, aut pſeudothyram, ſe ingerere, niſi fur & latro audire voluerit, & illud τὸ φοβερὸν, *Quomodo intraſti?* Non enim quiſpiam aſſumit ſibi honorem iſtum, ſed qui vocatur à Deo, quemadmodum & Aron. Heb. 5.4. Etenim Aron, κατ' ἀρχὰς ὑπὸ Θεοῦ, διὰ Μωσέως κληθεὶς, οὕτως ἱεράτευσε, οὐκ αὐτὸς ἐπιπηδήσας. Læſæ majeſtatis crimine teneri, Juriſconſulti reſpondent, ſi quis ementiatur legationem: Quod actu exercitum, nos non ita pridem, & verum fuiſſe, ſcimus. Legationem nemo delegare poteſt, niſi ſummâ præditus poteſtate. Quocirca formalia quaſi commiſſionis verba perhibentur, τὸ πνεῦμα γὰρ τὸ ἅγιον ἔθετο ὑμᾶς εἰς διακονίαν ταύτην, quemadmodum rectè explicat Nazianzenus. εἰς διακονίας ὁμοιότητα, non ταυτότητα. Neque enim illud *ſicut* paritatem ſignificat, ſed proportionem. *Miſſus* ille à Patre, ad Docendum, Prædicandum, Miniſtrandum, Operandum, &c. eodem modo & illi mittebantur, ad eadem obeunda: ſed non eo modo. Nam ut loquitur in alio caſu Nazianzenus, βλέπουσιν οἱ ἄγγελοι, ἀλλὰ καθ' ὃ χωροῦσι: καὶ Ἀρχάγγελοι, καθ' ὃ δυνάνται. Quicquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Chriſtus igitur, propter hypoſtaticam unionem, more modoque excellentiori recepit, miſſus à Patre chariſmata illa, quæ muneri obeundo fuerant neceſſaria. Apoſtoli propter convictionem, conjunctionem, miſſionem immediatam, commiſſionem peculiarem, ultra omnes futuros ſucceſſores, de viâ ordinariâ, poteſtate imbuebantur perſonali, hoc eſt, ſuperabundantiæ quibuſdam donis, ad quæ μεταγενέστεροι non poſſunt, aut debent aſpirare. *Privilegia Apoſtolis à Chriſto conceſſa*, inquit vir doctiſſimus & diſertiſſimus Scholaſticorum, Melchior Canus, Lib. 6. *aliter ad ipſos, aliter ad ſucceſſores referuntur. Quippe in Apoſtolis fuerunt privilegia amplioris Gratiæ, quàm in poſteris. ut verbi cauſſa, per illa verba, Quæcunque ligaveritis ſuper terram. Et, ſicut miſit me Pater,*

Digitized by Google

Pater, & ego mitto vos, Intelligimus poteſtatem generalem in univerſum orbem, Apoſtolos ſuſcepiſſe: quam non conferebat ſucceſſoribus ipſorum. Habent tamen quod ſufficit præſenti diſpenſationi.

Videtur igitur, illo arbitro, Chriſtus, excellentiorem quandam poteſtatem *clavium*, hoc eſt, *Ligandi & ſolvendi*, facultatem, Apoſtolis condonaſſe, quam vel Eccleſiæ deinceps, vel Sacerdotibus in Eccleſiâ circa res Divinas, miniſtrantibus. Quod nemo noſtrorum Novatorum negabit, ne quidem fortaſſis, qui vulgo dicuntur Puritani. ſed illos, & illorum phantaſmata, ſeu κυρίας δόξας, non moramu. Malâ Fide, malâ mente, malitioſè, quia falſiſſimè, Eccleſiæ aſpergunt Anglicanæ apopthegma illud, *Nullus hominum, omnino nullus præter Deum remittere peccata poteſt*. Improbiſſimè calumniantur, qui comminiſcuntur hoc ψευδολόγημα. Neque enim hoc dicimus, nedum tuemur: docet, credit, tuetur, praxi confirmat, & conſuetudine approbatâ, Eccleſia Anglicana, eſſe à Deo ordinatos quoſdam, & hac ornatos poteſtate, ut peccata remittere & retinere poſſint. Credimus & tuemur hanc poteſtatem ordinariam, per Chriſtum in cœlos abiturientem, apud Eccleſiam in Apoſtolis, & per ipſos, depoſitam. ab illis inde eam deductam & derivatam, licèt non eâdem menſurâ, penes Sacerdotes per χειροθεσίαν Epiſcopalem ritè & legitimè ordinatos. Ac proinde, Sacerdotes, qui ſunt apud nos eo modo quem dixi, inſtituti Sacerdotes; non intruſi, non ingeſti: non extraordinariam aut Laicalem vocationem crepantes, poteſtate hac depoſitâ, deductâ, derivatâ imbuti, variè, ſemper autem in ordine ad Deum & Divinam οἰκονομίαν, illam adhibent & exercent, prout optimè adhibere & exercere poſſunt, Canonica ſe obtulerit quoties occaſio, erga Pœnitentes, aut poſitos ἐν μετανοίᾳ, ejuſdem exercitium flagitantes, cum ſtimulis laborent & ſcrupulo conſcientiæ. Nec aliter uſurpant, quàm tanquam malorum lenimen, dolorum ſolamen, Fidei fulcimen. 30.

De Remiſſione peccatorum.

Patet hoc ex Authenticis Eccleſiæ Anglicanæ Inſtrumentis, & publicâ authoritate munitis. Nam in Pontificali, ſeu Libro quem vocamus Ordinationum, Epiſcopus (ab Auguſtino legitimè derivatâ ſucceſſione, & Gregorio Romano, deductus) ſacros ordines, ſecundum veteris Eccleſiæ Canonas conferens, ordinandum Sacerdotem, humiliter in genua provolutum, ſic affatur. *Accipe Spiritum Sanctum.* manu decuſſatâ in caput impoſitâ. *Quorum tu peccata remiſeris, remittuntur. Quorum peccata retinueris, retinentur.* Non eſt hoc ludentium ſcenâ, aut in re ſeriâ geſticulatio. Actio ſacra. res ſeria. precibus fuſis procurata: promiſſis Divinis communita. Poteſtatem hanc confert Epiſcopus ordinator, non κατὰ δόκησιν, vel fictam fabulæ & imaginariam repræſentationem: ſed veram, actu, realem. Et illam verè recipit, non δοξασμῶς, ordinatus. ex ſententiâ animi ſui, uterque Ordinator, & Ordinatus, Divina intercedente authoritate muniti, per vim & efficaciam illius Inſtituti, quo Chriſtus eam contulit 31.

Anglicanæ Eccleſiæ doctrina.

Digitized by Google

tulit in Apoſtolos, Epiſcoporum in Eccleſiâ Patriarchas, cum inſufflando diceret, *Sicut miſit me Pater, & Ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum. Quorum peccata remiſeritis, remiſſa ſunt. Quorum peccata retinueritis, retenta ſunt.* Hanc à Patre acceptam, in Apoſtolos collatam, apud Eccleſiam depoſitam; poteſtatem, ad poſteros tranſtulit procurandam. Hanc reipſa poſſunt exercere, ſed & exercent Sacerdotes, legitimâ, qualis noſtra eſt, (cæteri ſibi viderint) præditi & ordinariâ poteſtate.

32. *Liturgica de abſolutione.* Hoc ipſum ubique profitemur. In generali primum Confeſſione, per ſingulas ſynaxeis, ſaltem ſollennioribus diebus, in ſingulis Eccleſiis, ad Matutinas pronuntiatâ. Genibus enim flexis, fatentur humillimè venerantes Deum ſe, tanquam oves perditas, & aberrantes, à rectis Dei ſemitis declinaſſe, concupiſcentiis & inventis ſuis nimium indulſiſſe: ſacroſanctas Dei Leges, & præcepta caſtiſſima, nequiter profanaſſe. Orare ſe Deum, propitius eſſe velit miſeris peccatoribus: parcat confitentibus: miſericordiam indulgeat reſipiſcentibus, & ad bonam frugem revertentibus. Quâ ſic peractâ & peroratâ Confeſſione, ex Ore, de Corde, ut piè credimus, ſingulorum, ſtans erectus in pedes Sacerdos, ἐκφώνως pronunciat, Divinam conſignans Indulgentiam in hæc verba. *Omnipotens Deus pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut recedat à malis ſuis moribus & vivat, deditque poteſtatem ſuis miniſtris, imò præcipit, ut populo ſuo pœnitenti, abſolutionem, remiſſionemque peccatorum ſuorum planè annunciarent: Ipſe ſingulis, verè pœnitentibus peccata condonat, eoque certiſſimè à reatu abſolvit.* Quæ verba, Abſolutionem à peccatis annunciantia, Puritani, malitioſè, & eos ſecuti, ſimpliciores quidam miniſtri, ex Ignorantiâ, tanquam precem conceptam formatamque, pronunciabant, *Tu ſingulis pœnitentibus veniam impertis & remiſſionem*: contra mentem Eccleſiæ: Canonum præſcripta: Legum edicta: populi conſolationem: & Sacerdotii dignitatem: ſed melius edocti, vel Cenſuris perſtricti, reſipuerunt plerumque, & ex ſententiâ Eccleſiæ agunt. Neque enim Deus ibi invocatur, ut veniam concedat: ſed in Nomine Dei, per Sacerdotis miniſterium populo de peccatis pœnitenti, peccatorum remiſſio impertitur. Hoc & in ſacratiſſimâ Euchariſtiâ impertiendâ obſervamus. Factâ enim generali peccatorum confeſſione, de eorum nomine qui communicaturi ſunt, erigit ſe Sacerdos, ſive Epiſcopus præſens, & converſus ad populum, ait Rubrica, ita fatur. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui ſuam poteſtatem dedit Eccleſiæ, ut abſolvat pœnitentes à peccatis ſuis, & reconciliet cœleſti Patri eos qui ſuam fiduciam collocant in Chriſtum, miſereatur veſtri, remittat & condonet vobis omnia peccata veſtra.* ſed expreſſius adhuc, & ultra Annunciationem, in Viſitatione Infirmatorum, hanc collatam poteſtatem, agnitam & exercitam, activè adhibemus. *Si ægrotans*, ait Ordo Anglicanus, *ſentiat*

*tiat ſuam conſcientiam gravatam eſſe aliquâ in re : de illâ ſacer-
doti privatim confiteatur, & finita Confeſſione, Miniſter utetur hac
formâ Abſolutionis, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui dedit pote-
ſtatem Eccleſiæ Abſolvendi à peccatis ſuis Pœnitentes, & Creden-
tes Euangelio, Ipſe, ex infinitâ miſericordiâ ſuâ indulgeat tibi
peccata tua : Ego verò, authoritate Ipſius mihi commiſſâ Abſolvo te,
in Nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti, ab omnibus peccatis tuis.*
Hactenus publica Eccleſiæ Inſtrumenta.

Conſentiunt è noſtris viri doctrina eximii, minimè olentes,
ut quidam blaterant de aliis Papiſmum. Juellus ὁ διαβόητος, Cum 33.
Hardingus de Romanæ Eccleſiæ ſacerdotibus hoc Elogio pro-
poſito gloriaretur, *Noſtri ſacerdotes poteſtatem habent animam
liberandi & purgandi à Peccati ſordibus*; reſpondet ille, *Et ecquis,
Te quæſo, aliter ſtatuit ? Cùm ſacro ſacerdotio initiamus aliquos,
verba illa Chriſti ſuper eos uſurpamus, Quorum remiſeritis peccata,
remittentur iis.* Uſherus, Armachanus Primas, ad cujuſdam Je-
ſuïtæ provocationem reſpondens, inquit, pag. 109. *à Confeſſione
progrediendum eſt nobis ad Abſolutionem. Quam nullatenus me-
retur accipere homo iſte, priuſquam publicè confeſſus fuerit, Injuriâ
ſe nos affeciſſe, qui Negatum illud à nobis pronunciat, Sacerdotes
poteſtate præditos eſſe peccati remittendi.* Hanc ille ſuam aſſertio-
nem, de tali modo impertitâ facultate, & commiſſâ poteſtate
confirmat, ratione prorſus ineluctabili, Quod in Ordinandis
ſacerdotibus, verba illa Formalia, de jure & præſcripto Eccle-
ſiæ uſurpamus, Chriſto Domino dirigente, *Quorum peccata re-
miſeritis, remiſſa erunt.* Eruditiſſimus Lichfeldenſis, in ſuâ, quam
appellat Appellatione, pag. 270. *Certè poteſtas illa Abſolvendi,
ſive generalis ſeu particularis, in publicis exercita, vel privatis,
in noſtrâ Eccleſiâ agnoſcitur. Nam in Liturgicis Eccleſiæ noſtræ,
Remiſſio & Abſolutio publicè Pœnitentibus quibusvis data pro-
nunciatur, ſed & privatim quoque particularis Abſolutio, per
Miniſterii officium pœnitentibus applicatur. Neque certè quiſquam
hominum majorem à Deo, aut excellentiorem aliquam poteſtatem,
quàm iſta eſt, accepit.* Et tamen non Inficiamur, Zelotarum quo-
rundam fervidâ & furioſâ Cenſurâ, hanc Eccleſiæ Anglicanæ do-
ctrinam vetuſtam & Orthodoxam, pro Papiſticâ, ut loqui illis
placet, notatam. ſed quis miretur veteres illos Montaniſtas,
Novatianos, Catharos, poſtremis hiſce temporibus, ab Inferno
reſuſcitatos. At fruantur illi ſua hæreſi & Inſania. Verum &
Calviniani quidam Miniſtri, Lobechius loquitur, Abſolutioni
detrahunt illam efficaciam. Eſto. Τί ἡμῖν καὶ τούτοις; Qui non ma-
gis ſumus Calviniſtæ, quam Papiſtæ, ut ſcite dictum & vere
Eruditiſſimo Elienſi. Errant illi quocunque nomine ſe indigi-
tant. *Chriſtus enim*, ut cum B. Leone loquar, *Eccleſiæ Præpoſitis* Epiſt. 9.
*poteſtatem dedit, ut & Confitentibus actionem Pœnitentiæ darent,
& eoſdem ſalubri ſatisfactione purgarent : & ſic ad Communionem
ſacramentorum, per januam reconciliationis admitterent.*

Sed & Dno Calvino fortaſſis injuriam irrogant, qui de 34.

nomine ejus tam vehementer gloriantur, & eum tantum non adorant, certè venerantur. Nam in colloquio olim Hamptonienſi, Londinenſis tunc Epiſcopus, communem doctrinam Proteſtantium fuiſſe, quod certè verum eſt, aſſerebat, cui nec per Calvinum contra itum eſt, quod & D. Rex Jacobus, Regum, à Regibus inunctis, literatiſſimus ſuo ſuffragio verum eſſe confirmabat. Ex animi verò ſui ſententiâ coram toto illo cœtu profeſſus eſt, Apoſtolicam eſſe, & omni modo laudandam, præſcriptam illam formulam in Liturgicis, *Cum Abſolutio*, inquiens, *in Nomine Chriſti conferatur ardentiſſimè expetenti, humillimè flagitanti, devotiſſimè pœnitenti, & conſcientiam exoneranti.* Qui diſſentiunt, obloquuntur, protervè detrahunt huic tam ſalubri, Chriſtianæ, Apoſtolicæ doctrinæ, Bonum factum, ſeveritatem in hac parte, Legum experirentur. Quicunque enim declamando, obloquendo, docendo, prædicando, cuicunque parti Liturgiarum vel libri Communionis, ut appellant, detraxerit, ſi convictus fuerit per Evidentiam facti, Teſtes idoneos, propriam Confeſſionem id feciſſe, per Legem, ab Eliſ. latam anno primo cap. 2. mulctari debet, ita ut penitus careat emolumentis & proficuis quibuſcunque, omnium beneficiorum & ſpiritualium promotionum ſuarum, & carceribus inſuper, per anni dimidium, includatur, ſine ullius Fidei-juſſione, vel ut loquuntur Legiſtici, manupriſione. Quod ſi cum beneficio Eccleſiaſtico non fuerit, per integrum annum, ergaſtulo ſuam luat improbitatem. Atque hoc modo cautum eſt Legibus Regni Parleamentariis; addunt Canones Eccleſiaſtici, Excommunicatum eſſe Ipſo facto.

35. Eſt autem pars non poſtrema Libri illius Liturgici, & Ritualis, Doctrina illa practica, de Abſolutione per ſacerdotem conferenda Confeſſis, ut mera fuerit nonnullorum, non ſanè omnium, τῶν ἐξ ἐναντίας, calumnia, nec ab *Ignoratione profecta* ſed malitiâ, nos non admittere vel Confeſſionem vel Abſolutionem: à quorum temeritate ſeu impudentiâ potius, abhorrent plerique, melioris notæ, ſolidioriſque doctrinæ. Certè quidam qui ſe vocat C. W. B. ingenuè, & ut virum eruditum ac ſacerdotem decuit, fatetur, Eccleſiam Anglicanam, in alia omnia deſcendere. Huc etiam pertinet, inquit ille, Proteſtantium doctrina, qui tuentur habere ſacerdotes poteſtatem, non tantum prædicare vel pronunciare, ſed etiam dare & conferre Remiſſionem peccatorum. Hanc defendunt doctrinam, prænominati authores, & non pauci etiam alii. Quin imò videtur Doctrina hæc tradita & aſſerta in libro Rituali vel Precum Anglicano. ait enim, Tit. de viſitatione Infirmorum, ſacerdos ægrotum affatus, *Et per illius authoritatem mihi commiſſam, Ego te abſolvo ab omnibus & ſingulis peccatis tuis.* Quæ cum ita ſint, quid tam Vatiniano odio diſſidemus? eat ad Anticyras, vel in Gemonias, qui propter Zelotarum quorundam ex utraque parte, non ſanè omnium, κακοζηλίαν, univerſam Anglicanam Eccleſiam poſtulant de impietate. Impiè, agnoſco, non ſolum fatuè, ex illâ colluvie quidam

Digitized by Google

quidam blatiunt: non minus Laïcum, imò, puellam, mulierem, picum, pſittacum, vel monedulam humanas voces, & ſonos imitantes abſolvere actualiter & verè à peccatis quàm ſacerdotes. Quorum nos impietatem & ſcurrilem blaſphemiam meritò, libentes execramur. Ratum eſt in cœlis, & roboris habet firmitatem, quod per ſacerdotem in terris agitur, ritè & ex officio procedentem, et recto uſu clavium de peccatis ſtatuentem. In erudito quodam libello, qui *hominis Inſtitutiò Chriſtiani inſcribitur*, Londini impreſſo 1544. de Abſolutione ſic edicitur, *Quam à Sacerdote in terris prolatam verè, etiam in cœlis eſſe efficacem credere debet: ſeq; jam eſſe à peccatis ſolutum gratis, id eſt, merito Paſſionis Chriſti, & habere peccatorum omnium Remiſſionem.*

Quibus tamen non obſtantibus, profitemur, & debemus agnoſcere: eſſe cum Scripturis & veritate conjunctiſſimum, ſolum Deum remittere & condonare peccata. *Tu qui ſolus parcis, qui ſolus peccata dimittis.* et, *Quis enim poteſt peccata remittere, niſi ſolus Deus* (*Tibi enim ſoli*, inquit ille, *peccavi.*) Nec errabant Scribæ, hujuſce Veritatis aſſertores, Marc. 2.7. ſed mali erant applicatores. vel quòd rebantur poteſtatem illam, omninò & omni modo Creaturæ incommunicabilem, etiam modo miniſterii & Inſtrumenti: vel quòd Dominum Jeſum, & alias, & aliter abundè convicti Deum profiteri vel agnoſcere vellent. *Qui judicat & abſolvit*, inquit Tertullianus. Quocirca cùm peccata dimittentem viderent & audirent, hominem ejus tantum intuentes retractabant. Non poſſe hominem peccata dimittere, ſed Deum ſolum. Quam Dei prærogativam, cùm non negent, nec illi detrahant Romano-Catholici, fruſtra per nonnullos Teſtimonia Patrum, ad illam Veritatem comprobandam advocantur; Non illi negant Optato pronunciatum. *Eſt in univerſis ſervientibus, non Dominium ſed Miniſterium.* Nec Chryſoſtomi, οὐ γὰρ ὁ διακονούμενος τοῖς ἀγαθοῖς, ἀλλ᾽ ὁ παρέχων αὐτὰ καὶ διδοὺς, οὗτος εὐεργέτης. Nuntius alicujus Euangelii, non eſt author & origo ejus Euangelii. Qui retulit Parenti, natum ipſi eſſe Filium, non eſt ipſe Parens aut genitor Filii. Nam nec diceret quis non inſanus, Præconem decretum dediſſe. tuliſſe Leges, qui Senatus conſulta, edicta Principum, Imperatoris reſcriptum, promulgavit, aut ad Præfectum Prætorio detulit. Hoc dicere, ſentire, & tueri poſſumus, quòd ſolus Deus dimittit & retinet peccata: et quod ille in ſe αὐτονομότατος & αὐτεξουσιότατος, Eccleſiæ ſuæ miniſtris id præſtandi tribuit poteſtatem. ſed aliter ipſe: aliter Eccleſia ſolvit. Ipſe per ſe, ſuâ authoritate, motu proprio, quia ſolus animam mundat ab omni maculâ, & labe interiori. Quia reatum & debitum mortis æternæ ſolus ſolvit, expiat & expungit. Hanc poteſtatem, regalem & αὐτόνομον, Sacerdotum nulli communicat. Leproſum illum Dominus per ſe primum mundavit, & perfectæ reſtituit ſanitati: et tum deinceps ablegavit ad Sacerdotes, ut eorum judicio & cenſurâ mundatus declararetur. Hoc

36. *Et tamen ſolus Deus remittit, ſed quomodo.*

docet

Digitized by Google

docet ſcholæ dictator in 4. diſt. 18. ſolum illum peccata dimittere, qui per ſanguinis ſui effuſionem, ſolus reatum peccatorū abolevit. In remiſſione peccatorum dandâ, Miniſtri & Sacerdotes miniſterium ſuum exhibent inſtrumentale, non jus alicujus poteſtatis exercent. Illi rogant. Divinitas donat. *humanum hic obſequium, ſed munificentia eſt Divinæ poteſtatis*, ait Ambroſius. Nec à Patribus & Magiſtro diverſi abeunt, ſaniores è Scholæ doctoribus. Occam in 4. Quæſt. 8. lect. 9. Alexander, pag. 4. Quæſt. 80. Mem. 1. ad 3. Gabriel in 4. Diſt. 14. Quæſt. 11. Alliſsio Dorenſis par. 4. Tract. 6. cap. 8. & alii. Ἃ γὰρ ἐγκεχείρισται ὁ ἱερεὺς, μόνα Θεοῦ ἐστι δωρεάς.

37. *Authoritas non una ligandi & ſolvendi.* Certè authoritas in Ligando, & ſolvendo, non unica eſt, aut uniuſmodi, ſed triplex. prima, ſecunda, tertia. Prima ſimpliciter principalis, & incommunicata. ſecunda, non ſimpliciter quidem principalis, ſed tamen præexcellens quædam, *ſumma*, atque incommunicabilis authoritas. Tertia, nec *præexcellens*, ita nec ſimpliciter principalis, ſed miniſterialis tantum & communicata. Prima, ſolius Dei diviniſſima eſt prærogativa, adeò illi propria: atque ipſa eſt æternitas. *Quemadmodum Deus*, ait doctor ſubtilis, apud Innominatum authorem in Pſalmos, ſive Aiguanus, is eſt Baronenſis, *non poteſt communicare cum non Deo, Divinitatem ſuam, ſic nec primam illam ac principalem ſuam poteſtatem diſcernendi, judicandi, cœlos claudendi aut aperiendi*: ſecunda, Chriſti eſt, Eccleſiæ capitis quâ homo fuit, & poteſtatem à Deo collatam habuit in omnes Creaturas. Tertia, illa eſt, quâ Pontifices tanguntur, & Sacerdotes. Non eſt hoc arbitrium Sacerdotale. Non eadem, per omnia poteſtas quam Chriſtus homo accepit à Patre ſuo. Ubi par hic authoritas & æqualis? πολὺ τὸ ἐν μέσῳ. Nec miniſter cum Domino, τὰ ἴσα πρεσβεῖα accipit: nec peccata remittunt aut conſtringunt eo *gradu Sacerdotes*, quo is, qui omne judicium accepit à Patre: Novatianis & Catharis, Anathema: qui omnem relaxandi peccata poteſtatem tollebant ab Eccleſiâ. Tum enim falſus eſſet Jeſus Chriſtus, qui poteſtatem περισσῆς ἐλέγχων, *Quorum peccata remiſeritis, remiſſa ſunt*. Itaq; Chryſoſtomi lingua loquitur. *Num accedis ad hominem? aut homo tibi peccata remittit? Accedis ad Dominum, & Regem omnium Deum, qui tibi per Sacerdotem peccata remittit.* Sacerdos eſt μεσίτης, οὐκ αὐθέντης. Nec detrectes ab eo, Donum accipere. Non enim Ipſe Tibi remiſſionem peccatorum impertit, ſed magnus Pontifex Chriſtus, qui ei concredidit Sacerdotium. Hominum hic inſcitiam, vel improbitatem! Quæritur de αὐθεντίᾳ, & affirmatur. at nuſquam illa apparet apud vetuſtiores. Incidit in homicidium & adulterium David. manſit ἐν ἀγροῖς καινῖς ἀνεξομολόγητος, Chryſoſtomus ait. Mittit Deus Nathanem Prophetam, qui reduceret in viam. audivit à Prophetâ, *Tu es ille*. Confeſſo ſuggerit ſtatim Vates, *Dominus delevit iniquitatem tuam*. Commiſit illi Dominus τελείαν τοῦ Δαβὶδ θεραπείαν ποιούμενος. ſi enim noluerat

rat peccatum ei per Nathanem remitti, non miſiſſet eum ad Davidem. ſed hoc non eſt niſi miniſterium. οὐδὲν ἕτερον ἢ τὴν γλῶτταν κιχρᾷ. καὶ ὁ Θεὸς τὴν σωτηρίαν καὶ τὴν ἄφεσιν παρέχει.

Dei autem actiones, etiam quoad extra, non ſunt uniuſmodi, vel ejuſdem ſemper generis & conditionis. Eſt ſolius Dei à peccatis abſolvere. ſed ita, ut hoc faciat, immediatè interdum per ſemetipſum: mediatè aliquando per miniſtros ſuos. Miniſtros oportet eſſe ab ipſo deputatos, & ſufficienti inſtructos authoritate. Hoc fit, non immediatâ quâdam inſufflatione, ſed per impreſſum ordinationis characterem. Nec moramur citantes ex hiſtoriâ tripartitâ Acatii Novatianorum Epiſcopi, ad Conſtantinum reſponſionem, quâ fatebatur invitandos ad Pœnitentiam lapſos, ſpem vero remiſſionis, non à Sacerdotibus, ſed à Deo ſolummodò expectandam volebat. Quæ tranſtulit author illius hiſtoriæ, è Socratis Lib. 1. cap. 7. quem ſequuti ſunt, Sozomenus, Lib. 1. cap. 20. & Nicephorus, Lib. 8. cap. 20. ſed non videtur de quovis peccato ita ſtatuiſſe Novatianus, ſed de illo ad mortem. hoc eſt, lapſu, apoſtaſiâ, abnegatione Chriſti & Religionis. τοὺς μετὰ τὸ βάπτισμα ἁμαρτάνοντας τὴν πρὸς θάνατον ἁμαρτίαν καὶ ἐπιθύσαντας θείων μυστηρίων ἀπηξίου κοινωνίας. Θεοῦ γὰρ εἶναι τῆς ἐξουσίας μόνου ἔλεγε, καὶ οὐκ ἱερέων, πρυτανεύειν τούτοις τὴν ἄφεσιν. Ait τούτοις. non quibuſcunque. Ita non omnem ademiſſe videtur poteſtatem Novatianus Sacerdotibus in peccatiscondonandis, ſed illam ſolam quam in lapſis recipiendis Eccleſia exercebat. 38.

In quo, non pervenit ad vehementiam recentium Catharorum, qui omnem omnino poteſtatem auferunt à Sacerdotibus, præter illam Annunciationis: quam & ipſam improbè cuicunque communicant loquendi præditi facultate. Et ſunt qui cum videri velint à Formâ in Liturgicis commendatâ non recedere, aut uſum damnare Eccleſiaſticum, tamen Actionem ipſam delumbant, atque ita extenuant facultatem, ut vix ultra illam priorum Annunciationem, vel Optionem potius, aſcendant. Magno enim molimine & conatu docent, formalem Abſolutionis rationem, non Indicativam, ſed Optativam eſſe. Hoc eſt, non poſitam in illis, *Ego te abſolvo*, ſed in iſto, *Te Deus abſolvat*, aut Deum deprecor, ut te abſolvat. ſed profectò, ſi nulla ſit ulterior, aut excellentior actio Sacerdotis, quàm ut bene precetur confitenti, nihil illi adſcribitur peculiare: nulla tortis conſcientiis exhibetur conſolatio. Peccatores enim non audit Deus. Confitetur confitens, ſe peccatorem eſſe. et vix perſuaderi poſſit, eſſe illum in gratiâ conſtitutum, ſaltem incertum eſt an ſit, qui ſic bene ominatur. Quodſi autem pro munere Sacerdotali officio ſuo ritè fungatur, ſecundum ordinem à Chriſto edictum, gratiam certam confitenti in remiſſione peccatorum præſtat, cùm Sacramentalis gratia in Eccleſiâ non dependeat à miniſtro, bono malove, ſed Divino promiſſo, inſtituto, ordinatione. Iterum, ſi non aliter abſolvat, qui abſolvit, quàm orando, ut abſolvat 39. *Catharorum ſententia.*

Deus

Digitized by Google

Deus, fruſtra curamus, aut contendimus contra Puritanos, de miniſtro. Spectat hoc, quicquid eſt muneris, ad Laïcos, Tonſores, Textores, &c. non minus quàm ad Sacerdotes. Nam & debent, & poſſunt illi non minus intercedere, & Deum δυνατῶν, quàm Sacerdotes. Quare nec mirum eſt, temerè omninò, & falſiſſimè in Diaconos tranſlatam hanc poteſtatem, abſente presbytero vel occupato, idq; authoritate communitum Cypriani Epiſt. 13. ſed fide ſubleſtâ Cyprianum advocant, qui non tam laxè, aut ἀπολελυμένως loquebatur, quaſi ſtatim, Presbytero non comparente, abſolvere pœnitentem Diaconus poſſet, ſed urgente mortis neceſſitate in extremis poſito pœnitente. ſed nec de Poteſtate ſolvendi & ligandi in *foro poli* loquebatur, verum in *foro fori.* ab excommunicatione Eccleſiaſticâ & cenſurâ; Multa autem condonantur adurgente & premente neceſſitate, quæ nullo modo alias tolerarentur. Nec utcunque indultum alicui *privilegium* quacunque de cauſsâ, Legem refigit *generalem, omnibus poſitam.*

40. Eſt ergo certum & definitum de ſententiâ Eccleſiæ Anglicanæ, quicquid garritent Puritani, quicquid vacillent Semi-puritani, ἔξω λευκοπάρυφοι, ἐντὸς ὁλοπόρφυροι: quicquid delirent Fratres de Ignorantiâ, eſſe à Deo poteſtatem deductam & derivatam, verè & realem, non per phantaſiam, ὑποθετικὴν aut δοξαστικήν. non per εὐχολογίαν, aut judicium, ut balbutiunt Charitatis, remittendi & retinendi peccata. Hanc poteſtatem à Domino noſtro Servatore apud Eccleſiam depoſitam, Eccleſiæ concreditam & commiſſam: non cuicunque è fœce, vulgo, aut popularis ſtatus, ſed Sacerdotibus omnibus ex æquo, & ſolis, per manuum Epiſcopalium impoſitionem, Deo, Chriſto, Divinis functionibus initiatis. Poſſe autem illos & debere, acceptâ, auditâ, *cognitâ* pœnitentium confeſſione, eoſdem *abſolvere, per authoritatem* illam Sacerdotalem, formali & ſollenni more modoque uſurpato, *Ego te abſolvo.* Ita ut non minus verè exiſtant, verè pœnitentes, ſi non ponatur obex, abſoluti per verba Sacerdotis, acſi Angelus de cœlo, Propheta internuntius, imò ipſe Deus diceret, *Remittuntur tibi peccata tua.* Non minus enim valent literæ patentes, diplomata regia, & pardonationes quas appellant, magno ſigillo communitæ, ad veniam morituro alias indulgendum, quàm ſi vivâ voce, præſens Judici aut Vicecomiti mandaret Rex, ne de ſententiâ mortis in reum executio fiat.

41. *Sacramenta, Inſtrumenta.* Sunt enim Sacramenta, ad hominum ſalutem, à Deo inſtituta per Eccleſiam; Inſtrumenta, non quidem naturalia, ſed nec mortua, qualis ſecuris aut ferrum, vel otioſa. Præſtant, quod promittunt; verè exhibent, quod præ ſe ferunt: ideò quòd à Deo ſunt in illum finem ordinata, ut illa verè conferant & exhibeant, ad quæ exhibenda deſtinantur. Verum eſt, quod affertur è Scripturâ, *Deum alteri gloriam ſuam non impertire:* hoc

Digitized by Google

hoc eſt, incommunicabilem, omnimodo propriam, intrinſecam, interiorem: Ita neque Rex, coronam aut regiam majeſtatem alicui è magnatibus, ne quidem flagrantiſſimâ ipſius gratiâ florenti: cùm tamen illos, etiam illis ſubſidentes & ἐν λόγῳ poſitos miniſtros voluntatis, imperii, majeſtatis ſtatuat; per eoſdem ea paſſim exequatur, quæ non niſi ipſius ſupremæ innitantur authoritati. Ridiculum eſt ergo quod Gonlartius notat, ut multa paſſim ſunt, in annotamentis ejus, ad Epiſtolam Cypriani, 52. Na. 86. De Chriſto ſolo remittente peccata, quod nemo negat, quaſi non ideò, & Sacerdotes, de Dei gloriâ non communicandâ. nam quis ita deſipuit, Sacerdos cum abſolvit pœnitentem, confeſſum, in Chriſti prærogativam injurioſius non intrudit ſe, quod ille delirat, quia non ſuo, ſed Chriſti nomine, reum abſolvit. non per aliquam è ſe reſultantem, in ſe naturaliter reſidentem, à ſe uſurpatam poteſtatem, ſed à Chriſto delegatam. *In nomine Jeſu Chriſti*, dicebant Apoſtoli, *ſurge & ambula.* Erat hic ſtylus Curiæ Apoſtolicæ. eſt & Eccleſiaſticæ, *per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, In nomine Jeſu Chriſti.* Chriſtus ipſe aliâ formâ utebatur, *Talitha Cumi. Tibi dico, ſurge. Exi Lazare. Exi ab eâ. Volo.* Mundare. Mucoſas oportet nares habeant illi, vel læſum ſinciput, qui non diſtinguunt inter iſta.

Statuimus ergo cum Cypriano, ſi invenimus à Pœnitentiâ agendâ neminem debere prohiberi, & deprecantibus atque exorantibus Domini miſericordiam, ſecundùm quod ille miſericors & pius eſt, per Sacerdotes ejus Pacem poſſe concedi, imò & debere. *Neque enim fas erat*, ait idem, Epiſtola 54. *aut permittebat Paterna Pietas, & Divina Clementia Eccleſiam pulſantibus dandi, & dolentibus, ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari. ut de ſæculo recedentes, ſine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur, quando permiſerit ipſe, qui Legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata eſſent, ſolvi autem poſſent & illic quæ hic prius in Eccleſiâ ſolverentur. Si autem aliquis lapſorum fefellerit, ut pacem ſubdole petat, & impendentis prælii tempore communicationem non præliaturus accipiat, ſeipſum fallit ac decipit, qui aliud corde occultat. Nos in quantum nobis & videre & judicare conceditur, faciem ſingulorum videmus, cor ſcrutari, ac mentem perſpicere non poſſumus. Obeſſe autem mali bonis non debent. nec ideò Martyrium facturis pax neganda, quia ſunt quidam negaturi.* Quæ autem illa Pax Conſcientiis firmandis eſſe poſſit: & ad Martyrium fortiter ſubeundum non video, quam tum depoſcentibus dabant Sacerdotes, ſi dandi nullam habebant poteſtatem. 42.

Hanc veteris Eccleſiæ diſciplinam, obſcurius ut ſolet, ſed per partes conſignat Tertullianus. *De ipſo quoque habitu, atque victu mandat, ſacco & cineri incubare: corpus ſordibus obſcurare: animum mœroribus dejicere: illa quæ peccavit triſti retractatione mutare: cæterùm, paſtum & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed* 43. De Pœnit. ca 9.

animæ

animæ cauſſa. plerunque verò jejuniis preces alere: ingemiſcere, lachrymare, & mugire: dies noctesque ad Dominum Deum, atque ita demum presbyteris advolvi, & Charis Dei adgeniculari: omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere, atque ita demum palam abſolvi. Τῆς γὰρ καθαρτικῆς εἰσι τάξεως, & διακριτικῆς, ait de Sacerdotibus Dionyſius. Et ante Communionem, confitendo ſcilicet & abſolvendo, ἀποκαθαίρει τοὺς προσιόντας, τῆς παλαιᾶς ἀπογυμνῶν ἐσθῆτος, καὶ ἀπολύει. quæ non tantummodo nudam declarationem, ſed impreſſum animis characterem denotant: undè non veretur Nazianzenus magnificè Sacerdotis dignitatem & poteſtatem deprædicare. Orat. I. non ſunt hæc aliena. Τὸν μετ' ἀγγέλων συστησόμενον, καὶ μετ' ἀρχαγγέλων δοξάζοντα· καὶ ἐπὶ τὸ ἄνω θυσιαστήριον ἀναπέμψαντα τὰς θυσίας, καὶ Χριστῷ συνιερεύοντα. τὸν ἀναπλάσσοντα τὸ πλάσμα, καὶ παραστήσοντα τὴν εἰκόνα, καὶ τῷ ἄνω κόσμῳ δημιουργήσοντα. Quæ ſunt non minus divinæ αὐτονομίας peculiaria πρεσβεῖα, quàm eſt illud, Dimittere & ſolvere peccata. quæ non veretur Sacerdotibus aſſerere, Gregorius ille tantus in Theologiâ magiſter, ſed & illud addit, καὶ τὸ μεῖζον εἰπεῖν, Θεὸν ἐσόμενον καὶ θεοποιήσοντα. *Cum Angelis ſtabit* (ita vertit Billius) *cum Archangelis glorificabit, ad ſupernum Altare ſacrificium tranſmittet, unà cum Chriſto fungetur ſacerdotio. Figmentum inſtaurabit: Imaginem exhibebit: ſuperno mundo opificem aget: & ut quod magis eſt dicam, Deus erit ipſe, alioſque efficiet Deos.*

44. *Sacerdotalis dignitas.* Hæc ſunt verè magnifica, & Regum omnium Monarcharumque poteſtatem ὑπερακοντίζοντα. unde nec immeritò, ὑψίθρονον, appellat Ignatius eum, qui eſt cum Epiſcopatu. *Nam qui terram incolunt*, Chryſoſtomus inquit, Lib. 3. de Sacerdotio, *& in terrâ converſationem habent, poteſtatem ſibi quidem communicatam habent res cœleſtes diſpenſandi; poteſtate illâ præditi, quam nec Angelis Deus nec Archangelis impertivit.* Neque enim illis dictum fuit aliquando, Quæcunque in terrâ ligaveritis, erunt ligata & in cœlis. Hic ille, ſi Annunciationem vel declarationem intelligeret, falſum foret quod de Angelis & Archangelis excluſivè affert. Nam & illis, & aliis, iiſdem multo inferioribus, & concedi poteſt, & conceſſa fuit non rarò, dictandi, declarandi, docendi, annunciandi promiſſa, & miſerationes divinas, & pœnitentibus Indulgentiam, poteſtas. non autem applicandi, aut actualiter imprimendi. Quocirca proſequitur Chryſoſtomus. *Habent certè & illi qui ſuper terram cum imperio conſtituti ſunt, poteſtatem in vincula conjiciendi, ſed corpora tantùm. At vinculum iſtud & animas conſtringit, atque ad cœlos etiam ipſos penetrando pertingit. Nam quæ deorſum in terris ſacerdotes agunt, illa ſurſum in cœlis confirmat Deus: Dominus autem ratam habet prolatam à ſervis ſuis ſententiam. Quo ipſo quid aliud agit, quàm ut univerſam communicet poteſtatem cœleſtem? Quorum enim, inquit, peccata remiſeritis, remittuntur. Qua non eſt alia ulla excellentior poteſtas. Omne judicium Pater dedit Filio: & hoc ipſum Filius ſervis ſuis ſacerdotibus in manus tradidit. Quaſi enim jam in Cœlos tranſlati eſſent: quaſi naturam*

Digitized by Google

turam exceſſiſſent humanam, & immunes redditi à cunctis humanis paſſionibus eſſent, tranſlatam in ſe acceperunt hanc poteſtatem. Certè ſi Rex alicui è Subditis ſuis tantum honorem habere vellet, ut quoſcunque pro libito in carcerem compingeret, et alios ad placitum inde eximeret, is ab omnibus paſſim honore & veneratione ſummâ haberetur. Non poſſumus ergo illum opinari, neſcio quid exiguum recepiſſe, qui talem honorem, à Deo gaudendum fruendum acceperit, tanto illuſtriorem ſcilicet, in quantum cœlum terræ præſtat, & animæ corporibus præferuntur. Hæc & fuſiora, libro illo tertio ὁ χρυσοῤῥήμων.

Cujus dictorum, ut & Nazianzeni, & Ambroſii rationem nos in Thyſiaſteriologiâ, explicamus; ità ut nihil regali eminentiſſimæ dignitati per ſanctos Patres appareat detractum. Verum dignitati & honori: etiam nomini & officio ſacerdotali Iniquiores hæc Chryſoſtomiana non diffitentur. aiunt enim illum ultrà omnes Patres hyperbolicè progreſſum, illam dignitatem evehendo. Quod fortaſſis quoad verba, flumen orationis, & calami torrentem verum eſt: erat enim ad dicendum apparatiſſimus. Non tamen ultra cæteros exaggerando progreſſus eſt; ne tum cum regiæ majeſtati prætulit. Nam Beatus Ignatius idem ipſum loquitur. Nec diffitebuntur Inuncti a Domino. Rationem reddit Nazianzenus, quia τάξις eſt non ſolùm Θεῦ, ſed & δίκη. Quod aliter, eo ſenſu Chryſoſtomus extulit, Η μὲν ἱερωσύνη τελεῖται μὲν ἐπὶ τῆς γῆς, τάξιν δὲ ἐπουρανίων ἔχει ταγμάτων. 45.

Falſum ait Caſaubonus credidiſſe Chryſoſtomum Sacerdotes præſtare dignitate vel ipſis Angelis. Nec negamus falſum; ſi Natura & conditio Angelica ſpectetur. ſunt enim Spiritus, Incorporei. Natura ipſorum longè ſuperat humanam noſtram. Nec tam ſtupidum fuiſſe Baronium crediderim, ut vel ὕπαρ vel ὄναρ id in mentem ei venerit: quod injuriâ illi adſcribunt exercitationes, ſi quid ego illas capio: aut aliquid ad rem contingens, dicant. In multis præſtant cæteris Creaturis Angeli Antiquitate ortus. nobilitate generis. donorum præſtantiâ & ἀγροβολισμοῖς. Immortales ſunt & Incorporei: non ullis neceſſitatibus miſeriarum aſtricti. Agilitate admirandi. Intelligentes actutum & intuitive ſine diſcurſu. efficaciſſimè volunt quicquid volunt. ἀμετανόητοι in illis quæ agunt aut ſemel elegerunt. Memoria eſt illis ſine oblivione. Potentia ſine impotentia penè. ſunt numeroſiſſimi, ordinatiſſima acies, admirandâ diſtincti varietate, itaque ineptè quod de hominis præſtantiâ in nonnullis dicitur ultra Angelos, ad eorum τὰ πάντα, quaſi generatim dictum retulerimus. ſed nec de omni modo Angelico miniſterio imminuto, aut minorato intelligebat Chryſoſtomus. Non autem Angelica illa ὑπεροχὴ, humanæ ſubjicitur mediocritati, ſi Deus in quibuſdam Naturam humanam Angelicæ prætulerit: quam certiſſimè prælatam ſcimus in illâ λόγου συγκαταβάσει: & my- 46.

Angelorum dotes

Digitized by Google

ſterii Incarnationis, per Eccleſiam illis revelati. Quidni autem & idem prædicemus de officio ſacerdotali, quod certum eſt non communicatum Angelis?

47. *Paganis ſacerdotalis dignitas.* Quibus Lux illa Iſraëlis olim non affulſit, neſcio quid magnum, auguſtum, Divinum Pontificiæ dignitati & officio ineſſe & ſubeſſe credebant, quod nos à Chriſto denominati, magno Pontifice, melioris notæ Sacerdote, totius muneris fonte, promo condo, tam vili pretio licitamur, & εὐωνον eſſe, ut verbo utar Nazianzenico, arbitramur. Lictor apud Romanos venienti Pontifici & in publicum progredienti, Meretrices de viâ ſubmovebat, ne in occurſum venirent ſacerdotibus. Quin et Prætores et ipſi Conſules virginibus Veſtalibus de viâ decedebant. et Imperator, quem tanquam diviſum Imperium cum Jove habentem, venerabantur, Regiæ et Imperatoriæ majeſtati, quaſi cumulum adjiciebat Pontificatum. *Novæ ſortis oportet illum eſſe*, dicebat Seneca, *qui jubente Deo canat.* Ita & Dei imaginem præ ſe ferre, qui juſſa Domini exhibet & mandata repræſentat. ἐξ ᾗ Διὸς Ἰδαίου μύστης ἐγενόμην, πάλλευκα γ' εἵματα φεύγω γένεσίν τε βροτῶν. Citat ex Euripide, Porphyrius in 4. περὶ ἀποχῆς.

Apud Judæos. Nec minus auguſtum erat apud Judæos Aaronicum ſacerdotium [illegible], inquit Philo,

P. 151. [illegible] ἀρχιερεὺς, τὴν βασιλείαν τῆς ἱερωσύνης ἐν δευτέρᾳ τάξει τιθέμενοι, καὶ νομίζοντες ὅσῳ Θεὸς ἀνθρώπων διαφέρει, κατὰ τὸ κρεῖττον, τοσούτῳ καὶ βασιλείας ἱερωσύνην. Non hoc ſimpliciter, καὶ ἀπολελυμένως. πολλοῦ γε καὶ δεῖ· ſed reſpectu quorundam actuum ſacerdotalium. [illegible] εἰς θεραπείαν τοῦ Θεοῦ [illegible] ἀνθρώπων [illegible], ὅταν [illegible] τοῦ Θεοῦ ὡς τὸ [illegible] δύναμιν [illegible] ἀνθρώπους [illegible]. Juſtinus Martyr. Eſt

Apud Patres. hoc προτίμημα ſacerdotii. In quâ parte officii ſui Martyribus prætulit Sacerdotes Cyprianus. *Non minus, mercede coronæ condignus eſt, qui hortatus eſt* (ad paſſionem) *quam qui paſſus. Non minus laude condignus qui docuit facere, quàm qui fecit. Non minus honorandus qui monuit, quàm qui dimicavit. Niſi quoniam nonnunquam major gloriæ cumulus redundat ad eum qui inſtituit, quàm ad eum qui ſe docibilem diſcipulum præbuit. Hic enim fortaſſis, hoc quod exercuit non habuiſſet, niſi ille docuiſſet.* Epiſt. 26.

48. Nec eſt res ſacerdotii adeò facilis, aut in aperto poſita, ut cuivis ſit [illegible], τέχνη τις τεχνῶν eſt reverà, καὶ ἐπιστήμη ἐπιστημῶν ἄνθρωπον ἄγειν [illegible] ζῶον καὶ ποικιλώτατον, ut in Apologiâ Nazianzenus. [illegible] τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. τάξις, βαθμὸς, & βῆμα, ait Idem. qui Sacerdotes [illegible] quoque vocat, utpote Deo πλησιάζοντας. Ἀρχὴν ἐστιν ὁ ἱερεὺς. Chryſoſtomus loquitur, καὶ ἄρχων ἐκείνου (rege) [illegible]. et utroque antiquior, Apoſtolorum [illegible] Ignatius. Τί γάρ ἐστιν ἐπίσκοπος, ἢ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα πάντων κρατῶν, ὡς οἷόν τε ἄνθρωπον κρατεῖν. Nam & Regum capita, addit Chryſoſtomus οἱ ἱερεῖς [illegible] χειρὶ ὑπέταξαν. Non ut Alexandrum tertium Pontificem aliqui memorant, Frederico

insultantem

inſultantem dixiſſe, ſed quod μεσίτας Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων. ſed quod εὐλογεῖ, χειροθετεῖ, προσφέρει, καθαίρει. ſed quod πρεσβεῦται ſint πρὸς Θεόν. ſed quod, παρὰ Θεοῦ ζωῆς καὶ θανάτου ἐξουσίαν εἰλήφασιν, ἐν τῷ δικάζειν τοὺς ἡμαρτηκότας καὶ καταδικάζειν εἰς θάνατον πυρὸς ἀεννάου, καὶ λύειν ἁμαρτιῶν τοὺς ἀποστρέφοντας, καὶ ζωογονεῖν αὐτούς. quæ, ut & ejus generis alia, paſſim occurrunt apud Græcos Patres, præcipue apud διάταξιν Lib. 2. cap. 33. ſed & Dionyſius Areopagita. Ἐπὶ τὴν ἁγίαν ἐρχόμενοι τῆς ἱεραρχίας ἐνέργειαν, ἐγγύτερον μὲν αὐτοὶ γινόμεθα τῶν ὑπὲρ ἡμᾶς οὐσιῶν, τῇ κατὰ δύναμιν ἀφομοιώσει τοῦ μονίμου τε καὶ ἀνεξαλλάκτου τῆς αὐτῶν ἱερᾶς ἱδρύσεως, καὶ ταύτῃ πρὸς τὴν μακαρίαν Ἰησοῦ καὶ θεαρχικὴν αὐτὴν ἀναβλέψαντες, ὅσα τε ἰδεῖν ἐφικτὸν ἐποπτεύσαντες ἱερῶς, καὶ τῆς τῶν θεαμάτων γνώσεως ἐλλαμφθέντες τὴν μυστικὴν ἐπιστήμην ἀφιερωμένοι, καὶ ἀφιερωταὶ φωτοειδεῖς, καὶ θεουργικοί, τετελεσμένοι καὶ τελεσιουργοὶ γενέσθαι δυνησόμεθα. *Honor igitur, & ſublimitas Epiſcopalis*, inquit Ambroſius, cap. 2. de dignitate ſacerdotali, *nullis poterit comparationibus adæquari. ſi Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippè cum videas Regum colla & Principum ſummitti genibus ſacerdotum, & exoſculatis eorum dextris, orationibus eorum credant ſe communiri.* & Chryſoſt. idem, *Ante Dominum ſtat, jugiter verſatur intra altaria ſemper: neque à Dei oculis recedit unquam. Peccatorum cauſſas: dolores populi, ſuſcipit. Fert, offert, ingerit preces, accipit, refert, reſtituit, impetrata. Ex homine, totus in Angelum ſubſtitutus. Non poteſt niſi in ipſâ Dei facie, inter ſancta ſanctorum peccare, ut inde ſibi ſumat crimen, unde aliis veniam ſolebat impetrare.* Ne ulterius proſequamur.

Sed tamen in iſtis omnibus tam eximiis dotibus & excellentibus operibus, Miniſtri ſunt, & non proprietarii. non pari præditi cum Chriſto homine, poteſtate. Ordinaria eſt. & licet excellens; tamen ὑπεύθυνος, ut illius non eſt. major eſt quam quæ miniſtrantibus concreditur ſpiritibus. Illis fortaſſis aliquando commiſſum, ut peccata remittant: ſed extraordinaria delegatione, non functione ordinaria. ſed per Denunciationem tantum: non per Applicationem abſolutionis, ut ſacerdotes faciunt. De quibus non dubitamus, verè, actu, & reïpſa cum abſolvere Peccatores, tum conſtringere. Remittant peccata verè, ſicut remittit Chriſtus, verbo Abſolutionis, non tantum verbo Teſtimonii. verè enim mortuos ſuſcitabat Petrus, Paulus, &c. nec minùs verè quam ipſe Dominus Chriſtus. non tamen eâ libertate, potentiâ, authoritate quâ Dominus. Non poſſumus Suareſio aſſenſum præbere, affirmanti ſacramenta Gratiam conferre, non tantum per formam ſuam, hoc eſt, Chriſti Inſtitutionem, ſed per materiem veram, & Phyſicam efficientiam. Non extinguunt peccata, voces, *Ego te Abſolvo*, ſicut aqua igni injecta, extinguit ignem, Sanctificatis enim Elementis effectum non propria ipſorum natura præbet, ſed virtus Divina potentiam operatur; ait de Chriſmate Cyprianus. *ſi ergo* 49.

vaſa ſunt Spiritualis Gratiæ, inquit Hugo à S. Victore, ſacramenta, *non ex ſuo ſanant. Quia vaſa ægrotum non curant, ſed medicina.* Probant è ſcripturis multa & multiplicia prolata Teſtimonia, penes ſacerdotes reſidere poteſtatem collatam à Chriſto remittendi & retinendi peccata, Non tamen exprimunt illa, modum, menſuram, limites circumſcriptos illi poteſtate: quod fatetur, & nos amplectimur, doctiſſimus Cardinalis controverſor. Atque ita ſtatutum ſit de hac Poteſtate ſacerdotali; juxta ſententiam Eccleſiæ Anglicanæ, è quintâ ſervatoris apparitione. ſequitur jam ſexta ſuo ordine, iiſdem diſcipulis facta, ſed præſente Thoma qui in priore abſuerat.

50. *Sexta apparitio.* Poſt dies octo, hoc eſt, Dominico die, vel feriâ primâ ſequenti, iterum manifeſtavit ſe Diſcipulis ſuis, in unum congregatis, eodem modo, quo prius, Januïs clauſis. Hanc eandem fuiſſe arbitror cum illâ cujus meminit Paulus, 1 ad Cor. 15. 5. εἶτα τοῖς ἀποστόλοις πᾶσιν. Ita enim legunt noſtri hodiè codices: cujus lectionis mentionem non facit Theophylactus, qui legit, εἶτα τοῖς δώδεκα: quemadmodum & Chryſoſtomus, nullâ factâ noſtræ lectionis mentione. ſed Duodecim erant, ante Judæ caſum. Duodecim futuri erant, poſt electionem Matthiæ. eo numero duodenario, cœtus ille cœleſtis complebatur. Erant ergo οἱ ιά, ut 70. Interpretes nominantur: & 70. Judices in Iſraële, qui tamen erant 72. Tale illud eſt, quod habetur Joh. 20. 24. *Thomas autem unus ex duodecim.* Unus ergo ille abfuerat; cum in ſacerdotes à Domino inaugurarentur. Et quid tum? an ille eo munere deſtituebatur? an à Chriſto præteritus, per ſpiritus ſancti communicationem, miſſionem & commiſſionem à Chriſto, ſicut Chriſtus à Patre, non accepit. Certè, non accepit unà cum iis ὑστερωθείς. *Thomas quando factus Sacerdos.* Neque enim abſentes miniſterio Chriſtus inaugurabat. *accepit* autem, cum ſecunda vice *eo modo, qui priore,* Chriſtus appareret. Thomas autem Qui Didymus appellabatur: ea notatione non binominem fuiſſe deſignat illum. eſt enim Thomas, idem quod Didymus. τοῦτο ἑρμηνεία ἐστὶ τοῦ Θωμᾶ. ὥσπερ γὰρ ὁ Κηφᾶς ἑρμηνεύεται Πέτρος, οὕτω καὶ ὁ Θωμᾶς λέγεται, τοῦτ' ἐστιν, ἑρμηνεύεται Δίδυμος. Et profectò, ἐπώνυμος erat, qui Dubitator fuit. Theophylactus. Εἰκότως δὲ μνημονεύει τῆς ἑρμηνείας ταύτης τοῦ ὀνόματος, ἵνα δείξῃ ἡμῖν, ὅτι διστακτικός τις ἦν καὶ ἄνωθεν καὶ ἀπ' ἀρχῆς τοιοῦτον εἶχε τὸν τρόπον, ὡς δηλοῖ καὶ τοὔνομα. Narrantibus enim cæteris & aſſeverantibus ſe revera vidiſſe Dominum, fidem detrahit, non credit, nec ſe Crediturum profitetur, Niſi videret in manibus ejus veſtigium clavorum, & miſerit Digitum ſuum in veſtigia clavorum, & miſerit manum ſuam in latus ejus. Itaque, ait Theophylactus, Reſurrectionem putabat impoſſibilem. ideò arguitur, ut ſupra modum, in rebus Dei, curioſus. Nam quemadmodum facilè Credere, Levitatis eſt, ita valde obluctari, ruſticitatis craſſitudo eſt. ἀγροικίας ἐστὶ καὶ παχύτητος. vide enim, quod affirmat, nec oculis ſuis ſe Crediturum, ait enim, Niſi

immiſero

Digitized by Google

immiſero manum. Unde autem ſciebat, quod τύπους habuit Chriſti latus? rectè reſpondet, Audierat, à Diſcipulis. Quare autem, non ſtatim apparuit illi, ſed poſt dies viii. Reſpondet, ut in majus deſiderium inflammaretur, & Fidelior in futurum eſſet.

51. Erant olim, qui ut Petrum in Negatione, ita Thomam in dubitatione excuſatum ibant: quaſi viri ſancti peccare non poſſent. Nolunt verè Infidelem fuiſſe S. Thomam, ſed κατ' οἰκονομίαν ſimulaſſe. Δῆλον δὲ, ὅτι ἐξ ἀπιστίας ἦν ἡ ἀμφιβολία, καὶ μάτην λοιπὸν κατηγορίζοντές τινες, τοῦ Θωμᾶ. φάσκοντες, ὅτι ἐξ ἀκριβείας οὐ ῥᾳδίως ἐπίστευσι. Nam certè Dominus incredulum vocat. Credidit autem, poſtquam viſu & tactu convictus exclamat, *Dominus meus, & Deus meus*. An tetigerit, videtur vel negare, vel dubitare, Auguſtinus. ſed ſatisfacit ipſe, qui è ſcripturis diſſerit, *viſum*, pro quocunque ſenſu poſitum legi. Et certè tetigiſſe & tractaſſe, manus, pedes, latus ſervatoris, cum ipſum Thomam, tum cæteros Diſcipulos, verum eſt. ὅρα δὲ τὸν πρώην ἄπιστον πῶς ἀπὸ τῆς ψηλαφήσεως τῆς πλευρᾶς θεολογεῖ, θεόλογος ἄριστος ἀναδειχθείς. Duas enim Naturas, et unam Hypoſtaſin unius Chriſti docuït. Dicendo enim Dominum, humanam indicat Naturam. Nam de hominibus dicitur Dominus. Dicendo autem Deus meus, Divinam ſubſtantiam oſtendit, atque ita unum et eundem eſſe cum Dominum, tum Deum.

De Thoma dubitatione.

52. Hactenus Diſcipulis manifeſtavit ſe Jeſus, vel Hieroſolymis, vel in vicinis locis. Nam et hoc in loco, et hoc ſenſu, illud obtinere debere arbitror vobis imprimis annunciari debuït Euangelium. cætera deinceps, ut Baronius obſervat, in Galileæ partibus peragebantur. Tranſactis enim diebus Paſchalibus, cum in ſuas ſedes convenæ remearent, undecim Apoſtoli abierunt in Galilæam, quemadmodum per mulieres eis dederat in mandatis Dominus. Id diſertis verbis narrat, ſed per compendium, cæteris omiſſis apparitionibus Matthæus, *Undecim Diſcipuli abierunt in Galilæam, in montem quem conſtituerat iis Jeſus.* Hoc ipſe promiſerat Mar. 14. *Poſtquam reſurrexero, præcedam vobis in Galilæam.* Hoc in mandatis dederat Angelus, *Dicite Diſcipulis, quia ſurrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi videbitis eum.* Erat hæc inſigniſſima apparitio. Nam, cum aliàs ſubito, nec modo aut tempore condictis appareret, huic locum deſignat, Montem quendam.

Septima apparitio.

53. Sed de hac alias: non enim prima fuit, ſed potius poſtrema, in Galilæa. Intervenit illa, quam ſolus Johannes commemoravit, cap. 21. Ille τὰ ταῦτα, nempè prius enarrata, quæ Hieroſolymis, & in vicino contigerunt, ἐφανέρωσεν αὐτὸν πάλιν Ἰησοῦς ἐπὶ τῆς θαλάσσης τῆς Τιβεριάδος· ἐφανέρωσε δὲ οὕτως. Locum deſcribit, Mare Tiberiadis: vel Galileæ. alias Cenereth, Ceneroth, Genazareth quadraginta ſtadiis in latitudine, centum in longitudine patet: toto autem ſuo ambitu 20. millia paſſuum complectebatur. Oppida habet adja-

Ad mare Tiberiadis.

Digitized by Google

adjacentia plurima: quorum multa ſacris literis commemorantur. Capernaum, Bethſaïda, Bethſan, Gadara, Tarichea, Chorazin, & Tiberiada. Hæc eſt Urbs inſignis, totius Galileæ Metropolis. quam in honorem Tiberii Cæſaris conſtruxit, & nominavit Herodes Tetrarcha; ad ipſum introitum lacus, ſitam. Hujus autem ſtagni Tiberiadis aqua, dulcis eſt, fœcunda, & potabilis. Varia autem magno numero, ſunt in illo mari piſcium genera, ubi copiam non una vice ingentem extraxit, Simon Petrus. Revelationis hujus modum ſic perſequitur Euangeliſta, Erant ſimul, Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathaneel, qui erat à Cana Galileæ, & filii Zebedæi, et alii è Diſcipulis ejus duo. Dicit iis Simon Petrus, vado piſcari. Neque enim omiſerat, ſed intermiſerat, vitæ rationem antiquam. mare autem illud Liberum fuiſſe videtur, cuicunque volenti piſcationem exercere. Abierunt ergo omnes ſimul, ſocii futuri *piſcationis* nocturnæ. Erat enim illud tempus accommodatiſſimum: ſed Divina Providentia factum eſt, ut nihil ceperint laborantes. Mane facto, ſtetit Jeſus in litore: & interrogat, an aliquid edulii haberent? Reſponderunt, Non. jubet ergo, ut rete dimittant in dextram Navigii partem; quod cum imperatum feciſſent, ingentem multitudinem piſcium incluſerunt. Quo viſo, ait Johannes, Dominus eſt. Petrus hoc audito, ſuccingit ſe, & in mare projicit. Chryſoſtomus hic duorum iſtorum Charactera Apoſtolorum depingit, hiſce verbis. πάλιν τὰ ἰδιώματα τῶν οἰκείων ἐπιδείκνυνται τρόπων οἱ μαθηταὶ: Πέτρος καὶ Ἰωάννης. ὁ μὲν γὰρ θερμότερος, ὁ δὲ ὑψηλότερος ἦν. καὶ ὁ μὲν ὀξύτερος, ὁ δὲ διορατικώτερος. διὰ τοῦτο, ὁ Ἰωάννης πρῶτος ἐπέγνω τὸν Ἰησοῦν. ὁ δὲ Πέτρος πρῶτος ἦλθε πρὸς αὐτόν. Reliqui Diſcipuli, rete ſecum trahentes ad terram accedunt, quæ non longè aberat. quo magis eximium erat hoc miraculum.

54. *Cum Petro ſermocinatio.* Cum hic prandiſſet cum Diſcipulis *Dominus ſervator*, *dicit Simoni Petro, diligis me plus his?* Ter Interrogat eundem de eâdem re. Petrus ter ad idem reſpondet. mirifici verborum carpifices, aut eliquandorum artifices, neſcii quid magni myſterii apud Euangeliſtam, in depoſitis Jeſu Chriſti apud Simonem Piſcatorem, expiſcantur. Commiſit Dominus Petro curam agnorum paſcendorum, id eſt, populi Judaïci: & agnorum, id eſt, populi Gentilium: & ovium, id eſt, eorum qui agnos iſtos in Chriſto pepererunt, nempè Apoſtolorum & Diſcipulorum. Acutè, ait Exercitator. ſed κατ' σαρκασμὸν opinor & ironiam. hebeſcit enim acies, nec ſcindit. Nullum eſt acumen vel Dialectici, aut in ſcholis Theologicis diſputantis. Rhetoris eſt & Declamatoris, in ſcholis ubi nihil ſapere diſcunt, ubi ἀρχὴ τὸ δόξαν, ἔργον ἀγώνισμα. τέλος, νίκη. ut eleganter in α ſtrom. Clemens. Chriſtus dixit, βόσκε τὰ ἀρνία μου: paſce agnos meos. ποίμαινε τὰ προβάτιά μου. βόσκε τὰ πρόβατά μου. plumbeum acumen illius ſubtilitatis, niſi bis dixiſſet, *agnos*, & ſemel *oves*. at non ita dixit Jeſus, quia non ita

ſcripſit

ſcripſit Johannes. Augurantur, ſed hallucinantur, ita dixiſſe: licet, non πρόβατα ſecundo loco legatur, ſed προβάτια diminutiva terminatio, contra codicum fidem, eo quod Ambroſius *Oviculas habeat:* & vetus interpres *agnos* in primo, & ſecundo loco. En quam levi filo, Damocleus ille gladius ſuſpendatur. Tota vis Bellarminiani acuminis in unico iota interjecto verſatur, πρόβατα, & προβάτια. quas oves & agnos, multis, ſed mollibus tractat Exercitator, ut doceat tamen magnum illum magiſtrum, de lanâ caprinâ vexari, & funes nectere arcuarios.

Bulengerus hic antiquum obtinet. *Non credis Apoſtolos*, inquiens, *Chriſti oves fuiſſe?* Credit. ſed non Petri arietes, aut ad mulctras neſcio quas venientes capreas. Malè de illo non merentur Apoſtoli: non enim excludit eos ab ovili Chriſti. ſed de illis malè merentur ii, qui cogunt in ordinem Apoſtolos, & cum ſint Paſtores ovium, non minus quàm Petrus, in ovium cenſum & numerum tranſcribunt. Commiſit Petro Dominus oves ſuas paſcendas. affirmo. Hinc ingerunt, Apoſtoli cenſentur vel in ovium numero, aut ab ovium numero eximuntur, quod cornu petit. ſed fœnum habet appenſum, ideò non lædit, argumentum. In ovibus Chriſti cenſentur. Aio. Quid tum? Rogas autem? tum cum cæteris commiſſi ſunt Petro. Chryſippeï Sophi, explicate tabellas. Committit Dominus Petro, oves ſuas. Petrus aut in ovibus cenſetur, aut ovium numero eximitur. non eximitur autem. ne à ſiniſtris olim ſtatuatur, cum hœdis. cenſetur ergo. Ita cœſitus Petrus, Petro committitur, paſcendus, ungendus, mulgendus, tondendus, & quod planè Petrinum eſt, mactandus, deglubendus. En Gordios nodos. Utinam viveres magne Macedo. 55.

Verum in partes vocatur Chryſoſtomus, homil. in Johannem, 87. ubi docet Apoſtolos Petri Fidei commiſſos, & commendatos. Ἐγχειρίζεται γὰρ αὐτῷ τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν. Hoc eſt, Apoſtolorum. Erant certè fratres Apoſtoli inter ſe. ſed non ſoli. Erant omnes quoque Chriſtiani tales. ſi ſoli fratres Apoſtoli, valeret forſitan illatio. ſin alios habeant, nimis eſt ſubtile, hoc eſt, evanidum hoc commentum, de Agnis, ovibus, fratribus. Verum & προστασία aliud eſt quàm quod ſomniant. et ſeparat ἀδελφοὺς & Apoſtolos. de Apoſtolis ait, τοὺς ἄλλους παραδραμών, aliis prætceritis, in Petro conſiſtit, de Fratribus, ſunt illa, Animam, quam pro me, Te poſiturum dixeras, Ταύτην ὑπὲρ τῶν προβάτων offeres. Quam tamen pro Apoſtolis, non impendebat, nec impendere jubebatur. ſed & Ipſe, & cæteri Apoſtoli, pro Ovibus, Πέτρῳ ἐνεχείρισε, καὶ τοῖς μετ' αὐτόν. Illi autem, non ſunt, ut ſibi perſuadent nonnulli, in Cathedrâ Epiſcopali Romano ſoli ſucceſſores. In ſecundo de ſacerdotio ubi locum iſtum diffuſius tractat, ait, Οὐ γὰρ ὅπως ὁ Πέτρος αὐτὸν ἐφίλει τότε ἀποδείξασθαι βούλεται, ἀλλ' ὅσον αὐτὸς τὴν ἐκκλησίαν ἀγαπᾷ τὴν ἑαυτοῦ, καὶ Πέτρον καὶ πάντας ἡμᾶς μαθεῖν ἐβούλετο. ἵνα πολλὴν καὶ ἡμεῖς εἰς ταῦτα εἰσφέρωμεν τὴν σπουδήν. Nos igitur: hoc eſt, omnes in Epi- 56.

ſcopali,

ſcopali, aut Sacerdotali ordine conſtituti ſumus, οἱ μετ' ἐκεῖνον
de mente Chryſoſtomi. et Ambroſius: *Quas oves, & quem gre-
gem? non ſolum tunc Beatus Petrus accepit, ſed & nobiſcum ſuſce-
pit eas. et cum Illo, eas, nos ſuſcepimus omnes. unde regendæ ſacer-
dotibus contraduntur, meritò rectoribus ſuis ſubduntur.* Sic
Luc. 22. Confirmandos ipſi Fratres committit converſo. Hoc
eſt, Chriſtianos: non Apoſtolos. nam ex illis aliquis Petrum
confirmavit. nutantem enim, nec rectà incedentem corripuit
Paulus & ἐστήριξε.

Apoſtoli ſunt in Gregibus Chriſti: magni Paſtoris: ſed κυκλοίως
57. obeundo greges: non pedo alicujus paſtorali, aut piſcatorio
verriculo ſupponuntur. Chriſtus eſt Monarcha. et qui talis eſt,
ſolus eſt. Nemini ſuas illas vices concredit. Inter Chriſtianos
autem rectè ſunt Agni imperfectiores, tenuiores, teneriores,
γαλακτοτροφούμενοι, non στερρῷ βρώματι paſcendi. Oves perfectiores: qui
in religione Chriſtianâ & Pietate fecerunt progreſſus, cum Apo-
ſtolis, non tamen gradu pari. Quod verò de ποιμαίνειν verbo, neſcio
quid magnum tinniunt: quæ Grammaticalia μινυρίσματα rem
profligare Theologicam non debent. De Chriſti intentâ vo-
luntate, ſive ſigni, ſeu Beneplaciti, ſunt etiam tendicula ἀραχναῖα.
Voluntas hic ſigni, obſcurius indicatur. beneplaciti eſt ἐν ἀπο-
κρύφοις planè. Et tamen Theophylacti, vel potius Chryſoſtomi,
nam ab illo ſuo pænè omnia deſumit Bulgarus, commentatio, non
diſplicet. *Totius orbis ovium præfecturam committit Petro. non
autem alii, ſed huic tradit. Primum quidem, quia omnes præcelle-
bat: & totius cœtus os erat. Deinde, oſtendens ipſi fiduciam eſſe ſu-
mendam, negatione velut deletâ, & oblivioni traditâ: & negationem
quidem non profert, neque exprobrat, ſed dicit, ſi diligis me, Fra-
trum curam ſuſcipito, & ferventem illam charitatem, quam erga me
dicebas habere te, ita ut pro me mori paratus eſſes, nunc oſtende. Ter
autem eum interrogat, ſimul quidem declarans, quantam credentium
curam habeat, & quod uſque adeo oves diligat, ut dilectionis erga ſe
hoc ponat indicium, ſi ovium curam ſuſcipiat. ſimul etiam per trinam
interrogationem & confeſſionem, trinæ negationi medetur: & verbis
corrigit, quæ per verba commiſſa fuerant peccata. Hinc mos inva-
luit, ut tres confeſſiones à baptizandis exigant. Interrogatus igitur,
ſemel atque iterum, ipſum qui corda novit, teſtem advocat, non am-
plius confidenter, neque temerè loquens, ſed illud, Tu ſcis, ubique
adhibens. Quum autem tertiò interrogatus eſſet, turbatus eſt, metuens
ne fortè quidem ſe exiſtimaret diligere, cum non diligeret tamen.
Nam & priùs, cùm multa ſe poſſe arbitraretur, atque aſſeveraret,
poſteà convictus eſt. Illud itaque nunc metuebat: & propterea, vere-
cundè reſpondet, dicens, Domine, Tu omnia noſti, cum præſentia, tum
futura. Tu ſcis quod nunc Te amem, ut mihi quidem videtur.* Hæc
ille. Cætera omiſimus, de Petri poteſtate. & prærogativis. Nam
cui non hic clamatus Hylas?

Admonitioni

Admonitioni aliud ſubnectit Dominus, *Amen, Amen, dico tibi, cùm eſſes junior, cingebas te: ambulabas quò volebas: cùm autem ſenueris, extendes manum, & alius te cinget, & ducet quò non vis. Hoc autem dixit, ſignificans, quâ morte glorificaturus erat Deum.* Poſtquam verba ipſi feciſſet Dominus, de ſui dilectione, Martyrium etiam, quod futurum erat, ut ſuſtineret, ipſi prædicit. Ita Theophylactus. Qui & alia perſequitur non inconcinnè. Audi autem quomodo Martyrium ei prædicit. Quando eras junior, &c. *Quandoquidem,* inquit, *me diligas, & te animam tuam, in periculis pro me poſiturum frequenter ſis pollicitus; bono inquit, eſto animo. tuum ita explebo deſiderium, ut quæ juvenis, non es paſſus, ea ſenex patiaris. Innuit autem ei, quod ipſe ſit etiam Cruci affigendus. Illud enim, extendes manus tuas, & alius te cinget, nihil aliud ſignificat, quàm extenſionem in Cruce & vincula. Quomodo autem dixit Dominus, Alius te cinget, & ducet, quò non vis, cum Petrus Martyrium deſideraret? Volebat quidem, & deſiderabat: ſed, quod dicit Dominus, Naturæ affectum & condolentiam ſignificat, quódque anima, invita à corpore avellitur. Deo hoc aliter diſpenſante, ne violentam mortem nobiſmetipſis inferamus. Nullus itaque abſque dolore aliquo, corpus exuit, etiamſi ſanctus fuerit. Euangeliſta autem, pro ſuo more nobis interpretans, quidnam his verbis ſibi vellet Dominus, hoc, inquit, dixit, ſignificans quâ morte glorificaturus erat Deum Mortem autem Petri Dei gloriam dixit. Nam revera Dei gloria eſt, conſtans pro illo ad mortem uſque profeſſio. Niſi enim plenè perſuaſum haberet anima, Deum eſſe veracem, nequaquam pro eo moreretur. Mors itaque ſanctorum confirmatio Divinæ gloriæ eſt.* 58.

De Petri Martyrio.

Hanc ſequitur proxima apparitio illa in Monte Galilææ, quam promiſerat facturum ſe, apud Matthæum. Creditur autem fuiſſe in Monte Thabor, ubi prius & Transfiguratio. Et hanc vulgo credunt illam eſſe, quam commemorat Apoſtolus 1 Cor. 15. 6. *Deinde viſus eſt, plus quam quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent, uſque adhuc, quidam autem dormierunt.* Et, probabile eſt certum diem fuiſſe ſtatutum Apoſtolis, & per eorum annunciationem cæteris Diſcipulis, in quo ſe Dominus erat manifeſtaturus. Nam & ab ipſo Chriſto deſignata fuit in genere, ante paſſionem: Math. 27. 32. & poſt Reſurrectionem, per Ipſum, per Angelos, per mulieres. neque erat ſubitanea aut occaſionalis, & ideo cæteris omnibus illuſtrior. Sequitur hanc, apud Apoſtolum, illa Jacobo facta: ſed ubi, quando neſcitur: Nam commentum illud, de quo in ſuperioribus, relatum ab Hieronymo, ex Euangelio Nazarenorum, εἰς κόρακας. Decima, & poſtrema ante Aſcenſionem illa fuit, cujus meminit Paulus, *Deinde Apoſtolis omnibus.* hujus meminit Marc 16. *Noviſſimè recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiem cordis.* Nam in illa 59.

Apparitio in Monte.

[illegible]

Nona.

Decima.

illa illuſtriſſima in Monte apparitione, quidam dubitabant. Ab hoc loco ubi recumbebant, poſtquam dederat iis quæ volebat, in mandatis, eduxit eos in Montem Oliveti, & aſſumptus eſt in cœlos, videntibus ipſis.

60. His ita explicatis, addit Illuſtriſſimus Baronius, Dominum in hac poſtrema apparitione ſua, duo quædam chariſmata liberaliter contuliſſe: quorum unius, meminit Marcus, alterius Lucas. Hoc eſt, Operationem Miraculorum collatam Fidelibus, quæ communis ſit omnibus Chriſtianis. Et Divinarum ſcripturarum intelligentiam, Apoſtolis ſolis communicatam. Incommode ille multa, de utraque Dote. De qua, nobis non minus quam ipſi, propter Diatriptas, & Exercitatores aliqua ſunt dicenda.

61. *De dote miraculorum.* Sponſum & ſponſam (nam de dote agitur) intelligimus Chriſtum & Eccleſiam. Inde apud Eſaiam 61. 10. habetur, *Sicut ſponſo alligavit mihi mitram: & ſicut ſponſam ornavit me ornamento.* Itaque, jam non duo, ſed unum. In nuptiis humano more inter homines conſummandis multa ſolebant obſervari. In nuptiis admirandis, quibus verbum æternum conjiciebatur Carni, Erat ſtipulatio, in principio temporis, ſemen mulieris conteret ſerpentis caput. Dos dicta in progreſſu temporis. Celebratio nuptiarum in Plenitudine Temporis. & Traductio ad paternam domum in conſummato tempore. dotis nomine apud juris conſultos dicebantur res mobiles, vel etiam fundi. doctiſſimus Annalium conditor, non patitur Eccleſiam dimitti indotatam à ſponſo abituriente. Et rectè: neque enim dimiſit illam ſponſus indotatam. Dotes nomine dicta multa fuerant. quæ non prætermiſerunt Annales, ſunt & mobilibus accenſenda: ut Miraculorum operatio. quorum tabulæ dotales, jamdudum vetuſtate diſparuerunt. Scriptum extat in Annalibus, in dote miraculoſâ, quod virtutem & potentiam eorum operandorum ſpectat, nunquam ad falſæ doctrinæ atteſtationem, ab Hæreticis aliquando, aliquod miraculum factum reperiri, quod verè miraculum dici poſſit, verè & veriſſimè Bulengeri animo: nec repugnat aliquis è Theologis, ait. At Theologus erat Auguſtinus, & fortaſſis alpha Theologorum, is tamen ab Hæreticis Miracula non abjudicat. recitat atteſtationem Auguſtini Exercitator.

An impiis & hæreticis miracula impertita. *Illud ad rem maximè pertinet ne decipiamur, tendentes ad contemplationem veritatis, non ſolum nomine Jeſu Chriſti per eos qui nomen habent, & facta non habent,* (hoc eſt vita & moribus ſunt coinquinati) *ſed etiam quibuſdam factis atque miraculis, qualia propter Infideles cum fecerit Dominus, monuit tamen ne talibus decipiamur, arbitrantes ibi eſſe inviſibilem ſapientiam, ubi miraculum viſibile viderimus. ſed fortaſſè quis dicat, non poſſe iniquos viſibilia illa miracula facere: & mentiri potius illos credat, qui dicturi ſunt, in nomine tuo prophetavimus, & Dæmonia ejecimus,*

&

& virtutes multas fecimus. Legant ergo quanta fecerint reſiſtentes, famulo Dei Moyſi Magi Ægyptiorum.

Hæc ſentiebat Theologus Auguſtinus. contra quem Theologus Cardinalis. ſed & alibi Auguſtinus in eandem ſententiam. *Nemo ergo vobis, fabulas vendat. Et Pontius fecit miraculum: & Donatus oravit, & reſpondit ei Deus è Cœlo. Primò, aut falluntur Donatiſtæ aut fallunt* (nam illa ſuperiora, à Donatiſtis ita dicebantur) & hoc adhuc eſt pro ſententiâ Baronii; *Poſtremò, fac illum montes transferre: Charitatem autem non habeat, nihil eſt; Deinde,* contra iſtos, ut ſic loquar, mirabiliarios, me cautum fecit Deus meus dicens, *In noviſſimis temporibus, exurgent pſeudoprophetæ, facientes ſigna, & portenta, ut in errorem inducant, ſi fieri poſſet, etiam electos. Ecce prædixi vobis.* at ille Theologorum & Theologiæ apex: qui cum ita pronunciet, non laboramus, quid in contrarium ſtatuant, inferiorum claſſium tota Theologorum natio. *Cautos nos fecit* ſponſus ait Auguſtinus, quia miraculis decipi non debemus. Cautos non faceret, niſi decipi poſſimus. non poſſumus autem decipi, niſi fiant. Signa autem & portenta, σημεῖα καὶ τέρατα eodem nomine cenſentur, eandem habent appellationem, quam Divinæ Jeſu Chriſti virtutes, & opera miraculoſiſſima. Et adhuc expreſſius, quæſt. 79. & 83. *Quod autem dicit Pſeudoprophetas multa ſigna & prodigia facturos, ita ut fallant, etiam electos ipſos, ſi fieri poſſet; admonet utique ut intelligamus quædam miracula etiam ſceleratos homines facere, qualia ſancti facere non poſſunt. Nec tamen ideò loci potioris eſſe apud Deum ſunt arbitrandi. Non enim Deo magis accepti erant, quàm populus ille olim Iſraelis, quàm Magi Ægyptiaci; quia non poterat ille populus facere, quod faciebant Magi, quamvis Moyſes in virtute Dei, majora potuerit.* Chryſoſtomus deſcendit in eandem ſententiam homil. 76. in Matth. & in ſecundum caput ſecundæ Epiſtolæ ad Theſſalon. & homil. 19. in 1. caput Johan. in quibus omnibus locis, niſi à fine & ſcopo non diſtinguit Chriſtiana, & ab Antichriſto perpetranda miracula. 62.

Antiquiſſimus Patrum, & ſic Theologorum Latinæ Eccleſiæ, à commemoratis Theologis, calculum ſubduxit Lib. 3. contra Marcionem inquiens, *Siquidem edicens multos venturos, & ſigna facturos, & virtutes magnas edituros, temerariam planè ſignorum & virtutum fidem oſtendit, ut etiam apud PſeudoChriſtianos facillimarum.* Socrates narrat, Lib. 7. cap. 17. Paulum Epiſcopum quendam Novatianorum, in veteratorem Judæum & verſipellem incidiſſe, qui baptizatus aliquoties, cum iterum baptiſma flagitaret, Miraculo per eundem percuſſum. & tamen Novatiani receſſerant à communione Eccleſiæ. Erat autem illud, non in Confirmationem ſchiſmatis & erroris Novatianorum, ſed doctrinæ Eccleſiæ orthodoxæ & Catholicæ, de unico baptiſmo 63.

Digitized by Google

admittendo. Quæ de Eutychiano è ſchola eâdem Novatianicâ narrantur apud Sozomenum Lib. 1. cap. 14. communem illam Theologorum opinionem refellunt. Multa enim & magna patravit Eutychianus.

64. Iſidorus Peluſiota, non contentus concedere miracula vera ab impiis perpetrata, progreditur ulterius ad ejus cauſſas indagendas. Lib. 1. Epiſt. 145. Ὅτι διὰ τί ἀναξίοις ἔδωκεν, &c. Quæ Latinè ſic vertit Billius. *Quod ſi quis dicat, cur ergo Deus miraculorum edendorum poteſtatem indignis hominibus faciebat? Reſponderem Ego, quoniam Dominus ad conciliandam Nominis ſui gloriam, Divina ſigna perpetrabat, Tum ut Dæmonum inſidias prohiberet, tum ut planam & inoffenſam Euangelio viam muniret. Quorum utrumque graviorem ingratis hominibus pœnam afferet, quod videlicet tantùm à Deo poteſtatem conſecuti bonorum illorum datorem ſponte ſua ignoraruns: Dæmones nimirum ejicientes, atque morbos invocato Chriſti nomine profligantes, ingratitudinis autem ab ipſis convicti:* Accedit ad iſtos & Hieronymus in caput primum ad Galathas. Obſervandum verò quod *operari virtutes dicuntur, in his qui non tenent Euangelii veritatem, ſicut in illis qui Dominum non ſequentes in nomine ipſius ſigna faciebant, Johanne vel maximè conquerente. Hoc adverſus Hæreticos qui probationem Fidei ſuæ, ex eo, ſi ſignum aliquod fecerint, arbitrantur. Qui cum manducaverint & biberint in Nomine Chriſti,* (habent enim & ipſi Altare ſacrilegum) *& ſigna multa, invocato Salvatore feciſſe ſe jactant, in die Judicii, audire merebuntur, Non novi vos.* Neque mirum. nam ut ait idem Theologus, alibi, *Non eſt grande facere ſigna,* & contra Porphyrium diſputans. *Fecerunt & alii præter Apoſtolos, aut Chriſtianos ſigna Magicis artibus. ſed pro homine mortuo non ſunt mortui. hoc vult.* Non habuerunt Charitatem. Recenſet autem de nomine Magos Pharaonis. Apollonium Tyaneum, Apuleium Madaurenſem. In Pſal. 82.

65. Hæc illi veteres Theologi: & tamen quod miremur, legimus in Diatribis, Nullum unquam miraculum patratum ab Hæreticis, & tamen Hæreticorum omnium fundus & Patriarcha Simon, memoratur multa τελεσιουργηκέναι. & de Hæreticorum omnium complemento, Antichriſto, relatum ſit in cap. 2. ver. 9. ſecundæ ad Theſſalon: οὗ ἐστιν ἡ παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδους. ubi non ait ψευδέσι, quaſi ipſa miracula eſſent non verè ſigna, ſed meræ præſtigiæ. ſed ait ψεύδους, nimirum quod in malum finem, ad firmanda mendacia, tenderent. *Abyſſum & aridam* de hoc malo, ait Ephraïm Syrus, *ambulabit. Edet prodigia,* inquit Hippolytus. *Leproſos mundando, paralyticos excitando, expellendo Dæmones. Longinqua, non aliter quàm præſentia denunciabit, mortuos excitabit.* Nec obſtat, quod ſcribit Irenæus. Hæc ne quis Eum, divinâ virtute,

tute, ſigna facere putet, ſed magicâ operatione. Id enim non inviti concedimus. *Nam quod in Libro Jobi legimus*, ait Ambroſius, *Diabolum ex permiſſione Dei, ignem feciſſe, deſcendere de Cœlo per ſemetipſum; hoc per Antechriſtum & per ſequaces ejus, in extremo tempore faciet*, Διὰ γὰρ μέσου αὐτοῦ ταῦτα πράξει ὁ διάβολος, ait Gennadius, apud Oecumenium.

Sed occurritur per cautionem. Ficta erunt omnia, & fucata. ἐν δοκήσει ſola & φαντασίᾳ. Hoc affirmant, agnoſco, aliqui: ſed non omnes. ſunt enim, quos recenſui, non umbræ aut Imagines Theologorum. & ſunt præter illos, multi, magni Theologi, qui conſentiunt, de miraculis Antichriſti, quoad rem & ſubſtantiam veris. An didicerint neſcio, credo autem quod ſic, *Miraculum eſſe opus ſupra Naturæ totius ordinem, quod Dei ſolius virtute fit, ut veritati Fides aſtruatur.* ſi Theologi ἐξ ἐναντίας didicerant iſta, de miraculis impiorum non ita ſcriberent atheologice. Aſt, [illegible], ô Bone. Neque enim ſoli vetuſti patres erant fanatici, ſed & in ſcholis [illegible]. Bonaventura, ſerm. ſecund. Dominic. adventus de Antichriſto, ita loquitur. *Mendacia vocantur, non quod non faciet ſigna vera, ſed habendo reſpectum ad intentionem ejus. Quia faciet, ut mendacia perſuadeat.* Et Stapletonus noſtras Owingenſis, inter Theologos tam illuſtris, ut vel Bellarmino palmam præripere poſſit; Certè ad majorem Fidelium probationem, ideò enim hæreſes ſunt, ut qui probati ſunt manifeſti fiant, etiam vera Miracula, non ſolum Antichriſtus ipſe, ſed & ejus proximi præcurſores: ſed & quilibet Hæretici, non minùs quàm Magi Deo permittente operari poterint. Theologus & ipſe, licet furioſo more, & [illegible] Feuardentius, in ſecundum Irenæi librum docet Theologos in hac parte διχῆ diviſos. Eſſe enim quoſdam, qui cum Baronio ſentiunt, eſſe plures qui contra tuentur, & ut ipſi videtur, veriorem opinionem. 66.

Eſt miraculum, Baronio, opus ſupra Naturæ ordinem, aut ut Vignerius ex Auguſtino, *Opus arduum, excedens facultatem totius Naturæ creatæ, ad oſtenſionem Divinæ gratiæ, virtutis, veritatis, & ad Eccleſiæ utilitatem.* Arduum, ut ſunt alia, quæ tamen non ſunt σημεῖα, τέρατα, δυνάμεις, quibus nominibus Miracula in ſacris plerumque literis inſigniuntur. Arduum in ſe, & reſpectu Agentium humanorum, non arduum reſpectu Divinæ virtutis operantis. Loquutus eſt enim verbum, & facta ſunt: Juſſit, & Creata ſunt. Viribus autem conjunctis, ſi quæcunque ſunt humanarum facultatum poteſtates conſpirarent, ad vel muſcam mortuam ad vitam denuo revocandam, non ſufficerent, ſed re infectâ, confuſæ recederent. Δυνάμεις dicuntur, quoad efficaciam cauſſæ Efficientis, quæ ἀπὸ δυνάμεως operatur. Σημεῖα, propter eventum rei: Divinam ſiquidem præſentiam ſignificant. Τέρατα ſunt, quod ſint τερατώδη & extra ordinem Naturæ univerſæ patrata. 67. *Miraculorum tituli.*

trata. ut autem aliquid verè, & perfectè ad nomen & Naturam miraculi aſſurgat, fieri omnino debet & patrari, modo quodam ſupernaturali: & ut veritati Fides aſtruatur. hoc eſt, in finem bonum: ad Dei gloriam procurandam. Quod ſi autem utrumlibet ei defuërit, licèt mirum ſit, mirabile ſit, & τερατῶδες, non eſt tamen verum, ac omnibus ſuis numeris & partibus perfectum miraculum, quia non eſt ſuïs partibus utrinque completum & conſummatum. Ὡς γὰρ οὐχ ὁμοία δύναμις ἡ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ ἐπῳδῶν, τῇ ἐν τῷ Μωϋσῇ παραδόξῳ χάριτι· ἀλλὰ τὸ τέλος διήλεγξε τὰ μὲν τῶν Αἰγυπτίων ὄντα μαγγανείας· τὰ δὲ τοῦ Μωϋσέως θεῖα· οὕτω, τὰ μὲν τῶν Ἀντιχρίστων, καὶ τῶν προσποιουμένων δυνάμεις, ὡς μαθητῶν Ἰησοῦ, σημεῖα καὶ τέρατα λέγεται εἶναι ψεύδους ἐν πάσῃ ἀπάτῃ ἀδικίας τοῖς ἀπολλυμένοις ἰσχύοντα. *Quemadmodum*, inquit Origenes Lib. 2. in Celſum, *potentia Incantatorum Ægyptiacorum non erat ſimilis admirandæ illius in Moſen collatæ gratiæ, ſed hanc Divinitùs fuiſſe acceptam exitus declaravit, illam verò fuiſſe meras præſtigias. Sic Antichriſtorum, &, ad ſimilitudinem Jeſu diſcipulorum, virtutem ſuam exercere conantium miracula & prodigia appellantur mendacia, omni deceptione injuſtitiæ ad perdendos homines efficacia. Miraculorum autem Chriſti ejuſque Diſcipulorum fructus erant, non deceptio, ſed ſalus animarum. Quis enim diceret probabili cum ratione, emendationem vitæ, quotidianoſque à vitiis ad virtutem profectus è deceptionibus naſci?* Ita ille mendacia miracula à Fine & Intentione, non à modo agendi & efficaciâ conſideravit. Mendax autem miraculum non uno modo dicitur. Quoad facti rationem, mendax interdùm & fallax eſt, cum fraude, fuco, fallaciis, præſtigiis, per Metragyrtas, Mangones, Satanæ proſtibula, Incantatores, & Dæmonum operationes hominibus illuditur. Interdum fallax eſt, quoad miraculum ipſum, cum videtur eſſe Miraculum, ſed non eſt: *per cauſas ſecundas*, naturales, licet occultas nec deprehenſas, patretur. Interdum. quoad Finem & Intentionem facti: nempè ut per illud à veritatis profeſſione ad mendacia: à Pietate ad impietatem, à Deo traducimur ad Diabolum, καὶ γὰρ ἐκεῖνοι πολλὰ πολλάκις, διὰ τῆς αὐτῶν τέχνης νοσήματα ἀπήλλαξαν, καὶ πρὸς ὑγίειαν τοὺς κάμνοντας ἐπανήγαγον. Τί οὖν; κοινωνῆσαι δεῖ τῆς ἀσεβείας διὰ τοῦτο; Chryſoſt. orat. 1. contra Judaïzantes. Deus meliora. aſt Hoc Ithacus velit.

Miraculum mendax.

68. Verum Diabolus, objicitur, opera quæ ſupra vel contra naturam ſunt, patrare nequit, quia ipſe, cum ſuis, intra Ordinem naturæ continetur. Acutè ſcilicet. Quaſi non homines ex æquo, ſi non multò magis, limitibus ac terminis naturalibus concludantur quàm Dæmones. Homines tamen, acſi eſſent Divinæ virtutis quaſi participes, certè potentiæ Inſtrumenta & organa quædam extare, certum eſt. Jam verò, è naturâ ipsâ, quicquid ab homine præſtari poteſt, id multo magis poteſt à Dæmone præſtari, ut Inſtrumento quidem valentiori, & Divinæ voluntatis judiciique adminiſtro potentiore. Neque eſt periculum, ne actio illa,

aut

Digitized by Google

aut opus ipſum polluatur ab Inſtrumentis, fœdis, fœtidis. eò quòd in authore & cauſsâ principali ſumma potentiæ reſideat. Deus autem ſolus omnipotentiam habet, cùm is ſummâ ſit prædictus ſapientiâ, ut malo & perverſo Inſtrumento dextrè atque optimè uti poſſit, & ſoleat lucem è tenebris derivare. Neque eſt è contra, periculum, ne ab agente in inſtrumentum reſultet tota commendatio. Nam non ſunt vulgo ita ſtupidi, & à ſenſu communi remoti homines, ut ſerram, ſecurim, malleum, dolabram, ferramenta cætera, atque inſtrumenta putent exædificare domum, ſed architectum illum & fabrum, qui ſecundum artem ferramentis, & machæris ſecundum rationes architectonicas uti norit.

Neq; neceſſe eſt, ut hujuſmodi, cæteroquin Satanæ proſtibula, & impietatis mendicabula, in Chriſti familiam ideò tranſcribantur, aut inter Dei Filios cenſeantur, cùm fieri poſſit, ut improbiſſimi alioquin homines, apud Indos utroſque, in Inſulis Japonicis miracula faciant: quod ego, libenter ita eſſe conceſſerim. Fides enim illa, montes loco movens miraculoſa, non eſt ea quæ juſtificans aut υἱοθεσίαν, Quibus voluit, conferebat hoc Deus. donavit, quibus voluit, mortuos ad vitam revocare; Judæ, in Apoſtolorum miſſione, non minus quàm Petro. Quid prodeſt, ſi quis miracula faciens, ſit ſuperbus, ſi non ſit mitis & humilis corde, id quod cuicunque præſcriptum ab omnibus & ſingulis exigetur? *Nonne in eo numero deputabitur*, ait Auguſtinus, *in illo numero eorum, qui venturi ſunt in fine & dicturi. Nonne in Nomine tuo*, &c. *ſed quid audiunt? Non novi vos.* Sed narro recentiora. Joſephus à Coſta, libr. 2. cap. 9. de Indorum ſalute procurandâ refert Cabecam & alios quoſdam milites Hiſpanos, naufragium paſſos, ut ipſe loquitur, homines profanos & improbos; multa in terrâ Florida miracula edidiſſe, adeò ut brutiſſimam illam gentem & ἀνθρωποβόρον quocunque vellent poſt ſe ducerent, undè autem velint deducerent. An mentitus ſit à Coſtâ, haud ſcio. Non crediderim mentitum. hominem ſi quem alium, è ſocietate, bonæ fruges; utcunque hoc obtinemus in hac cauſsâ de Coſtæ ſententiâ, homines ſceleratos, quales illi erant, vera miracula edere poſſe. et quidni Dæmonas, multò magis? 69.

At ſciebat Diabolus miraculum, niſi digito Dei fieri non potuiſſe. ſciebat. et nos haud aliter ſcimus, quàm ſciebat ille, Neque enim vel præter, vel contra Naturam, niſi Dominus Naturæ quis quid egerit. Sed illa virtus divina, uti in Infirmitate, ita & in improbitate alienâ interdum perficitur. Operatur enim, ut in bonis, ſic in malis, diverſimodè tamen. Loquitur Dominus, in ſuis: loquitur per non ſuos. Adeſt inſidendo, impellendo, coercendo, dirigendo malos. Facit bona, à ſe. permittit fieri mala ex re natâ, ad ſui nominis gloriam, Sanctorum explorandam fidem, impiorum judicium accelerandum accumulandumque. 70.

Ubi

Digitized by Google

71. Ubi verum miraculum, ibi vera eſt fides, ait Bulengerus. ſed inſipienter ait,& inſcitè.Paulus montes moventem ſine Charitate refellit. at fidem requirit ad movendum montes. Chriſtus rejiciendos θαυματουργήσαντας narrat. ſcævidas exorciſtas, pietatis hoſtes, malè mulctavit Dæmon. Donatiſtæ, Novatiani, Montaniſtæ θαυματοποιοὺς habuere ſuos. Verum, in cauſſam conſentit Eſaias: Imo fatuam refellit hanc aſſertionem. verba ejus citantur. *Annunciate quæ ventura ſunt : & dicemus, quia Dii eſtis.* ſolus certè, Deus,ut καρδιογνώστης, ita ſolus eſt & προγνώστης. Miraculum eſt Prophetia: quis negat ? προφητεύει δὲ ſimpliciter, abſolutè, & à ſe ſolus Deus. de hoc modo Prophetandi loquebatur Eſaias. at per Communicationem, Revelationem, Inſtrumentalem exhibitionem, Creaturæ. Boni, mali : Caïphas, Balam, Judæorum Eſſeni, Eſaias, Daniel, Jeremias. Domini προγνωστοῦ, utrique ὑπηρέται. ſed diverſimodè tamen.

72. Quidſi irritò conati contra Eliam Antagoniſtam, Baalitæ ſacerdotes anniſi ſunt, ignem de Cœlo devocare? Hoc exemplum docet, in Dei ſolius manu, ſitam eſſe rerum univerſitatem. non docet, nec poſſe, nec actu aliquando devocaſſe, Dæmones ignem de Cœlo. falſum enim hoc docet eſſe Hiſtoria Job. neque docet improbos non extitiſſe Divinæ voluntatis interdum adminiſtros. Hoc autem docent, uti & cætera, Bulengerum τῶν αὐτῶν vel ignorare, vel etiam diſſimulare. Solus miraculorum Deus author: non infert, ſolus eſt eorum operator. Deus Agens liberrimus, optimus, ſapientiſſimus, potentiſſimus, utitur, non quod neceſſe eſt, ſed quod ita placuerit, quibuſcunque voluerit inſtrumentis. Inſtrumenta ipſa, muta ſint, mutila ſint, inepta in ſe & impotentia, per Deum tamen aptari poſſunt, ſed et accommodantur utiliſſimè. Planè illudant : γόητες *imponant: Dæmones fucum faciant: non tamen ubi intercedunt illi* μαγγανεῦσαι, præter meras impoſturas, et oculi-ſtrigia nihil eſſe ſtatuëmus. Falsè ita ſentiebat Annalium pater.

73. Verum inſtabit ὁ διατείνας, Falſane, qui non alia profert, quàm quæ ipſius Chriſti verbis: totius Eccleſiæ conſenſu firmantur. Rectè. ſic Coclite judice, cæci contendunt de coloribus. Dixit Dominus, Johan. 15. 24. *ſi non veniſſem, & opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Dixit hoc. et fecit multoties quæ per hoc inſinuantur Teſtimonium. Fecerunt ab illo, et poſt illum alii, de quibus Apoſtolus ad Hebr. 12. juxta promiſſionem Marc. 16. ſed [illegible]; Nemo potuit facere. Nemo fecit miracula qualia Chriſtus fecit. ergo nemo malus miraculum facit. æquè profectò neque bonus. eſt enim omnium, omnimodò excluſiva aſſertio. Nemo talia : vel quoad ſubſtantiam operis, vel quoad modum operandi. Non autem quoad genus, aut ſimilitudinem ; de quo modo hic litigatur.

74. Eſt autem & illud in pari falſitate conſtitutum, Veram doctri-

nam

nam fuiſſe per miracula omnibus temporibus confirmatam. Quod jejunè & tenuïter exequitur Baronius: Cardinalis Controverſor hic expatiatur liberius, at periculosè videtur hoc doceri, cum & pſeudoprophetis, & Hæreticis, & hominibus planis ac impoſtoribus ingentes eo pacto fores adaperiantur, quibus ſe facillimè inferant, ad hominum animos dementandos. Quod ab Exercitatore, cum lumine quodam ordinis tractatum atramento & loligine τῆς ἀμαθείας, denigrat Diatripta. reponenda eſt ergo Cenſura Caſauboni. Jejunè hæc & frigidè Cardinalis attigit, & macilentus eſt in loco de Miraculis. Cum enim plurima hic diſquiri ſoleant & tractari, levi brachio attacta tranſmiſit omnia. Periculosè autem tractavit, & in gratiam metragyrtarum, quia ad miracula tantum non ſola, provocat ubique, ubicunque comparentia, pro confirmandis opinionibus, quibuſcunque.

Miracula, verum eſt, adhibebantur, pullulante pietate, & herbeſcente Eccleſia, vel in cunis vagiente, ut doctrinæ cœlitùs annunciatæ adhiberetur Fides: Προλαμβάνει τὰ θαύματα δυσωποῦντα τὴν θέαν, καὶ τὴν ἀπιστίαν ἐλαύνοντα, καὶ τὸν ἀπίθανον λογισμὸν ἐπικάμπτοντα. ἵν᾽ ὡς ἐκ ἐκείνης κηρυττούσης γλώσσης, τούτους ὀφθαλμοὶ μαρτυρήσαντες ἐλέγξωσιν eleganter, ut loquitur Seleucienſis Baſilius. Qui & alibi, κηρύττων τὴν ἀλήθειαν τοῖς λόγοις, ἐπιστοῦτο τὴν ἐπαγγελίαν τοῖς θαύμασι. Quod non ſolum verè, ſed & rectè enunciavit. Ordine enim, ac uti oportuit, τοὺς λόγους imprimis poſuït, & tum, τὰ θαύματα. Neque aliter πάνσοφος Doctor ille Iſraëlis Joh. 15. Nam priuſquam diceret, ſi non veniſſem, & opera non feciſſem, quæ nemo alius potuït facere, peccatum non haberent: ſuæ Prædicationis, τῶν λόγων, fecerat mentionem verſ. 22. ſi non veniſſem et locutus non fuïſſem iis, peccatum non haberent. nunc autem excuſationem non habent de peccato. Hoc eſt, quod veteris Eccleſiæ paſtoribus, perſuaſit illo effato ſuo ἀρχιποίμενος, Non tam miracula, In, et Per ſe, eſſe attendenda, quam finem cujus gratiâ fiunt. ita enim utrobique in primis λόγον, in ſecundis τὰ θαύματα attendimus. atque Dominus ipſe ſermoni ſuo de ſermone, eam adjecit clauſulam, de peccato habito, quam non adjecit, ad illud περὶ σημείων. Τὰ σημεῖα γὰρ καὶ τὴν ὑπόνοιαν δύναται δέξασθαι, inquit Peluſiota, τοιγὰρ βίος ὁ ὀρθὸς καὶ αὐτοῦ τοῦ διαβόλου ἐμφράττει τὸ στόμα. Μὴ τοίνυν ἐκ τῶν σημείων μόνων νομιζέσθωσαν κεκρατηκέναι τὸ κήρυγμα, εἰ μηδεμίαν βίου ὀρθοῦ βουλόμενοι ποιεῖσθαι πρόνοιαν. 75. Uſus in prima Eccleſia.

Unde et dogmati citatus Auguſtinus, de unitate Eccleſiæ cap. 19. à miraculis nos avocat ad ſcripturas. ſcripturas enim nobis reliquit Deus noſter, inquit etiam Chryſoſtomus homil. 3. de Lazaro, quocunque miraculo fortiores, et firmiores. *Audiant enim*, ait Auguſtinus, loco quo ſupra, *quæ narrant Pagani de Templis ſuis, ac Diis ſuis, mirabiliter vel factis vel viſis, & tamen Dii Gentium Dæmonia. Dominus autem fecit Cœlos. Exaudiuntur ergo multi & multis modis, non ſolùm Chriſtiani Catholici, ſed & Pagani, & Judæi, & Hæretici, variis erroribus & ſuperſtitionibus deditı.* 76.

Digitized by Google

Exaudiuntur autem vel à ſeductoribus ſpiritibus, qui tamen nihil faciunt, niſi permittantur, Deo ſublimiter & ineffabiliter judicante quid cuique tribuendum ſit, vel ab ipſo Deo ad pœnam malitiæ, vel ſolatium miſeriæ, vel admonitionem quærendæ ſalutis æternæ. Ad ipſam vero ſalutem ac vitam æternam nemo perveniet, niſi qui Chriſtum caput habuerit. habere eum Caput nemo poterit, niſi qui in ejus Corpore fuerit, quæ eſt Eccleſia. quam, ſicut & ipſum caput, in ſcripturis ſanctis Canonicis debemus agnoſcere, non in variis hominum rumoribus & opinionibus, & factis, ac dictis, & viſis inquirere. Et deinceps. *Nec ego dico, ideò mihi eſſe credendum communionem Donati, non eſſe Eccleſiam Chriſti, quia ad illorum ſepulchra ebrioſi greges vagorum, & vagarum permixtâ nequitiâ die noctuque ſe vino ſepeliant, flagitiiſque corrumpant, ſit iſta omnis turba paleæ eorum nec frumentis præjudicet, ſi ipſi Eccleſiam tenent. ſed utrum ipſi Eccleſiam tenent, non niſi de Divinarum ſcripturarum Canonicis Libris oſtendant: quia nec nos propterea dicimus nobis credi oportere, quod in Eccleſia Chriſti ſumus, quia ipſam quam tenemus commendavit Milevitanus Optatus, vel Mediolanenſis Ambroſius, aut quia per totum orbem, in locis ſanctis quæ frequentat Catholica noſtra Communio tanta mirabilia, vel exauditionum vel ſanitatum fiant. ita ut latentia per tot annos corpora Martyrum, quæ poſſunt, à multis interrogantes audire, Ambroſio fuerint revelata, & ad ipſa corpora, cæcus multorum annorum civitati Mediolanenſium notiſſimus oculos lumenque receperit. aut quia ille ſomnium vidit, aut ille ſpiritu aſſumptus audivit, ſive ne iret in partem Donati, ſive ut recederet à parte Donati. Quæcunque talia in Catholicâ fiunt, ideò ſunt approbanda, quia in Catholicâ fiunt, non ideò ipſa manifeſtatur Catholica, quia hæc in ea fiunt. Ipſe Dominus Jeſus cum reſurrexerat à mortuis, & Diſcipulorum oculis videndum, manibuſque tangendum corpus ſuum offerret, ne quid tamen fallaciæ ſe pati arbitrarentur, magis eos teſtimoniis Legis &, Prophetarum & pſalmorum confirmandos eſſe judicavit.*

77. Hæc & alia ibidem diffuſius, acutiſſimus harum rerum arbiter Auguſtinus tam expreſsè, ut in noſtras partes contra Baronium deſcendiſſe, aut noſtræ ſententiæ viam communiiſſe tanto anteà videatur. ſed quid aliud faceret veritatis alumnus ejuſdemque aſſertor eruditiſſimus? Legerat ille, quæ non modo Paulus, & Chriſtus Dominus de planorum hominum, & pſeudoprophetarum ſignis & miraculis præmonuërant, ſed & quod olim Moſes divinitus inſtructus & edoctus Deuter. 13. 1. ſeveriſſime edixit. Fieri enim poterat, ut talis te agyrta decipiendum flagitet, per ſua miracula ineſcatum. *Tentat enim* ait Moſes, verſ. 3. *Te Dominus tuus, ut intelligat, quid in corde tuo occultetur.* Quæ cum à Te Bulengere negentur ita eſſe, nec Græca ſcis, nec antiqua capis, & quæ Dei ſunt pueriliter ignoras, aut flagitioſè diſſimulas. Quod vero admittis è Chryſoſtomo, deſiiſſe pene, per illius ætatem

Digitized by Google

tem gratiam illam Miraculorum, Ego tibi aſſentior. at tu vide, quid de Dote illa fiet tam Miraculorum, quâ tabellis obſignatis, in die Aſcenſionis ſuæ, Eccleſiam ſuam dotatam & donatam volebat Chriſtus, ad omnem deinceps poſteritatem.

Certè de Gratia miraculorum, hoc rectè ſtatuiturà Theologis, non eſſe illam omnibus collatam. ſpiritus enim ſpirat, ubi vult. *Non omnes boni Chriſtiani Dæmones ejiciunt*, ait Auguſtinus in pſal. 130. *Qui non habent donum illud minimè deſperent, de amore Dei. ſi dixerit quiſpiam, Non es juſtus quia non facis miracula, poſſis & auriculæ dicere, non es in Corpore quia non vides. Qui donum illud habuerunt olim, non ut naturale aut voluntarium habebant.* Quocirca, liberæ cum eſſet diſpenſationis, non ἰδίᾳ ἐνήργει quando & quoties volebant. Quamdiu duraverit hoc donum in Eccleſia incertum eſt. Juſtini ætate vigebat. Ait enim, Dæmonia Chriſtianis ſubjecta, in Nomine Jeſu. Origine vivente non defecerat. *Quin & hodie veſtigia ſpiritus illius ſancti ſervantur apud Chriſtianos. excantant Dæmon, multas perficiunt ſanationes: prævident de Dei voluntate futura.* Gregorius ill us φωτιςὴς propter hoc donum dictus eſt Thaumaturgus. Baſilii ætate & Nazianzeni, non defecerant. ſed nec Auguſtini. Chryſoſtomum rectè interpretatur de uſu minus frequenti, non abolitione. ſic capio ejus Diſcipulum Iſidorum, qui defectum ſuæ ætatis miraculorum, Charitatis & virtutum defectui in moribus Chriſtianorum, adſcribit. Εἰ τότε μὲν, καὶ νῦν ὁ τῶν ὑφηγητῶν βίος ἐμιμεῖτο τῇ ἀποστολικῇ πολιτείᾳ, ἴσως μὲν καὶ σημεῖα ἐγένετο ἄν. Εἰ δὲ καὶ μὴ ἐγένετο, ἤρκει πρὸς φωτισμὸν τῶν ὁρώντων, verbum Divinitus revelatum. *Erant olim Miracula neceſſaria, ut crederet mundus, priuſquam credebat mundus. Quiſquis autem adhuc prodigia requirit, ut credat, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit*, dicebat Auguſtinus, & Tract. 6. in Johan.

78. Pag. 85. Lib. 1. pa. 35. c Celſ. Lib. 4. Ep. 80. De civ. Dei 22. cap. 8.

Primis temporibus cadebat ſpiritus ſanctus, & loquebantur linguis quas non didicerant. ſigna erant tempori opportuna. Oportebat itaque ſignificari, in omnibus linguis ſpiritum ſanctum, quia Euangelium Dei, per omnes linguas curſurum erat toto terrarum orbe. ſignificatum eſt illud, & tranſiit. Nunquid modo quibus imponitur manus ut accipiant ſpiritum ſanctum, hoc expectatur, ut loquantur linguis? neque tamen deterior eſt temporum iſtorum ſtatus & conditio. Εἰ δεῖν μηκέτι εἶναι τι ἄπιςον ςι-ςτέον λοιπὸν διὰ πάντα σημεῖων ἐνέργεια. Clemens in Διατ.: *Hæc fecit Dominus, ut invitaret ad Fidem*: verba Auguſtini: *hæc Fides nunc fervet in Eccleſiâ toto orbe diffuſâ. Nemo autem dicat, non facere iſta, modò Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & propter hoc præſentibus Eccleſiæ temporibus priora præponat. Quodam quippè loco* (eſt Joh. 20.) *ipſe Dominus credentibus, quia videntibus præponit eos, qui non vident & tamen credunt.* ſunt enim, non εἰς τὴν τῶν ἐνεργούντων ὠφέλειαν. ita enim æternum eſſet hoc χάρισμα, ἀλλ' εἰς τὴν τῶν

79. Ser. 18. de ver. Do.

ἀπίςων συγκαλέσουσιν. ἵνα ὡς ἐκ ἔπεισεν ὁ λόγος, τέτους ἡ τῶν σημείων ἐπιτελέσῃ
Lib. 1. cap. 1. δύναμις, Clemens ait, ὁ Διδάσκαλος, *Nec iſta in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne anima ſemper viſibilia quæreret: ut & eorum conſuetudine pigreſceret genus humanum, quorum Novitate flagravit*
Retract. 1.13. Auguſtinus.

80. Habet tamen, etiamnum Eccleſia ſua miracula, neque dote illâ ſemel datâ privatur. Nam per prædicationem verbi, & ſcripturas, mirabilem in modum, ſupra Naturam operatur in Cordibus hominum. & ob hanc cauſſam Gregorius Nazianzenus
Orat. in Baſil. miraculo aſcribit, quòd beatus ille vir Baſilius, perſuadendo effecerit, ut divites horrea ſua pauperibus recluderent. & in mundi iſtius prima converſione, ὁ μὲν καιρὸς τῆς ἀρχῆς ἐδεῖτο, ἀνδρῶν ὀλίγων, καὶ τούτων ἁλιέων, καὶ τελωνῶν, καὶ ἑνὶ σκηνοῤῥάφῳ τὴν τῆς οἰκουμένης οἰκοδομίας
In Proem hæret. fab. ἐγχειρισθεὶς γεωργίας: ut prudenter obſervat Theodoretus. *Ecce mi-*
In Pſal. 97. *rabilia fecit Dominus,* (verba ſunt doctiſſimi Auguſtini) *ſed multò majora mirabilia ſunt, quòd totum terrarum orbem à morte ſempiternâ evexit, quàm quòd unicum filium matris viduæ reſuſcitavit. Amplius eſt enim, ait idem alibi, ſuſcitare ſemper victurum, quàm ſuſcitare iterum moriturum. Sed iſta quia quotidie ſunt, non attenduntur. Quotidiana Dei miracula, non facilitate, ſed aſſiduitate viluere. Quid enim difficilius cognitione, quàm ut naſcatur homo moriendo? diſcedat in ſecreta qui erat, naſcendo procedat in publico qui non erat. Quid tam mirabile? quid tam difficile cognitu? Deo autem facile factu. mirare iſta: expergiſcere. inſolita noſti mirari: majora ſunt quam quæ videre conſueviſti. Mirati ſunt homines, Dominum Deum noſtrum Jeſum Chriſtum de quinque panibus ſaginaſſe tot millia, & non mirantur per pauca grana impleri ſegetibus terras. Quæ aqua erat, vinum factum viderunt homines & obſtupuerunt. Quid aliud fit de pluviâ per radicem vitis? Ipſe, illa fecit. Ipſe, iſta. iſta ut paſcaris: illa ut mireris.* Hæc & plura Auguſtinus. hom. 32. de Temp.

81. Sed & Origenes, ὁ τὴν πολυμάθειαν ἀοίδιμος, quod de eo pronunciat Theodoretus, converſionem peccatoris inter maxima Miracula recenſet. νῦν χλεύασμα δὲ Κέλσος τὸ λεχθησόμενον, ἢ ἐν εἰσαγωγῇ ἰουδαίοις ὅμως λελέξεται. (ita lego, & diſtinguo) ὅτι πολλοὶ ὥσπερ εἰ ἄκοντες προσεληλύθασι χριστιανισμῷ, πνεύματός τινος τρέψαντος αὐτῶν τὸ ἡγεμονικὸν αἰφνίδιον ἀπὸ τοῦ μισεῖν τὸν λόγον, ἐπὶ τὸ ὑπεραποθανεῖν αὐτοῦ. Apoſtoli, ut fatetur idem, eodem loco, nequaquam ſine ſignis & miraculis permoviſſent auditores ſuos novæ illius Doctrinæ, ut relictis inſtitutis patriis reciperent eorum doctrinam, receptamque uſque ad mortem tuerentur, contemptis periculis omnibus. At poſtquam longo rerum uſu, & fide confirmata, Chriſto gentes aſſueverant, non erat Divinæ Diſpenſationi congruum, ut illa χαρίσματα diutius Eccleſiis ἐμπολιτεύωνται. Quid enim reſtabat ut fieret, inquit Arnobius Lib. 1. Poſtquam Deus eſt cognitus is, qui eſſe jamdudum unus judicabatur à nobis?

Non

Digitized by Google

Non patravit Lutherus: non Calvinus miracula. καὶ τί δεῖ, καὶ τίνος; Non erat opus: niſi novum inveherent Euangelium, etſi novum, εἰς μάταιον. Quicquid fecerint, ἅπαντα ſunt iſta objectamenta: De miraculis in Eccleſia vulgo non adverſis, tamen verè miraculis, auſim dicere cum Origine, *Juxta Magiſtri promiſſionem majora feciſſe Diſcipulos, quam quæ Dominus ipſe Jeſus externis ſenſibus exhibebat, ſemper enim ab eo tempore aperiuntur cæcarum animarum oculi, & aures quæ prius ſurdæ præceptis de veritate fuerant, dociles redduntur audiendo verbo Dei, atque æternæ vitæ promiſſionibus. Multi prætereà claudicantes pedibus, interioris, ut ſcriptura narrat hominis, nunc ſermone Divino ſanati, ſaliunt, non ſimpliciter, ſed ſicut cervus, infeſtum ſerpentibus animal, & omni viperarum virulentiâ potentius. Tum hi ipſi claudi jam ſanati, accipiunt à Jeſu poteſtatem calcandi eiſdem pedibus, quibus antea claudicaverant, ſerpentum & ſcorpionum malitiem, atque adeò univerſam inimici illius potentiam, eamque calcant impunè. Hæc ſunt illa miracula, de quibus gloriamur: Hi vident mirabilia Dei, quibus viſa profuerunt*, ut cum beato Proſpero dicam: In ſententiis ex Auguſtino. Viſibile enim miraculum ad illuminationem vocat. Inviſibile autem eum, qui vocatus venit, illuminat. 82.

At miracula edidit Xàverius in India. Ego certè non negaverim propter ea quæ retulimus de Cabeca & ſociis, apud Joſephum à Coſta, cordatum Jeſuïtam. & rationem admitto, propter quam edebat. illam ſcilicet primitivæ Eccleſiæ. convertendi erant ad Fidem Infideles: qui ab orbe condito, & Chriſto Incarnato, de ſemine mulieris, filio hominis miſſo, ut quæreret & ſervaret τὸ ἀπολωλὸς, non inaudiverant. at ſpatharium illum Cantabrum Pampelonæ paſſum crurifragium, bonum factum ſi collifragium, commendata, vel commenta potius, miracula edidiſſe, non credam ſexcentis juratis Jeſuïtis: ut nec Divam illam Lauretanam, Harlenienſem, Montaculienſem, vel alicubi terrarum habitantem: non magis quam Garnetti ſtramine. Shervoini pollice. Campiani Mappa, ſuſpendioſorum hominum, miracula credam edita. Hoc profiteor, & ſancte in me recipio præſtiturum, idque in verbo ſacerdotis, ſi omnes omnium ſanctorum quæ ubique prædicantur proſtare relliquiæ, vel unius alicujus architectonicotati, me doloribus podagricis, aut calculi liberaverint, actutum me futurum Romano-Catholicum. Et quidni hoc in me beneficium conferrent ſancti illi, qui nil non facerent ut animam liberent? 83.

Certè ut nec ſancti nunc Dierum mirabiliarii, ita nec mirabiliarii ſancti ſunt, nec in cenſu vel bonorum, nedum ſanctorum venire debent Jeſuïtæ omnes, forcaſſis aliquando & alicubi apud Japonenſes θαυματουργοῦντες, cum & Magi, & Plani, & Pſeudoprophetæ, & Dæmones aliquoties illa ediderint miracula, 84.

cula, quæ quoad rem ipſam modum naturæ excedebant. Nam nuſquam, nunquam apud illas Gentes Chriſti nomen innotuit. & tamen vix patietur hoc credi Joſephus à Coſta, Jeſuita & ipſe, ſed cum paucis, bonus vir & eruditus, qui reliquit ſcriptum, ideò non edi apud Indos miracula, propterea quod incaſſum ederentur. *Fruſtra autem ederentur*, inquit ille, *cum ſint adeò ſtupidi & ſtipites illi Barbari, à Romanâ Græcâque Civili morum converſatione & acumine alieni, ut inhiarent forſan operibus actis miraculosè, minime autem ad frugem bonam traducerentur.* Hæc ille: qui mores illarum gentium ignorare non potuit, apud quos totos annos octodecim vivebat.

85. Tuto autem fingi poterant de Xaverio ac ſociis, qui ſic conficta apud extremos hominum, remotiſſimas gentes, ultra anni ſoliſque vias, poſitas, refelli, non poterant αὐτοψίᾳ, à venientibus in rem præſentem. At de noſtris prædicatis Europæis miraculis, ut leniſſimè dicam, uſurpare mihi ſubit *illud Polybii* accuratiſſimi & μισοπονηροτάτου Hiſtorici, de Hiſtoriis τερατεύονται nonnullorum quæ tum circumferebantur. Ὅσα μὲν ἂν συντείνει πρὸς τὸ διασώζειν τὴν τοῦ πλήθους εὐσέβειαν πρὸς τὸ θεῖον, δοτέον ἐστὶ συγγνώμην ἐνίοις τῶν συγγραφέων τερατευομένοις, καὶ λογοποιοῦσι περὶ τὰ τοιαῦτα. τὸ δὲ ὑπεραῖρον οὐ συγχωρητέον. ſi quæ commenti ſunt in ſcriptis ſuis prodigiorum fabularumque conſarcinatores, ut pietatem erga Divinum numen procuratam foverent, facilè illis ego hoc condonaverim erratum, at cum modum omnem exceſſerint & menſuram, nullo modo veniam iis dandam cenſeo; Appoſitiſſime, de piis, quas vocant, fraudibus, quibus nimium, quod deplorandum eſt, ab omni retro memoriâ laboravit Eccleſia; omiſſis potioribus. Multiplicarunt autem viſiones, homines pii, Zelotæ, ἀφελεῖς, εὐήθεις, ſed male feriati, & Divinam illam auguſtiſſimam, tremendam omnipotentiam & αὐτουργίαν, ad res futiles, ineptas, nulli uſui ſubſervientes, impias interdum advocarunt.

86. *Potuerant Euangeliſtæ*, ait Origenes, *ſcripſiſſe, ſi modò, quod Celſus calumniabatur, de miraculis Chriſti commenti fuerant, multos ejus juſſu reſurrexiſſe, eoſque humatos tam diuturno tempore; ſed quoniam figmentum non erat, de pauciſſimis narratur. Proinde dicemus adverſariis, paucos fuiſſe Domini juſſu reſuſcitatos, ut illa Domini facta, non ſolum eſſent figuræ rerum quarundam, ſed jam tum allicerent multos ad Euangelicam Doctrinam, Miraculi raritate, atque magnitudine.* Certè fecerunt οἱ πανταχοῦ miracula perſtrepentes, ut χαριέστεροι etiam ex ipſis, & naſutiores è noſtris, tam crebra, & in rebus nihili patrata per Divos, & Divas portenta & prodigia rideant, & cum Philippo Nerio Baronii Magiſtro, Congregationis Patriarcha, beato tamen opinor; & ipſa ſathanæ illius πολυτροπωτάτου credant μαγγανεύματα potius quam alicujus Divinæ virtutis ἀνδραγαθήματα. Rarius

cuderentur:

cuderentur: nec ita paſſim ſpargerentur: ad fidem faciendam doctrinæ dubiæ & controverſæ: coram incredulis, & ἀλλοφύλοις ſanctorum opera advocari debebant θαυματοποιοῦντων. At ſemper mirabiliarii noſtri admodum σκαιῶς & imprudenter, coram Catholicis Romanis, & in Romano-Catholicos, omnem vim ſuam mirificandi, inaniter profundunt: cum jam credant, & aſſenſum adhibuerint in illam πεποίθησιν quam præ ſe ferunt ipſi θαυματουργοί. In Lutheranum hæreticum aut Calvinianum, ſaltem non hebetem aut mucoſarum navium nihil unquam exercent θαυματουργίας. qui tamen vel ſoli, vel præcipui, indigeant σημείοις, & portentoſis illis ſignis, ut ab Hæreſi ad fidem Catholicam converſi, intra parietes Eccleſiæ ſtabulentur.

Jeſus certè avertens, nam iterum revolvor ad Origenem, *Diſcipulos non ab Incantatoribus, qui variis modis pollicentur edenda miracula, ſed ab iis qui haberi ſe poſtulant pro Chriſto Dei filio, & per præſtigias ſuas Jeſu Diſcipulos ad ſe allicerent, interdum ſic loquitur, ſi quis vobis dixerit, Ecce hic Chriſtus, ecce illic, nolite credere. Quoniam enim hi quos caveri vult Dominus Jeſus pro Chriſto ſe haberi volunt quod non faciunt præſtigiatores, maximè nobis ſuſpecti eſſe debent, illius vices ſe agere: ejus partes ſupplere, de quo Paulus in ſecunda ad Theſſalonicenſes ſcribit, Cujus adventus eſt ſecundum operationes Satanæ, cum omni potentiâ, & ſignis ac prodigiis mendacibus, & cum omni deceptione injuſtitiæ in iis, qui pereunt. eo quod dilectionem veritatis non receperunt, in hoc, ut ſalvi fierent.* Et profecto, Chriſti illam prædictionem Matth. 24. 23. non ad tempus antecedens deſolationem Jeruſalem, aut ſtatim ſubſequens (quanquam & de utroque tempore,) certiſſimè conſtat ex hiſtoriis, adimpletum volunt Chriſti vaticinium, ſed in noviſſimis temporibus, agente, ferente omnia Anti-Chriſto. Τὸ δὲ τότε, οὐ τοῦτο ἐμφαίνει, inquit è Græcorum commentariis Theophylactus: ὅτι εὐθὺς, μετὰ τὸ ἁλῶναι τὴν Ἱερουσαλὴμ, ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ, καὶ τὰ ἑξῆς. ἀλλὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἐμφαίνει, ὅτ᾽ ἂν μέλλει γενήσεσθαι. ὥστε εἶναι τὸ λεγόμενον τοιοῦτον, ὅταν μέλλει ὁ Ἀντίχριστος ἐλθεῖν, τότε ψευδόχριστοι καὶ ψευδοπροφῆται πολλοὶ, ἐκ φαντασίας δαιμόνων διαπαίζοντες τῶν ἀνθρώπων ὀφθαλμοὺς, πρὸς τὸ ἀπατῆσαι τινάς. *Quocirca*, ut ſecundo, in Auguſtini teſtimonio acquieſcam, *Cautum me fecit contra iſtos mirabiliarios, Deus meus, dicens, In noviſſimis temporibus exurgent Pſeudoprophetæ, facientes ſigna, & prodigia, ut in errorem inducant, ſi fieri poſſet Electos. Ecce autem prædixi vobis. Ergo cautos nos fecit ſponſus, quia & miraculis decipi non debemus.* Quod certè non diceret, ſi ut vult Baronius, niſi in Eccleſia: niſi Catholicus: niſi Orthodoxus, Nemo facere miraculum poſſet. longè aliter, communior & verior Theologorum ſchola, quam mentitur in contrarium Bulengerus. 86

Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Hactenus verſati ſumus in προπυλαίοις & προ-αυλίοις, magnæ & magnificæ illius Domus Dei, Eccleſiæ ſanctæ 87

ſanctificatæ

ſanctificatæ & redemptæ, per ſanguinem effuſum Jeſu Chriſti archipœmenis. Hactenus poſt aliorum vindemiam, quaſdam quaſi racemationes in ſtrues collectas repræſentamus. ab Aſcenſione Domini in cœlos τὰ τῆς ἐκκλησίας dilatantur, per univerſum terrarum orbem fuſa & diſſeminata. Ingens rerum & immenſus hic aperitur campus, in quo nec Exercitatorem aliquem, aut Diatriptam, vel anteambulonem habituri ſumus, vel συμφοιτητήν. ut in præcedentibus. Erat mihi in animo & propoſito, inſtitutam Originum Eccleſiaſticarum πραγματείαν, ad finem uſque Conciiii quarti produxiſſe. neque diffiteor, habere me domi in apothecis, ad uſus meos privatos, ſupellectilem ſatis amplam & luculentam, licet varie diſperſam, ab annis, ὡς ἔπος εἰπεῖν, triginta congeſtam, & convaſatam: ſed cum per vaſtiſſimum iſtud pelagus, ſoli, ſolitario, mihi jam ſeni, idque ſine cortice, natandum ſit, an eam ulterius colligere, *diſpenſare*, *diſponere*, promere, & vænum expromere, aut velim, aut etiam debeam, ἔτι διασκέψομαι.

FINIS.

ERRATA.

PAg. 10. *Lege*, quos in domus inclinata recumbat. *p.* 17. officiis. *non* oſficiis. *p.* 19. *lege*, quam ſeriem. *ſic etiam pag.* 26. quam ſe, *non* quum ſe. *ibid. lege* nutu, *non* natu. *pag. etiam* 27. abſurde imprimitur quum *pro* quam. *p.* 36. *lege*, hæreſi 51. *non* lib. *p.* 39. *lege* Mucianum, *non* Marianum. *& antea*, Lyncaſten, *non* Limoſten. *p.* 43. *lege* ſcitum: *non* ſcita. *pag.* 4°. *poſt* imperii, *adde* deducebant. *p*, 50. *lege*, Cocus. *p.* 52. *lege*, Rhinocerontis naſum. *p.* 58. *lege*, Hæredem ſcripſerat, *non* Herodem. 65. Defectus eſt. *lege*, ſive vel commeare, vel adduci eo energumenos moris erat, ut. *p.* 82. *lege*, revertamur ad poſſeſſum. *p.* 84. *lege*, depexo. *p.* 88. tam. *lege* tum. *p* 92. *ſcribe* comminutum. *p.* 94 Expatiatio legendum. *ibid. pro*, qui dolum, quod nihili eſt. *reſcribe* quiddam. *p.* 103. *lege*, Del rio. *p.* 104. *lege*, proferantur. *p.* 107. *lege* ablutos, non ablatos. *p.* 114. *lege*, ne inſiſter. *p.* 119. *l.* computab. *p.* 120. *lege*, grumoſus ſanguis ſudore mi. *p.* 136. *lege*, ſublecta. *p.* 149. *lege*, ubique Cananææ. *p.* 160. *lege*, male conjuncta, diviſim. clavi alicujus. *p.* 184. *lege*, Cathedraticam. *p.* 189. *lege*, dilutiora. *p.* 190. *lege* veriverbium. & animas. *p.* 191. *le.* uſque dum. *p.* 194. *le.* annos. *p.* 195. *le.* æquipoll. *p.* 207. *le.* ſacerdotia. *p.* 210. *le.* & in aliquibus: tribus ſcilicet, quæ n. l. *ibid. lege*, ſed cedunt. ibid. *le.* nullorum *p.* 219. *le.* ſiſt. eum. *p.* 222. jucund. *le.* incund. *p.* 223. *legend.* ubique Ninenſe, *non* Ninenſi. *p.* 237. diſtingue. pernoctaturus. In itinere ſermones, &c. *p.* 249. *le.* ea quæ jugulum, *non* ſingulum. 250. calcib. *le.* calceib. *p.* 251. *le.* ſæcula, *non* ſæcula. *item*, *pro* lar ali, *lege* carnali. *p.* 253. *le.* ſpeciei. *p.* 260. *le.* ſegnioris. *p.* 269. *le.* non omitteremus. aut delendum *&*, ut. *p.* 277. *le.* tinnit, *non* timuit. *p.* 289. *le.* regerenda, *non* regeneranda. *p.* 299. *le.* Sylburgii. *p.* 305. Euriſth. *le.* Euchariſt. *p.* 314. Locus depravatus. *lege*, ſed menſam frequentius poſt tempora Conſtantini. prius, frequentius Altare. Quod obſervandum contra Novatores; ex imperitia vel malitia negantes, ante tempora Conſtantini, ab Apoſtolicis ſcilicet temporibus per annos CCC. Vocem Altaris non uſurpatam, ſed Menſæ. cujus contrarium verum eſt. Nam ſemel, & tantum ſemel, vox τράπεζα menſa legitur apud D. Areopagitam. *p.* 323. conveniculi, *le.* convenienti. *p.* 325. *le.* Opatum. *&* ſejun. *le.* jejun. *p.* 326. cupis, *le.* capis. *p.* 335. *le.* Gr. tuas literas appello Buleng. *p.* 341. communi. *le.* omnium. *p.* 421. *le.* edit. Pariſ. *p.* 424. *le.* Vſuardus. *ibid. le.* fidei. *p.* 453. *le.* muliebris. *ibid. le.* Emmauntem. *p.* 470. pag. *le.* par. *ibid. lege*, Altiſſiodorenſis.

Imprimatur,

R^mo in Xto Patri *&* D^no *D. Arch. Cant.*

Sacellanus Domeſticus,

GUIL. BRAY.

Ex Ædibus Lambethanis,

Aprill 26. 1638.

Digitized by Google

LECTOREM
IN GRÆCIS MINUS VERSATUM GRÆCA SALUTANT LATINE.

ΘΕΑΝΘΡΩΠΙΚΟΥ

Tomus Primus.

Pag. 11. CÆſar autem Auguſtus quum ſolus imperaret, electos viginti viros vita & moribus conſpicuos, in univerſum orbem ſibi ſubjectum miſit: per illos hominũ deſcriptiones confecit, & ſufficientem facultatum ipſarum partem in uſus publicos conferre juſſit.

Prima deſcriptio fuit, eo quod qui illum antecedebant nihil à poſſeſſoribus exegerant.

12. Procuratores, nam eo nomine dicebantur illi, qui reditus publicos colligebant, & res ſibi injunctas obibant, ad omnes omnino provincias, tam ſuas quam populi, mittebat, quorum aliqui de numero equitum erant, alii verò liberti aut libertini.

14. Non ita multo poſt Coponius Romam revertitur, in præfecturam ſucceſſit illi Marcus Ambivius.

23. Αὐτοφυὴς & αὐτόροφος à ſe ortum, & ſuo tecto naturali coopertum.

26. Cùm puer Bethleemi naſceretur.

29. Diverſimode exponitur, eſt qui affirmat duo animalia eſſe patrem & filium, & in medio eorum agnoſci patrem, ac filium: ſed ineruditi hominis eſt hoc modo intelligere, multum habet inſcitiæ & ſtultitiæ.

30. Nonnulli per animalia duo intelligunt, angelos & humanum genus, alii poteſtates illas incorporeas, quæ divinæ naturæ appropinquant, Cherubim nimirum atque Seraphim.

Mihi autem videtur dixiſſe prophetam, non animalia, ſed vitam, præſentem nempe & futuram, inter quas juſtus judex apparuit.

32. Purgamentis illi haud erat opus, qui mundi abſtulit peccatum.

37. Detrita geſtamina.

Abiere ad tramam.

39. Vulnera benedicta.

In omni ſint honore, à Deo benedicti, ab hominibus honorati.

44. Hanc ob cauſam per hæc tempora multi paſſim longas & marinas peregrinationes inſtituunt, ab extremis terrarum finibus in Arabiam diſcurrentes, ut illud oculis uſurpent ſterquilinium, & terram ubi intuiti fuerint, oſculentur, locumque concertationis illius lemniſcati victoris, quæque ſanguinem illum excepit omni auro pretioſiorem.

47. Per conſequens, antecedens demonſtrare.

Qui nudo ſub cœlo in agris pernoctent, & ibidem conſiſtunt, vigilantes fiant.

Sunt qui ἀγραυλεῖν interpretantur, in agris fiſtula canere, alii capiunt pro ſtabulari, aut noctu vigilare in aulis.

51. Similes ſimilibus facillime aggregantur.

53. Βύω occulto, recondo.

Membri genitalis circumamputatio.

Cum acuto dolore corporis extremitatem abſcindere.

54. Gentem populoſiſſimam & ſapientiſſimam.

56. Cum Idolatræ, et miſelli (vel ſacerdotes) Ægyptii circumciſione utuntur.

59. Glandibus ſuis truncantur, & mulieres eorum, more Iudaico circumciduntur.

Eſt hoc cum primis & præcipue apud eos ſtudioſe cautum, liberos quoſcunque genitos educare, & ſe circumcidere, quin & mulieres circumcidere apud eos, ut & apud Iudæos, lege obtinet.

60. Habet circumciſio ſibi copulatum, ſacrificia, dierum obſervationes, locorumque cuſtodiam, ſexcentas purificationum formas, & examen ingens variarum obſervationum.

61. In eum finem, ut ubi cum impiis immiſcerentur, nobilitati ſuæ labem non contrahant, ſed in ſignaculum conjectis oculis memoriam illius indelebilem cuſtodirent, qui

inſculpſerat illud.

Pag. 63. Repoſiti & conſignati.

65. Pudendum virile, ligneum, ficulneō.

Eſt autem phallus lignum oblongum, habens in ſummitate ficulneum pudendum, extans & arrectum.

Vidi autem olim Cyrenis commoratus Mercurii imaginem, quæ nihil erat aliud quam pudendum modo quodam conformatum.

Apud Græcos Phallagogia dicebatur feſtum phalli: phallum verò adorabant & oſculabantur omnes, qui obibant feſtivitatem.

68 Suſcepit Circumciſionem in ſignum, non autem ad juſtitiam.

Etiam ob id ipſum quod genus muliebre non poterat admittere circumciſionem, conſtat circumciſionem collatam fuiſſe in ſignum, non ut juſtificationem operaretur.

69. Quam deveſtimentum generationis.

Exuviarum per baptiſmum depoſitionem.

76. Dies octavus myſterium habebat aliquod prædicatum in illa obſervatione ultra ſeptimum.

84. Vocem ſignificativam.

Omnia nomina aliquid ſignificant.

Eſſe & non eſſe tale quid.

Si nomina nihil ſignificarent, tolleretur modus interloquendi mutuo: immo & affari ſeipſum nemo poſſet: ſunt enim nomina nihil ſine rebus ſubjectis.

Quicquid in rebus intelligitur, ſi reverà exiſtat perfecto modo, & propriè nominatur quod dicitur: at quod non eſt omnino quod dicitur, inanem & fruſtraneam habet nominationem.

85. Nomina ſunt imitamenta rerum.

Secundum declarationem & diſtinctionem.

Non eſt poſſibile aliquod nomen propriè de Deo enunciari.

Nomina non ſunt, ſed à beneficiis & operibus appellationes.

Et in multiplici nominatione nemo talis, qualis Ieſus. Non eſt illa, ſed ſuper illa.

Eſt enim Deus non comprehenſibilis, nulla circumſcriptione concluſus.

86. Cui per quodvis plenilunium præ portis ſuarum urbium choreas & pervigilia celebrabant.

Declarativa rerum cogitatarum, & actu geſtarum, vel ex antecedenti, vel per conſequentiam, multa ſunt quæ nominibus carent.

Nomina non ſuccurrere, per quæ ſingulæ res poſſent perfectè ſuis numeris deſignari.

Rerum etenim naturæ nomina ſibi ſecundum propriam ſubſtantiam conficiunt, nec tamen in nominibus conſiſtunt res.

87 Par fuit ut quorum nomina ſunt eadem, una eſſet & ipſamet ſubſtantia.

88. Quorum una eſt natura, horum eſt & nomen commune: poſitione an natura.

89. Videtur igitur nominum impoſitio, nequaquam res vana, nec à vanis hominibus aut fortuitò obviis. Et Cratylus verum ait, cùm pronunciat, naturaliter nomina rebus accedere: nec quemvis ut obvenerit, eorum artificem eſſe; ſed illum tantummodo, qui in nomen quod cuique rei à naturâ inſit, reſpiciat, & qui illius formam & ſpeciem ſtatuere poſſit.

101. Interdictum & juramentum per eos concipere, etiam vel ore tenus deteſtanda eorum nomina proferre.

102. Nomina amicabilia ſunt, ſunt commemorativa: vel è patribus, aut è lare proprio, ſeu è privatis ſtudiis aut actionibus derivata.

103. Etenim ego honoro Petrum, non autem Petrinus vocer. Paulum colo, non Paulinus dicebar tamen.

104. Obſervabatur in nuper natis infantibus dies quidam, quo die geſtabant infantem circa focum currentes in gyrum, et nomen illi imponebant, quo tempore dona ab amicis et familiaribus mittebantur.

Amphidromia feſtum erat, *die quinto* celebratum infantum *gratia, quo manus ſuas* purgabant illæ mulieres quæ in partu infantem tractaverant, infantem circumcirca focum currentes geſtant: decimo verò die nomen imponunt.

108. Omnis mutatio non eſt in oppoſitum, ſed etiam in intermedium.

A rebus nomina imponuntur, quod non fortuitò fit, ſed ut denominationem retineant divinæ beneficentiæ, quo mentio et memoria continua per nominum illorum prolationem (*lego enim non* [illegible] *ſed* [illegible]) auribus inſonet audientium.

109. Eo nomine appellati, et dei filii, amici, ac corpus reputamur.

112. Cum à mortuis reſurgens Chriſtus aſcenderet in cœlum, jubentur angeli à Deo in cœlis ordine diſpoſiti aperire cœlorũ *portas.*

113. Poſitis in *terram genibus, forum obeamus et conventum.*

128. Erat anni principium, quo die ſecundum vetuſtam conſuetudinem preces quaſdam concipiunt pro ſequentis anni ſtatu, et ſacrificia offerũt præſcripta per Regem Numam: perſuaſum verò habent Deos audituros, qui per eum diem preces fundunt.

Illo feſto jam adventante, in quo Romani ſe invicem præcipuè invitant, et compellant nummorum collatione mutuâ, et per communicationem rerum terrâ marique parandarum, oblectant.

134 Gratum eſt Sp. S. ſi vel dicatur, vel fiat aliquid decori.

137. In Calendis habebatur (hæc oratio) cùm in publicum non prodiret Epiſcopus Antiochiæ Flavianus.

140. Herodes occidit omnes pueros à bimatu et infra.

142. Obtineant mores antiqui.

152. Ob hanc rationem neque ſtatim ac naſcebatur exivit inde, ſed per dies ibi ſubſtitit

tit

Digitized by Google

tit quadraginta, ut curioſius ipſius ſtatum ſatagentibus, ſpatii ſatis daret ſingulis inquirendi et cognoſcendi omnia.

Pag. 157. Iuſtinianus primus tum decrevit, ut Servatoris hypapante, vel occurſus, per orbem celebraretur.

Hunc ego ſenſum veriorem arbitror, nam ſtatim ſubnectit, uti Iuſtinianus edixerat obſervandam Chriſti ſanctam generationem.

159. Feſtos dies agit Iudæus, ſed ſecundum literam: feriatur et Græcus, ſed ſecundum corpus, ſecundum ſuos Deos atque dæmonas: feriamur et nos, veruntamen modo quo placet Spiritui.

168. Principes Babylonii invenerunt Aſtronomiam per Zoroaſtrem, & poſt illum fuit Oſtanes: qui motibus cœleſtium ea adſcribebant, quæ per Nativitatem contingebant.

Poſt præcedentia Celſo viſum eſt Gentes ab initio diviniſſimas enumerare, Chaldæos imprimis, unde fallax illa Genethlealogia humanum genus pervaſit univerſum. Quin & Magos enumerat inter diviniſſimos, à quibus gentis cognomine Magia manavit, & in perniciem utentium atque interitum, cæteras nationes peragravit.

Suidas inquit. Magia & Aſtronomia à Maguſæis ortum ſortiebatur. Perſæ ſiquidem Magog ab Indigenis dicebantur: ſunt autem Maguſæi iidem.

Pag. 169. Magos Græci, ſacerdotes, ſacros, deo dilectos, deum diligentes indigitarunt.

170. Philoſophiæ inſtitutum nonnulli affirmant ortum ſuum à barbaris derivaſſe.

Siquidem extitiſſe aiunt apud Perſas Magos, & Chaldæos apud Babylonios vel Aſſyrios, apud Indos Gymnoſophiſtas, apud Celtas ſive Gallos, ii qui dicebantur Druidæ, ſeu Semnothei, quæ affirmat in Magico Ariſtoteles.

Philoſophia (inquit Clemens Alexandr.) res eſt utiliſſima: olim apud barbaros nationatim florebat, poſtea & ad Græcos permanavit: huic ſtudio apud Ægyptios præſidebant prophetæ, apud Aſſyrios Chaldæi, apud Gallos Druidæ & Samanæi, apud Bactrios & Celtas philoſophi, Perſarum erant Magi, Indorum Gymnoſophiſtæ, & alii apud alios barbaros philoſophi.

Quo in loco Clementis legendum putaverim tranſpoſitis vocibus, Γαλατῶν καὶ Κέλτων φιλοσοφοῦντες Δρυΐδαι καὶ Σαμαναῖοι· Βακτρίων δὲ καὶ Περσῶν οἱ Μάγοι.

Si igitur poterimus in oratione præcedenti oſtendere naturam nominum aliquid operantium, quibus partim utuntur Ægyptiorum ſapientes, vel Perſarum Magi, vel qui profitentur apud Indos philoſophiam Brachmanes & Samanæi.

171. Magi jactabunt ſe poſſe alios facere fæcundos, ut maſculos parerent aut fœmellas, ad libitum.

Hi vates & incantatores erant, atque peritiam habebant vocum atque rituum quibus defuncti evocabantur.

Nudi certè (inquit Nonnus) incedunt, (Magi) incantamentis deos invocantibus, ſæpenumerò aërem perambulantem ſimilem tauro, indomito de cœlo deducẽtes medicis ritibus lunam invaſerunt; ſæpe autem equitantis incitato curru, minime conſiſtentis ſolis remorati ſunt progreſſum.

173. Scio ego (inquit Pauſanias) Chaldæos & Indorum Magos omnium primos affirmaſſe immortales eſſe hominum animas.

174. De Magis inquit Strabo. Aquæ porro lacum, flumen, fontem adeuntes, foveam effodiunt, & in eam mactant victimam, ſedulo curantes ne ſanguine maculetur aqua illa pura in vicinio, tùm carnibus in myrtum & laurum diſtributis, eaſdem virgultis tenuibus attactas incantationes adornant, oleo & lacte litant, melle conditis & mixtis, non in ignem, non in aquam, ſed in terram. Incantamenta faciunt prolixiora, virgam myrteam tenuibus ligamentis conſtrictam tenentes.

175. Propterea quod aperte ea faciunt Magi.

Strabo de Magis. Sunt autem apud eos igniti foculi vel Puræthea, tumuli certe ſatis grandes: in eorum meditullio ſtatuitur ara, ſuper illam multi cineres, & ignis inextinctus à Magis cuſtodiuntur. Quotidiè ad aram ingredientes incantant ad horæ pene ſpatium, & coram igne virgarum colligatum faſcem oſtentant; tiaris vinciuntur turbinatis, dependentibus hinc & illinc.

Hunc ignem extinguens Heraclius Perſidem valde afflixit.

Vates & ſacrorum antiſtites (loquitur de Magis Strabo) præcipuum ante alios locum obtinebant: nam & duces erant, & olim in honore habebantur.

176. Ex omnium etenim ſententia ſtatuitur tranſanimatio.

177. Inprimis quod relatum ab Eubulo, Zoroaſter ſpeluncam à natura fornicatam in montibus Perſidi vicinis, floribus veſtitam, & fontibus ſcaturientem conſecravit in honorem Mithræ omnium parentis & creatoris. Perſarum Magi mures occidunt, tum quòd ipſi exoſi ſunt, tum quòd Deus ipſorum abominetur illud animal.

Bono Deo votiva & gratuita: malo averruncanda & triſtia.

In locum ſolibus minime pervium deportatum porriciebant.

Malus Deus cum peſtilentiam & famem procuraſſet.

179. Fando accepi illos Incantationibus quibuſdam & ſacris ſuis ritibus portas inferni reſerare, & quoſcunque ipſis placuerit incolumes eo deducere, & retro reducere eoſdem ſalvos.

Nam citata verba & obſcura pronunciabat.

Digitized by Google

Pag. 180. Magis lege licet matribus ſuis commiſceri.

181. Coeunt Magi cum matribus, filiabus, licitum quoque eſt ut ſororibus fratres commiſceantur: fœminæ inter eos ſunt communes, non vi oppreſſas vel clanculum ineunt, ſed de conſenſu mutuo, cum alteri viſum ſit alterum nuptiis copulare.

Qui naturam obliti modeſtiorem per communionis culpam fontem rationis in beſtiarum indomitarum barbariem moribus et inſtitutis ſuis tranſtulere, voluptate et commodis improbitatem metientes et impietatem, quoties detur occaſio.

Pag. 186. Hinc procidunt in terram *Magi*, et famulantur, deſtructâ et diſſipatâ Idolatria.

187. Sublata ſunt omnia et defecerunt.

Poſt Evangelicam ſervatoris doctrinam.

188. Sat bene novi dæmonum operationes: clam ubi læſerunt, iidem rurſus per auxilium ab ipſis allatum, laxamentum procurant maleficiorum.

Credo Magos ad omnes actiones malas, quas ſolent operari dæmonis, ſubactos.

Perſarum erant Magi (*inquit Clemens*) qui ſervatoris nativitatem præſignificabant, ſtella prævia viæ ſe ducem exhibente proficiſcentibus in Iudæam.

189. Dæmonium illud Socratis unum & ſimplex, & privatum & publicum fuit, quo flumen tranſiturus revocabatur, vel amorem Alcibiadis comperendinavit, vel apologiam contexere volens, aut emori conſtituens, non impediebatur.

Quot & quales erant humanæ naturæ, tot & tales dæmonum fuerunt.

Laicus quidam philoſophus per tempora Antiochi, & ſacrorum antiſtes, & myſteriorum condus, & prodigiorum promus erat.

190. Quæ mala diſpellant medicamina, quæque ſenectam
Suſtentent, concepta tene me cuncta docente.
Vim venti indomitam juſſu frænabis, & idem
Cum peſtem attulerint terris mala flamina, retro
Avertes, eademque volens revoluta reduces:
Imbribus inductus ſquallentia ſolibus arva
Lætifices, plenas meſſes ut tempore reddant:
Conſitaq; arboribus convertes flumina retro:
Corporibuſque animas reduces Acheronte, repontes.

191. Submittens Magum talem Machinarum architectum doloſum, agyrtam, qui lucrum tantummodo reſpicit.

Proprium Mantis, amotum eſſe de mente, neceſſitatem ſubire, tanquam furentem trahi & diſtorqueri.

193. Pueros frequenter interficiebat ad Incantamenta, ut quod futurum erat, averteret, nam rebatur poſſe fieri, ſi cognoſcerentur.

Tantopere Magis delectabatur, ut Cappadocem Apollonium Tyaneum laudaret, coleret, & tanquam Heroi templum conſtrueret.

194. Apud Lydos Perſicos qui vocantur, Templa ſunt, nempe Hierocæſareæ & Hypæpis, in utroq; templo domuncula quædam & in domuncula altare, in quo cinis colore cineribus diſſimilis: domunculam ingreſſus vir Magus, arida ſuper aram ligna imponit, deinde Deum quendam invocat, quicunque ille ſit, verba immurmurans barbara, nec Græcis intelligenda; recitat autem illa de libro incantamenta, ligna autem flammâ ſine igne concipiunt & luculentum accendunt focum.

195. Omnibus Magicis ritibus initiatus erat, ſed imprimis famigeratus erat propter aruſpicinæ peritiam, quum plurimis ſæpenumero res magnas & incredibiles manifeſtaverat.

Ex avibus divinantem, & prodigiorum ſpeculatorem, qui conjecturis inſtabilibus operam dabat vanam.

Magicis operationibus aſſuetus, & infandorum ipſemet artifex.

196. Veram & genuinam magiam, cùm ſit ſcientia optima, & per imagines & phantaſias dilucidiores naturæ opera agat, videri gravitate conſpicuam, & deſiderandam.

197. Principia nequaquam mala habuiſſe, ſed verſos in deterius.

Dæmonum bonorum invocationem, ut aliquid boni in opus redigatur.

Magos dicebant, qui falſas quaſdam imagines ſibi aſtruebant.

217. Quæ fuit ſtella? unde orta? an & numero ſtellarum aliqua? an peregrina, nec habens quid cum cæteris commune? an naturalis ſtella, vel tantum apparentiâ?

218. Hanc ob cauſam oriebatur ſtella peregrina & nova: ſuo lumine ſolvens vetuſtam aſtrorum poſitionem, luce coruſcabat *non mundana, vias inſiſtebat novas & ſalutares.*

234. Dona cum Magis dato, aurum, thus & myrrham, tanquam Regi, Deo, & propter te mortuo.

246. Veſtibula, porticus ante oſtia, & ſancta ſanctorum.

Legis ſenſum & ſententiam non intellexerunt, ſed ſuas ſuppoſitiones à lege exiſtimabant intellectas.

261. Novi & quartum genus baptiſmi: nimirum id quod martyrio et ſanguine acquiritur, Quo et ipſemet Chriſtus tingebatur, et multi alii: eò magis recolendum, quòd ſordibus ſecundariis non polluitur.

321. Quibus populi commiſſi ſunt, quique tot curant et procurant.

Rerum publicarum curam et cuſtodiam exercent, atque eò otium ſuum impendunt, et conferunt, unde nos et noſtra ſint in tuto.

Non dixit, Date; ſed Reddite: non enim dum hoc præſtas, de gratia largiris, eſt enim res illa debita, et ſi non præſtabis, crimen hominis perverſi ſubibis.

322. Rogamus

Digitized by Google

Pag. 322. Rogamus porro, ut pœnis à vobis ſubjiciantur illi, qui nomine Chriſtianorum vocantur, & vitam non inſtituunt ſecundùm doctrinam Chriſti. Nos autem tributa & vectigalia, ante alios veſtros ſubditos perſolvere curamus.

334. Omninò verè prædicavit annum acceptabilem. i. e. cui non contradicebatur, eò quòd omnes illum recipiebant, nec ad oppoſitum erant vel Iudæi vel gentes.

341. Vt deinceps Chriſtus pene quadrageſimum annum attingeret.

Chriſti domini doctrina, cùm hic præſens adeſſet, ab Auguſti Cæſaris tempore incepit, & decurſo Tiberiani Imperii medio terminabatur.

349. Abinde XL. tentationis dies, & duæ ſeptimanes plures paucioreſve, quas Nazarethæ egit, à diebus finitis tentationum.

353. Copulationem & collectionem Evangeliorum componens, opus, Diateſſaron, è quatuor compoſitum, nominavit.

364. Cùm prædicationem & diſpenſationem auſpicaretur.

366. Quocirca nec alicubi in villam, aut ùrbem aliquam, vel communem conſeſſum ingrediebatur.

367. Sine tribu, ſine lege, ſine lare.

368. Sycophantiâ violas nomen quod circumfers, ſi a nomine, operibus receſſeris.

Ad quæ facienda alios adhortor, ea par eſt, ut in primis ipſe faciam.

Multum iis eò conducit, quòd ſeniores videant actitare.

373. Pedites, pelles & coria elephantina pro clypeis prætendebant, Leoninis, pardalinis & urſinis amiciebantur, & in iiſdem obdormiſcebant.

Phocarum pellibus è mari egreſſarum, veſtiuntur.

378. Illos autem ſemper inceſſebat maledictorum conviciis, exiſtens ipſe maculoſus.

380. Cùm verò corporis agilitate præſtant, & pernicitate pedum, brevioris vitæ ſunt, adeò ut longæviſſimi apud illos, & canitie pectus aſperſi, annum non excedant quadrageſimum.

383. Eliæ Carmelum cogitabat, & deſertum Iohannis, & ſupramundanam converſationem eorum qui ſic vivunt.

Qui in montibus, in ſpeluncis cælibes, & quietam vivebant vitam, lumina mundi, negotiis vacui, ut ferrum obdurati, humi cubantes.

384. Abiit ad tramam illa converſatio, & vivendi ratio, Olim erant fortes Mileſii.

Tanquam in theatro geſtus agebant, aliud cordibus circumferentes, aliud apertè præ ſe ferentes.

393. Iterum meus Ieſus, myſteria iterum, alta & divina, quæque cœleſtè procurent claritatem: ſacer enim Luminum dies initium dat baptiſmo mei Ieſu.

397. Diſcretivum & indicativum ejus quod fiebat.

403. Vt quos ſermo non perſuaſerit, illos miraculorum vis & potentia quaſi coactos adigeret ad conſenſum.

405. In omni meditatione, aſceſi, & actione, ſicut & nos, conſummari.

407. Anſam Diabolo præbens adoriendi, quomodo faciunt & athletæ.

Multos ante certamen dies.

413. Inacceſſi, ſine urbibus, ſine conventibus.

TOMUS SECUNDUS.

Pag. 5. APpellat illum Agnum, ut Iudæos revocaret in memoriam Prophetiæ Eſaiæ, et umbræ vel figuræ apud Moſem, ita ut per typum citius adduceerentur ad veritatē rei.

10. Inconcuſſus, immobilis, infractus, incommutabilis.

Suſtentaculum, Eccleſiæ ſuſſlamen et fundamentum.

12. Quandoquidem fratrem ille ſuum deductum inſtruebat, et adhuc etiam ulterius quod Deus eſt, qui cordium vocationes novit et intelligit quis imprimis dignus ſit qui ante cæteros ponatur, is Petrum elegit qui princeps eſſet et Dux diſcipulorum.

14. Haud erit extra ordinem apud eos qui diſcendi, & res præclaras intelligendi deſiderio ducuntur; paucis vocē ipſam Paſchæ expedire.

Paſcha hoc ipſum magnum & venerabile Phaſca nominatur ab Hebræis: vox ipſa ſignificat Tranſitionem: hiſtoricè illam ex Egypto verſus Chananæam profectionem & tranſmigrationem; at ſpiritualiter profectionem & aſcenſum ab infimis ad ſuperiora, & terram illam quæ dicitur Promiſſionis.

15. Aurum quis inveniens, laqueum reliquit; ſed qui aurum quod reliquerat, non invenit, laqueum nexuit, quem invenit.

17. Sine Incantamentis quæ ludebant qui è dolis componebantur.

23. Sponſam ubi obvelaverant, aſparago coronant. Illa enim fructum ſuaviſſimum è ſpina horridiſſima profert. Illam aſparagi ſpeciem intelligit, quam Theophraſtus ait [illegible] et ne quidem folia proferre, ſed meras ſpinas.

24. Magiſtratus ſunt œnoptæ apud Athenienſes. Oenoptæ vero iſti, quæ apud convivia agebantur, curabant; videlicet, an qui convenerant proportionatim compotabant.

Oenopta magiſtratus vilis, quem qui ſortiebatur, is tenebatur ſuppeditare luminaria, ellychnia, & ſimilia.

25. Nihil vobis videatur rationi conjunctū, quod ſit præter Epiſcopi cognitionem.

Neceſſe eſt, ut eorum quæ facturi eſtis, nihil ſine Epiſcopo faciatis.

28. Contra neceſſitatem, ne Deus contenderit.
Sarpedonem filium chariſſimum
Fatale eſt ſub Patroclo Menœtii filio occidi.

33. Cum ſuperfluere & abundare panes fecit, quid miraculum hiſce omnibus minus fuit?

Qui majora cum poteſtate faciebat, in minoribus ſurſum in cælum intuetur. Nam cum ſolveret peccata; & abſcondita revelans, & paradiſum aperiens, & dæmonas expellens, & lepram mundans, &c. cum imperio omnia tranſigit: cum vero, quod longe fuit minus, paucos panes, in multos fecit ſuperare, in cælum tum attollit oculos.

Pag. 34. Præoccupant miracula intuitum ad ſe convertentia, & incredulitatem abigunt, & ratiocinationem inobedientiſſimam inclinant, adeo ut, quos lingua prædicando non inflectebat, illos oculi redarguerent teſtificando.

Quod ſi conceſſum ſemel fuerit, non eſſe illa impia, vel incredibilia, fruſtranea fuerit planè deinceps omnis miraculorum operatio.

35. lin. 4. Patet quod vocante uſu neceſſario, & iſti etiam mutarentur: Quòd ſi nulla tunc neceſſitas aderat, noli incuſare.

Lin. 9. Ubi nunc eſt Spiritus ſanctus? de illo tempore rectè ſic pronuntias, cum miracula ederentur, & ſuſcitarentur mortui, & leproſi omnes mundarentur; at nunc illius potentiæ ne veſtigium quidem ſupereſt.

Quorſum autem & in præſenti non eduntur miracula? Audio enim multos, & certe frequentiſſime, hoc interrogantes, quorſum tunc linguis loquebantur omnes baptizati, nunc autem non eſt ita? ad tempus illa chariſmata ſuum nobis uſum exhibentia, & tum ceſſantia, damno verbum Dei afficere non poſſunt. Ecce, in præſenti Prophetia non eſt, non donum linguarum, tamen vis & ratio pietatis nequaquam impeditur.

Illi etenim multos multoties morbos artificioſe curabant, & decumbentes ſanitati reſtituerunt. Num iccirco participes fieri illorum impietatis debemus? abſit.

47. An neſcitis quod Dei Templum eſtis? Quod ſi quis Dei Templum prophanat, deſtruet illum Deus, Nam Dei Templum ſanctum eſt, quale vos eſtis.

49. 1. *Arbitratus ex omnibus* à ſe geſtis rebus hoc, quemadmodum revera fuit, futurum glorioſiſſimum, & ad memoriam æternam ſuffecturum.

Tanquam quod oculis plane uſurpari poterat, ad multa ſtudia ab iis qui accederent ad illum locum.

50. Accuratiores ſolent eſſe diſcipuli illi, qui non ob ſola miracula, ſed propter doctrinam accedebant.

57. Erat illis ſoror Herodias nomine, uxor Herodi, Herodis magni filio, quem ſuſceperat è Mariamne filia Simonis Pontificis ſummi. Illis Salome naſcebatur. Poſt illam genitam Herodias, Legum patriarum contemptrix, nubit Herodi alteri, mariti ſui fratri ex eodem patre.

59. Sychem quæ & Sychima, & Salem, Iacobi civitas, nunc deſerta: oſtenditur nunc locus in proürbiis Neopolitanis: ubi Ioſephi ſepulchrum oſtenditur adjacere. Evertit illam Abimelech & ſale ſeminavit, ut in libro Iudicū habetur: reſtauravit eam Ieroboam, ut habetur in libris Regum. Sita eſt hæc civitas in terminis ſortis

Digitized by Google

ſortis Ephraim. Fuit etiã Sychem filius Emor, à quo denominabatur ille locus. Erat & in monte Ephraim urbs Sychem, Civitas reſugii.

Pag.67. Antequam crucifigebatur,omni ope operaque id agebat ut cruci figeretur;quocirca operabatur in filiis perditionis, operabatur in Iuda, in Phariſæis, in Sadducæis, in ſenibus, in iuvenibus,in ſacerdotibus. Cum vero crucifigendus eſſet,turbatur, & proditori pœnitentiam ingerit, & illi oſtendit laqueum, & ſtrangulationem docet. Quin & mulierculam per inſomnia territat, & amoliri voluit crucifixionem, & quæ ad illam pertinebant; cum tamen omnem prius funem moviſſet, ut illam procuraret.

75. Reædificat & Gadaram,quam Iudæi deſolaverant, in gratiam liberti ſui Demetrii Gadaris oriundi.

Geraſa urbs erat Cæloſyriæ in Teſſareſcædecapoli; inde ut ait Philo, oriebatur Ariſto, Rhetor inſignis, & ſophiſta Cerycus, & leguleius Plato, qui rerum omnium ſcientiam, quaſi rei ſingularis, ab ore ſuo fundebat.

78. Conſiderate omnia quæ in mundo ſunt, animadvertetis ea per figuræ iſtius Imaginem adminiſtrari, aut ſaltem cum illa communionem habere.

79. Mortem tanquam mortuam conculcant,per Crucis ſignum & fidem in Chriſtum.

Per contraria, res contrarias rectificavit: per paſſionem inducens impaſſibilitatem: & per mortem condonans immortalitatem.

80. Verum utcunque alius id occultaret,nos aperte frontes noſtras conſignamus: ut regium illud ſignum conſpicati Dæmones, cum tremore longiùs fugiant.

81. Miſerum Iulianum in Templum ſeducens Idolorum. Cum ſolito apparatu.

Fronti ſuæ imponit Crucis ſignum.

Dominicum trophæum, & ſubjectionis dæmonum memoriale.

89. Opera manibus fabrifacta honoratis inſipienti animo,Idola ſtatuarum, & hominum fato functorum.

90. Omnino, nihil æquale inferemus illis quæ ab eo cepimus.

91. Audentior Dei Imaginem facio,cum ſit inviſibilis: non quà eſt inviſibilis, ſed quà propter nos factus eſt viſibilis:Inviſibilem Deitatem non repræſento, ſed Dei carnem viſibilem repræſento.

92. Forte res ita procurabat, ut illius repri- meret impietatem novit enim Deus multas & incredibiles vias ſalutis innovare, inclinans ad amorem hominum.

92. Poſtea Chriſtiani ubi in unum collegerant, in Eccleſia repoſita condiderunt, quo in loco etiamnum conſervantur.

Neque genu noſtrum Bali inflectamus, ob aliquam uſus exigentiam, neque propter metum aureæ imagini proni concidamus.

96. Illud unum eſt, de quo nos poteſtis accuſare, quod non eoſdem vobiſcum Deos veneramur, neque choas vita functis ferimus aut libamina.

Pag.97.Petri Imagines,Paulique, quin & Chriſti ipſius, tabulis per colores delineatas cuſtodiri ſcimus. Ideo quòd, ut videtur,antiquiores, tanquam ſervatores eos, de Paganorum conſueto more,apud ſe repoſitos honorarent.

99. Accedentem ad ſe ita ſuſcipiebant, ut unuſquiſque filios ſuos,de nomine ipſius vocarent: Et per illam compellationem, unuſquiſque ſanctum illum virum in ſuas ædes deducere reputabat. Matres autem, inſuper habitis parentibus, avis & retro majoribus, nomen beati Meletii filiis ſuis recens genitis imponebant. Amor etenim religioſus, pietatem naturalem,ſuperavit. Et ſic fiebat, ut deinceps qui naſcebantur, non ab amore naturali & affectu filiali ſolummodo, ſed à diſpoſitione in illud nomen, deſiderabiles & dilecti parentibus eſſent.

100. Nihil eorum quæ in oculos incurrunt Divinitatem attribuimus,ſed virtute cõſpicuos homines, ut hominum optimos veneramur; ſolum vero Deum univerſi adoramus.

Dolendum eſt, ſi cum civitatem aliquando ampliſſimam habuimus, nunc ne civitatulam quidem habeamus; ſed in beſtiarum domicilium convertatur illa, ſi Templum quod in Dei honorem conſtruximus, ſi ſumptus in illud à nobis facti. Certe enim non tam grave eſt, ſi ſtatuæ in illa poſitæ dejiciantur.

103. Qui hoſpitio ſuſcepti ab Abrahamo fuerant, deſcripti picturis exhibentur: ex utraque parte ſinguli, medius autem is qui major inter ipſos fuerat. Erat autem ille ita repræſentatus Dominus & Servator noſter, quem qui non viderunt,colunt divinis oraculis habentes fidem.

106. Artem deceptricem,qui divinitatis figuram materiæ appoſuerunt.

Literarum ignari lapides intuentur, columnas,ligna,libros, papyrum concinnatam.

107. Si irrideant illum, mirari noli: potius autem miraculo teſtimonium adhibent, cum nempè, revera mortuum reſuſcitaſſe. Ne quis enim diceret, arreptitiam fuiſſe, ideo in confeſſo apud omnes habebatur illam expiraſſe.

108. Neque tantùm ſuſcitavit:ſed ulteriùs ei cibum dare juſſit: ne ſpectrum, quod reverà factum fuit, videretur. Non præbet illi cibum ipſe; ſed dat iis in mandato, ut præbeant: quo modo in cauſa Lazari dicebat, Solvite vos illum, & vadat.

111. Frequenter urbem adit Primum ut videatur cum illis Feſtum celebrare. Tum, ut multitudinem attraheret ad ſe verè & non fictitiè, præcipuè enim per illos dies, qui innocentiores erant, eò concurſum faciebant.

112. Vnus & quidem ſolus per integrum annum ſanabatur. Et ſtatim illa gratia evacuabatur, non propter dantis inopiam: ſed accipientium infirmitatem: ſemel itaque in anno deſcendebat Angelus in piſcinam, & turbabat aquam:

Digitized by Google

aquam: & unus quidem ſanabatur.

Pag. 113. Multi hanc opinionem fovent, ab eo ſolo, quòd ſacrificiorum partes interiores ibi lavabantur, aqua divinam quandam virtutem nanciſcebatur. Et Angelum illam aquam ingredi ſolere, & miracula edere, quod electa fuit aqua.

115. Qualis iſte perſanandi modus quodnã nobis myſterium indicat. Neque enim fruſtra vel ſine cauſa ſcribuntur iſta, ſed typice & figurate repræſentant nobis futura.

Dandum fuit baptiſma; magnam potentiam, & ingens donum exhibens. Baptiſma, quod purgat peccata omnia, quod vitæ reſtituit mortuos. Quocirca, ut in Imagine ſignificat iſta, nempe per piſcinam & alia multa. In veteri Teſtamento videre plurima licet, quæ per aquam hanc ob cauſam gerebantur.

Deus cum cupiat propriùs nos adducere ad fidem Baptiſmalem, non modo ſordes, ſed & morbos pellit. Viciniores veritatis repræſentationes, quæ baptiſmum, quæ paſſionem concernebant, & quæ ad alia quoque capita ſpectabant, lucentiora quam vetera illa fuerant; ſicut qui adſiſtunt regibus, magis ſunt, quam ſatellites illuſtres, ſic & in figuris hiſce fiebat. Deſcendit Angelus, turbavit aquam, ſanativam illi indidit qualitatem, ut addiſcere Iudæi poſſent, quod multo magis Angelorum Dominus, omnes animi morbos & infirmitates facile ſanare poſſet.

Ita & hic nequaquam natura aquæ univerſim ſanabatur, ſiquidẽ tum ubiq; & ſemper id ita fieret, ſed per Angelicam operationem: ſic nequaquam in nobis aqua ſimpliciter operatur, ſed tunc tantummodo cum ſpiritus advenerit gratia, tum omnia delet quidem peccata.

Heri jacebat in lecto projectus & ſolutis membris; neque miniſtrum habebat, ut ubi aqua commoveretur, in piſcinam ſe injiciat: Hodie hominem rei gerendæ, ſed eundem Deum, inveniſti.

Paralytici patientia admirabilis; annos habebat triginta octo, & dum per ſingulos annos expectat liberationem à morbo, ibi confidebat, ſed à valentioribus impediebatur.

116. Acſi ita diceret, deliratis autem, qui me jubetis non obtemperare illi qui me à tam longo, & difficili morbo liberavit.

117. Videtur homo religioſus. Quieti & voluptati ſe dediſſet, ubi domum ſuam advenit. Ita furores Iudaicos evaſiſſet & cum illis litigia: ſed nihil horum à Templo adeundo eum retinuit.

121. Miſit is ad Imperatorem Legatum quem vocabant Seriphem. Eſt autem ille apud eos ipſus, qui apud nos Syncellus dicitur.

125. Et Eccleſiæ fundamenta commiſſa ſibi habet. Alter plus diligitur, & in pectore Ieſu requieſcit; & patiuntur cæteri hanc prælationem, & Iohannem nutu ſubſtitit.

Vbi hic auſteritas? ubi ambitio? cum Chriſti diſcipuli eſſent, quomodo cor humile & mite aliàs prodidiſſent?

127. Cum in magnitudine ita extendantur, & gentibus alienigenis undique circumfundantur, ad omnem belli ingruentis molem reſtiterunt. Sunt enim à pueritia Galilæi omnes pugnaces, neque homines ipſi aliquando præ timore ſuccubuere; neque depopulatio invaſit agros.

132. Quid ergo inquiunt aliqui? ignoraſſe Iohannem? Ignorabat autem, non quidem omnia, ſciebat illum eſſe Chriſtum, neſciebat autem an morti tradendus erat propter homines.

133. Non eſt id ab aliquo dicendum, eum perſpicue intellexiſſe; factum vero per carceres timidiorem.

134. Non eſt hæc illa meretrix, cujus mentio apud Matthæũ, ſed nec illa apud Lucam. Erant certe illic meretrices, & multis ſuffarcinati impuritatibus, hæc gravis & *induſtria matrona*.

Imprimis illud diſcendum eſt, quod hæc non eſt illa Meretrix apud Matthæum &c. ut prius.

142. Par fuit potius, ut nos conventu coacto In vivis ſubſiſtentem ploremus, eo quod ad tot mala progrediatur.

146. Acute autem qui domat omnia intuitus quæ fecerant, obtorto ſuo oculo, crudelis perditiſſimum opus Enyus.

Non ab initio didicerat quæ ad illum ſpectabant ſed poſt longiſſimum tempus. Tales enim ſunt qui ſunt cum imperio; & qui multo faſtu turgeſcũt. Tarde tandem iſta cognoſcunt, eo quod non multa curant.

148. Veluti avicula pullum ſuum ante tempus de nido proſpectantem & proreptantem & jam caſurum alis ſuis ſuſtinet, & in nidum reponit, ſic & Chriſtus.

150. *Quemadmodum à rerum conſequentiis fuit* ut ad *illos* imprimis non accederet, ita & ipſius humanitate indignum fuit adventantes abigere.

Illius prudentiam vides, quod nec contradixit, neque laudibus aliorum madebatur, neque contumelia oblatâ indignabatur.

Nec modicum erat id quod ipſa attulit ad ſanandam filiam ſuam.

152. Semper & ubique facilitas laudanda non eſt. Ipſe autem ſicut libertatem loquendi & adeundi conceſſit, ita & objurgat: qua varietate illorum procurat ſalutem.

135. Locum ad mare congruum intuitus, ubi urbem condere poſſet, qui olim turris Stratonis dicebatur: hujus deſcriptioni magnifice incubuit, & conſtructis ubique ædificiis, non ut ad manum materia jacebat, ſed ex albo ſaxo, regiis ornatiſſimis decoravit & variegatis habitationibus.

154. Herodes & Philippus adepti ſuam uterque Tetrarchiam, ibi conſedentes ornarunt. Sepphorin Herodes manibus cingens, propugnaculũ totius Galileæ fecit: Philippus Paneadem

Digitized by Google

dem ad Iordani fontes cum ædificaſſet, Cæſaream nominavit.

Pag. 155. Longe à Iudæis illos abducens, & tum velut omni angore liberatos liberè quæ vellent loqui permiſit.

Sed cum miracula multa ederet: & de rebus arduis & excelſis multipliciter eos alloqueretur: Divinitatis ſuæ, ſuæque cum patre ſuo unionis plurimas adjecit demonſtrationes. Tum, non antea hanc ipſis propoſuit quæſtionem.

156. Per ſecundam Interrogationem evocatis, ad majus quid de ſe cogitandum, id voluit indicare, priorem populi de ſe opinionem infra ſuam dignitatem longè ſubſidere.

160. Sed nec canum latratus per urbem audiebatur, nec turba erat ſonora, ſilentium nigrantes poſſidebat tenebras.

165. Tunc Trypho, videntur mihi quidem, inquit, illi qui hominem futurum dicunt, qui per electionem inungi debeat, & fieri hoc modo Chriſtum, conjunctius cum ratione ita affirmare, quam vos qui tanta de eo uſurpatis. Nos certe omnes Chriſtum, hominem de hominibus ortum, venturum expectamus, & venturum Eliam qui inungat ipſum. Quod ſi hic veſter, Chriſtus vult videri, omni neceſſe eſt, ut homo de hominibus ortus intelligatur eſſe: ſed cum neutiquam advenerit Elias qui inunxit illum, non poſſum aſſentiri eum eſſe Chriſtum illum.

173. Principem, caput Apoſtolorum, fidei baſin, Eccleſiæ Catholicæ fundamentum, Petram, Coryphæum, ſolium.

174. Eccleſiæ ſuſtentaculum. Primus, coryphæus Apoſtolorum. Petrus inter Apoſtolos primus prædicavit Chriſtum. Conventus Apoſtolici primus. Primitiæ Apoſtolorum. Propter fidei ſublimitatem, Petrus ſtructuram Eccleſiæ ſuper ſe ſuſtinuit. Excellentia Petri Encomia. Principem chori primogenitum, fundamentum Eccleſiæ. Os Apoſtolorũ. Sanctus Petrus, Apoſtolorum ſummus coryphæus: qui nobis Petra firmiſſima revera extitit qui Chriſti fidem fundavit.

175. Ita penitus ab ambitione depravantur, ut potius velint famigerari de maximis quibusvis infortuniis, quam nihil mali patrantes ignorari.

176. Ter benedictus, & omni præconio celebrandus Apoſtolus Petrus, qui eſt Petra, & ſolium catholicæ Eccleſiæ, orthodoxæ fidei fundamentum.

184. Sine Epiſcopo nihil omnino eorum facite quæ Eccleſiam ſpectant. Epiſcopo ſubjecti eſtote, tanquam Deo. Sicut Chriſtus nihil facit ſine Patre, ita & vos nihil ſine Epiſcopo.

Diaconi, vos ſubjecti eſtote ſacerdotibus, Sacerdotes Epiſcopo, Epiſcopus Chriſto, Chriſtus Patri.

185. Ordo in Eccleſia ita obſervatur, ut aliud ſit Grex, aliud paſtores. Vnus imperet, alii ſubjiciantur imperio. Cum æqualiter malum ſit, & ſimiliter deordinatum ut omnes velint cum Imperio eſſe, & ut nullus ſit.

Glorioſi ſunt ſacerdotes, & qui verbi miniſtri ſunt, major eſt ſacerdos ſummus vel Epiſcopus, cui concreduntur ſancta ſanctorum Dei.

187. Vade poſt me, hoc eſt, noli voluntati meæ obluctari, ſed illam ſequere. Eo nomine deſignat Petrum, quia nolebat Sathan ut pateretur Chriſtus.

188. Eſt & alia Interpretatio, nempè cum Sathanas interpretetur, qui eſt ad oppoſitum: & Petrus, qui mortem Chriſti voluit impedire, ipſius voluntati non conſentiebat, ſed ſe opponebat: illum ita affatur ſalvator, vade poſt me ſathan, hoc eſt, obſequere meæ voluntati.

Ne forte putes, quod Teipſum debeas abnegare verbis, convitiis, exprobrationibus, docet in quantum ſemet debeat quis abnegare: eſt autem, ad mortem uſque, & mortem quidem turpiſſimam.

Non dixit, ſive vultis, ſive non vultis, hoc à vobis faciendum eſt, ſed quo modo? ſcilicet, ſi quis velit. Neq; enim cogo aut compello, ſed unum quemque ſuæ voluntatis & propoſiti Dominum relinquo.

199. Pro ſeipſo hoc dari juſſit, nempe homo cum eſſet, noſtris ſubditus paſſionibus: neque paſſus eſt, ut Imperatori reſiſteretur, in iis quæ ſine damno jubebat aut præjudicio, & ſimul divinæ ſuæ poteſtatis vim manifeſtans.

201. Gentes marinas, & multipliciter diſſeminatas Phalanges
Omnigenarum piſcium, natatile genus Amphitrites.

203. Pro beneficiis ſuis Agamemnona vicierunt Achivi.

208. Non dixit Date, ſed reddite: & debitum adjungit. Nam ſi iſta feceris haud facies gratuito, de debito enim res eſt. Et teneatur præſtare; qui non præſtiterit culpam impii & ingrati ſubibit.

Id Deus voluit ut princeps ab illo deſignatus, poteſtatem ſuam obtineat.

211. De rebus omnibus recte conſuluiſſe & ſtatuiſſe putabatur, propterea quod erat id ei in opere ſemper ut Deum coleret, & pietatem exerceret. Argumentum porrò maximũ eſt reverentiæ quam in Deum gerebat, quod Clericos per orbem immunes à tributo ſolvendo lege latâ ſtatuit.

212. Ego autem non tantum ex illo quod genitus & crucifixus fuit, in carne fuiſſe intelligo, ſed ulterius, poſt reſurrectionem, illum in carne vidi & credo eſſe.

216. A ſomno abſtinere & inſulſis rebus omnibus.

217. In tres ſpecies dividuntur Eunuchi. In Thlibias, qui ab Infantia genitalibus privantur, per frictionem à parentibus inutilibus. In ſpadones qui ab utero teſticulis carent. In caſtratos qui ferro mutilantur. Satis liquet, quod hoc dicitur de iis qui ſedulo rem procurarunt, & audent ſemet exſcindere. Quod ſi qui per

Dominos

Digitized by Google

Dominos ſuos barbaros execti fuerint, qui ſint alias apti ad id ſubeundum, illos in clerum admittit canon.

Suicida, hoſtis divini opificii. Spectaculum obſcæni ominis & infauſtum: a communi conventu excluſus, animal quoddam dubiæ vitæ, cornicibus ſimile, quæ nec corvi ſunt, nec columbæ.

239. Imprimis omne genus aureæ monetæ nihil valere voluit, ut nec argenteæ quicquam; ferreæ tantummodo mandavit uſum, quæ pondere & corpore grave, valoris eſſet minimi, adeout decem libræ non niſi loco amplo & capaci continerentur.

242. Vendiderat is poſſeſſiones quas in Galilæa habuit Annæ, qui tunc cum Pontificatu fuit in Iudæa. Ob hanc cauſam illi cum innoteſceret in Sionis præcinctu comparavit ædes. Eo abeunt ad quendam illum diſcipuli miſſi.

243. Credimus hunc ignem eſſe Purgatorium, quo purgantur animæ modo quo in fornace aurum purgatur.

245. Non in primis Petrum lavat, utcunque inter diſcipulos principatum obtineret; ſed fortaſſis Proditor cum protervus eſſet & impudenter ante Petrum diſcubuit, & pedes lavit.

Vnde patet quod nequaquam Petrum imprimis lavit; neque enim dixiſſet quod venerit ad Simonem Petrum ſi non prius alios laverat.

248. Quis nobis dederit ut affatim de carne ejus impleamur.

Sanguis hic effuſus univerſum mundum irrigavit.

249. Hujus ſanguinis participes facti, cum Angelis, Archangelis, & ſupernis poteſtatibus conſiſtunt, Chriſti ipſius regalem veſtem induti, armis armati ſpiritualibus. Sed nihil adhuc magnum effatus ſum; certe ipſummet regem induerunt.

Hoc eſt, Divina ſunt & ſpiritualia: nihil habentia carnale, vel naturale.

250. Nos ipſi corpus illud ſumus. Nam quid eſt panis? Corpus Chriſti. Quid fiunt illi qui participes ejus fiunt? Corpus Chriſti.

251. Iuſtus injuſte, per mortem comprehenſus vacuum Infernum reddidit.

261. Inveſtigabile illud, ut & iſtud. Fides ſolutio eſt utriuſque.

266. Verbum erat, & fuit factum; naturam poteſtate induens ad generandum.

Per omnia gratia ſuâ adaugebit dignos participatione.

269. Certe poſt mortale convivium, poſt priorem vini effuſionem;
Cœleſte nectar combibe, melioribus poculis,
Eodem throno cum Apolline, confidens eiſdem ædibus cum Maiæ filio.

272. Voluntaria animi condeſcentia; rei inviſibilis contemplatio. Inſtantia de eſſentia. Comprehenſio Inviſibilium. Diſpoſitio indubia apud animum. Propria rationis demonſtratio. Ad cœlum avola, cum ſis pedeſter. Demonſtratio ſpiritus & poteſtatis.

273. Fidei ineffragibilibus ſundabantur turrilis fundamentis.

280. Ille autem cibus ac potus ſit: eſt quidem in edulio panis, in potu aqua vino dulcefacta.

298. Panis qui dicitur Euchariſtia, nobis ſymbolū exhibet gratitudinis in Deum: ſi quis autē intra altare non ſit, privatur ille pane Dei.

305. Quod jam vero & preces & gratiarum actiones, quas qui digni ſunt reddunt Deo, perfectæ ſint ſolæ, & ſacrificia Deo complacentia, & ipſe fateor. Solis enim Chriſtianis aſſumptum eſt, ut iſta faciant in commemorationem alimenti ipſorum cum ſicci tum etiam liquidi, ubi mentio fit & memoria excolitur paſſionis quam ſubiit Deus.

Omnino igitur per nomen iſtud ſacrificii, quod ut faceret, Chriſtus ſe dedit, hoc eſt, in Benedictione panis & poculi, quæ ubi vis terrarum per Chriſtianos fiunt, Deus acceptans, ſibi eſſe grata aperte teſtificatur.

328. Auditum habeo de Latinis, quod ibi non modo Laici viri *ſed etiam & mulieres* ſanctum thronum intrant, atque ibi ſedent, cum ſtent aliquando qui ſacra obeunt.

335. Liturgiam præſanctificatorum non vocamus incruentum ſacrificium, ſed oblationem ſacrificii jam prius oblati & conſummati.

348. Dignos nos præſta qui miniſtri ſimus ſancti tui altaris, ut injudicati cum conſtiterimus coram ſancta tua gloria, laudis ſacrificium offeramus.

353 Communio [illegible]nificans: poculum unum faciens. Communis & pacifica datio unius & ejuſdem panis & calycis legem ipſis, tanquam eodem alimento paſtis, ejuſdem converſationis præſcribit.

Qui conſedit ad dextram patris, in dextra reperitur peccatorum.

364. Alteratur per verba ineffabilia panis iſte in myſtica Euchariſtia, *& ad acceſſum ſpiritus ſancti, in Corpus Chriſti.*

365. Antitypus vel repræſētatio carnis Chriſti, ſed ipſamet Caro Chriſti. Cum enim in carne ſervator verſaretur, & pane paſceretur, panis quem edebat in corpus ipſius transfundebatur, & aſſimilabatur ſanctæ ipſius carni, & conferebat ad augmentum & ſubſtiſtentiam, ſecundum quod in hominibus fieri ſolet. Quocirca & nunc panis convertitur in Chriſti corpus.

372. Naturā permiſit ut proprium ſuum opus faceret. Timor enim naturalis eſt, quia nolit anima à corpore divelli, propter illam naturalem ſympathiam & affinitatem, quam ab initio indidit ipſi Deus.

375. Quod ab humana Natura hoc contigit, patet, quia ſudore diffluebat, & agonizabatur, ita ut, quod in proverbio uſurpatur, ſanguinis grumi ab eo defluerent. Eſt enim proverbiū de vehementer laborantibus dictū, ſudavit ſanguinem: uti & de plorantibus afflictim, ſanguinem plorat. Et qui ut ſe manifeſtarent ſolū apparuerant, ſed diffluebat undiq; ſudorum crebris & grandibus guttis, quod ut repræſentaret, grumos

Digitized by Google

mos ſanguinis expreſſit.

Pag. 379. Lucernarum intus clauſarum ſylvam à ventis tutantem tollens.

Et cum alloqueretur populū molliter veſtitus, ferro carens vir bellicoſa voce, omnes ſuper ſe invicem pugnaces bellatores ſponte cadentes proſternebantur in pulverem proni, ſtimulati, inermis turbine vocis.

380. Gladium cum haberet audax ſtrinxit, virum vero percutiens ſervum impetuoſi miniſtrū Pontificis, dextram ejus auriculam abſcidit ferro adjutori. Iacobus frater Domini, qui cū eſſet 95. annorum obiit: ſuper cujus caput ferrum non aſcendit, qui lavacris non utebatur, qui vita præditis animalibus non veſcebatur; qui duplicem veſtem nunquam induit, qui pallium geſtabat è ſimplici lino: quemadmodū ſcribitur in Evangelio, juvenis, reliquit veſtem qua amictus fuit.

381. Quidam juvenis ſequebatur illum: forte erat ex illis ædibus hic juvenis ubi comederat Paſcha. Quidam aiunt, fuiſſe hunc Iacobum fratrem ipſius Domini, qui juſtus cognominabatur. Is enim per totam ſuam vitam ſingulari & unico veſtimento utebatur.

382. Sed intellige quod ſciſſio veſtimentorum Pontificalium ſignum erat Pontificatum veteris Teſtamenti diruptum iri.

387. Veluti qui regum Imagines intuentur, quæ à colorum lumine coruſcationes emittunt. Robam quæ marino flore purpureſcebat. Diadema luminibus lapidum coruſcans, & caput ambiens.

Et illum denuo veſtierunt ſuper corpus peplum jacientes

Sidonii in aris ſapienti ſcintilla flagrans,

Signa dominationis, vel inter dolores.

388. Vidiſtis Diaconum qui lavandis manibus aquam præbuit ſacerdoti, & cæteris altare ambientibus presbyteris. Non autem affudit, quod ſordeſceret corpus. Non inquam, quia Eccleſiæ ſacrarium ingreſſi ſordes eluerant, ſed in ſignum ut pueri eſſemus ab omni peccatorum immunditie. Cum enim manus exprimant actionem, cum lavantur illæ, indicatur puritas & inculpabilitas actionum. Manus ſuas aqua lavabat ut oſtenderet ſe mundum nec conſentientem cœdi. Solebant enim hoc modo Iudæi teſtari, nolle participare cœdis. Ait & David, Lavabo inter Innocentes manus meas.

392. Donec in locum venit nominati vulgo Cranii Adami primogeniti, nomē ferentem ambitu capitis Golgotha vocabat Syrorum os.

393. Ibi homicidæ in haſtā quadratā, ſupra terrā Erectū extenderunt, aſtringentes violentia explicatas utrinq; ferreo quodam vinculo manus: ſimul foratoq; transfixū ſingulari clavo, Duplicem animum habens uno trajectum impetu, Pedibus complicatis inflexile vinculum exitii. Ligneæ mortis extendens quadruplici vinculo.

400. Mulier vehementer animum viri expugnat, præcipuè ſi ſit meretrix.

401. Æqualem habent viri & fœminæ de religione ratiocinationem. Virtutus curſus, naturæ non agnoſcit differentiam aliquam. Novit & muliebre genus, in virtutis certaminibus viriliter agere.

414. Erat tunica inconſutilis à ſummo contextus per totum, Mollitiem, ſubtilitatem pulchre coloratam. Interroga Iohannem Theologum, qui Domini tunicam deſcripſit. Quis vilitatem illius veſtimenti ignorat, quo pauperes & mendici per Galilæam utuntur, apud quos præcipue genus hoc veſtis contexi ſolet, arte quadam ad pectoralia retractim conſutum?

Digitos manus emittentes propiora ſigna victoriæ.

Congruit Iudæis ſcindi, Dei autem Eccleſia, ubi tunicam accepit inconſutilem, eam nempe quæ à ſuperiori parte tota texebatur, à militibus non diſciſſam, cuſtodit. Qui Chriſtum induit illud ne ſcindat.

418. Chriſtus latronem multis peccatorum oneribus gravatum in Paradiſum introduxit: ſed an ſolitarium illud miraculum eſt, quod in Paradiſum latronem introduxit eſt adhuc aliud majus dicendum.

Sanctorum conventus, ubi ad Reſurrectionem cuſtodiuntur & retributionem.

419. Dixit illi, quid ais ergo de eclipſi, quæ cum Dominus crucifigeretur contingebat. Nos enim tunc temporis Heliopoli fuimus, & cum admiratione vidimus Lunam ſoli ad oppoſitum. Neq; enim tum coitus illorum tempus fuit. Ipſam ab hora nonâ ad veſperam uſque contra naturalem curſum contra ſolis diametrum conſtitiſſe.

420. Caput inclinans, neque enim clavis affigebatur, reddidit animam.

Prius expiramus, & tum caput inclinamus.

Non ut è vulgo quis, ſed cum poteſtate Dominicâ expiravit.

Oſtendit, quod non propter impotentiam crucifigebatur. Nam qui talia patravit, illos poterat, & perrumpere & in nihilum redigere.

422. Non iterum moriebantur, ſed in Immortalitate manent, ut Enoch & Elias: cum quibus ſunt in Paradiſo expectantes illam immutationē ſtatus quam immortalem per Reſurrectionem Chriſti conſequentur. Neq; enim quiſquam excepto Chriſto, reſurrexit in Immortalitatem & vitam Incorruptibilem.

423. Sunt qui affirmant Centurioni huic Martyrium conſtructum, qui pro fide paſſus.

425. Et amice Nicodeme, tu primus cum celeritate ingredere, Omnes graduum aſcenſionis ad ſcandendum, clavis affigens molem trabis ſculptilis. Alte autē extenſum Primi quidē diſſecuit penetranti ferro Placidi pedem duplicē: in cruce poſiti Alterius nocturni graſſatoris binos pedes enſe ſcindens.

436. Et a pedibus ad caput conſtrictum, implexis totum corpus habuit nodis.

Tenuibus velis coronarunt mortui corpus, multipliciter convolutorum nodorum fragranti vinculo.

437. Tres cavitates ex eodemmet lapide excisæ, ubi, aquis cum repletæ fuiſſent illam

ſolitam

ſolitam lavare dicebant.

Pag. 438. Vides mulierum fortitudinem, vides dilectionem, animi magnificentiam, in pecuniis expendendis, uſque ad mortem.

449. Congruum erat, ut qui princeps confeſſus fuerat, is Reſurrectionem princeps videret factam. Etiam eo quod abnegaverat videtur ei primo apparuiſſe, ut ſic indicaret non eſſe illum abjectum.

453. Qui enim, poſtquam alii viderant, & audierant, ipſi intuiti ſunt, ad fidem ſibi faciendam non exiguam concurrentiam hubuerunt ex ipſorum Teſtimonio, quo præparatæ ſunt illorum cogitationes.

463. Poſtquam peccavit & cecidit homo, & per ejus cauſam conturbata ſunt omnia, invaluit mors ab Adamo ad Chriſtum, maledicebatur terra, aperiebatur infernum, claudebatur paradiſus, cœlum foribus obductis erat, & ad extremum corrumpebatur homo & occidebatur, inſultavit in nos Diabolus.

Non ſolis hoc Apoſtolis ſuis promiſit affuturum ſe illis, ſed omnibus omnino diſcipulis ſuis. Non enim victuri erant Apoſtoli, ad conſummationem mundi. Quocirca & nobis, & poſt nos victuris hoc promiſit.

464. Aaron ab initio per Deũ, miniſterio Moſis vocatus, ſacerdotio ſungebatur: non inſiluit ei ipſe. Spiritus ſanctus ordinavit vos ad functionem iſtam.

471. Eos qui poſt baptiſmum peccant peccatum quod eſt ad mortem, & adolentes à communione ut indignos divinorum myſteriorum ſegregat. Nam ad Dei potentiam pertinere dicebat, non ad ſacerdotes, remiſſam illis impertiri.

472. Ordinis purgativi ſunt, & diſcretivi. Mundat accedentes, exuens eos veſtimentis veteribus, & ſic dimittit.

473. Sacerdotium in terra obitur, aſt ordinem cœleſtium ſortitur.

474. A quo Iovis Idæi myſtes ſum factus, candenti veſtitus amictu, mortalium generationẽ refugio. Honor eſt cœleſtis, non terreſtris: poſſeſſio Olympica, ab avis & majoribus regibus orti ſunt, quorum plerique erant ſacerdotes; ſed regiam dignitatem in ſecundis habuere, & in quantum Deus hominibus præſtat, in tantum regno ſacerdotium excellentius judicarunt. Quæ acta, ſecundum humanam diligentem operationem, ad divinum cultum referebantur. Nihil autem tam acceptabile Deo eſt, quam omni ſtudio elaborare, ut homines reddantur meliores. Ars artium eſt, & ſcientia ſcientiarum homines adducere, omniũ animaliũ verſipelliſſimos & varios.

Quid aliud eſt Epiſcopus, quam omni poteſtate & principatu major, omnibus imperans, in quantum licet homini imperare?

Sacræ Leges, regum capita ſacerdotibus ſubdidere.

475. Mediatores Dei & hominum: Benedicit, manus imponit, offert, purgat, Legati ſunt ad Deum. A Deo vitæ & mortis poteſtatem habent, in judicando peccatores, et ad mortem eos adjudicando æterni ignis, & in abſolvendo à peccatis eos qui revertuntur, & ad vitam illos generare.

476. Eſt hæc nominis Thomæ interpretatio: ſicut enim Cephas interpretatur Petrus, ita & Thomas dicitur Didymus. Rectè autem meminit interpretamenti nominis iſtius, ut oſtenderit illum fuiſſe dubiæ ſententiæ; & ad hunc modũ ab initio affectum fuiſſe, id quod è nomine patet.

477. Patet quod ab incredulitate erat hæc dubitatio, & fruſtra ſunt qui Thomæ gratificari volunt, qui affirmat eum non facile adhibuiſſe fidem, quia rem exploratè cognoſcere voluit.

Videſis eum qui heri fuit incredulus, qualiter poſtquam latus tetigit de Divinitate diſſerit, optimus demum Theologus declaratus.

478. Iterum proprietates morum ſuorum oſtendunt diſcipuli, Petrus & Iohannes: alter ferventior, alter ad diſcernendum aptior. Quocirca Iohannes primus *agnoſcit Chriſtum*, Petrus autem accedit primus.

486. Illi itaque non paucas ſæpius infirmitates, quæ ſunt eorum artes, ſanant, & ægrotos ſanitati reſtituerunt. Quid ergo? an iccirco cum illorum impietate debemus participare.

489. Præoccupant miracula & inflectunt è viſu, & incredulitatem expellunt, & cogitationes maxime inobedientes inflectunt, ut quibus lingua prædicando non perſuaſit, eos redarguant teſtes oculi.

Verbis dum liberationem prædicat, miraculis confirmat promiſſa.

Signa ſubire ſupicionem poſſunt, vita autem recte inſtituta, vel Diabolo occludit os. Ne igitur exiſtimetur, à ſolis ſignis ſucceſſum ſortitam prædicationem, qui curam nullam habent vitæ recte inſtituendæ.

492. Sapientiſſimus *omnium rerum Deus paucis hominibus iiſdem*que Piſcatoribus, & publicanis, & uni tabernaculorum compactori, orbis totius ſterilitate obducti agriculturam commiſit.

Qui omnigenam doctrinam excolebat,

Licet Celſus irriſurus eſt quod dicetur, vel is quem introducit loquentem, Iudæus, tamen dicetur. Quod nimirum multi tanquam inviti Chriſtianæ profeſſioni nomina dederunt, ſpiritu nempè quodam ipſorum rationem animi partem principalem inflectente, ut ſubito qui verbum prius oderant, pro verbo vellent mori.

495. Illa vox τότε, tunc, non hoc indicat proptereà quod ſtatim poſt direptas Hieroſolymas, ſi quis vobis dixerit &c. ſed temporis illius acceſſum indicat, quo futurum illud erat. Eſt itaque dictum iſtius modi. Quando venturus eſt Antichriſtus, erunt multi pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, qui per Dæmonum apparitiones oculis illudent intuentium, ut decipiantur aliqui.

FINIS.

Digitized by Google